ANALYSIS
CONCILIORUM
GENERALIUM ET PARTICULARIUM,
PARS SECUNDA,

Continens,

ALPHABETICO ORDINE,

AD NOVUM POTISSIMUM JUS GALLICUM
exacta Argumenta omnia Dogmatica, Moralia aut Disciplinæ,
de quibus agitur in Conciliis.

A REV. PATRE

CAROLO-LUDOVICO RICHARD
THEOLOGIÆ PROFESSORE
EX ORDINE ET NOVITIATU GENERALI FRATRUM PRÆDICATORUM

*Dictionarii universalis Scientiarum Ecclesiasticarum
Auctore Gallice edita;*

ET A REVER. ET EXCELL.
JOANNE ANTONIO DALMASO
VICETINO,
Sacræ Theologiæ Doctore Collegiato *Latine reddita.*

TOMUS QUARTUS.

VENETIIS,
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.
M·DCCLXXVI.

Superiorum Permissu, ac Privilegiis.

ANALYSIS CONCILIORUM

GENERALIUM ET PARTICULARIUM.

FABRICA. Venit hoc nomine reditus qui parochialis Ecclesiæ sustentationi, tam ad reparationes, quam ad divini servitii celebrationem, addictus est. Cum Ecclesiæ bona in partes omnino quatuor tributa erant, earum unam fabricæ [illegible] addicebat; atque adeo quibusdam in locis bonorum ecclesiæ pars tertia ad fabricam pertinebat; erat [illegible] in Hispania, quemadmodum probant Tarraconensis & Emeritani Conciliorum sequentes canones *[illegible] rerum casuum experientia magistrante, reperi[illegible] nullas diœcesanas esse Ecclesias destitutas; ob quam rem in hac constitutione decrevimus, ut antiqua consuetudinis ordo servetur .... quia tertia ex omnibus, per antiquam traditionem, ut accipiatur ab Episcopis, novimus statutum.* (Concilium Tarraconense, an. 510. can. 8.)

Bene à sponsis divina gratia, quidquid, unaquæque Ecclesia, a fidelibus collatum est, habeat. Priscis quippe canonibus erat decretum, ut Episcopus de parochianis Ecclesiis tertiam sequeretur, cui sua plenissime sufficere possunt. Placuit huic sancto concilio, ut nullus provinciæ Lusitaniæ Episcopus sententiæ hujus terminum excedat, nec à quolibet parochiana Ecclesia tertiam auferre præsumat. (Concilium Emeritanum, an. 666. can. 16.)

Fabricarum proventus, postquam fundationibus est factum satis, reparationibus, ornamentorum emptioni & ejusmodi rebus aliis addici debent, perinde atque oblationes quæ super pelvibus, in stipis cogendæ cippis & in parochialium Ecclesiarum collectis eleemosynis quæ ad fabricas pertinent, erogantur. Est hæc dispositio articuli 9. edicti Mensis Februarii an. 1680. e sanctorum decretorum mente, reddendæ rationis Æditiuis indicta pœna.

Pecunias autem fabricarum, & eas quæ supererunt ex collectis, impendi curent vel suffragiis faciendis pro mortuis, vel fabricis reparandis, vel comparandis ornamentis, vel aliis piis, non autem profanis usibus, & si secus factum fuerit ab æditiuis, Episcopo, vel ejus officiali significent. (Concilium Remense, an. 1583. tit. *de Curatis.*)

Rothomagense concilium, an. 1581. habitum, gravibus impositis pœnis, fabricarum reditus & bona, præterquam ordinaria auctoritate, alienari aut vendi, itemque ad effecta alia, quam quibus addicta sunt, conferri vetat: *Ad tollendos abusus circa fabricarum administrationem decernimus nemini licere, sine ordinariorum judicio & auctoritate, bona ad eas pertinentia vendere, aut cuiquam dare, aut in alios usus convertere, quam quibus assignantur, & omnes declaramus sacrileges, qui quacunque de causa illis fuerint abusi, & ad restitutionem teneri, ad eamque cogi per censuras ecclesiasticas, atque alia juris remedia.* (Tit. *De Curatorum & aliorum presbyterorum ac parœcianorum officiis.*)

Erat olim Episcopis demandata fabricarum administratio. Migravit deinde cura hæc ad Archidiaconos, tum ad parochos, denique ad peculiaris notæ viros, *Fabricienses*, seu *Æditaos* nuncupatos, qui Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis, in visitationum cursu, seu parochis, cum memorati præsules aut archidiaconi suas per annum visitationes non peragunt, suæ procurationis rationem, quotannis, reddere debent: *Administratores tam Ecclesiastici quam laici fabricæ cujusvis Ecclesiæ, etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, eleemosynæ montis pietatis, & quorumcumque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario, consuetudinibus & privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis, nisi secus forte in institutione & ordinatione talis Ecclesiæ, seu fabricæ expresse cautum esset. Quod si ex consuetudine, aut privilegio, aut ex constitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tum cum iis adhibeatur Ordinarius, & aliter factæ liberationes dictis administratoribus minime suffragentur.* (Concilium Tridentinum, Sess. XXII. cap. 9. *de Reform.*)

Ex articulo 17. Edicti mensis Aprilis an. 1695. Æditui seu Fabricienses Archiepiscopis, Episcopis, eorumque Archidiaconis redituum expensæque fabricarum rationes, indictis diebus, ante visitationem quindecim saltem, in pœnam librarum sex eleemosynæ ad emolumentum Ecclesiæ loci, tradere debent; quod si iidem præsules & Archidiaconi visitationes intra annum non instituerint, rationes sine ullis expensis reddentur & expendentur, decernenturque a parochis, officiariis, aliisque præcipuis locorum incolis, dictisque Archiepiscopis, Episcopis, aut Archidiaconis, cum primum visitationes peregerint, exhibebuntur. Articulus hic curiarum jurisprudentiam super hoc capite concordem reddidit, & innumera tam consilii privati, quam parlamentorum decreta æditiuis fabriciensibusque mandarunt, ut ad eum se conformarent.

Etsi bonorum ad fabricas pertinentium administratio ad laicos transierit, non ea tamen minus ecclesiastica bona censentur; ac proinde in omnium privilegiorum partem veniunt, quibus cleri bona gaudent.

Narbonense Concilium, an. 1609. celebratum, mobilia & immobilia Ecclesiarum bona accurate in album referri jubet, ac non nisi e parochi consensu, & non sine requisitis enuntiationibus, fabricarum bona locari vult: *Inventarium rerum omnium mobilium & immobilium Ecclesiæ suæ, & videbunt electi; an omnia in bono statu sint, rationem de omnibus reddituri. Non arrendabunt bona ad prædictas fabricas pertinentia, nisi publicis præcedentibus proclamationibus, & de consensu parochi; quo præsente, & aliis deputari consuetis, reddent computa administrationis.* (Cap. 37. *de Fabricis Ecclesiarum.*)

Per declarationem diei 12. Februarii an. 1661. vult Sua Majestas regni Ecclesias & fabricas pleno jure ac reapse, absque ulla justitiæ solemni forma, in omnia bona, prædia & dominia regredi, quæ ad eas pertinent, quæque, ex annis viginti, ab earumdem Parœciarum æditiuis, incolis aut communitatibus, haud impetrata facultate, & quin necessariæ formæ cæteræ servarentur, vendita aut oppignorata fuere. Mandat Rex, ut iis liberam & pacificam eorumdem bonorum fruitionem possessores relinquant, quin sortem, quin

sumptus, locationes, solutiones, expensas, quæcumque fuerint, contra dictas Ecclesias & fabricas repetere possint, ita nihilominus, ut possessoribus integrum sit sibi consulere, &c. Parlamenti decretum quod huic declarationi fidem facit, occurrit Tom. III. Monumentorum Cleri, pag. 1225. & seq.

Alia declaratio diei 31. Januarii an. 1690. fabricas, ad vitæ tempus, aut aliter, ad ædificandas, aut reparandas Ecclesias, etiam parochianis consentientibus, mutuari vetat, nisi forte mutuatio patentibus litteris in acta relatis firmata sit, ea æditui & fabricæ procuratoribus statuta pœna, suo ut nomine rationem reddant; at de mutuationibus declaratio non loquitur, quæ ob alia ædificia, quam Ecclesias iniri possent.

Fabricæ & communitates ecclesiasticæ tamquam generalibus dispositionibus recipiendis ineptæ spectantur; quæ quidem si quando ad earum emolumentum peractæ fuerint, redigi consueverunt, tum quoque cum testatores non nisi collaterales hæredes reliquerunt.

Capitula, ea ipsa quæ ab episcopali jurisdictione se exempta jactant, id quod cathedralium Ecclesiarum, aliarumque quæ ab iisdem capitulis pendent, sua tantum auctoritate, & sine Episcopi approbatione, moderari non possunt. Ita judicatum per decretum consilii privati, die 26. Januarii, an. 1644. inter Ambianensem Episcopum, ejusque capitulum.

FALSARIUS. Is hoc nomine designatur, qui falsitatem edidit, cujuscunque tandem generis ea fuerit, seu ore tenus, seu scripto, seu per aliquod facinus, ut si falsa acta confecerit, aut vera vitiaverit. Lethale peccatum perpetrat falsarius, cum gravis materia est; universi quoque damni, cui ipse causa, aut occasio voluntaria fuit, restitutioni subest. Canones in falsarios generatim ecclesiasticas censuras, seu pœnas numero plures pronuntiant; & præterea falsarios clericos gradu dejectos, omni clericali privilegio spoliatos, & in carcerem detrusos volunt.

Falsarii quoque sigillorum excommunicentur, & qui scienter falsis utuntur instrumentis. (Concilium Rothomagense, an. 1189. can. 28.)

Falsarios Litterarum, seu Bullæ summorum Pontificum, quorumcumque, aut litterarum, vel sigilli eorum, ex communicantes in scriptis; eos qui scienter receptaverint, aut eis præstiterint, quominus capiantur, auxilium, consilium, vel favorem publicum vel occultum, præfatis constitutionis tenorem, ipso facto excommunicationis esse volumus vinculo innodatos. (Concilium Vitsburgense, an. 1287. cap. 37.)

Item, ad falsariorum malitiam reprimendam, diffinimus, ut qui clerici, vel laici sigilla, vel litteras Principum, vel Prælatorum falsare, vel falsis scienter uti præsumunt, aut etiam falsam monetam cudere, vel quodcumque æs, seu metallum adulterine fabrefacere, aut his omnibus, vel similibus uti scienter præsumpserint, ipso facto, sententiam excommunicationis incurrant; Clerici nihilominus, si de hoc convicti fuerint, carcere episcopali mancipandi. (Concilium Saltzburgense, an. 1281. c. 17.)

Si Episcopus, presbyter, aut diaconus capitale crimen commiserit, aut chartam falsaverit, aut testimonium falsum dixerit, ab officii honore depositus in monasterio retrudatur; & ibi, quamdiu vixerit, laicam tantummodo communionem accipiat. (Concilium Agathense, an. 506. can. 50.)

Concilium Epaonense, quod an. 517. coactum fuit, eamdem in canonibus 13. & 22. dispositionem continet: *Si quis clericus in falsa testimonia convictus fuerit, reus capitalis criminis censeatur.* (Can. 13.)

Si presbyter, aut diaconus crimen capitale commiserit, ab officii honore depositus in monasterium retrudatur. (Can. 22.)

FALSUM. Crimen falsi est fraudulenta suppositio, eo spectans, ut veritas evertatur, corrumpatur, aut inobscuretur, & res aliter ac se habent, oculis subjiciantur. Patratur id criminis triplici pacto, verbis, scriptis, factis: verbis quidem, cum falso jurejurando apud judicem edito, falsove lato testimonio, contra veritatem deponitur; scriptis vero, cum contractus, aut aliud monumentum confingitur, vitiaturve, aut in antiquiorem diem trahitur, in eove additiones, aut detractiones fiunt, mutanturve personarum nomina; factis denique, cum falso pondere, aut falsa mensura venditur, aut moneta corrumpitur.

In re beneficiaria, triplex falsi crimen beneficii vacationem inducit; unum re, & ac jure ipso, cætera per sententiam. Litterarum sanctæ Sedis adulteratio in causa est, ut beneficium facto ipso vacet. Corruptarum earumdem litterarum usu beneficium non nisi per sententiam ferendam vacat, quia minus crimen hoc quam ipsa adulteratio est; perinde se habet quoad monetam patrata falsitas, quæ scilicet per sententiam tantum beneficii vacationem affert. Beneficiorum porro per falsi crimen vacantium collatio ad ordinarium collatorem pertinet, propterea quod nullus in communi jure textus occurrit, nulla principis lex, consuetudo nulla, quæ eam aliis reservat. (Gibertus. Institution. Ecclesiastic. & benefic. Tom II. pag. 244.)

In Gallia, falsi crimen omne, ad beneficiarium tenus quod attinet, pleni juris vacationem secum trahit, seu apud summum Pontificem ejusve legatum, vel apud ordinarium, seu apud ecclesiasticum, vel sæcularem judicem perpetratum super apostolicis litteris falsitas fuerit. Ejusmodi est articuli 16. edicti an. 1550. constitutio.

Ecclesiæ judex de inscriptione falsi quod negotiis ad ejus tribunal spectantibus incidit, cognoscere quidem potest; non tamen pœnam in laicos qui falsum patrarunt, pronuntiare; & quoad ecclesiasticos qui ejusdem criminis rei sunt, regium judicem appellare debet. (*De la Colombe* verbo *Falsum.*)

Cum falsi in clericum accusatio in causam ad laicum judicem delatam incidit, distinctione opus est, & ita dicendum, aut falsum instructum est, ut falsarius puniatur, aut solum, ut super præcipua quæstione pronuntietur. In priore facti specie, falsi instructio quodammodo evadit præcipue criminalis causa, ad quam Ecclesiæ judex vocandus est; at in posteriore, falsum incidens in clericum instruere possunt seculares curiæ, ut super præcipue causa pronuntient, quin ad id Ecclesiæ judicem vocent. (Monumenta Cleri, Tom. 7. pag. 390. & 391.)

FATUUS, FATUITAS, *Quære* MATRIMONIUM, & IRREGULARITAS.

FERRUM CANDENS, seu FERRUM CALIDUM. Specimen quod olim quispiam ad suam probandam innocentiam apud judicem exhibebat. *Quære* EXPERIMENTUM.

FESTUM. Festa nuncupantur solemnes dies, in Dei aut Sanctorum cum ipso in cælis regnantium honorem ab Ecclesia instituti, quibus diebus a servilibus operibus abstinendum, divinoque servitio vacandum est.

§. I.

De Ecclesiæ Potestate in festorum dierum Institutione.

Ea potestate gaudet Ecclesia, ut festos dies a Dominica sancta die distinctos instituat, qui a fidelibus servandi sunt; atque hac sane potestate jam inde a primis temporibus usa est. Protestantes qui hanc ei facultatem denegant, nunquam probabunt aut ei minorem super hac re quam Synagogæ potestatem esse, aut Synagogam minime potuisse festa instituere, quæ Judæi tamquam Sabbatum religiose servabant, ejusmodi erat Sortium seu Purim festum (Esther 9. 19.); aliud in memoriam mortis Holofernis institutum (Judith 16. 31.); aliud item dedicationis templi, a Machabæis præscriptum quod Christus Dominus ipse servavit (1. Machab. 4. 59. Joann. 10. 22.)

Præterea dubitari non potest, quin festorum dierum institutio ad Dei gloriam, & fidelium salutem conferat; eadem interni externique cultus qui Deo debetur, partem conficiat, & quod inde consequitur, ad Ecclesiæ politiam pertineat. Quamobrem Ecclesia, persuasum habens id sibi potestatis inesse, peculiaria quædam festa suis a primordiis instituit. Smyrnenses fideles ad Ponticos super S. Policarpi martyrio scribentes, eos certos faciunt se ad ejus sancti martyris, Smyrnensis Episcopi festum celebrandum, quamprimum potuerint, conventuros. Epistola hæc quam Eusebius Hist. Eccles. lib. 4. cap. 4. integram refert, altero ineunte sæculo, scripta fuit. S. Cyprianus qui medio sæculo tertio vivebat, nos docet Martyrum mortis anniversarium diem ejus ætate celebrari consuevisse, eosdemque dies universo populo sanctos fuisse.

Laodicenum Concilium quod ineunte, ut aliqui putant, vel medio, ut alii, tertio sæculo habitum fuit, pro certo habebat ejusmodi consuetudinem multo ante institutam fuisse; cum mandabat, ut Martyrum festa quæ quidem in quadragesimam incidissent, ad sabbata & dominicos dies remitterentur, quippe quod reliqui dies pœnitentiæ addicti essent: *Non oportet in quadragesima martyrum natalitia celebrari, sed eorum in sabbato & dominica tantum memoriam fieri.* (Can 51.)

Carthaginense Concilium, an. 398. eos excommunicatione plectit, qui se festis diebus, quibus potius in Ecclesia versari deberent, ad spectacula conferunt;

Qui

Qui die solemni, prætermisso Ecclesiæ conventu, ad spectacula vadit, excommunicetur (Can. 88.). Perspicitur hinc festorum dierum institutionem ad summam antiquitatem spectare; qui nullo non tempore celebrati fuere, sunt Paschatis, Ascensionis, Pentecostes dies; subsecuta deinde sunt Apostolorum & Martyrum festa; quinto demum sæculo a S. Martino Turonensi Episcopo, Confessorum festa celebrari cœpta, sanctorum virorum scilicet, qui pro Christi Domini causa sanguinem non effuderant.

Rationum momenta quæ Ecclesiam ad instituendos festos dies permoverunt, in Dei honore ejusdemque cultus incremento, Sanctorum gloria, fidelium documento atque ædificatione originem habent. Ut igitur honos Deo præstaretur, ejus mysteria & mire gesta renovarentur & perpetuitati commendarentur, eidem pro donis quæ suos in Sanctos tam copiose diffudit, gratiæ persolverentur, fideles per eorum exemplum edocerentur, & ad suscipiendam eorumdem imitationem pertraherentur, Ecclesia eos numero plures dies festos instituit, qui ex omni tempore in Christiana societate servati sunt.

Ad eos quod attinet quibus festa instituendi, perficiendique, ut serventur, in Ecclesia potestas est, sunt 1. generalia concilia, tanquam Ecclesiam repræsentantia; 2. summi Pontifices qui ejusdem visibilia capita sunt; 3. Episcopi in suis quisque diœcesibus. Est ergo alienum a veritate de festorum sanctificatione præceptum sub mortalis peccati pœna non obligare, nisi cum ejus violatio cum scandalo contemptuve conjuncta est. Innocentius Papa XI. per decretum an. 1679. editum, & Galliarum clerus an. 1700. coactus sequentem propositionem damnarunt, in qua hæc doctrina continebatur; *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.*

Tridentina Synodus evidenter ut certum ponit episcopos posse festa instituere, omnesque eorum diœcesanos eadem servare debere, cum pronuntiat exemptos ipsos, seu sæculares, seu regulares, ea servandi obligationi subesse: *Dies etiam festi quos in diœcesi sua servandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam regularibus,* serventur. (Sess. 25. cap. 12. *de Reformat.*)

Qui festa instituendi in Ecclesia potestatem obtinent, eo quoque jure gaudent, ut eadem abrogent expunganique. Id facere possunt, adeoque debent, cum festorum numerus est æquo major, eademque a multitudine male servantur, quæ horum nempe festorum dierum occasionem arripit, per abusum in quem eos trahit, ut in desidia, licentia & dissolutione vivat. Tum scilicet pastorum primi ad minorem, quantum quidem fieri poterit, numerum festa redigere debent, ut majore cum dignitate ac pietate, prout concilia hortantur, ea quæ supererunt, celebrentur. Annui tamen & præcipui festi dies excipiendi sunt, quos Episcopi, singuli quidem, de medio tollere minime possunt. *Quoniam refrigescente animi Christianorum devotione, intelleximus ex nimia festorum multiplicatione populum otio & vaniloquio illis diebus deditum, ebrietatibus, comessationibus, ludis & lasciviis magis quam vel divinis, orationibus & contemplationi vacare, & pauperes & plebejos inde multum gravari, eosque cum sua familia sæpe mendicare; ideirco festa, vulgo operum manualium, seu brachiorum dicta infra scripta, & juxta formam sequentem, a præcepto Ecclesiæ excludimus & revocamus.* Decretum hoc, tanquam in Senonensi quodam concilio, an. 1524. habito, Stephano Poncherio, Senonensi Archiepiscopo præside, editum Bucherius affert. (*De rector. Eccl. Gallic.* lib. 4. tit. 7. *de Fest.* cap. 41. & 42. p. 184. Edit. Parisiens. an. 1621.)

Statuimus numerum dierum festorum esse coercendum, statuque arbitrio ordinariorum in ipsis festis abrogandis. (Concilium Bituricense, an. 1528. can. 17.)

Episcopi in sua singuli Synodo, habita nostrorum temporum ratione, dies festos suarum diœcesum ad pauciorem numerum, quoad poterunt, reducere curabunt; eosdemque, propositis etiam eorum arbitrio pœnis, debita cum reverentia curent observandos. (Concilium Burdigalense, an. 1583. tit. 6. *de Festis.*)

In Gallia, semper Episcopis id juris fuit, ut festa instituerent, supprimerentque. Sed quoniam huic institutioni & suppressioni temporale aliquid admixtum fuit, ob justitiam & manualem operam, quæ, festis instituendis aut abrogandis, interdicitur, aut conceditur, ad ea proinde seu instituenda, seu abolenda necessarius utriusque potestatis concursus est. Atque ita quidem statuit edicti an. 1695. art. 28. qui Archiepiscoporum & Episcoporum quoad festorum dierum institutionem aut suppressionem mandata Regi exhibita vult, ut per ejus patentes litteras auctoritatem obtineant.

§. II.

De ratione sanctificandi festos dies.

Dies festos sanctificandi ratio in eo continetur, ut a certis quibusdam operibus abstinestur, & certa quædam alia perficiantur.

Opera a quibus abstinendum est, ut festa sanctificentur, hæc sunt; 1. peccata quæ Deum lædunt, & generatim quicquid ab intentione quæ ei debetur, mentem & cor avertere potest; 2. servilia opera; 3. opera quæ tametsi servilia non sint, cum festorum tamen sanctificatione copulari non possunt, ideoque sanctis iis diebus vetita sunt.

Certum primo loco est mortalia peccata & quicquid mentem & cor a contentione quam Deo homo debet, avocare potest, eo præcepto quod festorum sanctificationem afficit, peculiariter prohiberi, quia ejusmodi præceptum complectitur naturalis juris obligationem in eo positam, ut mens & cor Deo conjungantur, lethale autem peccatum, itemque quicquid a cogitatione ad Deum referenda amovet, hanc conjunctionem impedit. Est hæc Patrum, Theologorum & Canonistarum doctrina cujus hanc iidem rationem afferunt, mortale peccatum videlicet omnium servilium operum criminosissimum esse, & per illud eos omnes a quibus perpetratur, captivos effici: *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Hoc principio nixa theologica Parisiensis Facultas, cum super obligatione superque ratione celebrandi dominicos festosque dies, Octobri Mense an. 1426. consulta esset, declaravit, per festi diei circumstantiam, peccatum sanctis iis diebus perpetratum gravius evadere.

Certum est secundo loco, ad festos dies sanctificandos, a servilibus operibus abstinendum esse. Nuncupantur servilia opera quæ famuli & mercenarii peragere consueverint, seu ea gratis, seu stipendio proposito, seu oblectationis causa peragant, quia intentio, quæcunque demum in iis obeundis obversetur animo, eorumdem naturam omnino non mutat. Ejusmodi sunt, 1. ruralia & rustica opera, ea scilicet, quæ rustici in prædiis agrisque obire solent; 2. mechanica opera, ut sartoris, aurificis, fabri ferrarii, fabri lignarii, &c. 3. ea generatim omnia ad quæ necessarium est animalium ministerium, cujusmodi est grani, vini, lapidum, mercium, mobilium rerum per plaustra vectio; 4. picturæ, sculpturæ opera & id genus alia.

Id præterea, ad festa sanctificanda, requiritur, ut a quibusdam operibus abstineatur, quæ, licet servilia non sint, non proinde tamen minus iis sanctis diebus prohibita sunt. Pertinent ad genus hoc piscatio, quacunque tandem ratione fiat, & venatio, seu avium, seu canum usu peracta; eodem spectant omnia & singula negotii, mercaturæ, venditionis emptionisque genera; nundinæ, publicique mercatus. Perinde se habent saltationes, ludi mimici, choreæ, spectacula, jocorum repræsentationes, itinera non necessaria, quæque cum festorum dierum sanctificatione conciliari non possunt. Idem judicium de fori tumultu & implicatione, cujusmodi sunt judicare, audire testes causasque litigantium, &c. ferendum est. Nec magis notarii ullum actum, ullumve contractum, festis diebus, transigere possunt, exceptis testamentis, & matrimonii contractibus, quia posteriora hæc actuum genera duo ad necessitatis casum referri censentur.

Cupimus hisce diebus (festis) *prohiberi nundinas, choreas, cauponas, vitari comessationes, ebrietates, sumptus, lites, lusus* improbos, *choreas plenas insaniis, colloquia prava, cantilenas turpes, breviter omnem luxum.* (Concilium Coloniense, an. 1536. part. 9. cap. 10.)

Cum dies festi a Deo, sanctisque Patribus religiose constituti sint, ut in his Christianus populus orationi vacet, verbum Dei, & divinum (sacrificium) *attente audiat, non autem rusticis actionibus, negotiisque publicis det operam; idcirco commodissime decrevit Concilium, ut parochi suos omnes moneant, excommunicationis pœnam comminantes, ut illos dies festos colant cum maxima erga Deum animi sinceritate & religione; a quacumque servili actione, ebrietate, blasphemia, ludis publicis, cœnopliis* (œnopliis), *sive tabernis, animalium vehiculis, quibus palam agrorum colendorum, vel negotiorum gratia utuntur, abstineant; nihil mercatores publice vendant; officina eorum aperta non fiat, præsertim diebus dominicis, & beatæ gloriosæque Virginis Mariæ, Apostolorum, aliorum omnium quorum dies festos vigilia præcedunt.* (Concilium Narbonense, an 1559. *De Feriis, seu* Festor. *observatione;* can. 49.)

Sacrosancta Tridentina Synodus cum statuit fideles religioso festorum dierum cultu abuti non debere ad comessationes, ad luxum & lasciviam; tum pastores omnes vehementer

menter in Domino obstatur, debitam sanctamque eorumdem observantiam pastorali diligentia magnopere commendavit. Quam ob rem primo provinciali concilio de illorum cultu quamvis a nobis sancitum sit, tamen hac Constitutione eo ipso de genere diligentius decernendum censuimus; cum ea sint morum corruptela .... ut Deo dicati dies, sanctisque rerum officiis consecrati, ut Spiritus sancti doctrina instituti, tum ad recolenda divina beneficia, tum ad honores debitos Sanctis tribuendos, ad eorumque vitæ imitationem excitandam, non modo, ut oportet, Sancti non colantur, sed, quod gravissimum est, nefarie violentur operibus, officiis, rebusque actionibus, ab eorum cultu, & pietatis christianæ studio alienis. (III. Mediolanense Concilium, an. 1573. tit. 1. *de Festorum dierum cultu.*)

Itaque in maxima hac offensione, nos sacra illius Synodi auctoritate, canonum jure, summorum Pontificum sanctionibus, & Pii V. Pontificis Constitutione eo nomine edita, patrum item institutis, tum ipsis imperatoriis legibus adducti, edicimus, ut ne quid servilis operis sacris iis diebus qui sancta matris Ecclesia instituto, aut uniuscujusque loci consuetudine, notave publico coluntur, fiat, nec quidquam denique quod in illis agi, geri, fierive non liceat. Et quoniam in iis quæ sequuntur, maxime peccatur, hæc nominatim vetamus.

Ne iis diebus nundinæ, emporia, mercatusve agantur; ne quidquam præterea fiat, exerceaturve, quod ad earum nundinarum, vel mercatus apparatum pertineat, etiamsi in diem proxime sequentem illa cadant.

Ne contractus ulli, cujusvis generis sint, neque ulla rerum exsecutiones fiant, nisi cum jure nominatim permissum est.

Ne collecta, caleave in oppidis, pagis, vicis, festis diebus exigantur.

Ne libri, imagines, signa, & alia id genus usquam venalia proponantur, aut circumferantur.

Ne quæ ad alea usum pertinent, neque larvæ itidem, nec vestes ad personatorum hominum usum vendantur, locenturve.

Ne item comœdiæ, ludi scenici, vel theatrales, hastiludia, & alia cujusvis generis spectacula agantur.

Ne circumforanei circulatores, & id generis nebulones, præstigias suas inaniaque ea spectacula agant, neque quidquam omnino vendant, ne medicamenti quidem prætextu.

Iisdem diebus (festis) *nemo lusibus aut choreis det operam .... venditiones quarumcumque rerum, his exceptis quæ ad divinum cultum, & victum necessarium pertineant, nundinæ publicæ, mercatus & auctiones ne fiant diebus festis, sub pœna excommunicationis, a parochis in pronas denuncianda. Ludos theatrales, etiam prætextu consuetudinis, exhiberi solitos, & parvilia, cæteraque ludicra quibus Ecclesiæ inquinatur honestas & sanctitas, in Christi & Sanctorum festivitatibus omnino prohibemus.* (Concilium Rhemense, an. 1583. tit. *de diebus Fest.*)

Prohibemus, ne diebus dominicis, atque aliis festis, qui vel Ecclesiæ præcepto, vel loci consuetudine colendi sunt, quid servilis operis fiat; ne quid emtur, aut vendatur, nisi quod ægrotis, aut illius diei victui necessarium sit; neve ea ipsa necessaria ante fores Ecclesiæ, minus autem in cœmeteriis vendi liceat. (Concilium Aquisextiense, an 1585. tit. *de Festor. dier. Cultu.*)

Ne dominicis, aut aliis festivis diebus, ab Ecclesia præscriptis, servile aliquod opus fiat, prohibemus. Nihil emi, vendive possit, nisi quod illorum dierum victui necessarium sit; nulli fiant incantus, sive subhastationes; nec merces cujuscumque generis exponant mercatores, nec officinas suas aut tabernas aperiant .... abstineant omnes a quarumcumque rerum vehiculis, & agrorum cultura; tum a comessationibus, ebrietatibus & impudicitiis; ne festi dies in luxu & lascivia agantur, & Deus conqueratur de illis, sicut olim fecit per Prophetam, dum ait incensum abominationem esse, & ideo se neomenias, & sabbatum, necnon calendas odisse. (Concilium Narbonense, an. 1609. cap. 9. *de Festor. dier. Cultu.*)

Opera quæ ad dies festos sanctificandos obeunda sunt.

Opera quibus ad festos dies sanctificandos vacandum est, religionis, pietatis, charitatis opera sunt; ut Missam, Vesperas, cætera divina Officia, Dei verbum, & documenta plura quæ in Ecclesia peraguntur, audire, ad precem, seu vocalem, seu mentalem, bonorumque librorum lectionem incumbere; afflictos solari, ægrotantes invisere, & reliquis hujus generis actibus operam dare.

Diligenter quoque populus admonendus est, cur festa, & potissimum dies dominicus qui a temporibus Apostolorum in Ecclesia Dei semper celebris fuit, instituta sint; nempe, ut tunc in unum omnes pariter convenirent ad audiendum verbum Domini, ad audiendum quoque sacrum, & communicandum; breviter, ad vacandum Deo soli, ut dies illa tantum orationibus, hymnis, psalmis & canticis spiritualibus transigatur; hoc enim est sanctificare sabbatum. (Concilium Coloniense, an. 1536. Part. IX. cap. 9.)

Omnibus provinciæ nostræ parochis indicimus, ut populum suum frequenter & serio commonefaciant, ut diebus festis, non solum a quibuslibet prohibitis operibus se se contineant, verum etiam sacris omnibus Ecclesiæ mysteriis, & divini verbi prædicationi, quantum fieri possit, eo animo & religiose intersint; *nec pietatis opera itidem prætermittant, in pauperibus visitandis, afflictis consolandis, aliisque piis rebus gerendis, in quibus christiana professio & charitas maxime* elucescit. (Concilium Burdigalense, an. 1583. tit. 6. *de Festis.*)

Quibus diebus (dominicis & festis) *cum Dei laudes recitare omnes debeant, verbum Dei audire, & de innumeris beneficiis quæ ab immensa sua bonitate indesinenter recipimus, gratias agere, ac se se operibus charitatis assuefacere, sciant aliis non licere vacare negotiis. Ideo omnibus prohibemus publicas nundinas & alios quoscumque mercatus .... commessationes, convivia publica, tripudia, saltationes, strepitus & choreas fieri, venatu & aucupatu tempus terere, in hospitiis, seu cauponis, aliis quam peregrinis cibaria & vinum ministrari, ludos palmariis, & alios* (maxime *dum sacra* conficiuntur, laudesque Deo decantantur) *aperiri; comœdias, ludos scenicos, vel theatrales, & alia ejus generis irreligiosa spectacula agi, sub anathematis pœna prohibet hæc Synodus.* (Concilium Turonense, an. 1583. tit. 11. *de Festor. Cultu.*)

Diebus dominicis & festis in suas parœcias populus conveniat, & Missæ, Concioni, ac Vesperis intersit (Concilium Remense, an 1583. tit. *de diebus* Festis.)

Sanctorum solemnitates celebrandas Patres censuerunt, ut vel eorum in animis nostris excitarent imitationem, vel ut eorumdem meritis consociati, beatorum mentiam precibus juvaremur. Nam, ut ait divus Augustinus, solemnitates Martyrum exhortationes martyriorum sunt, ut eos imitari non pigeat, quos celebrare delectat. Quocirca doceant primo parochi, cæterique Dei præcones, quo studio, diebus Festis Dei cultui dedicatis, divinis officiis, concionibus audiendis, doctrina christiana, aliisque id genus piis operibus vacandum sit. (Concilium Narbonense, an. 1609. cap 9. *de Festor. dierum Cultu.*)

Gallicorum Regum edicta, Galliæque politia, super dominici, festorumque cæterorum dierum sanctificatione, cum allatis conciliorum canonibus ab omni tempore consenserunt.

Gontrandus Rex, per edictum diei 12. Novembris an. 575. (*Capitul. Regum Francorum*, Tom. I.) servilia opera, diebus dominicis festisque interdicit, iis exceptis quæ ad annonæ apparatum necessaria sunt.

Clotarius II. mandat (Ibid. col. 20.), ut quicunque dominicos festosque dies non ita servaverint, ut a servilibus operibus abstineant, ad mulctam damnentur, videlicet, Gallus ad auri solidos quindecim. Romanus ad dimidium supra septem, Servus ad tres, vel ad verbera.

Carolus Magnus (Ibid. col. 253.) dominicis & solemnibus diebus festis suos omnes subditos, Dei verbum audiendi causa, ad Ecclesiam convenire, ab iisque sanctos eos dies in preces, bonorumque operum exercitatione transigi vult.

Octobris die 8. an. 1712. edita sanctio omnes Parisiorum mercatores, artifices, aliasque urbis & suburbiorum personas jubet festos & dominicos dies servare, vetatque, ne per illud sanctum temporis spatium laborent, superve pontium peribolis, lapideis ad ripas aggeribus, aliisque in locis ullas merces exponant.

Mandatum diei 12. Martii an. 1718. & parlamenti placitum diei 18. Decembris an. 1734. eadem statuta continent.

Aurelianensis Constitutio, art. 23. & 24. itemque Blesensis, art. 38. nundinas, mercatus, choreas publicas diebus festis, pariterque palmarios, gladiatorios & mimicos ludos, & cauponas prohibent.

Ex his omnibus tam ecclesiasticis quam civilibus legibus sequuntur hæc; 1. dominicorum festorumque cæterorum dierum sanctificationem, tamquam gravissimorum præceptorum, & solemnium officiorum unum, quoad omnes omnino fideles, semper in Ecclesia spectatam fuisse.

2. Non perfici præceptum hoc, nec huic officio satisfieri, dum privata solum Missa matutinis horum sanctorum dierum horis auditur, & quod reliquum temporis est, ejusve saltem haud mediocris pars inter profana oblectamenta, aut vanas occupationes transigitur; sed unumquemque debere, ut præcepti vim & ratio-

rationem attingat, divinis officiis, sermonibus, aliisque institutionibus quibus iidem dies addicti sunt, interesse, orare, Dei legem meditari, bonos libros legere, in rebus quæ ædificationi sint, detineri, misericordiæ & charitatis opere obire, cujusmodi sunt afflictorum solamen, ægrotantium visitatio, ignorantium eruditio, inimicorum conciliatio, &c.

3. Lethale peccatum, utpote quod longe magis quam servile quodvis opus festorum dierum sanctificationi adversatur, peculiariter præcepto vetari, quod eos sanctificari jubet, & quod inde consequitur, eum qui die festo lethaliter peccat, gravius peccare, quam si alio die peccerat, seque de hac circumstantia in confessione accusare debere. Ad veniale peccatum quod attinet, festi diei quo patratum fuerit, circumstantia non ea est, quam in confessione accusari necesse sit, quia illud cum Dei super omnia amore constare potest, ac proinde festorum dierum sanctificationem non impedit.

Quamquam ad servilia opere festis diebus incumbere, peccatum suapte natura mortale est, fieri tamen ob materiæ levitatem, ob aliquam servilis operis per eos dies obeundi necessitatem, ob temporis brevitatem potest, ut peccatum hoc ipsum non nisi veniale sit. Ajunt unanimi sententia Casuistæ satis esse serviliter, absque necessitate, per horas duas, festo die laborare, etiamsi per intervalla laboraretur, quia in hoc labore adesset irreverentia continuatio, quæ mortale peccatum efficeret.

Quemadmodum servilia quædam opera sunt, quæ dominicis festisque diebus vetentur, ita sunt alia quæ permittuntur. Ejusmodi sunt opera quæ *liberalia* nuncupantur, seu quia potius a mente quam corpore pendent, seu quia, licet corporaum aliquid adjunctum habeant, prorsus ad animum referuntur, ut legere, studere, scribere, delineare, monita & consulta tradere, concionari, docere, &c.

Rationes quoque, seu causæ suppetunt, quæ servilium operum per festos dominicosque dies exercitationi suffragantur; atque his causis originem præbent aut pietas, aut necessitas, quæ efficiunt, ut ejusmodi servilia opera iis diebus permissa sint. Ita, 1. licet festis & dominicis diebus Ecclesiam ornare, abluere, ejusdem parietes aulæis vestire, amere & facere, ut generatim loquamur, quicquid ad Dei cultum servitiumque necessarium est, cum id pridie, vel aliquot diebus ante prævideri perficique non potuit.

2. Seu publicæ, seu privatæ necessitatis causa, licet grana, fœnum, uvam colligere, ut turbo, vel hostis antevertantur, pisces, eos quidem transeuntes capere, pontes & moles fluctibus oppositas reparare, ad principis & patriæ servitium præliari, annonam & militaria impedimenta pro exercitibus plaustro vehere, navigia & onera publica ducere; id omne perficere, quod ad personæ, vel dignitatem & elegantiam requiritur, ut vestis maculas & pulverem tollere, eamdem non nihil sarcire, cum id pridie ex animo excidit, quædam ædium loca verrere, vasa tergere quibus opus est, animalcula, ut columbos, pullos, lepores, non ea tamen quæ majoris momenti sunt, ut vitulos, boves occidere, nisi forte noxius æstus impedierit, ne pridie occiderentur. Concessum est fructus ad mensam decerpere, dapes coquere & parare. Dominicis itidem festisque diebus laborare licet, cum, si minus laboraretur, grave damnum subiretur, aliusve inferretur. Ita tonsor iis diebus radere potest, siquidem aliter ipse se sustentare, aut personæ diebus aliis se radendos exhibere non possint. Indumenta, calceos, & id genus alia rusticis ubici mercatores vendere possunt. Licet etiam, ob eamdem causam, lugubres vestes conficere, salem, calcem, vitrum, ferrum, cervisiam excoquere; cum id operis inchoatum est, nec sine magna jactura intermitti potest. Licet quoque dominicis festisque diebus iter facere, vel ingenuæ pietatis ergo, vel si necessitas, seu publica, seu privata quæ gravis sit, ita postulet; vel denique ut honesta & christiana animi relaxatio sumatur, quæ cum sanctorum eorumdem dierum sanctificatione conjungi possit, nec iter agentem impediet, quominus officiis & institutionibus quæ in Ecclesia peraguntur, intersit. At sedulo animadvertendum est ad ecclesiasticos superiores qui in religionis ordine populos regunt, id pertinere, ut judicent, an necessitas quæ proponitur, ut laborare liceat, vere sit satisque gravis, ut præcepti quod mandat, ut a labore abstineatur, obligationem de medio tollat. Si necessitas publica est, & laborandi venia generalis, aut prope generalis esse debet, hæc ab Episcopo, cum id commode fieri potest, petenda est. Si necessitas privata est, laborandi facultatem parochi suis parochianis concedere possunt, & parochiani quidem, in hac facti specie, ad scandalum avitandum, clam, quoad fieri potest, laborare debent.

§. III.

De Judicibus competentibus, ut de Festorum dierum violatione cognoscatur.

Ut super competentia qua de agitur, cognosceret, distinguatur transgressorum qualitas, necesse est, ecclesiasticine scilicet, an laici sint; distinguenda præterea est transgressionum qualitas, utrum nempe ad pietatis opera quæ præcipiuntur, an vero ad laborem & oblectationes quæ prohibentur, ea referantur.

De Festorum dierum violatione ecclesiastici superiores, ad octavum usque sæculum, in omnis generis homines cognoverunt. Id probat Aurelianensis tertii concilii, an. 538. habiti 28. canon, qui a Vernuvilliensi concilii, an. 755. celebrati canone 14. iisdem verbis exscriptus, & regis Pepini capitularibus insertus fuit: *Quia persuasum est populis die dominico*, inquit canon hic, *agi cum caballis, aut bobus, & vehiculis itinera non debere, neque ullam rem ad victum præparare, vel ad nitorem domus, vel hominis pertinentem ullatenus exercere, quæ res ad judaicam magis quam ad christianam observantiam pertinere probatur; id statuimus, ut die dominico, quod ante fieri licuit, liceat. De opere tamen rurali, id est, arato, vel vinea, vel sectione, messione, excussione, exarte, vel sepe censuimus abstinendum, quo facilius ad Ecclesiam convenientes orationis gratia vacent. Quod si inventus fuerit quis in operibus supra scriptis, quæ interdicta sunt, se exercere, qualiter emendari debeat, non in laici districtione, sed in Sacerdotis castigatione consistat.*

Posteriorum sæculorum jurisprudentia ecclesiasticos superiores cura huic subduxisse, eamque Magistratibus tribuisse videtur. Aurelianensis Constitutio, art. 23. judices omnes sinere vetat dominicis festisque solemnibus diebus ullas nundinas, ullumve mercatum peragi, aut choreas publicas agitari, iisdemque mandat, ut refractarios puniant. Ejusdem Constitutionis articuli 24. & 25. qui oblectamenta per eos sanctos dies nequaquam concessa peculiariter spectant, eorum executionem & ipsi magistratibus tribuunt. Sanctiones has confirmavit Blesensis Constitutionis articulus 38. eademque, tamquam constituentes regni politiæ generalem partem, cujus executio magistratibus demandata est, spectatæ sunt; ejusmodi quoque est ad Clerum responsio, cum de regiis judicibus qui de Festorum dierum violatione cognoscerent, suas ad Galliarum Reges querelas detulit; cernitur hæc responsio super articulo 8. cœtus generalis an. 1635. convocati. (Monumenta Cleri, Tom. V. pag. 1274.)

FIDES CHRISTIANA, Christiana fides est theologica, divinitus infusa virtus per quam credimus quicquid nobis Deus per Ecclesiam suam revelavit, & credendum proposuit, quippe qui veritas ipsa est, fallere proinde ac falli nescius.

Concilia, super fide, magnum canonum & sanctionum numerum continent.

Quisquis metropolitanus, intra tres menses consecrationis suæ, ad fidem suam exponendam, palliumque suscipiendum ab apostolica Sede, nulla inevitabili necessitate imminente, non miserit, commissa sibi careat dignitate. (Concilium Ravennatense, an. 877. can. 1.)

Quod subdiaconi, sive diaconi, sive Sacerdotes parochiani non ordinentur secundum confirmationem concilii Toletani absque legitima professione (fidei) *quam coram Episcopo, & omnium circumstantium audientia faciant, qui ordinandi fuerint.* (Concil. Rothomagense, an. 1074. can. 5.)

Professionem quam in sua consecratione fecerunt (Episcopi), *saltem bis in anno faciant sibi legi.* (Concilium Londinense, an. 1257. can. 20.)

Fide quidem vivimus, & sine hac impossibile est placere Deo; si quis nihilominus habuerit omnem fidem, ita ut montes transferat, charitatem autem non habuerit, nihil est. Fide justificamur, sed & spe salvi facti sumus.... Nunc igitur manent fides, spes, charitas, tria hæc; major autem horum est charitas, & in vivificando justificandoque potior, quandoquidem fides sine operibus mortua est; tum demum utilis est ad salutem, cum per dilectionem operatur. (Concilium Senonense, an. 1528. decreto *Fidei*, 6.)

In primis vetera concilia tam generalia, quam provincialia imitati, ut profiteamur unius sanctæ catholicæ & apostolicæ Ecclesiæ fidem & religionem, excommunicamus & anathematizamus, juxta Lateranense concilium, omnem hæresim

hæresim excellentem se adversus orthodoxam & catholicam Ecclesiam.... Ecclesia quippe universa errare non potest, quæ regitur spiritu veritatis secum manente in æternum, & cum qua Christus manet usque ad consummationem sæculi; quæ etsi diversa ac nonnunquam pugnantia proposuisse videatur decreta de morum disciplina; nihil tamen est in tanta decretorum multitudine, quod fidei orthodoxæ adversetur; sed ab uno eodemque spiritu edocta, pro conditione temporum statuit quod videbatur commodius. (Concilium Rothomagense, an. 1581. cap. 1.)

Quoniam catholica fides humanæ salutis fundamentum est, & totius christianæ religionis verissimam ac certissimam symbolum quo fideles ab infidelibus, & orthodoxam ab hæreticis maxime discerni oportet; ideo illam omnes inprimis ac lubenter amplectimur & profitemur; ac quoslibet Christi fideles nostræ curæ commissos doceri, clericos vero, quotquot postmodum ad sacros ordines, vel ad aliquod ecclesiasticum beneficium, aut officium promoveri contigerit, antequam admittantur, eamdem profiteri volumus. (Concilium Remense, an. 1583. cap. 1.)

Fides, janua illa nostræ salutis, sine qua Deum invenire & invocare, Deo servire & placere nullus in hac vita potest, quam Christus docuit, Apostoli prædicaverunt, sancta Romana Ecclesia tenet, & profitetur, primum fundamentum est, cui totius christiani ædificii fabrica innititur. (Concilium Mexicanum, an. 1585. lib. 1. tit. 1.)

Cum a fide, tamquam a fundamento, pendeat vita spiritualis, & religio nostra, ab ea exordium sumendo, sacra provincialis Synodus Mechliniensis legitime congregata statuit & decernit, ut omnes professores, concionatores, confessarii, ac etiam quicumque in hæresim lapsi ad Ecclesiæ gremium redeunt, singuli præter abjurationem, & alia ad quæ tenentur, coram ordinario suo, ejusve vicario generali, aut alio, ab altero eorum ad id deputando, faciant professionem fidei juxta Bullam Pii IV. & in Romana Ecclesia obedientia se permansuros spondeant ac jurent. (Concilium Mechliniense, an. 1607. tit. 1.)

Cum, testante Apostolo, sine fide quæ radix est aliarum virtutum & fundamentum, impossibile sit Deo placere,... idcirco de divinis rebus, & ecclesiasticis officiis, ad Dei gloriam, & Ecclesiæ utilitatem salutemque spectantibus tractantes in hac Synodo legitime congregata, ut quod bonum est, firmissima fide fundemus, spe erigamus, & charitate muniamus, in omnibus, Deo inspirante, perficiamus, a fidei professione, juxta receptum Ecclesiæ universalis ritum, initium sumendum esse duximus. (Concilium Narbonense, an. 1609. cap. 1.) *Vide*, GRATIA, JUSTIFICATIO.

FLAGELLATIO. Duorum generum flagellatio distinguitur: publica una, quæ infamiam affert, & ad sanguinis usque effusionem pervenit; altera privata, domestica, secreta, quæ ad effundendum sanguinem non tendit ipsa per se, tametsi forte fortuna levi alicui ejusdem effusioni occasionem præbere possit. Primi generis flagellatio (An. 1215) ab Ecclesiæ judicibus mandari non potest, ex Lateranensis Concilii quarti decimo octavo canone qui affertur in Decretalibus Collectionis Gregorii IX. *Sententiam sanguinis nullus clericus dictet, aut proferat; sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut, ubi exercetur, intersit ....nec quisquam clericus litteras scribat, aut dictet pro vindicta sanguinis destinandas. Unde in curiis Principum hæc sollicitudo non clericis, sed laicis committatur.* (Cap. 9 tit. *Ne Clerici, vel Monachi.*) Sed hi tamen Ecclesiæ judices ipsi verberum genus alterum mandare possunt, quia minus pœna, suppliciumque, quam admonitio & correctio ecclesiastica est, quæ *non vindictam canonicam operatur*; ex quo fit, ut Ecclesiæ judex irregularis futurus non sit, si qua forte sanguinis parva effusio in hujus correctionis executione contingeret, quia *non venit principaliter ex sententia, sed accidit ex post facto*. Ea est Ecclesiæ mens, ut pœna hæc clericis qui ei se obnoxios reddiderit, non a laico, sed ab Ecclesiastico, & quidem *inter privatos parietes*, seu *sub custodia*, quod dicitur, infligatur.

S. Augustinus, in centesima quinquagesima tertia ad comitem Marcellinum Epistola, S. Gregorius, in Epistola ad subdiaconum Anthemium, & Bracarensis Concilii quarti, an. 675 habiti canon septimus nullum dubitandi locum relinquunt, quin ecclesiastici superiores ad flagri pœnam eos qui ipsorum jurisdictioni subsunt, damnare possint. Bracarensis Concilii canon animadversione dignus est: *Cum beatus Apostolus arguere, obsecrare, vel increpare in omni patientia præcipiat & doctrina; novimus quosdam e fratribus tantis cædibus in honoratos subditos efferverescere, quantas poterant latrocinantium promereri personæ. Et ideo qui gradus jam ecclesiasticos meruerunt, id est, Presbyteri, Abbates, sive Levitæ, excepta gravioribus & mortalibus culpis, nullis debent verberibus subjacere. Non est dignum, ut possit unusquisque Prælatus honorabilia membra sua, prout voluerit, & complacuerit, verberibus subjiciat & dolori; ne dum instanter subdita percutit membra, ipse quoque debitam sibi subditorum reverentiam subtrahat, juxta illud quod quidem Sapiens dicit*: leviter castigatus reverentiam exhibet castiganti. *Asperitatis nimia increpatio nec increpationem recipit, nec salutem. Et ideo si quis ultra quam dictum est, prædictos honorabiles subditos, licentia percepta potestatis elatus, malitia tantum crediderit verberandos, juxta modum verberum, quem intulerit, excommunicationis pariter & exilii sententiam sustinebit.*

FONTES BAPTISMALES. *Quære* BAPTISTERIUM.

FORNICATIO. *Quære* CŒLIBATUS, CLERICUS.

FORUM. Per id nominis venit tribunal. Jam vero distinguitur tribunal, seu forum duplex, internum unum, externum alterum. Internum forum Dei tribunal, externum forum hominum tribunal est. Internum forum duorum generum est; videlicet, forum conscientiæ, & pœnitentiæ seu confessionis sacramentalis forum. Censurarum, extra pœnitentiæ sacramentum, absolutio internum conscientiæ forum spectat. Peccatorum absolutio, in pœnitentiæ sacramento, spectat pœnitentiæ internum forum. Externum quoque forum in duplici est genere; civile unum in quo quicquid ad politicum & temporalem ordinem pertinet, pertractatur; ecclesiasticum alterum, e cujus jurisdictione pendent, quæcunque ad religionis spiritalem ordinem referuntur. *Vide* JURISDICTIO.

FUNDATOR & FUNDATIO. Intelligitur fundatoris nomine, quicunque fundationem aliquam edidit, & per fundationem intelligitur omnis donatio, legatum quoque quod Ecclesiæ, beneficii, collegii, hospitalis, religiosæ communitatis institutionem spectat, vel ad communitatum, Ecclesiasve jam institutas refertur, addito Missarum precumve nonnarum, aut pii alicujus operis onere. Fundationibus fideliter e fundatorum mente faciendum est satis; & cum monasterium alio transfertur, fundationes illud sequuntur. Parochus per temporalium obsignationem ad fundationis Missas persolvendas adigi potest. Ita judicatum in Parisiensi Parlamento, die 3. Februarii an. 1605.

Fundationes in Ecclesiæ gratiam ad divinum servitium editæ, nec præscriptioni seu redemptioni suapte natura omnino non subsunt, nisi eis redimendi facultas donatione, aut testamento contineatur; ut hæc ipsa, quamvis iisdem inserta sit, per triginta annorum spatium præscribitur.

Cum fundatio per testamentum, aut per actum inter vivos statuta est, in utraque facti specie, Episcopi approbatione, publicaque confirmatione opus est at quoad Ecclesiæ in qua fundatio persolvenda, presbyteros & administratores necessaria non est expressa acceptionis forma, nisi ea forte per actum inter vivos edita fuerit. Præter hanc acceptionem quam Episcopi decretum approbans secutum sit, Parlamentorum legitima confirmatio, quæ potest singulorum jurisdictio ex Edicti an. 1749. articulo 3. requiritur. Fundatio, cum edita est in parœcia, sine parochi ædituorumque cognitione consensuque acceptari non potest; & si quæ forte parochum inter & æditos, super acceptatione, fuerit opinionum varietas, recedendum apud officialem est, prout quidem per arestum Parlamenti Parisiensis, Januarii die 10. an. 1685. statutum fuit, at post edictum an. 1749. hæ contestationes apud Parlamenta discutiuntur.

Episcoporum est fundationum executioni invigilare, easque redigere, cum plures numero sunt, quam par est, aut earum redditus nequaquam sufficit, in qua duplici facti specie ejusmodi reductiones per Tridentinam Synodum locum habent. Ex eodem Concilio (Sess. XXV. *de Reform.* cap. 4.) Episcopus has reductiones in Synodo perficere debet; at aresta non desunt, quæ easdem reductiones, licet ab Episcopo tantum editas confirmarunt. *Vide* Hericortium, in ecclesiasticis Legibus, tertia parte, capite 7. n. 35. Hæc reductio, si nulla occurrit oppositio, actus est, qui e voluntaria jurisdictione pendet; et si qua subest oppositio, danda est opera, ut eadem, antequam suum Episcopus decretum edat, dijudicetur.

Capitula, etiam exempta, suas fundationes, quavis obducta specie, sine Episcopi consensu redigere nequeunt. Ita statutum per arestum Consilii privati, die 26. Januarii an. 1644. contra Ambianense capitulum.

Paro-

Parochus suo cum domino super fundationis in ejus Ecclesiæ gratiam editæ executione transigere nequit, ut persolvendam curet, additis oneribus quæ fundator ei non inferuit; quod si transegerit, restitutioni contra transactionem subest. Fundationes quæ contra patronorum, aliorumve privatorum hominum jura clausulas continent, eæ quidem subsistunt, at sine ejusmodi clausulis quæ aliis officiunt.

Ad regulares quod spectat, Abbates tantum & ordinis capita, prout Tridentina Synodus statuit, fundationes redigendi jure gaudent. (Ibid.)

Cum fundatio acceptata fuit, cumque eadem legibus congruit, fundator non amplius variare, locumve mutare potest, in quo servitium præstandum est.

Præbendum est a Sacerdotibus solatium indigentibus, & maxime his quibus restituenda vicissitudo est. Quicunque ergo fidelium de facultatibus suis Ecclesiæ aliquid devotione propria contulerint; si forte ipsi, aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem Ecclesia suffragium vitæ pro temporis usu percipiant. (Concilium Toletanum, an. 633. cap. 38.)

Salubri deliberatione censemus, ut .... singulis diebus dominicis .... eorum nomina, a quibus eas Ecclesias (parochiales) *constat esse constructas, vel qui aliquid his sanctis Ecclesiis videntur, aut visi sunt contulisse, si viventes in corpore sunt, ante altare recitentur tempore Missæ; quod si ab hac decesserunt, aut discesserint luce, nomina eorum cum defunctis fidelibus recitentur suo in ordine.* (Concil. Emeritanum, an. 666. can. 19.) *Volumus etiam, quod in singulis parochialibus Ecclesiis non solum dicatur Missa parochialis dominicis; sed etiam aliis per hebdomadam diebus divina officia secundum primam fundationem ipsius Ecclesiæ, vel illius augmentationem celebrentur. Et ne divinus cultus quem omnino augeri desideramus, minuatur, fundatorumve intrusio fraudetur, per diœcesanos compellantur, omnes & singuli rectores Ecclesiarum parochialium, capellani, aliique beneficiati, leprosariarum, aliarumque domorum administratores, ad ostendendas, adhibendasque litteras fundationis, institutionis, & augmentationis beneficiorum suorum, & administrationum; ut, omnibus visis, de divinis officiis, juxta fundatorum intentionem, quod opportunum fuerit, ab eisdem diœcesanis statuatur.* (Concilium Senonense, an. 1528. can. 13. *de Fundat.*)

Rothomagense Concilium, an. 1581. celebratum eadem statuta continet in titulo, *de curatorum & aliorum presbyterorum, ac parochianorum officiis.*

Contingit sæpe in quibusdam Ecclesiis, vel tam magnarum Missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impositum esse, ut illis pro singulis diebus, a testatoribus præscriptis nequeat satisfieri, vel eleemosynam hujusmodi pro illis celebrandis adeo tenuem esse, ut non facile inveniatur qui velit huic se muneri subjicere; unde depereunt piæ testantium voluntates, & eorum conscientias, ad quos prædicta spectant, onerandi occasio datur. Sancta Synodus, cupiens hæc ad pios usus relicta, quo plenius & utilius potest, impleri, facultatem dat Episcopis, ut in Synodo diœcesana, itemque Abbatibus & Generalibus Ordinum, ut in suis capitulis generalibus, re diligenter perspecta, possint pro sua conscientia in prædictis Ecclesiis, quas hac provisione indigere cognoverint, statuere circa hæc, quidquid magis ad Dei honorem & cultum, atque Ecclesiarum utilitatem viderint expedire; ita tamen, ut eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata ea ad pios usus reliquerint. (Concilium Tridentinum, Sess. XXV. *de Reform.* cap. 4.)

FUNERA. *Quære* SEPULTURA.

FURIOSUS. *Quære* IRREGULARITAS.

GEN

GENERALIS, seu GENERALES ORDINIS. Qui Generalis titulo in aliquo religioso Ordine est insignitus, ejus ordinis, omniumque domorum ad eum pertinentium caput est, &, quod inde consequitur, cæteris ejusdem Ordinis superioribus dignitate & potestate præstat: *Generalis dicitur, qui omnibus sua religionis præest.* Ordinis Generalium nomen & status ignota fuerunt ad decimum usque sæculum, quo quidem sæculo Cluniacenses Abbates plura monasteria conjunxerant, quæ ab uno tantum Abbate penderent. Retro actis temporibus, singulis monasteriis suus erat Abbas, qui a nullo prorsus alio pendebat, & Episcopo uni subetat. Religiosi ordines qui post primam hanc Cluniaci reformationem prodierunt, & in primis mendicantes Ordines id exemplo secuti sunt; & in congregationis corpus, generali Superiore præside, coaluerunt. Fere omnes Ordinis Generales, suæ ipsius electionis vi confirmantur. Generales in quoque Ordine plus minusve potestatis, prærogativarum & jurium obtinent, pro regularum & constitutionum discrimine, quæ singulis Ordinibus peculiares & propriæ sunt. Ad dispensativam, ut vocant, Generalium potestatem quod attinet, qua religiosos a regula & constitutionibus dispensandi facultate continetur; hi quidem in suos inferiores eadem prorsus quoad caput hoc potestate gaudent, qua in suos diœcesanos laicos, quoad Ecclesiæ leges, Episcopi. De potestate absolutiva nuncupata pro censuris & peccatis reservatis idem dicendum.

In Gallia, religiosarum domorum generales alienigenæ, eorumve deputati, sine expressa suæ Majestatis facultate, visitationes per regnum peragere non sinuntur. (Monumenta Cleri, tom. 4. p. 521. & seq.)

Aresta consilii Status, die 8. Januarii an. 1676. religiosos vetant ordinis Generalium obedientias exequi sine Provincialium consensu; enuntiantque eorumdem Generalium sententias, decreta, mandata & alia rescripta executioni in Galliarum regno mandari non posse, quin patentibus litteris firmata fuerint.

GENUFLEXIO. Est hæc Ecclesiæ cæremonia in eo posita, ut humi sternatur unum, vel utrumque genu, præsertim cum ante expositum sanctum Sacramentum transitur. Apud Christifideles antiquissimus est genuflexionis in prece usus. Eum servebant per annum totum, dominicis exceptis diebus, exceptoque Paschata inter & Pentecostes festum tempore, quo orabant erectis pedibus, ut Christi Domini resurrectionem honore afficerent. Vulgo tamen genua ad altare, ipso Missæ tempore, non flectebant, atque etiamnum Chartusiani nullam unquam genuflexionem edunt; solum genua, post consecrationem, ut Christum adorent, tantisper flectunt. Non ergo ad sancti Sacramenti adorationem necessarium specimen genuflexio est, & admodum perperam ratiocinaretur, quicunque eam aliquibus jactatæ reformationis ministris inferret Christi Domini in sancta Eucharistia realem præsentiam olim agnitam non fuisse, propterea quod ante eam vulgo genua non flectebantur; quasi vero hujus sacramenti fides, eique debitus cultus a genuflexione potius quam ab alia corporis habitudine necessario penderet, & certis quibusdam cæremoniis præ aliis, non autem pietate ipsa quæ peculiariter ex fareantur, quæ temporibus locisque singulis usui sunt, religio contineretur.

Quoniam sunt in die dominico quidam ad orationem genua flectentes, & in diebus Pentecostes; propterea itaque statutum est a sancta Synodo, quoniam consona & conveniens per omnes Ecclesias custodienda consuetudo est, ut stantes ad orationem vota Domino reddamus. (I. Concilium Nicænum, an. 325. can. 20.)

Pœnitentes etiam diebus remissionis genua flectant. (Carthaginense Concilium, an. 398. habitum can. 82.)

Dominicis genu non flectere a divinis nostris patribus, *Christi resurrectionem honorantibus, canonice accipimus. Ne ergo hujus observationis evidentiam ignoremus, fidelibus manifestum facimus, quod post vespertinum Sacerdotum ad altare sabbato ingressum, ex consuetudine quæ servatur, nemo genu flectat, usque ad sequentem vesperam in die dominico, in quo post ingressum in completorio, genua rursus flectentes, Domino preces sic offerimus. Salvatoris enim nostri resurrectionis præcursorem noctem quæ fuit post sabbatum, accipientes hymnos, ab ea spiritualiter incipimus, festum ex tenebris in lucem finientes; ut in perfecto & integro die ac nocte nos resurrectionem celebremus.* (Concilium *in Trullo*, an. 692. can. 90.)

Sciendum est, quod, exceptis diebus dominicis, & illis solemnitatibus, quibus & universalis Ecclesia, ob recordationem dominicæ Resurrectionis, solet stando orare, fixis in terra genibus, suppliciter Dei clementiam nobis profuturam, nostrorumque criminum indulgentiam deposcendum est; cujus rei in Evangelio ipse Dominus nobis dedit exemplum. Sed & Stephanum martyrem, & apostolum Paulum eadem fecisse Liber Actuum Apostolorum testis est. Ex quibus intelligi datur, oportere Christianum humiliter ad terram prosterni, ne forte illi dicatur: Quid superbis, terra & cinis. (Concilium Turonense, an. 813. can. 37.)

Quoniam sunt quidam in die dominico genu flectentes, & in diebus Pentecostes, ut omnia in universis locis consonanter observentur, placuit sancto Concilio, stantes Domino vota persolvere. (Concil. Aquisgranense, an. 816. can. 45.)

Et hoc sciendum est, quod si quando jejunium Mensis Junii in vigiliis Pentecostes .... evenerit, non ibi celebrandum erit, sed in ipsa hebdomada solemni Pentecostes; & tunc propter solemnitatem Spiritus sancti, diacones dal-

ma [illegible] *…antur*, Alleluja *cantetur*, & Flectamus genua, *non dicatur*. (Concilium Selingstadiense, an. 1022. can. 2.)

GLORIA IN EXCELSIS, canticum quod ad Missam dicitur, exceptis diebus ferialibus, dominicis quadragesimæ, &c. E S. Gregorii Sacramentario, Episcopus tantum dicebat *Gloria in Excelsis*; atque is quidem dominicis festisque diebus solummodo. Illud a presbyteris non nisi in Paschate dicebatur.

GLORIA PATRI, &c. Versiculus est qui ad divini officii psalmorum finem, & in aliis Ecclesiæ precibus dicitur, quo magis peculiarem in modum sancta Trinitas glorificetur; id quod *doxologia* vocabulo designatur. Summus Pontifex Damasus, an. 368. mandasse creditur, ut *Gloria Patri* ad singulorum Officii psalmorum finem diceretur.

Græci distinguunt *doxologias* duas: magnam, quæ nostra *Gloria in excelsis* est, & parvam, quæ est nostra *Gloria Patri*, &c. S. Basilius, in Libro de Spiritu Sancto, cap. 27. & 28. antiquissimam fuisse in Ecclesia consuetudinem ait, ut ad diei finem caneretur, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*. Occurrunt doxologiæ vestigia in martyrii S. Ignatii Antiocheni Episcopi actis, quibus nempe, qui ea scripserunt, ad calcem addidere: „ Nos quidem vobis ejus mortis diem „ & tempus significavimus, ut (quotannis) ad ejus „ martyrium honorandum, quo tempore passus est, „ convenire possimus, ea spe ducti fore, ut participes „ simus victoriæ magnanimi illius athletæ Christi Domini, per quem & cum quo gloria & potestas est „ Patri cum Spiritu Sancto in omnia secula seculorum.“ Smyrnenses fideles in Epistola quam ad Philomelienses super S. Polycarpi martyrio scripserunt, sanctissimæ Trinitatis Personis tribus gloriam tribuunt in hæc verba: „ Conjungamus nos apostolis, omnibusque justis cælestis & terrestris Ecclesiæ, & benedicamus una omnes voce *Deum Patrem omnipotentem*; „ benedicamus *Jesum Christum*, Dominum nostrum, „ animarum nostrarum Salvatorem, nostrorum corporum dominum, & universæ Ecclesiæ pastorem; benedicamus *Spiritum Sanctum*, per quem omnia nobis „ revelata fuere.“

Ariani, ab an. 341. tres alias doxologias quæ faverent eorum erroribus, excogitarunt: 1. *Gloria sit Patri per Filium in Spiritu Sancto*; 2. *Gloria sit Patri in Filio & Spiritu Sancto*; 3. *Gloria sit Patri & Filio in Spiritu Sancto*.

Sunt quidam qui in fine responsoriorum Gloria *non dicunt; propter quod interdum inconvenienter resonat. Sed hæc est differentia, ut in lætis sequatur gloria, in tristioribus repetatur principium.* (I. Concilium Toletanum, an. 633. cap. 16.)

GRADUATI. Nuncopantur *Graduati* qui gradus in aliqua Fecoltate obtinuerunt, qui scilicet, postquam præscripto temporis spatio in celebri universitate studuerunt, ibidem, præeunte examine, magistri in artibus, baccalaurei, licentiati, aut doctoris litteras adepti sunt, quæ gradum locumve singulis iis titulis respondentem iisdem tribuunt.

Distinguuntur graduatorum genera quatuor; ut alii nempe graduati simplices, alii graduati nominati, alii graduati sæculares, alii graduati regulares sint.

Graduati simplices sunt, quibus suorum tantum graduum litteræ, cum significatione temporis studii, suppetunt.

Nominati graduati sunt, quos sua universitas munit nominationis litteris, iis scilicet Litteris, per quas universitas in qua suos quisque gradus sumpserunt, eos nominat præsentatque collatoribus, ut iisdem quæ affecta sunt, beneficia conferant.

Porro graduatis affecta beneficia ea tantum sunt, quæ per mortem vacant, quæque a patronis vel collatoribus ecclesiasticis pendent. Excluduntur proinde graduati e beneficiis consistorialibus, item ab electivis confirmativis, ab iis denique quæ ad Regis, aut patroni laici nominationem, aut collationem spectant. Exclusi sunt etiam a cathedralium Ecclesiarum dignitatibus, e beneficiis quæ Choristis, *in compensationem servitiorum*, affecta sunt, nisi ita comparati sint, ut Ecclesiarum statuta, aut fundationes requirunt; ab iis denique beneficiis quæ ab ecclesiasticis collatoribus pendent, cum in horum quidem collatione tria beneficia non sunt.

Graduatis menses quatuor affecti sunt; videlicet, Januarius, Aprilis, Julius, October. Ex his quatuor mensibus, sunt rigoris duo, Januarius & Julius, ita dicti, quia collator beneficium requirenti seniori graduato nominato conferre debet; favoris itidem duo, Aprilis & October, ita nuncupati, quia collator inter graduatos rite qualificatos, qui suos gradus quovis tempore significaverint, suaque nomina & cognomina per Quadragesimam insinuaverint, eligere potest.

In graduatorum concursu, senior nominatus præferri debet. Si uno eodemque tempore nominati fuerint, doctores licentiatis in eadem facultate, & licentiati baccalaureis præferendi sunt. Sic alii in aliis facultatibus gradus sumpserunt, theologiæ doctores cæterarum facultatum doctoribus; canonici juris doctores civilis juris doctoribus; hi vero medicinæ doctoribus præeunt. Licentiati in theologia, baccalaurei ipsi formati iis qui in jure & in medicina licentiati sunt, anteferuntur. Inter baccalaureos idem qui inter doctores ordo servatur. Baccalaurei, tam in theologia, quam in jure, vel in medicina, magistris in artibus præferuntur.

Si eodem anno graduati duo nominati fuerint, suamque uterque nominationem sequenti tantum anno, alter eodem quo edita fuit, significaverint; qui eam primus significavit, non est proinde alteri præferendus, quia Concordatum non omnino significationis, sed solummodo nominationis tempus spectat. Cum inter duos magistros in artibus, eodem anno nominatos, unus superiores deinde gradus sumpserit, alteri qui non sumpsit, anteponetur.

Ut graduati suo privilegio uti possint, necesse est, 1. ut, per totum præscriptum tempus, in aliqua celebri Galliarum universitate studuerint, & congruam ibidem scientiam adepti fuerint.

Necesse est, 2. ut postquam gradus sine fraude obtinuerunt, eos patronis aut collatoribus significandos curent, cum fide temporis studii, cumque nominationis litteris, quarum exempla iisdem relinquant. Graduati nobiles debent iis præterea testificationem exhibere, quæ eorum nobilitatem probet. Concordatum præcipit, suas ut litteras *patronis ecclesiasticis, aut collatoribus ordinariis* graduati significent. Verum electionis libertas haud graduatis relinquitur; qui sine patronis, prout res fert, significare debent; atque hæc significatio fiat, oportet, ante beneficii vacationem, quod ii, suorum graduum vi, requirere volunt. Suorum etiam nominum & cognominum significationem graduati quotannis renovent, necesse est, quadragesimali solum tempore, & ante beneficii vacationem, & quidem sub nullitatis pœna, cum nullum aliud tempus sufficiet. Hæc significatio ecclesiasticis patronis, eorumve vicegerentibus exhibenda est; litterarum autem temporis studii, graduum & nominationis insinuatio edenda in ecclesiasticarum insinuationum tabulario, ea lege, ut actuarium seu graffarium ipsum, ejusve commissum graduati alloquantur, secus nullitatis indicta pœna. (Monumenta Cle i, Tom. 10. pag. 260. & seq.)

Necesse est, 3. suum ut nomen & cognomen per ejus anni quadragesimam insinuaverint, quo anno beneficia requirunt, siquidem significationis inter & requisitionis tempus quadragesima inciderit.

Necesse est, 4. ut beneficia quæ requiruntur, nec a Papa collata, nec in ejus manibus resignata, nec indulti a parlamento concessi vi requisita fuerint.

Necesse est, 5. ut ne graduati repleti sint, beneficio scilicet jam fruantur, quod ad eorum sustentationem sufficere censeatur. Concordatum, *tit. de collat. §. 9. Volumus*, graduati repletionem redigit ad beneficium *ducentenorum florenorum auri de camera*. De horum verborum interpretatione non convenit inter auctores. Eos florenos Loetius sexcentis Gallicæ monetæ libris æstimat. At id constitutiones definierunt, ut sequitur. Ex articulo 30. constitutionis an. 1606. graduati sæculares qui, suorum graduum vi, beneficium obtinuerunt, cui annuæ quadringentæ libræ respondent, repleti sunt; graduati vero regulares per beneficium quotumvis tenue. Si graduati, haud suorum graduum vi, beneficium quod possident, obtinuerunt, illud, ad eos replendos, sexcentarum librarum sit, oportet. Si quam graduati compensationem, pensionem, aliamve rem acceperunt pro beneficiis quæ requisierint, id iis tenet repletionis locum, quia beneficii ab iisdem requisiti valor spectetur. Computentur distributiones in ducentorum florenorum, aut quadringentarum librarum summa, *tempore residentiæ, & horis divinis interessendo*. Æstimantur libræ quadringentæ, deducta decimarum solutione, quæ in consueta onera abierunt, non vero deductis donis gratuitis, casibusve fortuitis, quæ consueta veluti onera non spectantur. Collegiorum principalitates & capellaniæ non replent, quia ejusmodi munia non sunt ecclesiastica beneficia. Ita judicatum per arestum parlamenti Parisiensis, an. 1678. pro principalitate collegii Marchiæ. Pensiones non clericales perinde ac clericales, a Rege super benefi-

beneficiis ad ejus nominationem spectantibus alicui concesse non replent. Ita judicatum per arestum parlamenti Parisiensis diei 17. Augusti an. 1751.

Quod attinet ad pensiones clericales quæ perpetuæ sunt, quæque ecclesiastici tituli fundationem conficiunt, hæ quidem replent.

Necesse est, 6. ut graduato qualitates insint, quas seu per commune jus, seu per fundationem, seu per consuetudinem, beneficium postulat. Itaque graduatus debet esse Sacerdos, aut nobilis, aut a certo quodam monasterio, aut certa quadam ætate, cum harum qualitatum aliquam beneficium requirit.

Necesse est 7. ut graduati sint ita comparati, ut beneficiis quæ requirunt, ipsi per se deservire possint, quia canones aliis ea tradi vetant.

Cum igitur Ecclesia, vel ecclesiasticum ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, & curam ejus per se ipsum valeat exercere; quod si aliter fuerit actum, & qui receperit, quod contra sanctos canones accepit, amittat, & qui dederit, largiendi potestate privetur. (Lateranense III. generale Concilium, an. 1179. cap. 15.)

Hinc illud consequens fit, graduatos qui suorum graduum vi, beneficia obtinuerunt, ea dimittere debere, cum ipsi per se iisdem deservire non possunt; aut cum, haud data per præscriptum tempus in universitate studiis opera, testificationem per fraudem, per favorem, &c. obtinuerunt; aut cum, licet in studiis præscriptum tempus insumpserint, non tamen congruam & necessariam scientiam acquisierunt.

Graduatorum privilegium difficultate non caret. Contrarium esse dicitur sacris canonibus qui beneficia dignioribus tribui volunt, & præsertim vicesimæ quartæ Tridentini Concilii sessionis capiti 10. quod expectativas gratias abrogat, inter quas expressis verbis graduatorum privilegium nominat. Additur majoris momenti beneficia per hoc privilegium eo discriminis redigi, ut, nedum digniori, nonnunquam indignis tribuantur: eum qui beneficium requirit, se ipsum ad beneficium appellare, sibique id sumere, ut eo se digniorem putet; ad beneficia perveniri, graduum in medicina & civili jure susceptorum vi, cum tamen civilis juris & medicinæ studium clericis & religiosis canones interdicant; ad ea quoque per titulum magistri in artibus perveniri; atque ex his privilegii articulis tribus id demum consequens etiam fieri, ut quispiam curata beneficia, quin sit theologus, obtinere possit. Id etiam opponitur per hoc privilegium ignorantiam foveri; eos qui illud consequi volunt, minus esse sollicitos, ut studeant, quam ut sibi faventes censores & examinatores comparent, atque adeo graduati qualitatem sæpenumero in causa esse, ut, qui eam obtinuerunt, examini non subdantur, ex quo fit, ut iidem docti habiti, quin scientia polleant, dignis beneficia surripiant.

Respondetur, eum finem graduatorum privilegio propositum esse, ut per illud beneficia, e canonum mente, merito tribuantur; Tridentinum Concilium, ad graduatorum privilegii abrogationem quod attinet, in Gallia receptum non esse; cum hoc privilegium permissum sit, eum non appellare se ipsum ad beneficium, nec se cum præsumptionis nota se quam cæteros, digniorem credere, qui eodem ibi utitur, ubi viget; medicinæ, jurisque civilis studium clericis & religionis tum solum prohiberi, cum impedit, ut theologiæ, magisque necessariis occupationibus aliis vacetur; quicquid opponitur, tantummodo privilegii abusum, non autem privilegium ipsum attingere, quod ipsum per se bonum est, seu ejus finis, seu naturalia effecta spectentur, quippe quod non alia mente institutum fuit, quam ut beneficia merito tribuerentur, & ad bona studia homines excitarentur; privilegium hoc Basileensis concilii, cœtus Bituricensis, Leonis Papæ X. qui illud Concordato inseruit, auctoritate, ac demum usu niti, qui illud ipsum ab an. 1438. ad usque tempus hoc approbavit. (Gibertus, Instit. Eccles. & Benef. tom. 1. edit. an. 1750. pag. 502. & seq.)

Insuper (ordinat hæc sancta Synodus), *quod in qualibet Ecclesia cathedrali, vel collegiata, ultra prædictam præbendam, theologo* (ut præmittitur) *assignandam, tertia pars præbendarum conferatur graduatis, aliàs idoneis, modo & forma infra scriptis; sic quod prima vacatura hujusmodi graduato, & deinde post alias duas sequens eo modo conferatur, & sic deinceps; videlicet magistris, aut licentiatis, seu baccalaureis formatis in theologia, qui per decennium in aliqua universitate privilegiata; doctoribus, seu licentiatis in altero jurium, vel medicina, qui per septem annos in sua facultate studuerint in universitate, ut supra; magistris, seu licentiatis in artibus, cum rigore examinis, qui per quinquennium in aliqua universitate, a logicalibus inclusive, & supra, in artibus, vel in alia superiori facultate studuerint; necnon in theologia, qui per sex annos, vel in utroque, aut in altero jurium, baccalaureis qui per triennium, si nobiles ex utroque parente, & ex antiquo genere, alias autem per quinquennium consimiliter in aliqua universitate privilegiata ad minus suum studium fecerint; qui de prædictis gradibus, tempore, & nobilitate supra dictis fidem facere teneantur collatori per legitima documenta. Exhortamur tamen ordinarios collatores, quod in conferendis beneficiis hujusmodi, præsertim quoad dignitates, respectum habeant singulariter ad magistros, necnon licentiatos & baccalaureos formatos in theologia. In dignitatibus vero non electivis, personatibus, administrationibus & officiis dictarum Ecclesiarum, idem ordo, modus & forma in omnibus observentur .... Statuit hæc sancta Synodus, quod quolibet anno, durante tempore Quadragesimæ, omnes & singuli hoc modo qualificati, de ipsa diœcesi, & alii qui voluerint, habeant per se, vel per procuratorem sua nomina exhibere illis, ad quos beneficiorum curatorum collatio, vel præsentatio spectat, seu eorum vicariis.... Si autem illi, ad quos beneficiorum quævis dispositio spectat, contra supradictarum qualificationum designationem & ordinem, aliquod beneficium contulerint, seu ad ipsum præsentaverint, vel quomodolibet disposuerint, sit ipso facto irritum & inane, velut superius præmissum est. Et nihilominus per concilia provincialia, tum in his defecerint, aut etiam personis non idoneis quoquo modo providerint, juxta tenorem Constitutionis Concilii generalis, quæ incipit,* Grave de præbendis, *corrigantur, & debite puniantur.* (Concilium Basileense, an. 1438. Sess. XXXI. art. 3.)

Ante graduatorum originem & institutionem, Romani Pontifices qui de plerisque alicujus momenti beneficiis dispositionem sibi reservaverant, universitatibus eam veniam dabant, ut ad eos mitterent eorum indicem, qui ex ipsorum corpore præcipui erant; & hi quidem, super earum fide, in quorumdam beneficiorum quorum collationem sibi summi Pontifices reservaverant, præferebantur. Hi porro catalogi appellabantur *Rotuli nominandorum.* (Monum. cleri, tom. X. p. 195.)

Præter graduatos de quibus hactenus, alii sunt, qui gratia, & privilegii graduati vocantur.

Gratiæ graduati sunt, quibuscum, utpote, prout requiritur, ad gradus idoneis universitates in studii tempore, nonnullisque consuetis exercitationibus dispensarunt.

Privilegii graduati sunt qui hunc titulum accipiunt per Papæ, ejus legatorum, aliarumve personarum quæ sibi id juris esse contendunt, litteras, quibus studii, examinis, aliarumque exercitationum dispensatio continetur.

Hi graduati per Papam graduatis in forma, prorsus ut graduatis mandatarii apostolici præferuntur. At in Gallia non amplius, ex longo jam tempore, graduati ex privilegio agnoscuntur, perinde ac graduati bullares, seu codicillares qui doctoris gradum per simplices principum, supremorumque dominorum litteras obtinebant. Quid? quod Gallicæ sanctiones volunt graduatos in regni privilegiatis universitatibus creatos sine rigore, quod ajunt, examinis, ac sine requisitis consuetisque solemnibus formis, (qui vulgo dicuntur sub camino, hoc est, in cubiculo, non autem in publice universitatis aula progressi probatique) juribus & privilegiis eorum propriis, qui publice, & cum examinis rigore progressi probatique sunt, non gaudere. (Mon. Cleri, Tom. X. pag. 211. Tom XI. p. 158.)

GRADUS CONSANGUINITATIS. In consanguinitate veniunt animadvertenda tria, truncus seu stipes, linea, & gradus. Per truncum, stipitem & radicem, ut cum canonistis loquamur, seu per originem, stirpem, caput, intelliguntur pater & mater, seu pater solum, aut solum mater, cum adsunt filii e pluribus matrimoniis, a quibus descendentes originem trahunt. Per lineam intelligitur ordo seu series personarum quæ ejusdem sanguinis sunt, seu ascendendo, seu descendendo. Linea vel directa est, vel collateralis. Linea directa est eorum series, qui geniti sunt unus per alium; collateralis est eorum series, qui stipitem communem habentes, non unus per alium geniti sunt. Consanguinitatis gradus appellatur distantia major minorve quæ intercedit a consanguineorum uno ad alium, ut a patre ad filium, ab avo ad nepotem, &c. Jus civile & jus canonicum in id conspirant consentiuntque, ut consanguinitatis gradus in linea directa per generationum numerum recenseant. Ergo, ex utroque jure, tot in linea directa sunt consanguinitatis gradus, quot generationes inter consanguineos existunt; ita, e patre ad filium unus tantum & unicus

gradus est, quia a patre ad filium non nisi una est & unica generatio; ab avo ad nepotem duo gradus sunt, quia ab avo ad nepotem sunt generationes duæ.

Ad collateralem vero lineam quod attinet, de ratione numerandi gradus, civile inter & canonicum jura non convenit. In linea collaterali, civile jus tot gradus inter duos collaterales in linea æquali vel inæquali numerat, quot sunt personæ utrinque genitæ, ortæ ex eodem stipite, dempto tamen stipite ipso. Lineæ æqualis exemplum: Petrus ejusque filii duo Jacobus & Joannes sunt personæ tres; Petrus est communis stipes, remanent personæ duæ ortæ ex hoc communi stipite, nempe, Jacobus & Joannes, &, quod inde consequitur, gradus duo, quoniam, ex hac computandi ratione, tot gradus inter collaterales sunt, quot personæ utrinque genitæ, ortæ ex eodem stipite; adeoque Jacobus est sui fratris Joannis consanguineus, in secundo gradu, secundum civile jus. Per eamdem regulam, patrueles fratres duo sunt consanguinei in quarto gradu, quia per ascensum ad eorum communem stipitem, eoque dempto, remanent personæ quatuor utrinque genitæ, ortæ ex eodem stipite, scilicet, fratres duo quibus pater est communis stipes, & horum fratrum duorum filii duo. Lineæ inæqualis exemplum: Petrus relinquit filios duos, Jacobum & Joannem; Joannes moritur, & relinquit filium Josephum nomine; Josephus est sui patrui Joannis consanguineus in tertio gradu, quia per ascensum ad stipitem (Petrum), eoque dempto, supersunt tres personæ genitæ, nempe, Jacobus defunctus, Joannes & Josephus, &, quod inde consequitur, gradus tres. Eadem instituenda est quoad pronepotes, neptes & amitas supputatio.

Ex jure canonico, ad gradus in linea collaterali numerandos servantur sequentes regulæ duæ.

I. Regula. In linea collaterali æquali, nempe, cum collaterales æque distant a communi stipite, tot gradus inter eos numerantur, quot gradus ad communem stipitem sunt ab eorumdem uno. Exempli causa, fratres duo sunt consanguinei seu propinqui gradu primo, quia ab alterutro ad patrem qui communis truncus seu caput est, unus tantum gradus, seu generatio una tantum adest. Patrueles fratres duo consanguinei sunt secundo gradu, quia ab eorum altero ad avum, scilicet ad communem stipitem gradus duo seu generationes duæ sunt.

II. Regula. In linea collaterali inæquali, tot inter consanguineos collaterales numerantur consanguinitatis gradus, quot adsunt ab eo qui longius a communi stipite seu trunco distat. Exemplum: patruus & nepos sunt inæqualiter remoti a communi stipite, qui nepotis avus est patrui pater; nepos ab eo distat gradibus duobus, & patruus gradu uno tantum: Ex hac ergo regula, patruus & nepos consanguinei sunt ad eum secundum gradum: *Remotior trahit ad se propinquiorem.*

In Gallia, consanguinitatis graduum supputatio quæ canonici juris, apud sæcularia & ecclesiastica tribunalia locum habet, cum agitur de matrimonii & conscientiæ casibus, deque judicum, testium aliarumque similium personarum recusatione, quarum consanguinitas seu propinquitas in quibusdam actis suspecta est: at, in iisdem tribunalibus, quoad successiones seu hæreditates, servatur civilis juris enumeratio. *Vide* MATRIMONIUM.

GRADUS STUDII. Veniunt hoc nomine gradus quos in aliqua universitate is obtinet, qui ibidem statum studii tempus peregit, subiitque requisita examina, ut gradus quos suis alumnis eadem concedit, assequeretur, & privilegiis gauderet quæ iisdem addicta sunt. Hi porro sunt magistri in artibus, baccalaurei, licentiati & doctoris gradus. Eminent hi plus minusve, prout qui eos obtinent, longiore aut breviore temporis spatio in universitate studuerunt, quæ hos iisdem concedit per litteras seu scriptum testimonium, vulgo certificatum de merito, scientiaque: quod appellatur eos in gradus recipere. Studii tempus quod necessarium est, ut ad gradus perveniatur, non in omnibus universitatibus idem est; at, ex Concordato, tit. 5. *de Collationibus*, §. IV. qui incipit, *Præterea*, opus est studii annis decem in celebri insignique universitate pro doctoribus & licentiatis in theologia; annis septem pro doctoribus aut licentiatis in jure canonico, in jure civili, vel in medicina; annis sex pro simplicibus baccalaureis in theologia; annis quinque pro baccalaureis in jure canonico vel in jure civili, si nobiles non sunt, & annis tribus, si sunt nobiles: annis quinque pro magistris in artibus. *Vide* GRADUATI.

GRÆCI. In conciliis de Græcis est sæpe sermo, eorum schismate, subdolisque, ut tempori servirent, cum Romana Ecclesia redintegrationibus occasionem præbentibus. Huic schismati admodum celebri perspectoque, *Græcorum*, seu *Orientis Schismatis* nomine, Photius, Constantinopolitanus Patriarcha, nono sæculo, initium dedit. Ambitiosus homo hic qui prævidebat Romanos Pontifices Constantinopolitanorum Patriarcharum, œcumenici, seu universalis Patriarchæ titulum sibi arrogantium contentionibus invicto semper obstaculo fore, id sibi sumpsit, ut se a Latina Ecclesia sejungeret, prætexens eam perniciosis erroribus obstrictam esse. Jactati errores hi ad has quatuor injurias redigebantur. 1. Latini utuntur azymo pane in sanctorum mysteriorum celebratione. 2. Caseo, animalibus carnibusque suffocatis vescuntur. 3. Jejunant sabbatis. 4. Quadragesimali tempore *Alleluja* non canunt. His nimirum tam frivolis obductis causis Photius schisma inchoavit, quod ejus ætate perbreve fuit, quia scilicet eo sede pulso, Romana & Græca Ecclesiæ rursus coiverunt. Michael Cerularius, seu Cerulairus qui Constantinopolis patriarchalem Sedem an. 1043. conscendit, schisma resumpsit, adeoque in Romanam Ecclesiam irritavit Græcorum animum, ut iis se penitus ab ea segregarent. Suæ segregationis cæteris causis particulam *Filioque*, ad exprimendam Spiritus Sancti ex Filio ut ex Patre processionem, a Latina Ecclesia Constantinopolitano Symbolo appositam, & Papæ primatum quem rejiciunt, addidere. Lapsi sunt etiam in alios errores plures, abeuntibus aliis ad Arianos, aliis ad Jacobitas seu Monophysitas, ita dictos, quia unam tantum in Christo Domino naturam admittunt, &c. Perstitere tamen non pauci Romanæ Ecclesiæ semper addicti.

Amorem principatus, utpote quamdam malam radicem exortorum in Ecclesia scandalorum, radicitus excidentes, eum qui temere & prævaricatorie, ut irregulariter, velut quidam gravis lupus in Christi ovile insiliit, Photium scilicet qui mille tumultibus & turbationibus orbem terræ replevit, justo decreto damnamus. (Concilium Constantinopolitanum generale VIII. can. 4.)

Ego Georgius Acropolita, & magnus Logotheta, nuntius domini Imperatoris Græcorum Michaelis, Ducæ, Angeli, Comneni, Palæologi, habens ab eodem sufficiens ad infra scripta mandatum, omne schisma prorsus abjuro, & subscriptam fidei unitatem, prout plane lecta est, & fideliter exposita, in nomine dicti domini mei, veram, sanctam, catholicam & orthodoxam fidem esse cognosco; eam accepto, & corde & ore profiteor; ipsamque, prout eam veraciter tenet, fideliter docet, & prædicat sacrosancta Romana Ecclesia, ipsam inviolabiliter servaturum, nec ab ea ullo unquam tempore recessurum, vel quoquo modo discrepaturum, vel deviaturum promitto. Primatum quoque ipsius sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, prout in præmissa serie continetur, ad ipsius Ecclesiæ obedientiam, nomine ipsius & meo, spontaneus veniens, pro ipso & me fateor, recognosco, accepto, ac sponte suscipio. (Lugdunense III. generale Concilium, an. 1274. tit. *Sacramentum Imperatoris Græcorum.*)

Licet Græcos in diebus nostris ad obedientiam sedis Apostolicæ revertentes fovere & honorare velimus, mores ac ritus eorum, in quantum cum Domino possumus, sustinendo; in his tamen, illis deferre nec volumus, nec debemus, quæ periculum generant animarum, & ecclesiasticæ derogant honestati. Postquam enim Græcorum Ecclesia cum quibusdam complicibus ac fautoribus suis ab obedientia sedis Apostolicæ se subtraxit; in tantum Græci cœperunt abominari Latinos, quod inter alia quæ in derogationem eorum impie committebant, si quando Sacerdotes Latini super eorum celebrassent altaria, non prius ipsi sacrificare volebant in illis, quam tamquam per hoc inquinata lavissent. Baptizatos etiam a Latinis & ipsi Græci rebaptizare ausu temerario præsumebant; & adhuc, sicut accepimus, quidam agere hoc non verentur. Volentes ergo tantum ab Ecclesia scandalum amovere, sacro suadente Concilio, districte præcipimus, ut talia de cætero non præsumant, conformantes se, tamquam obedientes filii sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matris suæ, ut sit unum ovile, & unus pastor. Si quis autem quid tale præsumpserit, excommunicationis mucrone percussus, ab officio & beneficio ecclesiastico deponatur. (Generale Concilium Lateranense IV. an. 1215. tit. 4.)

GRATIA. Sumitur gratiæ vocabulum multifariam, tum in sacris Litteris, tum in sacris & profanis Auctoribus; videlicet, 1. pro corporis, aut linguæ pulcritudine, dignitate, leporibus; 2. pro Dei erga justos favore, amore, benevolentia; qua nimirum significatione dicitur Noe gratiam apud Dominum invenisse; 3. pro venia & misericordia; 4. pro grati ob acceptum benefi-

beneficium animi testimonium; 5. pro quoque dono, seu beneficio gratuito, nempe pura putaque Dei liberalitate nixo, absque ullo quoad eos merito, seu dona hæc supernaturalem qui æternam vitam propositam habet, seu naturalem tantum ordinem, & mortalem hanc vitam spectent. Hominis creatio & conservatio, ejusque tum animi, tum corporis facultates & perfectiones sunt naturalis ordinis gratiæ, quia ad præsentem vitam referuntur, non hominis ullum meritum quod eas præcesserit, ut certum ponunt, sed Dei bonitatis effectus purus putusque sunt. 6. Gratiæ nomen pro solis donis, seu beneficiis supernaturalibus sumitur, quæ ad justificationem, ad salutem, ad æternam vitam referuntur. Hac scilicet proprie dicta notione nos quidem accipimus hoc loco *gratiæ* vocabulum, eamque definiendam suscipimus.

Gratiæ definitio.

Ergo gratia est Dei gratuitum & supernaturale donum, creaturæ ratione præditæ, quoad æternam vitam, concessum.

1. Gratia est donum gratuitum, quia eam nec Deus debet, nec homo meretur, quoniam alioquin id doni non amplius esset gratia, ut enuntiat S. Paulus: *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia.* (Rom. 11. 6.)

2. Supernaturale donum est, quoad substantiam & rationem, hoc est, donum quod naturæ ordinem, exigentiam & vires supergreditur.

3. Dei donum est, quia Deus est ejus auctor, & efficiens causa; gratiam ipse & gloriam tribuit.

4. Donum est rei creatæ concessum, quæ ratione prædita est, scilicet, angelo & homini, qui tantum hanc supernaturalem gratiam recipere possunt, quia qui eam recipit, ratione & libertate pollere debet, ut per ejusdem bonum aut malum usum mereatur, aut demereatur.

5. Est donum quoad æternam vitam concessum, quia æterna vita proximus gratiæ finis est; ejusdem gratiæ finis ultimus & remotus est Dei gloria.

6. Gratiæ meritoria causa est Christus Dominus, si de homine per primi parentis peccatum lapso agitur; at si de angelo & homine innocente sermo est, his concessa gratia non pendebat a Christi meritis, quæ magis in Scholis communis, Thomistarum scilicet opinio est.

Gratiæ divisio.

Supernaturalis gratia dividitur 1. in gratiam quæ increata, & gratiam quæ creata dicitur.

Increata gratia, si ejus fons & origo spectetur, bona erga homines Dei voluntas & amor est.

Creata gratia supernaturale donum est, quod homini Deus impertitur, ejus salutis curandæ causa.

2. Creata gratia bifariam dividitur, ut alia Dei, alia Christi Domini gratia sit.

Dei gratia, seu Creatoris gratia ea est, quæ angelo & homini in innocentiæ statu collata fuit, in eo scilicet justitiæ & sanctitatis statu, in quo Adam & Eva creati fuere. Gratia hæc concessa non fuit intuitu meritorum Christi, ex D. Thomæ doctrina, qui docet divinum Verbum humanam carnem sumpturum non fuisse, si homo non peccasset.

Gratia Christi Domini, quæ etiam lapsæ reparatæque naturæ, seu præsentis status gratia nuncupatur, ea est, quam in redemptionis ordine, spectatisque Christi Domini, supremi Redemptoris nostri meritis impertitur.

Scotistæ qui divini Verbi incarnationem, quamvis Adam non peccasset, futuram fuisse contendunt, ajunt omnes gratias utriusque status, innocentiæ scilicet & peccati, intuitu meritorum Christi concessas fuisse. Primi status gratiam vocant *sanitatis* gratiam, seu gratiam Christi Domini, tamquam omnium hominum capitis; & alterius status gratiam *medicinalem* gratiam, seu Christi Domini Salvatoris gratiam appellant.

3. Gratia Christi Domini vel externa est, vel interna; externa extra hominem est, eumque exterius excitat, ut lex, prædicatio, cohortationes, consilia, miracula, exempla, incarnatio, passio & mors Christi Domini, &c.

Interna gratia in homine recipitur, eumque interius afficit, seu permanentem in modum, ut habitualis gratia, seu transeuntem in modum, ut actualis gratia.

4. Bifariam dividitur interna gratia, ut alia sit *gratia gratis data*, & alia sit gratia quæ eum a quo possidetur, Deo gratum reddit, ac proinde dicitur *gratia gratum faciens*. Gratuito collata gratia est, quam Deus primo & potissimum ad aliorum utilitatem concedit, cujusmodi sunt sapientiæ, scientiæ, &c. dona, quorum S. Paulus in secunda ad Corinthios Epistola duodecimo capite enumerationem contexit. Hujus speciei gratia dicitur gratia gratis data, quia nobilitatem concedit ei gratiæ quæ Deo gratum reddit, generis autem nomen ei speciei tribui solet, quæ minus nobilis est; quemadmodum animalis nomen belluæ tribuitur.

Gratia quæ Deo gratum reddit, seu *gratum faciens*, ea est, quæ homini primum præcipueque ad ejus propriam salutem confertur, quippe quem Deo gratum reddit, vel formaliter, ut Scholæ dicunt, seu permanenter, ut habitualis gratia, vel transeunter, ut gratia actualis quæ eumdem ad habitualis gratiæ receptionem, vel augmentationem comparat. Gratia quæ Deo gratum reddit, excellentior est, quam gratia gratis data, quia cum lethali peccato stare non potest, & proxime ad Deum refertur.

5. Gratia quæ Deo gratum reddit, seu *gratum faciens*, duplex est, habitualis una, actualis altera.

Habitualis gratia est qualitas, seu habitudo in animum nostrum infusa, fixa & permanenti ratione, quæ nos justos, sanctos, Deo gratos, cæli hæredes, perficiendisque actis æternæ vitæ meritoriis idoneos reddit. Ejusmodi est gratia sanctificans quæ nos elevat ad eum justitiæ, & sanctitatis statum qui nos Deo gratos, & cælo dignos reddit, seu habitualis hæc, & nobis inhærens gratia ab habituali charitate reapse distinguatur, ut Thomistæ sentiunt, seu solum virtualis dicta, vel etiam pura putaque nominis distinctio inter eas intercedat.

Actualis gratia ea est, quam Deus dat in actus seu motionis transeuntis modum, ut ad bonum ferat, animum illustrans, & voluntatem inflammans. Atque hinc existunt actualium gratiarum formæ duæ, mentis seu intellectus una, voluntatis altera. Prima est internum lumen quod menti Deus exhibet, ut veritatis quæ credenda, & boni quod agendum est, cognitionem eidem præbeat. Altera est indeliberata motio per quam Deus voluntatem excitat, eamque ad bonum fert, quod ei mens, per gratiam quæ ejus propria est, illustrata proponit, seu præsentat.

6. Actualis gratia, quatenus mentis & voluntatis gratiam continet, in operantem & cooperantem gratiam subdividitur.

Operans gratia ea est, quam in nobis sine nobis, sine libera scilicet actione nostra, Deus operatur. Est ea nempe subitus & indeliberatus motus qui a nostra libertate non pendet, quique mentis illustratione, & voluntatis erga bonum motione continetur. Est invitationis, illicii, concussionis gratia quæ animum afficit, ei bonas cogitationes, bona desideria, bonos motus ad bonum inspirans, quin ipse serio, cum examine, & cum libertate consentiat. Est subitus indeliberatusque motus cujus impressionem animus recusare non potest, quemque idem recipit momento ipso quo de eo minus cogitat. Eum potest animus rejicere, eumdemque postquam recepit, non sequi; at eum non recipere, non approbare, non sentire non potest, cum eum eidem imprimere Deo placet. Gratia hæc appellatur etiam *antecedens*, *præveniens*, *excitans*. Dicitur *antecedens*, & *præveniens*, quia per suam super animo, superque voluntate operationem, omnem intellectus cogitationem, omnemque voluntatis motum præcedit prævenitque. Dicitur *excitans*, quia bonas cogitationes in intellectu, bona desideria, sanctosque motus in corde & in voluntate excitat producitque.

Cooperans gratia ea est, per quam nobiscum Deus cooperatur, efficiens, ut bonum efficiamus, quod ipse nobis inspirat. Hæc gratia nuncupatur etiam *concomitans*, *auxilium præbens*, seu *adjuvans*, seu *succurrens*, & *subsequens*, quia venit in voluntatis subsidium, ut eam ad faciendum bonum permoveat pertrahatque, ob quod eadem jam bonas cogitationes, & bona desideria concepit.

7. Actualis gratia tribuitur in *sufficientem*, & *efficacem*.

Sufficiens gratia, prout evincit verborum vis, ea est quæ sufficit, ita quidem, ut ad faciendum bonum non alia quam ipsa opus sit. Verum, in Scholarum usu, sufficiens ea gratia est, quæ agendi potestatem tribuit, quod theologi alii aliter explicant.

Per sufficientem gratiam Thomistæ eam intelligunt, quæ proximam, veram cumulatamque ad agendum, præsentium circumstantiarum ratione habita, potestatem tribuit; non tamen tribuit actionem ipsam, quia, ut reapse agatur, gratia per se ipsam efficaci opus est. Ea igitur gratia sufficiens, possibilitatis, ut loquuntur, gratia est, quæ agendi facultatem complet, ei potestatem afferens supernaturalem, perfectam, solutam

ab omni

ab omni vinculo, relatamque ad actualem statum in quo quispiam existit, ut supernaturale, & cæli meritorium bonum faciat, quamvis illud enim ea una & unica nunquam faciet. Est ergo sufficiens gratia hæc quoad potestatem, quamvis, ut actualiter agatur, opus sit gratia per se ipsam efficaci quæ e sufficienti gratia substantialiter differt. Ergo hanc eamdem gratiam consequuntur effectus duo, proximus unus, remotus alter. Proximus gratiæ hujus effectus sancti boni desideria quæ eadem parit, continetur; ejusdem remotus effectus est is ad quem ea fert, & ad quem ipsa tendit suapte natura, qui nihil est aliud quam boni praxis, legisque executio.

Ex Molina porro, (Concord. §. 14. art. 13. disp. 40.) gratia sufficiens nihil aliud est quam gratia versatilis & subdita libero arbitrio quod eam suo consensu efficacem, suaque resistentia inefficacem reddit, prout eidem placet. Hæc ergo quoad Deum spectata gratia est voluntatis divinæ operatio quæ hominem ad bonum fert excitatque, ita tamen, ut nihil implicet hominem ita excitatum id actualiter facere, quod ex diametro opponitur bono ad quod per gratiam fertur excitaturque. Sequitur hinc 1. defectum consensus in gratiam a voluntatis tantum malitia derivari, non autem a gratia quæ, in hac sententia, est omni omnino actioni ad bonum sufficiens; 2. gratiæ distinctionem in gratiam sufficientem & in gratiam efficacem non a rei natura ipsa, sed a voluntatis consensu aut resistentia sumptam esse.

Suarez, Congruistarum antesignanus, eorum Theologorum scilicet, qui congruitatis, seu gratiæ congruæ systema propugnant, sufficientem gratiam docet divinæ voluntatis operationem esse, per quam homo fertur ad bonum in circumstantiis in quibus eum non assensurum, quia nolet, per scientiam quam mediam nuncupant, videt Deus. Consensionis ergo defectus hic rejici non debet in insufficientiam & imbecillitatem gratiæ, quoniam hæc completam, perfectam, omnique sensu vere sufficientem potestatem homini tribuit, sed unice in hominis malitiam, qui gratiæ quæ eum ad bonum excitat, culpa sua assentiri renuit. Hæc ergo gratia, si ejus natura spectetur, ab efficaci aut congrua gratia non differt, sed quoad eventum tantummodo, qui incongruarum minusque favorabilium circumstantiarum in quibus ea tribuitur, conjunctionem consequitur: hæc ergo quoad substantiam eadem gratia quæ efficax est, cum datur in iis felicibus circumstantiis in quibus voluntas ei assentitur, & inefficax, seu simpliciter excitans, cum in iis minus favorabilibus incongruisque circumstantiis datur, in quibus voluntas eidem assentiri recusat.

Augustiniani sufficientem gratiam positam voluere in quadam cælesti delectatione moralique motione quæ boni faciendi realem quidem potestatem voluntati confert, sed quæ eam tamen ad illud efficaciter nunquam determinat, quia, ut id præstet, opus habet gratia quæ victrici efficacique per se quidem, at morali tamen, non autem physica ratione, cælesti delectatione continetur. Hæc igitur Augustinianorum sufficiens gratia semper aliquem effectum edit, ut bonam cogitationem, pium motum, sanctum desiderium; at totum effectum ad quem per antecedentem Dei voluntatem tendit, nunquam producit, propterea quod humana voluntas per propriam malitiam, & concupiscentiæ qua trahitur, pondus ei reluctatur; hæc eadem gratia potest esse sufficiens tantum in eo cujus concupiscentia vehementior est, & efficax in alio cujus concupiscentia vis minus habuerit; potest etiam sufficiens solum esse quoad quædam opera, cujusmodi sunt castitas, inimicorum amor, & efficax quoad alia, cujusmodi sunt eleemosyna, preces, &c.

Sunt alii theologi (Card. Norisius, Habertus, Tournely, &c.) qui distinguunt sufficientiam mediatam seu proximam, & sufficientiam mediatam precem & actionem, faciles actiones difficilesque. His distinctionibus positis, admittunt 1. gratiam immediate seu proxime sufficientem ad actiones faciles, ita scilicet, ut cum hac una & unica gratia possit homo actiones eas faciles actualiter facere; admittunt 2. parem gratiam immediate seu proxime sufficientem ad precem in omni occasione, cuicunque tandem obici obnoxia fuerit. Denique, mediam sufficientiam ad difficiles actiones gratiam admittunt, prout ea quidem efficere potest, ut ad eas perficiendas necessaria, strictæque sufficientiæ subsidia per precem obtineantur.

Gratia efficax ea est quæ certam & infallibilem cum bona actione connexionem habet, seu, quod eodem recidit, quæ semper bonam actionem adjunctam habet, eamque infallibiliter operatur. Dicitur hæc etiam *gratia roboris, seu vis, & actionis, gratia cooperans, subsequens, & succurrens*, seu *auxiliatrix*. At quomodo gratia hæc efficax est? Intrinsecene, & ipsa per se, videlicet, per suum proprium fundum, suapte natura, suapte vi, suapte virtute; an vero per hominis voluntatem, qui eam efficacem reddit, ei consentiens, & cum eadem agens? Nimirum super his quæstionibus inter se theologi secti sunt.

Docent Thomistæ gratiam efficacem esse ipsam per se, ejusque efficaciam in omnipotenti, quæ Dei est, operatione seu actione collocant, quam *physicam præmotionem* appellant, quia hominis voluntatem prævenit, eam interius efficit, eam movet, eam impellit, eam trahit, eam determinat physice & infallibiliter ad bonum, ei tamen resistendi, si velit, suique consensus denegandi potestatem relinquens; &, quod inde consequitur, suam eidem libertatem sartam tectamque servans.

Augustiniani propugnant & ipsi gratiam efficacem ipsam per se, cum eo tamen discrimine, ut ejus efficaciam non a physica præmotione, seu prædeterminatione, quemadmodum Thomistæ, pendere velint, sed ab objectiva & morali motione quæ invitationis aut persuasionis in modum fit; a cælesti, eaque victrici delectatione scilicet, quæ per suarum illecebrarum suavitatem, suorumque illiciorum invictam vim certo & infallibiliter de cupiditate triumphat; quæ quidem victrix delectatio, penes alios, absoluta, penes alios, relata est.

Molina non aliam efficacem gratiam, quam ipsam sufficientem gratiam agnoscit, quæ efficax evadit, cum voluntas in eam consentit. Humana ergo voluntas, eo judice, demum est, quæ per suum consensum, suamve resistentiam, gratiam efficacem aut inefficacem reddit.

Contendunt Congruistæ gratiæ efficaciam a convenientibus circumstantiis pendere, in quibus eam Deus det, quia per scientiam mediam prævidit hominem consensurum, si eam ipse in iis circumstantiis daret. Gratiæ naturam, itemque hominis voluntatem, omnesque in quibus collocari potest, circumstantias agnoscit, probe scit, siquidem ipse in tali aut tali circumstantia ei gratiam tribuerit, eam eidem certo & infallibiliter consensuram. Ac reapse Deus in tali circumstantia gratiam tribuit, hominis voluntas huic gratiæ in hac circumstantia assentitur; hæc ergo gratia efficax est suæ congruitatis vi cum hominis voluntate quæ in hac circumstantia posita est.

P. Thomassinus gratiæ efficaciam consisteri vult tum internorum, tum externorum pluriuim subsidiorum multitudine, quorum aggregatio & conjunctio intelligibiliter voluntatem permovet pertrahitque, quam eorum nullum seorsim ac singillatim vincere potuisset.

Hujus Operis ratio postulat, ut, postquam numero multa, eademque inter se discrepantia, quod ad gratiam spectat, systemata exposuimus, præcipuos super hac re Conciliorum canones afferemus.

Placuit, ut quicunque dixerit gratiam Dei, in qua justificamur per Jesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema sit. (Concilium Milevitanum, an. 416. can. 3.)

Item, quisquis dixerit eamdem gratiam Dei, per Jesum Christum Dominum nostrum, propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus; non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit. Cum enim dicat Apostolus, Scientia inflat, charitas vero ædificat; *valde impium est, ut credamus ad eam quæ inflat, nos habere gratiam Christi, ad eam quæ ædificat, non habere, cum sit utrumque donum Dei, & scire quod facere debeamus, & diligere, ut faciamus; ut ædificante charitate, scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est:* Qui docet hominem scientiam; *ita etiam scriptum est:* Charitas ex Deo est. (Can. 4.)

Item placuit, ut quicunque dixerit ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam; tanquam, etiamsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata; anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait: Sine me difficilius potestis facere; *sed ait;* Sine me nihil potestis facere. (Can. 5.)

Si quis, ad invocationem humanam, gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis, contradicit Isaiæ Prophetæ, vel Apostolo idem dicenti: Inventus sum a non quærentibus me;

sæ, palam apparui his qui me non interrogabant. (II. Concilium Arausicanum, an. 529. can. 3.)

Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem, ut etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infusionem & operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: Reparatur voluntas a Domino; & Apostolo salubriter prædicanti: Deus est qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate. (Can. 4.)

Si quis, sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum quo in eum credimus qui justificat impium, & ad generationem sacri baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus Sancti, corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit; apostolicis dogmatibus adversarius approbatur, beato Paulo dicente: Confidimus, quia qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri Jesu Christi; & illud: Vobis datum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini; & gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est. Qui enim fidem qua in Deum credimus, dicunt esse naturalem, omnes eos qui ab Ecclesia Christi alieni sunt, quodammodo fideles esse definiunt. (Can. 5.)

Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus, non autem, ut credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infusionem, & inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur; & aut humilitati aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium, nec, ut obedientes & humiles simus, ipsius gratiæ donum esse consentit; resistit Apostolo dicenti: Quid habes, quod non accepisti? Et: Gratia Dei sum id quod sum. (Can. 6.)

Si quis per naturæ vigorem, bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione & inspiratione Spiritus Sancti qui dat omnibus suavitatem in consentiendo & credendo veritati; hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in evangelio dicentis: Sine me nihil potestis facere; & illud Apostoli: Non quod idonei simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est. (Can. 7.)

Si quis alios misericordia, alios vero per liberum arbitrium quod in omnibus qui de prævaricatione primi hominis nati sunt, constat esse vitiatum, ad gratiam baptismi posse venire contendit; a recta fide probatur alienus. Is enim omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis non asserit infirmatum; aut certe ita læsum putat, ut tamen quidam valeant sine revelatione Dei mysterium salutis æternæ per semetipsos posse conquirere. Quod quam sit contrarium, ipse Dominus probat, qui non aliquos, sed neminem ad se posse venire testatur, nisi quem Pater attraxerit, sicut & Petro dicit: Beatus es, Simon Bar-jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cælis est; & Apostolus: Nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu Sancto. (Can. 8.)

Divini est muneris, cum & recte cogitamus, & pedes nostros a falsitate & injustitia continemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur. (Can. 9.)

Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis (sanatis) semper est implorandum; ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare. (Can. 10.)

Nemo quidquam Domino recte voverit, nisi ab ipso acceperit, quod voveret, sicut legitur: Quæ de manu tua accepimus, demus tibi. (Can. 11.)

Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito. (Can. 12.)

Arbitrium voluntatis (libertatis) in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi non potest reparari; quod amissum, nisi a quo potuit dari, non potest reddi. Unde veritas ipsa dicit: Si vos Filius liberaverit tunc vere liberi eritie. (Can. 13.)

Nullus miser de quacunque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia prævenitur, sicut dicit Psalmista: Cito anticipet nos misericordia tua, Domine; & illud: Deus meus, misericordia ejus præveniet me. (Can. 14.)

Ab eo quod formavit Deus, mutatus est Adam, sed in pejus per iniquitatem suam; ab eo quod operata est iniquitas, mutatur fidelis, sed in melius per gratiam Dei. Illa ergo mutatio fuit prævaricatoris primi; hæc secundum Psalmistam, mutatio est dexteræ Excelsi. (Can. 15.)

Nemo ex eo quod videtur habere, glorietur, tamquam non acceperit; aut ideo se putet accepisse, quia littera extrinsecus vel ut legeretur, apparuit, vel ut audiretur, sonuit. Nam sicut Apostolus dicit: Si per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est. Ascendens in altum, captivavit captivitatem, dedit dona hominibus. Inde habet, quicunque habet. Quisquis autem se inde habere negat, aut vere non habet, aut id quod videtur habere, aufertur (auferatur) ab eo. (Can. 16.)

Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas, fortitudinem autem Christianorum Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris non per voluntatis arbitrium quod est a nobis, sed per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. (Can. 17.)

Nullis meritis gratiam prævenientibus, debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia quæ non debetur, præcedit, ut fiant. (Can. 18.)

Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret. Unde cum sine Dei gratia salutem non possit custodire, quam accepit; quomodo sine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit? (Can. 19.)

Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo; nulla vero facit homo bona, quæ non Deus præstat, ut faciat homo. (Can. 20.)

Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum. Si quid autem habet homo veritatis, atque justitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via. (Can. 22.)

Prorsus donum Dei est diligere Deum. Ipse, ut diligeretur, dedit, qui non dilectus diligit, displicentes amavit summe, ut fieret in nobis, unde placeremus. Diffundit enim charitatem in cordibus nostris Spiritus Patris & Filii, quem cum Patre amamus & Filio. (Can. 25.)

At sic secundum suprascriptas sanctarum Scripturarum sententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc, Deo propitiante, & prædicare debemus & credere, quod per peccatum primi hominis, inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi eum gratia misericordiæ divinæ prævenerit. Unde & Abel justo, & Noe, & Abrahæ, & Isaac, & Jacob, & omni antiquorum patrum multitudini illam præclaram fidem quam in ipsorum laude prædicat apostolus Paulus, non per bonum naturæ, quod prius in Adam datum fuerat, sed per gratiam Dei credimus fuisse collatam; quam gratiam, etiam post adventum Domini, omnibus qui baptizari desiderant, non in libero arbitrio haberi, sed Christi novimus simul & credimus largitate conferri, secundum illud quod sæpe jam dictum est, & quod prædicat Paulus apostolus: Vobis datum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sad etiam, ut pro illo patiamini; & illud: Deus qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri Jesu Christi; & illud: Gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum ast; & quod de se ipse ait Apostolus: Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem. Non dixit: quia eram, sed ut essem. Et illud: Quid habes, quod non accepisti? Et illud: Omne datum bonum, & omne donum perfectum desursum est, dascendens e Patre luminum. Et illud: Nemo hebet quidquam, nisi illi datum fuerit desuper.

Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia (post acceptum baptismi gratiam) omnes baptizati; Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.

Hoc etiam salubriter profitemur & credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adjuvamur; sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui prius inspirat, ut & baptismi sacramenta requiramus, & post baptismum cum ipsius adjutorio ea quæ sibi sunt placita, implere possimus. Unde manifestissime credendum est, quod & illius latronis quem Dominus ad paradisi patriam revocavit, & Cornelii Centurionis ad quem Angelus Domini missus est, & Zacchæi qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divina gratiæ largitate donata.

Item de gratia per quam salvantur credentes, & sine qua rationalis creatura nunquam beata vixit; & de libero arbitrio per peccatum in primo homine infirmato, sed per gratiam Domini Jesu fidelibus ejus redintegrato & sanato, id ipsum constantissime & fide plena fatemur, quod sanctissimi patres auctoritate sacrarum Scripturarum nobis tenendum reliquerunt; quod Africana, quod Arausica synodus professa est; quod beatissimi Pontificis apostolicæ sedis catholica fide tenuerunt; sed & de natura & gratia in aliam partem nullo modo declinare præsumentes. Ineptas autem quæstiunculas, & aniles pene fabulas, stero-

scatentiumque pulset, puritati fidei nauseam inferentes, quæ periculosissimis & gravissimis temporibus, ad cumulum laborum nostrorum, usque ad scissionem charitatis miserabiliter & lacrymabiliter succreverunt, ne mentes Christianæ inde corrumpantur, & excedant a simplicitate & castitate fidei quæ est in Christo Jesu, penitus respuimus. (Valentinum in Dalphinatu Concilium III. an. 835. can. 6.)

Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere, ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed ægre tamen & difficulter, possit; anathema sit. Vide JUSTIFICATIO.

GRATIÆ EXPECTATIVÆ. Gratia expectativa, ut generatim loquamur, est gratiæ promissa cujus complementum expectatur, seu, prout vulgo definitur, est *spes, sive jus obtinendæ rei quæ prima vacaverit*.

In re beneficiaria, expectativa est jus ecclesiastico cuipiam concessum, ut ei de beneficio reapse vacante, aut in posterum vacaturo provideatur. Jus hoc appellatur *Gratia expectativa*, *Mandatum* & *Reservatio*. Dicitur *Gratia expectativa*, quia re sane ipsa est gratia quæ talis beneficii possidendi præstolatione seu spe continetur. Dicitur etiam *Mandatum*, quia summi Pontifices qui hujusmodi jus concedunt, beneficii collatori mandant per Epistolam seu Rescriptum, ut non illud alteri quam eorumdem litterarum, seu *mandati de providendo* latori conferant. Dicitur denique *Reservatio*, quia fere Papa beneficiorum expectativam tribuit, quæ ei reservata sunt, antequam vacent, seu quia reservationes sunt mandatorum consecutio.

In usu, propria non intelligitur nisi jus ad beneficium quod nondum vacat, & per expectantes, ii tantum intelliguntur, qui jus habent in beneficium nondum vacans, cujusmodi sunt mandatarii, coadjutores, graduati, indultarii & brevetarii. Porro *brevetarii* nuncupantur, qui regis brevetum, ut vocant, hoc est, actum obtinuerunt a publici Regiminis secretario expeditum in quo extat regis ad beneficium quod primum vacaverit, nominatio.

Duo sunt brevetorum genera. Primum eorum est, quæ regni feliciter initi ratione habita, clerico Rex concedit. Alterum eorum est, quæ Sua Majestas tribuit, cum novus Episcopus fidelitatis jusjurandum eidem obstringit.

Quisque Rex, in sui regni primordiis, eo jure gaudet, ut unicuicumque cathedralis præbendam, & collegiatum quarumdam Ecclesiarum dignitatem aut præbendam conferat. Jus hoc de quo Durandus, Mimatensis Episcopus qui sæculo decimo tertio vivebat, tamquam de jure in cæteris regnis admodum veteri loquebatur, in Gallia non nisi regnante Ludovico XII. an. 1503. initium habuit. Et locus est tam super cathedralium Ecclesiarum præbendis, quam super collegialium dignitatibus præbendisque, quibus in Ecclesiis scilicet adeunt antea, præter dignitates, præbendæ, plures quam decem, quin præbendarum in iisdem collegiatis Ecclesiis ab an. 1640. imminutio, patentibus litteris, a Parisiensi parlamento in acta relatis firmata huic juri officere possit. (Declaratio diei 28. Februarii an. 1726. Arestum Magni Consilii diei 6. Martii an. 1731.)

Jucundi ad solium adventus jus in collegiatis Ecclesiis locum habet, in quibus, præter dignitates, decem præbendæ sunt, quamvis collatio inter Episcopum & capitulum, seu regem inter ipsumque capitulum alterna sit; secus, si penes Episcopum nulla ibidem collatio est. Est etiam juri huic in omnibus regionibus locus quæ Galliæ additæ aut redintegratæ fuere, quin obsint conventiones cum subjectis regionibus initæ quæ sua iis privilegia & consuetudines servant, quia spectatur ut jus ad regiæ dignitatis vim & rationem pertinens, utpote suffectum in ejus locum, quo *priorum precum* dicto Imperatores gaudebant.

Præter jocundi adventus jus, illud quoque rex obtinet, quod fidelitatis jusjurandum a novis Episcopis præstitum afficit. Cum novus Episcopus fidelitatis jusjurandum obstringit, ei rex injungit, ut canonicatum, aut præbendam quæ prima in ipsius cathedrali Ecclesia vacaverit, ei conferat, quem ipse eidem nominat. Jus hoc, quod solum die ultima Aprilis an. 1599. in Gallia institutum fuit, personale est, nec debetur nisi ab Episcopo super beneficiis quæ ex ejus collatione sunt, ad alterius, jucundi adventus dicti discrimen, quod nempe reale est, & a capitulis debetur. Si Episcopus non facit huic juri satis, ejus successor facere non tenetur. Id juris in cathedralibus Ecclesiis locum non habet, in quibus canonicatus decem ex Episcopi collatione non sunt.

Spectatis regulis, brevia regis diplomate, vel, ut Galli nuncupant, breveta, tum ad jucundum adventum, tum ad fidelitatis jusjurandum spectantia, in beneficiis tantum per mortem vacantibus locum habent; cathedralium autem Ecclesiarum dignitates eorum jurium neutri subsunt. (Jurisprudentia Gallicæ Collectio, verb. *Brevet*.)

In brevetariorum duorum concursu, quorum unus ad jucundum adventum, alter ad fidelitatis jusjurandum pertineat, primus prælationem meretur, propterea quod jucundi adventus jus est eminens sceptri jus. (Gibertus, Institutionum Ecclesiasticarum & beneficialium Tom. II. pag. 602. edit. an. 1750. in 4.)

Usui nondum erant expectativæ gratiæ medio decimo secundo sæculo, quoniam Gratianus qui decretum suum sub 1150. annum vulgavit, nullam earum mentionem facit. Canonistæ, tam veteres quam recentiores harum originem tribuunt Alexandro Papæ III. qui an. 1159. ad apostolicum solium avectus fuit.

Haud ægre perspicitur expectativas non mediocria incommoda secum trahere. Eæ scilicet ordinariorum collatorum jura lædunt; ad alterius mortem optandam adducunt; beneficiorum januam malis hominibus bene multis aperiunt, quæ in causa fuerunt, ut eas Basileense Concilium, cujus decretum Pragmaticæ Sanctioni insertum est, aboleret. Occurrit in Concordato decretum simile, ac Tridentina Synodus omnes expectativas gratias, eas ipsas quæ Cardinalibus concessæ fuerant, universim damnat.

Hoc unum singulari sollicitudine prosequendum arbitrata (universalis Synodus Basileensis), *ut per singulas Ecclesias ministri instituantur idonei qui scientia & virtutibus effulgeant, ad Christi gloriam, & universi populi christiani ædificationem salutarem; cui rei grave impedimentum hactenus afferre visa est gratiarum expectativarum multitudo quæ gravem ordini & statui ecclesiastico perturbationem, variasque inordinationes, ac plurima discrimina comperitur injecisse. Ex his enim frequenter dati sunt Ecclesiis ministri non probati, nec cogniti; variarumque beneficiorum expectatio, quæ, sicut antiqua jura testantur, occasionem desiderandæ mortis alienæ præstare solet, quod plurimum præjudicat animarum saluti; sed & insuper lites innumeræ & contentiones inter servos Dei excitantur, rancores & jurgia nutriuntur, pluralitatis beneficiorum fovetur ambitio .... plurimi absque justo titulo beneficia sibi vindicant; & non quibus jure debentur, illa obtinent, sed nonnunquam hi, quibus aut circumveniendi proximum major astutia, aut ad litigandum facultas suppetit uberior .... ordinariis collatoribus suum ministerium subtrahitur, & confunditur ordo ecclesiasticus, dum unicuique sua jurisdictio non servatur .... quæ omnia gravem confusionem statui clericali & sacerdotali, in dispendium divini cultus, & præjudicium publicæ salutis, afferunt, possuntque graviorem in futurum afferre ruinam, rebus his in deteriora jugiter prolabentibus, nisi provideretur in adversum. Volens itaque hæc sancta Synodus super his opportunum remedium adhibere, statuit & decernit, ut Romanus Pontifex qui pro tempore fuerit, ut deinceps gratias expectativas, aut nominationes nullo modo, nullave ex causa concedat; cum ipse præ cæteris, ne sit cæterorum occasio malorum, abstinere debeat. Frustra enim inferioribus inhiberetur, si ipse qui aliis debet esse omnium bonorum & virtutum exemplar, non abstineret. Ut enim ille sanctissimus & doctissimus Leo Papa inquit, totius familiæ Domini status & ordo nutabit, si, quod inquiritur in corpore, non inveniatur in capite. Integritas etiam* præsidentium, *salus degenerum esse inferiorum. Cessentque de cætero jam factæ; & tam ipsa, quam etiam fiendæ, si quæ fiant, nullæ sint ipso facto; exceptis illis gratiis & nominationibus, super quibus processus jam sunt expediti, quas ex certis rationabilibus causis, in octo mensibus quibus hactenus cursum consueverant habere, tolerandas duximus, donec aliter fuerit ordinatum.* (Concil. Basileense, an. 1438. sess. XXXI. art. 2.)

Decernit sancta Synodus, mandata de providendo, & gratias quæ expectativæ dicuntur, nemini amplius, etiam collegiis, universitatibus, senatibus, & aliis singularibus personis, etiam sub nomine Indulti, aut ad certam summam, vel alio quovis colore concedi, nec hactenus concessis cuiquam uti licere. Sed nec reservationes mentales, nec aliæ quæcumque gratiæ ad vacatura, nec indulta ad alienas Ecclesias, vel monasteria, alicui, etiam ex sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus concedantur, & hactenus concessa, abrogata esse censeantur. (Concilium Tridentinum, sess. XXIV. cap. 19. *de Reform.*)

HAB

HABITUATI. Presbyteri in aliqua parœcia habituati parochis obedire debent, ecclesiasticaque veste induti officiis interesse tenentur. Si post monitiones tres in hujus obligationis negligentia perstitarint, eos parochus, ut nonnulla quidem Concilia statuunt, suis a functionibus suspensos declarare potest. Habituatis congrua subsistentia ex Ecclesiæ in qua serviunt, reditibus, fundationibus, rebusque fortuitis suppeditari debet.

Statuit Concilium, ut dominicis festisque aliis diebus solendis, in quibus Missa & vespera, divinaque officia ex locorum consuetudine celebranda sunt, presbyteri omnes suppare, aut linea non manicata veste, sive roqueto induti assistant; in solemnibus pompis seu processionibus, in Missis vesperisque sacrificiis peragendis parochum seu ejus vicarium coadjuvent; ut pœna excommunicationis puniantur, & templi emolumentis, pecuniaque in gratiam animarum purgatorii data, sive eleemosynis bassini, ut vocant, purgatorii priventur. (Concilium Narbonense, an. 1551. can. 40.)

Ad servitium parœciale perficiendum, præsertim dominicis diebus & festivis, non solum obligantur curati & vicarii, sed omnes ejusdem parœcia presbyteri qui illis adscripti sunt, sicut omnes Parœciani ad audiendum. Nisi ergo presbyteri prædicti in habitu sacerdotali cum superpelliceo hora competenti convenerint, quo ut conveniant etiam qui non sunt adscripti, hortandi sunt, & in officio divino ad finem usque cantantes, aut administrantes perstiterint; damus curatis potestatem post trinam admonitionem eos suspendendi a divinis; & ut ordo in omnibus servetur in Ecclesia, omnes presbyteros parœcia, sicut omnes alios parœcianos curatis decet esse obedientes, & correctioni eorum ac directioni subditos, de ipsorumque vita & officio ad Episcopum referri, eique rationem reddere, aut decano, aut archidiacono. Curati vero, quoties poterunt, auxiliarios presbyteros vocent in participationem aliquarum obventionum ecclesiasticarum, ut qui altari serviunt, de altari vivant. (Concilium Rothomagense, an. 1581. tit. *de Curatorum Officiis*.)

Ut parœciale officium decentius in Ecclesiis parœcialibus celebretur, omnibus presbyteris, diaconis & hypodiaconis in aliqua parœcia degentibus injungimus, ut singulis sua parœcia divini officii horis, ne laicos a divino cultu revocent, quos ad pietatem magis debent animare, intersint cum superpelliceis, & alio habitu decenti, cum biretis, non vero galeris; dictis horis durantibus cantent & psallant; non tamen presbyteri privatas Missas interim celebrent, suspensionis pœna, aut alia ordinarii arbitrio illis imponenda, si contra venerint. Et ut debita mercede fruantur, partem fundationum, seu anniversariorum, ac etiam obsequiorum funeralium, juxta cujusque diœcesis ritum, vel Ecclesiæ facultates, locorum & personarum habita ratione, a rectoribus, & fabricarum procuratoribus illis persolvi ordinamus. (Concilium Turonense, an. 1583. cap. 14. *de Parœciis, Presbyteris, &c.*)

Episcopi presbyteros in parœcias mittere possunt, (Monumenta Cleri, Tom. VII. p. 683.) ut in parochiali Ecclesia confessiones excipiant, Missam celebrent, intersint divino officio, & omnia sacerdotalia munia, perinde ac ceteri habituati Sacerdotes obeant, etiam sine parochorum consensu. Ita statutum e generali cleri cœtu an. 1655. cum super Parisiensium parochorum anonymo libro, superque eo quem P. Bagotius vulgaverat, suam mentem aperuit. Ita pariter judicatum in Parisiensi parlamento, (Ibid. Tom. III. p. 1178. & seq.) per arestum diei 14. Julii an. 1700. quod declarat ab abusu litteras D. Cardinalis Noviliacensis, Archiepiscopi Parisiensis mandata, quibus D. Nuetin presbytero eam veniam dat, ut in S. Rocchi Ecclesia confessiones audiat, ibique sacerdotales omnes functiones peragat, sine Parochi consensu.

HABITUS CLERICALIS. Primis quatuor Ecclesiæ sæculis, ecclesiastici non aliis quam laici vestibus utebantur; ac per tria priora sæcula, ne altaris quidem ministris peculiaria ad suum obeundum munus indumenta erant. Ergo quinto tantum sæculo cœpere ecclesiastici se quoad habitum a laicis secernere; & ab eo tempore canones seu constitutiones plures super habitu clericali concilia ediderunt.

Clericus professionem suam & in incessu probet; & nec vestibus, nec calceamentis decorem quærat. (Concilium Carthaginense, an. 398. can. 45.)

Nullus eorum qui in cleri catalogum relati sunt, vestem sibi non convenientem induat, neque in civitate degens, neque iter ingrediens; sed utatur vestibus quæ iis qui in clerum relati sunt, attributa fuere. Si quis autem tale quid fecerit, una septimana segregetur. (Concilium in Trullo, an. 692. can. 27.)

Vestes sint talares, non frondatæ, aut partitæ, nec nimia amplitudine superfluæ, nec plus æquo constrictæ, in quibus clericalis ordinis honestas & modestia, non fastus, jactantia, nec elationis vitium deprehendatur; non pannosi sint clerici, aut in vestibus laceri; neque enim affectatæ sordes, aut exquisitæ deliciæ laudem pariunt. (Concilium Senonense, seu Parisiense, an. 1528. can. 24.)

Quia vero, etsi habitus non facit monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant; tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas, religionisque contemptus, ut propriam dignitatem & honorem clericalem parvipendentes, vestes etiam deferant publice laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus; propterea omnes ecclesiasticæ personæ, quantumcumque exemptæ, quæ aut in sacris fuerint, aut beneficia qualiacumque ecclesiastica obtinuerint, etiam per privationem officiorum & beneficiorum hujusmodi, coerceri possint, & debeant; Constitutionem Clementis V. in Concilio Viennensi editam quæ incipit, Quoniam, *innovando & ampliando.* (Concilium Tridentinum, Sess. XXIV. cap. 6. *de Reform.*) *Quære* CLERICUS.

Porro generalia concilia tredecim, octodecim summi Pontifices, provincialia concilia centum & quinquaginta, trecentæque & amplius, tam in Gallia, quam aliis in regnis habitæ Synodi numerantur, quæ clericis mandarunt, ut habitum longum deferrent.

Regni ordines, an. 1614. in ecclesiasticæ cameræ spiritali redintegratione, articulo 31. omnes ecclesiasticos jubent clericalem habitum, nempe talarem vestam & tonsuram, seu coronam clericalem ferre; ea lege, ut per temporalium bonorum obsignationem, perque beneficiorum, si refractarii fuerint, privationem ad id adigantur.

Ex articulo 18. codicis quem Henrico regi IV. an. 1605. generalis cœtus exhibuit, itemque ex articulo 6. edicti mensis Decembris an. 1606. ecclesiastici sæculares & regulares suæ vocationis & ministerii insignia & indumenta ubique gestare debent; jubeturque sæculare brachium Episcopis suppetias ferre ad constitutionum executionem, quas, eos ad id adigendi causa, edendas censuerint.

In judiciis de clericis criminis accusatis, & in veste non clericali detentis, varietatis multum subiit sæcularium curiarum jurisprudentia. Hujusmodi clericos sæculares curiæ modo Ecclesiæ judicibus, præterquam in privilegiata facti specie, reddiderunt; modo super his ad Ecclesiæ judices nequaquam remissis sententiam tulerunt, eos ratæ per ipsam habitus mutationem hac remissione indignos reddi, suoque clericaturæ privilegio privari. Præsens usus non omnino constans firmusque est; suppetunt enim arresta hoc ipso sæculo quoad caput hoc mutuo pugnantia. Id unum, ut generatim loquamur, pronuntiari potest, sæculares curias contendere clericum criminis accusatum, & in habitu non clericali detentum ulei earumdem jurisdictioni subesse. Idem ex sibi tribuunt, cum adest dubitandi locus, an detenti clerici habitus clericalis. necne, sit. (Monumenta Cleri, Tom. VIII. pag. 392. & seq.)

HÆRESIS, HÆRETICUS. Is proprie dictus hæreticus est, qui, cum Christianum nomen profiteatur, pertinaciter fidei oppositum errorem propugnat, seu speculationem is error, seu praxim spectet. Ut ergo, quem formalem vocant, hæreticus constituatur, tribus conditionibus opus est. Prima est Christianæ religionis professio; et in hoc hæreticus a Judæo & Idololatra differt. Secunda est, ut negetur revelata veritas, & decisa ab Ecclesia tamquam fidei articulus, quem suis ea filiis credendum proponit. Ergo ad fidei articulum haud satis est, ut aliquid revelatum sit, & in Dei verbo contineatur; sed præterea requiritur, ut Ecclesia illud ibi contineri declaraverit, idemque credendum ut fidei articulum proposuerit. Conditio tertia est pertinacia; ex quo fit, ut bona fides, simplicitas, ignorantia, errorisque, siquidem innotesceret, deponendi voluntas hæresim impediant: *Dicendum, quod hæresis supra errorem addit aliquid ex parte materiæ, quia est error eorum quæ ad fidem pertinent, & ex parte errantis, quia importat pertinaciam, quæ sola facit hæreticum.* S. Thom. *quæst. 8. de Malo, art. 1. ad 3.* Idem Sanctus Doctor 2. 2. *quæst. 11. art. 2. ad 2.* ita suam mentem aperit: *Dicendum, quod, sicut Augustinus dicit (Epist. 43.), Si qui sententiam suam quamvis falsam atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt, quærunt autem cura* (cauta) *sollicitudine veritatem,*

pitatem, corrigi parati, cum invenerint; nequaquam sunt inter hæreticos deputandi, quia scilicet non habent electionem contradicentem Ecclesiæ doctrinæ.

Hæresis, utpote Religioni, civilique regimini contraria, ecclesiasticum simul & regium crimen est; ecclesiasticum quidem, prout Ecclesiæ doctrinam impugnat; regium vero, prout regnorum pacem perturbat, scandalum parit, seditiones excitat.

Pœnæ quibus hæretici puniuntur, vel temporales, vel spirituales sunt. Temporales in bonorum proscriptione, infamia, exilio, carcere, morte, &c. positæ sunt. Spirituales excommunicatione, ecclesiasticæ jurisdictionis privatione, irregularitate, beneficiorum quæ possidentur, amissione, & ad nova possidenda inhabilitate continentur.

Hæretici tum solum spirituali jurisdictione spoliantur, cum publice denuntiantur, quia scilicet hanc pœnam subeunt non ob hæresim, sed ob excommunicationem, quæ eidem annexa est. E quibus id consequens fit, quemadmodum soli excommunicati, nominatim denuntiati, spirituali jurisdictione privantur, ita solos hæreticos denuntiatos in hanc ipsam privationem incidere.

Ex omni hæresi fidelis si venerit, minime est ad clerum promovendus, vel si qui sunt in præteritum ordinati, sine dubio deponantur. (Concilium Elibaritanum, can. 51.)

Quod hæretici non permittendi sunt ingredi in domum Dei, in hæresi permanentes. (Concilium Laodicenum, can. 6.)

Quoniam non oportet cum omnibus hæreticis miscere connubia, & vel filios vel filias dare, sed potius accipere; si tamen professi fuerint christianos se futuros catholicos, (Can. 31.)

Non oportet cum hæreticis, vel schismaticis orare, (Can. 33.)

Quod non oporteat a Judæis, vel hæreticis quæ mittuntur munera festiva suscipere, nec cum eis festa celebrare. (Can. 37.)

Clericus hæreticorum & schismaticorum tam convivia, quam sodalitates vitet æqualiter. (Concilium Carthaginense, an. 398. can. 70.)

Cum hæreticis nec orandum, nec psallendum. (Can. 72.)

Ut Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, sive gentilem, sive hæreticum, sive Judæum, usque ad Missam catechumenorum. (Can. 84.)

Sicut ait beatus Leo, licet ecclesiastica disciplina, sacerdotali contenta judicio, cruentas non efficiat ultiones; catholicorum tamen Principum constitutionibus adjuvatur, ut sæpe quærant homines salutare remedium, dum corporale super se metuunt evenire supplicium. Ea propter, quia in Gasconia, Albegesio, & partibus Tolosanis, & aliis locis, ita hæreticorum quos alii catharos, alii patrinos (patarenos), *alii publicanos, alii aliis nominibus vocant, invaluit damnata perversitas, ut jam non in occulto, sicut aliqui, nequitiam suam exerceant, sed suum errorem publice manifestent, & ad suum consensum simplices attrahant & infirmos; eos & defensores eorum, & receptores anathemati decernimus subjacere.* (Lateranense III. generale Concilium, an. 1179. can. 27.)

Excommunicamus, & anathematizamus omnem hæresim extollentem se adversus hanc sanctam, orthodoxam & catholicam fidem, quam superius exposuimus; condemnantes universos hæreticos, quibuscunque nominibus censeantur... damnati vero, sæcularibus potestatibus præsentibus, aut eorum ballivis, relinquantur animadversione debita puniendi, clericis prius a suis ordinibus degradatis; ita quod bona hujusmodi damnatorum, si laici fuerint, confiscentur, si vero clerici, applicentur Ecclesiis, a quibus stipendia perceperunt. (Lateranense IV. generale Concilium, an 1215. tit. 3. *de Hæreticis.*)

Moneantur autem, & inducantur, & si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam compellantur sæculares potestates, quibuscunque fungantur officiis; ut, sicut reputari cupiunt, & haberi fideles, ita pro defensione fidei præstent publice juramentum, quod de terris suæ jurisdictioni subjectis universos hæreticos ab Ecclesia denotatos bona fide pro viribus exterminare studebunt; ita quodamodo, quandocunque quis fuerit in potestatem sive spiritualem, sive temporalem assumptus, hoc teneatur capitulum juramento firmare.

Si vero dominus temporalis requisitus & monitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hac hæretica fœditate, per metropolitanum, & cæteros provinciales Episcopos, excommunicationis vinculo innodetur; & si satisfacere contempserit intra annum, significetur hoc summo Pontifici, ut ex tunc ipse vassallos ab ejus fidelitate denunciet absolutos, & terram exponat catholicis occupandam, qui eam, exterminatis hæreticis, sine ulla contradictione possideant, & in fidei puritate conservent; salvo jure domini principalis, dummodo super hoc nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat; eadem nihilominus lege servata circa eos qui non habent dominos principales.

Credentes vero præterea, receptores, defensores, & fautores hæreticorum excommunicationi decernimus subjacere; firmiter statuentes, ut, postquam quis talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit infra annum, ex tunc ipso jure sit factus infamis, nec ad publica officia, seu concilia, nec ad eligendos aliquos ad hujusmodi, nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, ut nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis successionem accedat.

Nullus præterea ipsi super quocunque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte judex extiterit, ejus sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad ejus audientiam perferantur; si fuerit advocatus ejus patrocinium nullatenus admittatur; si tabellio, ejus instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti, sed cum auctore damnato damnentur. Et in similibus idem præcipimus observari. Si vero clericus fuerit, ab omni officio & beneficio deponatur; ut in quo major est culpa, gravior exerceatur vindicta.

Si qui autem tales, postquam ab Ecclesia denotati fuerint, evitare contempserint, excommunicationis sententia usque ad satisfactionem idoneam percellantur. Sane clerici non exhibeant hujusmodi pestilentibus ecclesiastica sacramenta, nec eos christianæ præsumant sepulturæ tradere, nec eleemosynas, aut oblationes eorum accipiant; alioquin suo priventur officio, ad quod nunquam restituantur absque indulto sedis Apostolicæ speciali. (Vide Cap. XIII. §. IV. Tractatus de Conciliis, & adnotationes quæ tertium & quartum Lateranensia generalia concilia comitantur.)

Hortatur hæc Synodus omnes fideles in Christo præsertim ecclesiasticos, ut consortia hæreticorum devitent, connubia quoque, commercia, & convivia aversentur & fugiant, (Concilium Bituricense, an. 1584. tit. 5. can. 1.)

Hæreticis Ecclesiarum aditus, nisi causa audiendæ prædicationis, non concedatur, neque sepultura christiana, (Can. 2.)

Ad hæreticorum conventicula nemo catholicus accedat; qui secus fecerit, si clericus, excommunicetur, & deponatur, si laicus, violatæ religionis reus censeatur, (Can. 3.)

Quos hæretico pravitatis crimine damnatos noverint, cum iis matrimonia fideles non contrahant, eorum colloquia, familiaritatem, commercia, & præcipue conciones fugiant; de hisque populus sæpissime moneatur. (Concilium Tolosanum, an. 1590. tit 12.)

Quod autem tot artes ille serpens, hæreticorum ministerio dolorum in eos vertatur figuras, ut in bibliopolarum officinis incitans a minus cautis hominibus haud dispici posse & deprehendi; sæpque inter verborum quibus demulceant hujus sæculi aures, lenocinia, lethale hæresis & impietatis conclusum venenum; curet sollicitis modis Episcopus in civitate sua, & oppidis suæ diœcesis, prout [illegible] viderit expedire, unum, aut duos in [illegible] magistros seligere, & deputare, quorum [illegible] quæ suis libris typis applicandos [illegible], approbare aut reprobare, ac insuper [illegible] visitantes, paleamque a tritico discernentes, quotquot libros impressos, hæresim, impietatem, & causas [illegible] plebis redolentes censere, & notare, [illegible] potestatis sæcularis invocantes ad amovendos hujusmodi libros, & ne deinceps securas simplicium mentes perturbent, igni admovendos. Ac ne sit liberum quibuslibet quoslibet libros, hæresim aut impietatem continentes, legere, & retinere, sed id iis tantum liceat, quibus commisso in scriptis est concessum; cæteris omnibus eosdem, & omnes per Indicem expurgatorium Concilii Tridentini damnatos libros, sub pœna excommunicationis [illegible], legere, aut retinere prohibemus. (Concilium Burdigalense, an. 1624. cap. 1)

Perspicitur ex Imperatorum legibus, hæreticos magistratu privatos; in exercitu, & in ædibus Principis servire prohibitos; in hæreditatem succedendi; suaque ipsorum bona donandi, aut vendendi incapaces declaratos; eorum templa ad Catholicorum emolumentum proscripta; denique eorumdem religionis ministros impeditos fuisse, ne sibi sedem alibi ponerent, quam ubi degebant, aut illinc egrederentur.

An. 395. Arcadius, Imperator, Theodosii patris exemplum secutus, sibi suis in ædibus, suisve inter copias servitium ab hæreticorum nullo præstitum voluit. In id ab eo edita lex refertur in decimo sexto Theodosiani Codicis libro, estque numero vicesima nona, sub titulo quinto *de Hæreticis.*

Imperator Honorius, an. 408. per generalem constitutionem quæ legum quadragesima secunda est, sub eodem titulo, a suis excubiis hæreticos, Judæos, & Idololatras expulit.

An. 428.

An. 428. Imperator Valentinianus omnium legum executionem mandavit, quas ejus decessores in plures hereticorum sectas ediderant. Hæc Valentiniani lex ejusdem tituli *de Hæreticis* sexagesima quinta est; testandi, in exercitu serviendi, aliæque pœnæ in ea confirmantur.

Justinianus Imperator sanxit, ut Catholici solum filii suorum parentum hæreticorum hæredes forent. Tres ejus in hanc rem peculiares expressæque leges occurrunt in primo Justinianæi Codicis Libro, tit. 5. *de Hæreticis, & Manichæis*; & sunt decimaquinta, decimaoctava, & decimanona.

Galli Reges, Franciscus I. Henricus II. Franciscus II. graves in Religionem jactatam Reformatam leges sanctionesque ediderunt. Edictum Francisci I. an. 1534. Januarii die 29. enuntiatum, & a parlamento in acta relatum mandat, ut qui Lutheranos celaverint, iisdem ac Lutherani pœnis puniantur, & qui eos accusaverint, quartam proscriptorum bonorum partem obtineant. In Lutheranos aliosque hæreticos pronuntiatæ pœnæ sunt: munerum privatio, bonorum proscriptio, corporalia capture, carceratio, aliaque, prout postulaverit facti species, quemadmodum in Francisci I. alio edicto quod an. 1540. die 1. Junii in Lutheranos aliosque hæreticos enuntiatum, & in parlamento, die 7. ejusdem mensis & anni perspectum fuit, statuitur.

Jus aliud quod per hæresin amittitur, ecclesiastici patronatus jus est, quia spiritale quiddam est, quod ab iis possideri non potest, qui ab Ecclesia sejuncti sunt. Ad laicum patronatum quod attinet, hic quoque ex Ecclesiæ veteri disciplina, & canonum dispositione per hæresin amittitur; at hoc strictum summumque jus in Gallia non servatur; certum ibi firmumque stat, laici patronatus jus, utpote terræ addictum, per ejus hæresin non extingui, qui eam possidet; eodemque tempore ibidem convenit, in hac facti specie, præsentationis jus exerceri non posse. Ita judicatum in parlamento Parisiensi, per arestum diei 6. Februarii an. 1648. & in parlamento Rothomagensi, per arestum mensis Julii an. 1674. Horum arestorum primæ dispositioni id fundamento est, laici patronatus jus e re mere profana, quæ Deo consecrata est, originem trahere; perinde ac ceteras profanas res in commercio esse; cedi, vendi, donari posse; glebæ adnexum esse, ut canonistæ loquuntur, in eorumque omnium manus indiscriminatim migrare, ad quorum emolumentum terra pervenit, a qua pendet, seu hæc successionis titulo, seu alium in modum iisdem obtigerit.

Eorumdem arestorum altera dispositio nititur obligatione cui patroni subsunt, ut Ecclesiam ecclesiasticasque personas defendant, protegant, & sustentent; quod ab hæreticis patronis expectandi non est locus, qui propterea sui juris usu juste priventur.

Exclusivum jus declarandi doctrinam aliquam hæreticam esse Episcopis seculares Galliarum curiæ non denegant; at hæreticorum perquisitionem punitionemque exclusive pariter ad se spectare contendunt, quia hæresis, inquiunt, est læsæ majestatis divinæ crimen, qui omnino regius casus est. Henricus II. Rex per edictum diei 19. Novembris an. 1549. mandat, ut judices regii de negotiis quæ hæreseos crimen afficiunt, cumulatim & concurrenter cognoscant, videlicet, quoad inquisitionem, decretumque solummodo; ea lege, ut post dicti decreti executionem, personarumque interrogationem, quæ dicti criminis accusatæ fuerint, carcere inclusos homines Ecclesiasticis judicibus reddere teneantur, qui de iis erroris, aut simplicis hæreseos criminibus cognoscant & judicent: quod si, cum dicto hæreseos crimine, publicum scandalum, popularis commotio, vel grave crimen aliud, publica offensio, &, quod inde fit consequens, privilegiatus casus adfuerit, tum vero in hominem de ejusmodi criminibus accusatum ab Ecclesiasticis simul & regiis judicibus processus fiat; & post commune delictum, ab Ecclesiæ judicibus dijudicatum, ad privilegiati casus judicium a regiis judicibus procedatur, ita quidem, ut, quoad caput hoc, edicto Francisci I. derogatur, in quo processuum de quibus agimus, una & unica instructio regiis judicibus, non autem judicium conceditur. Memoratis Ecclesiæ judicibus eam sua majestas facultatem tribuit, ut detentionis, seu capturæ decreta quæ ipsi ob idem crimen ediderint, absque nova venia, executioni mandanda curent. Edictum hoc in parlamento, die 29. Novembris an. 1549. probatum fuit.

HENOTICUM, seu HENOTICON. Christiani nominis sæculo quinto, tributum est henotici nomen Zenonis Imperatoris edicto, quod eo spectabat, ut Eutychiani cum Catholicis conciliarentur; ob eamque causam illud henoticum, seu henoticon dictum fuit, quod *unitivum*, seu *unionem* significat. Hoc unionis decretum Epistola est ad Ægypti, & Lybiæ Episcopos, clericos, monachos, & populos missa. Chalcedonense Concilium indirecte damnat, & Eutychianis favet, quamvis exterius, & specie tenus anathema iisdem dicat. Illud Imperator edidit, ex Acatii, Constantinopolitani Patriarchæ consilio. Felix Papa III. in hanc rem, an. 484. in urbe Romæ Concilium coegit, in quo henoticon damnatum fuit.

HIERARCHIA. Vox hæc quæ græca est, *imperium in rebus sacris*, seu *sacrum principatum* significat.

Hierarchia ergo est recte composita, ordinique consentanea sacrarum personarum potestas, quæ in inferiores suos justa, quam vocant, superioritate, seu auctoritate pollent; ea vulgo definitur: *Potestas sacrarum personarum ordinata, debitum in subditos retinens principatum*. Est hierarchia *potestas*, quia sine potestate, & sine auctoritate in aliquem, vel in aliquid nullus omnino principatus existit. *Sacrarum personarum* potestas est, quæ a Deo accepta lumina & dona in alios effundunt. Est eadem *recte ordinata* potestas, atque hic ordo in justa harmonia, mirabilique concentu fulget, qui inter hierarchicos reperitur quorum primi suas gratias cum iis communicent, qui eos proxime sequuntur; & hi reliquis ad postremos usque, qui impressiones a primis acceptas, quibus viis acceperunt, ad eosdem referunt. Est justa in aliquos *superioritas*; est enim hierarchia *principatus* qui ad subordinatas & dependentes personas necessario refertur. Sunt ergo in hierarchia Principes qui agunt, qui mandant, qui gratias concedunt; sunt & subditi qui obediunt, qui pendent, qui gratias recipiunt.

Cælestis increata divinarum personarum hierarchia est.

Hierarchia cælestis create ea est, quæ Christum Dominum inter & Mariam, itemque inter Angelos intercedit.

Hierarchia humana, seu ecclesiastica legis naturalis, legis Mosaicæ, & legis Evangelicæ hierarchiam complectitur.

Ordinis hierarchia sacer in Ecclesia ordo est qui divini cultus ministerio per hierarchicam consecrationem est addictus, quique per sanctificationem ad divinitatis similitudinem ducit.

Jurisdictionis hierarchia sacer ordo est in Ecclesia, qui per sacræ potestatis exercitationem ad Dei servanda præcepta, ejusque similitudinem obtinendam eos ducit, qui eidem subsunt.

Gratiarum hierarchia sacer itidem est in Ecclesia ordo qui ad Dei similitudinem homines per gratuitarum gratiarum usum perducit.

Negant novatores sacram in Ecclesia hierarchiam existere, sanctorum ministrorum ordinem scilicet, qui e laicis distincti, & a Deo instituti sint, sanctas ut res in eosdem distribuant. Sacris tamen æque Litteris, Patribus & Conciliis nixum fidei caput est, in Ecclesia sacram hierarchiam; hoc est, ministrorum ordinem esse, qui Clerum e laicis distinctum constituant, & inter hos ministros, dignitatis, loci, munerumque gradationem existere. Fidei pariter caput est, ecclesiasticam hierarchiam Episcopis, presbyteris diaconisque constare; at, utrum subdiaconi & inferiores clerici in ejus partem veniant, adhuc sub judice quæstio est. Asserunt Theologi bene multi subdiaconos & inferiores clericos ad hierarchiam minime pertinere, quia eorum haud divina institutio est, suamque iidem originem ab Ecclesiæ institutione trahunt, quæ eos instituit, ut altari deservirent, diaconisque, presbyteris & Episcopis, dum suas singuli functiones obeunt, obsecundarent.

Falsum ergo est regendi in Ecclesia potestatem æque laicis atque ecclesiasticis concessam esse, ut eam ecclesiastici e laicorum consensu, & tamquam eorum vicarii exercerent. Apostolis scilicet nominatim ipsis, eorumque in sancto ministerio successoribus dixit Christus Dominus: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*. (Joann. 20.) *Ite docete omnes gentes*. (Matth. 28.) *Amen dico vobis, quodcumque ligabitis super terram, erit ligatum in cælo*. (Idem 18.)

Missionem quam a Christo Domino acceperant, cum iis Apostoli communicarunt, quos ipsi sibi in sancto ministerio cooperatores successoresque elegerunt. Eam hi quoque suis per singulas deinceps ætates impertiti sunt, ut proinde per hanc immutabilem, semperque proxime & in omni sæculorum cursu vigentem successionem, Ecclesia eum sacrorum ministrorum ordinem, eamve hierarchiam sumpserit, cujus a Christo ipsa institutæ series numquam intermissa fuit, quæ etiamnum

subsistit, quæque ad Ecclesiæ regimen, electorumque sanctificationem, ad sæculorum consummationem usque subsistet.

Quod si sacra Scripturæ nonnunquam ait unam & idem in Christo Domino Christianos esse, omnes esse clericos & sacerdotes, id laicorum, ministrorumque, quos functionibus ad divinum cultum, & fidelium sanctificationem spectantibus status addicit, distinctioni omnino non officit. Omnes Christifideles unum & idem sunt, nihilque inter eos discriminis intercedit, quoad baptismum, fidem, salutem quam universi & singuli per Christi Domini merita consequi possunt; ab ea scilicet nemo unus excluditur. Omnes quoque mystica quadam & morali notione sacerdotes sunt, at Deo spirituales hostias offerant, quæ precibus, cordis oblatione, bonorumque operum praxi continentur. Iidem ad unum omnes clerici sunt, quippe qui ad Dominum, tamquam ipsorum hæreditatem & portionem pertinent. At hæ prærogativæ Christianorum omnium communes distinctionem non impediunt, quæ a sacris ministris, ad sancta publicasque functiones a Deo institutis laicos secernit.

Wicleffus, Joannes Hus, & Hieronymus Pragensis e Constantiensi concilio tamquam hæretici damnati fuere, propterea quod plures, & ad hanc rem quod attinet, contra hierarchiam errores docuissent. Apostolorum tempore, ajebat Wicleffus, „Ecclesia duobus ordinibus in Clero, presbytaria & diaconia contenta „erat. Imperatorius quidam fastus ceteros Papæ & „Episcoporum ordines excogitavit. Petrus non est, „nec fuit unquam Catholicæ Ecclesiæ caput. Nemo „Christi aut Petri locum tenet, nisi eorum mores & „exempla imitetur.“

Joannes Hus, & Hieronymus Pragensis docebant presbyteros, in lethali peccato, sacramenta administrare non posse, a converso quemlibet unum e multis posse, qui in gratiæ statu sit; Ecclesiæ nomine, seu Papam, seu Clerum intelligi non debere; sacerdotes omnes auctoritate pares esse, ordinandique potestatem, & casus Papæ & Episcopis reservatos nihil aliud quam purum putumque eorum ambitionis effectum esse.

Tridentinum Concilium super hierarchia suam ita mentem aperit: *Quod si quis omnes Christianos promiscue novi testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali preditos affirmet; nihil aliud facere videtur, quam ecclesiasticam hierarchiam*, quæ est ut castrorum acies ordinata, *confundere; perinde ac si, contra beati Pauli doctrinam, omnes Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Evangelistæ, omnes Pastores, omnes sint Doctores. Proinde sacrosancta Synodus declarat, præter ceteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere, & positos, sicut idem Apostolus ait*, a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei .... *Docet insuper sacrosancta Synodus in ordinatione Episcoporum, sacerdotum, & ceterorum ordinum, nec populi, nec cujusvis secularis potestatis, & magistratus consensum, sive vocationem, sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita fit ordinatio*. (Sess. XXIII. cap. 4. *de ecclesiast. Hierarchia, & Ordinatione*.)

Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, & presbyteris, & ministris, anathema sit. (Can. 6.)

Perspicitur ex hoc canone, concilium satis habere statuere hierarchiam ex *Episcopis*, *presbyteris*, & *ministris* constare, sed, utrum per hos ministros diaconi tantum, an vero subdiaconi quoque & inferiores clerici intelligi debeant, in medio relinquere.

HOMICIDIUM. Homicidium, proprie dictum, est hominis injusta cædes, seu actio per quam, propria auctoritate, homini mors infertur, seu eam meruerit, seu non.

Homicidium est gravissimum crimen, quod divinæ æque atque humanæ leges morte puniunt, quia legi naturali, legi divinæ, & legi humanæ tum ecclesiasticæ, tum civili repugnat, seu se ipsum quispiam, seu alium occidat, quoniam homini non plus juris in suam, quam in proximi vitam est, & ipse se occidens, injuria Deum afficit, cujus jura usurpat, itemque rempublicam quam membrorum uno privat.

Distinguitur homicidium triplex, voluntarium, fortuitum seu casuale dictum, & necessarium.

Homicidium voluntarium est illud quod cum cognitione & voluntate; & quod inde consequitur, dedita studio, certoque animo perpetratur, seu hoc se crimine quispiam ipse per se, & sine aliena subsidio, seu per alios, aut una cum aliis obstringat; quod tam fit, cum id præcipitur, aut consulitur, aut stimulus ad idem additur, aut illud patrantibus subsidium præstatur, aut eidem occasio præbetur, aut e mandante approbatur, postquam ipsius nomine patratum fuit, ab eove non impeditur, qui illud impedire potest & debet.

Fortuitum, seu casuale homicidium est, quod forte fortuna, seu casu, & præter intentionem patratur. Hoc homicidium est mere casuale, vel mixtum. Mere casuale est, cum prævideri non potuit, nec vero debuit. Ejusmodi esset homicidium quod is patraret, qui igneo exploso globulo leporem in dumo impetens, forte hominem ibi delitescentem, nil tale cogitans, aut suspicans interficeret. Homicidium casuale mixtum est, videlicet, partim fortuitum, & partim voluntarium, cum prævideri potuit & debuit. Ejusmodi esset homicidium quod patraretur, si jacto e fenestra lapide, dum quispiam subesse posset, hominem occidi contingeret. Hoc homicidium casuale quidem seu fortuitum est, quatenus occidendi nulla adest intentio; est autem voluntarium, prout ex periculosa actione oritur, cujus effectum illud fore prævideri poterat, & quia id per imprudentiam, & circumspectionum defectu, quæ in ea facti specie iniri poterant & debebant, prævisum non fuit.

Necessarium homicidium est, quod quispiam perpetrat, suam contra injustum aggressorem vitam defendens, dummodo justæ defensionis limites non prætergrediatur, dummodo scilicet non eo peculiariter animo sit, ut injustum aggressorem occidat, sed eo tantum, sua ut vitæ consulat, quam nec fuga, nec alia ratione, quam per aggressoris mortem possit in tuto ponere. Homicidii genus hoc non est vetitum a communiore sententia, naturali jure nixa, quod propriæ quam alienæ vitæ servandæ magis ab unoquoque consultum vult. Non est hoc homicidium ad ordines impedimentum. *Quære* IRREGULARITAS. Concilia super homicidiis numero plures canones edidere, a quibus hi animadversione digniores sunt.

Si quis clericus in jurgio quempiam pulsaverit, & uno ictu interemerit, ob impotentis animi sui effrenationem deponatur, laicus vero si fuerit, segregetur. (Can. Apostol. 65.)

Qui voluntarie homicidium fecerint, pœnitentiæ quidem jugiter se submittant, perfectionem vero circa vitæ exitum consequantur. (Concilium Ancyranum, an. 314. can. 22.)

De homicidiis non sponte commissis, prior quidem definitio post septennem pœnitentiam perfectionem consequi præcepit, secunda vero quinquennale tempus explere. (Can. 23.)

Super homicidia disciplina non una in omnibus Ecclesiis eademque erat. Ecclesiæ non deerant, in quibus ne ad mortem quidem iis reconciliatio concedebatur, quemadmodum probat P. Morinus, *Lib. 9. de Administratione Sacramenti Pœnitentiæ, cap. 19*. In aliquibus Ecclesiis reconciliatio homicidis quidem voluntariis post annorum viginti pœnitentiam, homicidis autem involuntariis post pœnitentiæ decennium concedebatur. Id moris obtinebat in Cappadociæ Cæsareensi Ecclesia, prout e S. Basilii Canonicis ad Amphilochium Epistolis (Can. 8. 56. & 57.) perspicuum fit. Aliis in Ecclesiis, homicidæ voluntarii per omne vitæ tempus, involuntarii per annos septem seu quinque pœnitentiam agebant; tum vero tribuebatur iisdem perfectio, Ecclesiastica nempe communio, quæ hoc loco *perfectio* dicitur, quia *perfecta* communio est. Quid porro Concilium per ea verba, *prior & secunda definitio*, sibi voluerit, haud satis in comperio est: id unum certo constet Patres modo lenius, modo asperius cum homicidis egisse, eorum in pœnitentiæ executione fervoris aut remissionis ratione habita. Jam vero per homicidas voluntarios concilium eos intelligit, qui data opera, per involuntarios autem eos qui casu & sine consilio, quamvis non sine aliqua culpa occiderunt.

Si quis homicidium sponte commiserit, & non violentia resistens, sed vim faciens impetu hoc fecerit, cum isto penitus non communicandum; sit tamen, ut, si pœnitentiam egerit, in exitu ei communionis viaticum non negetur. (Concilium Rhemense, an. 625. can. 9.)

Qui sacerdotem morti voluntarie tradiderit, carnem non comedat, nec vinum bibere præsumat omnibus diebus vitæ suæ. Jejunet autem usque ad vesperam, exceptis diebus festis atque dominicis. Arma non sumat, & ubicunque ire voluerit, nullo vehiculo deducatur, sed propriis pedibus proficiscatur. Ecclesiam per quinquennii tempus non ingrediatur, sed, cum sacrarum orationum officia, aut Missarum solemnia celebrantur, ante fores basilicæ perseveret, orans ut deprecans Dominum, ut tanto crimine abluatur. Post expletum vero quinquennii tempus, ingrediatur Ecclesiam, non tamen communicet, sed inter audientes tantummodo stet, vel, dum facultas conceditur,

tur, sedeat. Dum autem duodecimi anni cursus fuerit finitus, communicandi ei tribuatur medela. Maneat tamen in reliquis observationibus tres dies per hebdomadam, ut ad perfectionis purificatus mereatur venire culmen. (Concilium Moguntinum, an. 888. can. 16.)

Si quis sponte homicidium fecerit, quadraginta diebus ab ingressu Ecclesia arceatur, & nihil manducet illis quadraginta diebus præter solum panem & salem, neque bibat nisi puram aquam; nudis pedibus incedat; lineis non induatur vestibus, nisi tantum femoralibus; secularia arma non portet; nullo vehiculo utatur; ad nullam feminam, nec ad propriam uxorem, his diebus misceatur. Nullam communionem, illis quadraginta diebus cum aliis Christianis, nec cum alio habeat pœnitente, in cibo, vel potu, aut aliis rebus. (Concilium Triburiense, an. 895. can. 55.)

Post illos quadraginta dies, unum annum integrum ab introitu Ecclesia suspendatur, & abstineat se a carne & caseo, ac vino & medone ac mellita cervisia, nisi dominicis diebus & festis qui per illum episcopatum publice celebrentur apud cunctum populum, & nisi vel in oste, aut in aliquo magno sit itinere, vel longe, aut diu ad dominicam curtem (a)*, vel si in infirmitate detentus sit, tunc licitum sit ei tertiam feriam & quintam atque sabbatum redimere uno denario, vel pretio denarii, sive tres pauperes pro nomine Domini pascendo; ita duntaxat, ut vel carne, vel vino, vel medone, id est, de tribus una re utatur, non omnibus vescatur, ... completo vero unius ejusdemque anni curriculo, ita castigatus vita & ordinabiliter more pœnitentiam introducatur in Ecclesiam.* (Can. 56.)

Secundum vero & tertium annum simili modo pœniteat, excepto quod prædictas tres ferias redimere jus habeat, ubicunque est, sive in itinere. Cætera per omnia observet, ut in primo anno faciebat. (Can. 57.)

Quartum etiam annum & quintum, sextum & septimum isto modo observet. Jejunet autem his singulis tres quadragesimas; unam ante Pascha Domini ..., alteram ante Nativitatem sancti Joannis Baptistæ ... tertiam ante Nativitatem Domini Salvatoris ... his septem annis rite expletis, reconciliatus, & more pœnitentium, sacris altaribus, & sancta communioni restitutus, atque perfectionem consequatur. (Can. 58.)

Cum etiam qui per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari avelli debeat; qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit; nec illi aliqua ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferre liceat; sed omni ordine, ac beneficio & officio ecclesiastico perpetuo careat. Si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad sacrorum ordinum & altaris ministerium, & beneficia quæcunque ac dignitates jure quodammodo dispensatio debeatur, committatur loci ordinario, aut, ex causa, metropolitano, seu viciniori Episcopo, qui non nisi causa cognita, & probatis precibus ac narratis, nec aliter dispensare possit. (Concilium Tridentinum, Sess. XIV, cap. 7. *de Reform.*)

Homicidium simplex beneficiorum quæ jam possidentur, vacationem pleno jure non affert; at homicidium quod qualificatum dicitur, quod nempe cum dolo, additaque proditionis nota patratum est, eamdem afferre debet ex capite. *Pro humani, 1. de Homicidio in Sexto.*

Clerus Gallicanus, cum an. 1700. convenisset, propositiones ad homicidium purgandum tendentes damnavit.

1. Est licitum religioso vel clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit.

3. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

4. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

5. Fas est viro honorato occidere invasorem qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

8. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

10. Non solum vitam, sed etiam bona temporalia, quorum jactura esset damnum gravissimum, licitum est defensione occisiva defendere.

HOMILIA. Hæc græca vox familiarem sermonem proprie significat; ac re sane ipsa, homiliæ familiariter a Prælatis qui populum interrogabant, ab eoque interrogabantur, in Ecclesiis habebantur, ad sermonum discrimen, qui e cathedra, oratorum in modum edebantur. Græcorum Latinorumque patrum homiliæ omnes ab Episcopis habitæ sunt. Concilia plura mandarunt, ut Patrum homiliæ ad populi institutionem in Ecclesia legerentur.

Hoc etiam pro ædificatione omnium Ecclesiarum, & pro utilitate totius populi nobis placuit, ut non solum in civitatibus, sed etiam in omnibus parochiis verbum faciendi daremus presbyteris potestatem; ita ut, si presbyter, aliqua infirmitate prohibente, per se ipsum non potuerit prædicare, sanctorum Patrum homiliæ a diaconis recitentur. (Concilium Vasionense, an. 529. can. 2.)

Ut Episcopi sermones & homilias sanctorum Patrum, prout omnes intelligere possint, secundum proprietatem linguæ prædicare studeant. (Concilium Remense, an. 813. can. 15.)

HONESTAS. Publicæ honestatis impedimentum, *Quære* MATRIMONIUM.

HONORARIUM ECCLESIASTICUM de eo dicitur, quod ecclesiasticis datur ob officia spiritalia, Missam scilicet, funera, &c. *Quære* MISSA, SIMONIA.

HORÆ CANONICÆ, *Quære* OFFICIUM DIVINUM.

HOSPITALE, charitatis domus, in quam inopes recipiuntur, ut gratis solatio, prout eorum inopia postulat, afficiantur: *Hospitale dicitur ab hospitibus qui ibi gratis accipiuntur.*

In utroque jure, civili & canonico distinguuntur hospitalium genera sex; 1. pro peregrinis, quibus suscipiendis addictus locus xenodochium nuncupatur; 2. pro ægrotantibus, ut hoc *nosocomium dicitur*, seu *nosocomium*; 3. pro pueris orphanis appellatum *orphanotrophium*; 4. pro pauperibus qui ibidem aluntur, *ptochotrophium*; 5. pro senibus qui non amplius laborare possunt, *gerontocomium*, seu *gerontocomium*; 6. pro infantibus & imbecillibus, *brephotrophium*. Leprosaria quoque hospitalia quædam erant leprosis affecta. Ex his peculiaribus hospitalium generibus nonnulla religiosa, seu ecclesiastica loca censentur, cætera profana sunt.

Religiosa seu Ecclesiastica hospitalia sunt quæ Episcopi auctoritate atque interventu, in petentium Regis litterarum consecutionem instituta fuere, ut religionis publicis exercitationibus deservirent: profana vero ea sunt quæ solum privatorum hominum, aut alicujus communitatis auctoritate erecta fuerunt.

Quo tempore Ecclesiæ certa nondum bona stataque suppetebant, ejusque ministri fidelium eleemosynis & oblationibus voluntariis tantum vivebant, pauperum seu bene valentium, seu ægrotantium, viduarum, orphanorum, advenarum, omnium denique indigentium rationibus consulendi cura Episcopis erat. At, cum primum Ecclesia certis statisque bonis frui cœpit, pietatis domus plures fundatæ sunt, quibus *hospitalium* nomen in præsentia tribuitur, & peculiares ad pauperum solatium reditus iisdem addicti. Harum domorum aliæ cum exemptione ab ordinariorum jurisdictione, ad ecclesiastici beneficii titulum aliæ institutæ; hinc orta distinctio tum hospitalium quæ vera beneficia cum temporali, spirituali & perpetua per ecclesiasticos titulares administratione constituunt, tum hospitalium quæ, cum ab Ecclesiasticis non regantur, nec ab Episcopis fundata sint, domicilium mere laicale conficiunt, in quo, prout de pio opere agitur, visitationis tantum jure Episcopus gaudet. Vetuit Viennense Concilium, ne amplius hospitalia sæcularibus clericis in beneficiorum titulum tribuerentur, mandavitque, ut ea laici, qui quidem idonei essent, & solvendo pares, administrarent. Decretum hoc a Tridentino Concilio confirmatum fuit, quod omnem supra hospitalia inspectionem ordinariis confert. Maximus etiam olim erat hospitalium numerus, quæ religiosi aut religiosæ, dicti proinde *Hospitalarii* & *Hospitalariæ* moderabantur; & ejusmodi quidem plura etiamnum sunt. Jam præcipuos super hospitalibus canones afferamus.

Quia sanctarum Scripturarum auctoritatibus liquido demonstratur, quod hospitalitas modis omnibus sit diligenda; & res Ecclesiæ oblationes sunt fidelium, pretia peccatorum,

(a) Vocabulum *oste* ponitur ibi pro *hoste*, *exercitu*, itemque vox *curtem dominicam*, pro servitute quadam quam vassalli dominis debent.

terum, patrimonia pauperum, quamquam ad pristam immunitatis tenus talis sit ei habendus, in quo adventantes quique suscipiantur; oportet tamen, ut extra, juxta Ecclesiam scilicet, in qua presbyteri cum ministris suis divinum explent officium, sit hospitale pauperum, cui etiam praesit talis qui & avaritiam oderit, & hospitalitatem diligat. Et exceptis decimis quae de Ecclesiae villis ibidem conferuntur, de rebus Ecclesiae, prout facultas suppetit, eidem deputetur hospitali, unde pauperes ibidem recreentur & foveantur. Sed & de oblationibus quae fidelibus, sanctimonialibus deferuntur, decima detur ad eorumdem sustentationem pauperum. Is namque cui hospitale committitur, nequaquam res pauperum in suos usus retorqueat, ne cum Juda, loculos Domini furantem sententiam damnationis excipiat. (Concilium Aquisgranense, an. 816. lib. 2. cap. 28.)

Admonenda est Regia Magnitudo de hospitalibus quae tempore praedecessorum suorum & ordinata & exculta fuerunt, & modo ad nihilum sunt redacta. Sed & hospitalia Scotorum, quae sancti homines gentis illius in hoc regno construxerunt, & rebus pro sanctitate sua acquisitis ampliaverunt, ab eodem hospitalitatis officio funditus sunt alienata. Et non solum supervenientes in eadem hospitalia non recipiuntur, verum etiam ipsi qui ab infantia in iisdem locis sub religione Domino militaverunt, & exinde ejiciuntur, & ostiatim mendicare coguntur. Unde pertimescenda est canonica sententia, & maxime decretalis Symmachi Papae definitio: quia necator pauperum, & Christi traditor Judas, idem qui hujus sceleris auctor & perpetrator esse dignoscitur, praesenti & perpetuo est anathemate feriendus. (Concilium Meldense an. 845. can. 40.)

Similiter & de synodochiis (xenodochiis) *statuimus, ut quaeque in Episcoporum sunt potestate, secundum dispositionem eorum quae instituerunt* (qui ea instituerunt), *gubernentur. Quae autem sub defensione quidem Ecclesiae, sed juxta institutorum decreta per haeredes, vel pertinentes qui religiosam vitam duxerint, regi debent; procuret Episcopus, ut ab eis non negligantur; & si in aliquo male tractationis obnoxii reperiuntur, Ecclesiasticae subjaceant disciplinae.* (Concilium Papiense, seu Ticinense, an. 850. cap. 15.)

Nullus ex locis piis, saecularibus clericis in beneficium conferatur; etiamsi de consuetudine hoc fuerit observatum, nisi in illorum fundatione secus constitutum fuerit, seu per electionem sit de rectore locis hujusmodi providendum. (Concilium Viennense, an. 1311. *Clement. 2. de religiosis domibus.*)

Irrefragabili statuto prohibemus, ut illi qui de consuetudine, de jure vel fundatione, in nostra provincia eleemosynarias, leprosarias, xenodochia, vel Domos Dei habent committere, quocunque colore sibi quaesito, pecuniam, vel quidquam aliud, ratione commissionis, sigilli, vel litterarum recipiant. Quod si contrarium fecerint, & contra nostram praesentem constitutionem aliquid receperint, excommunicationis sententiam incurrant ipso facto. (Concilium Turonense, vel Andegavense, an. 1365. can. 21.)

Non solum canonicis constitutionibus, sed & imperialibus ac regalibus institutis antiquitus pientissime sancitum est, ut habeantur; quam fieri potest, frequentia in republica xenodochia, ptocotrophia, orphanotrophia, gerontocomia, & brephotrophia, & id genus alia loca pietati consecrata, in quae recipiantur peregrini, pauperes, invalidi senes, parentibus orbati, atque inopes liberi infantes expositi, furiosi, leprosi, contagiosisque ac perpetuis morbis obsiti, atque aliae miserabiles personae; idcirco cura nostra imminebit, ut ejuscemodi loca, ubi constituta sunt, sarta tecta tueantur, ubi vero dissipata sunt, instaurentur, reformenturque; denique, ubi nondum constituta sunt; episcopali nostra providentia aedificentur, construanturque. Pauperum enim curam nobis Christus praecipuam esse voluit, & horum cultor meminit divinissimus Paulus apostolus. (Concilium Coloniense, an. 1535. Part. XI. cap. 1.)

Hic ante omnia curandum nobis est, ut in domibus istis, quae ad salutem animarum pertinent, minime negligantur; sed ante omnia de Sacramentorum administratione, pauperibus, debilibus, & aegrotis provideatur; ac ubi corporis infirmitas medicum postulat, ibi prius animae, deinde corporis medicus accersatur.

In ejuscemodi autem hospitalia nulla alia, quam eas quas diximus, miserabiles personae, quae aut morbo, aut debilitate, aut aetate impeditae, suis manibus laborare, victumque ac vestitum sibi comparare non possunt, recipiantur; quas ad ecclesiasticam disciplinam canones pertinere, ac nostris, aliorumque piorum hominum largitionibus victitare voluerunt.

In primis autem recipiantur in haec hospitalia personae miserabiles ejus loci, ubi hospitalia constituta sunt . . . Sint autem mendicantibus validis non solum hospitalia clausa; sed & publice ac ostiatim mendicare penitus interdictum. Et qui secus agere comperti fuerint, ut legibus nostrisque constitutionibus comprehensis poenis subdantur. Utilius enim assuetus panis tollitur, si de cibo securus justitiam negligat, quam eidem frangitur, ut seductus injustitiae acquiescat.

Damnamus autem abusum, quo in quibusdam locis sit, ut neglectis miseris ac inopibus, quibus hospitalia dedicata sunt, ex privato affectu magistrorum, aut magistratuum, qui hospitalibus istis praesunt, non modo validi, sed & quibus victus & vestitus suppetit, recipiantur, tantum quod illic commodius & in otio vivunt; qui certe aliter censeri non possunt, quam pauperum depraedatores, raptoresque, de alieno viventes, ne velut ex sanguine pauperum saginari, quos Divus Hieronymus gravissime increpat: Qui, *inquit,* ex bonis parentum, & suis opibus sustentari possunt, si, quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profecto committunt, & per abusionem talium, judicium sibi manducant & bibunt. *Viderint quoque hi magistri, ac hospitalium praesides, ne Judam imitentur, qui loculos* (ex quibus pauperibus distribuebatur) *ferebat, ac fur erat, ne sicut ille, ita & ipsi pereant. Noverint ergo se tali muneri addictos, non ut sui, sed ut pauperum curam gerant, quos neglexisse, occidisse est; quibus quid subtraxisse, sacrilegii instar est. Et quo vigilantiores in officio sint, singulis annis, aut saepius, magistratus ejus loci, praesente parocho, rationem de omnibus reddant. Non meum est, inquit Prosper, dicere, quantum peccatum est eorum qui cibos pauperum sibi usurpant, & unde pauper victurus erat, praesumendo suscipiunt.*

Admonet sancta Synodus quoscunque ecclesiastica beneficia saecularia, seu regularia obtinentes, ut hospitalitatis officium a sanctis Patribus frequenter commendatum, quantum per eorum proventus licebit, prompte benigneque exercere assuescant; memores, eos qui hospitalitatem amant, Christum in hospitibus recipere. Illis vero, qui hospitalia vulgo nuncupata, seu alia pia loca, ad peregrinorum, infirmorum, senum, pauperumque usum praecipue instituta, in commendam, administrationem, aut quemcunque alium titulum, aut etiam Ecclesiis suis unita obtinent; vel si Ecclesiae parochiales, hospitalibus forte unitae, aut in hospitalia erectae, earumque patronis in administrationem concessae sint, praecipit omnino, ut impositum illis onus officiumve administrent; atque hospitalitatem quam debent, ex fructibus ad id deputatis actu exerceant, juxta Constitutionem Concilii Viennensis, alias in hac eadem Synodo sub felicis recordationis Paulo tertio innovatam quae incipit: Quia contingit. *Quod si hospitalia haec ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta, nec in loco, ubi sunt dicta hospitalia, similes personae, aut perpaucae reperiantur; mandat adhuc, ut fructus illorum in alium pium usum qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco & tempore utilior, convertantur, prout ordinario cum duobus de capitulo, qui rerum usu peritiores sint, per ipsum deligendis, magis expedire visum fuerit; nisi aliter forte, etiam in hunc eventum, in eorum fundatione, aut institutione fuerit expressum; quo casu, quod ordinatum fuit, observari curet Episcopus; aut si id non possit, ipse, ut supra, utiliter provideat. Itaque si praedicti omnes & singuli, cujuscunque ordinis, & religionis, & dignitatis, etiamsi laici fuerint, qui administrationem hospitalium habent, non tamen regularibus subjecti, ubi viget regularis observantia, ab ordinario moniti, hospitalitatis munus, adhibitis omnibus, ad quae tenentur, necessariis, re ipsa obire cessaverint; non solum per ecclesiasticas censuras, & alia juris remedia ad id compelli possint; sed etiam hospitalis ipsius administratione, curave perpetuo privari possint, aliique, eorum loco, ab iis ad quos spectabit, substituantur. Et praedicti nihilominus etiam ad fructuum restitutionem, quos contra ipsorum hospitalium institutionem perceperint, quae nulla eis remissione, aut compositione indulgeatur, in foro conscientiae teneantur; nec administratio, seu gubernatio hujusmodi locorum uni & eidem personae ultra triennium deinceps committatur, nisi aliter in fundatione cautum reperiatur, non obstante, quoad omnia supra dicta, quacunque unione, exemptione, & consuetudine in contrarium, etiam immemorabili, seu privilegiis, aut indultis quibuscunque.* (Concilium Tridentinum, sess. XXV. cap. 8. *de Reform.*)

Quae sub Regis protectione immediate non sunt hospitalia, piave alia loca, ea omnia Episcopi, etiam ut Sedis apostolicae delegati, auctoritate sibi a Tridentino Concilio tributa iis visitent, ut pauperum commodis sua etiam commoda patent esse postponenda. (Concilium Tolosanum, an. 1590. Part. III. cap. 6.)

In visitatione curent Episcopi, ut quos integra vita ante acta ratio, morum perspectu probitas, maturumque aetatis judicium non omnibus commendarint, quosque numeri,

morb, calculorumque subductionis ignaros, aut aliena quovis, sed possessionum locorum ipsorum are oppressos noverint, illi ad hospitalium administrationem non adhibeantur.

Qui vero huic muneri praeficiendi fuerint, hi sanctissime prius profiteantur juramento, se Christi patrimonium, qua decet religione, administraturos, fructus in usus necessarios fideliter collocaturos, ablata maleque alienata recuperaturos, labentia aedificia restauraturos, bona reditusque locorum quibus praesint, absque fidejussore idoneo non locaturos, iisque quibus ex instituto praesto esse debent, bona fide esse subventuros.

Quoque segnioris curae suspicionem fugiant, facilinsque miserabilibus personis destinata bona conservent, uni eidemque, nisi forte interjectis spatiis, administrationem, imperiumque Episcopi nunquam prorogari sinant.

Quae peregrinorum auxiliis dicata sunt hospitalia, in eis vero peregrini, quique aut summa oppressi egestate, aut nimio confecti senio, aut virium imbecillitate victum sibi quaeritare non possunt, soli recipiantur.

Aleatores, nebulones, habitum in sui dissimulationem mentientes, blasphemi, petulantes, interpretantes, pervicaces, quique pacata vita infensi, facile genium mutare non possunt, procul hospitio arceantur.

Viri feminaeque separatim habitent, ac alii alios ad se invicem, licet matrimonio conjunctos admittant.

Aegrotorum, infirmorumque curae, exequendisque officiis eo ministri sufficiantur, quot eorum saluti, auxiliisque opus esse hospitalium Praefecti noverint. Hi vero ex medicorum consilio, quae necessaria sunt, qua maxima poterunt charitate, illis subministrent, & vel minima quaque temporum momenta attentius ad eorum salutem observent.

Peccata aegrotos confiteri, sanctissimamque Eucharistiam sumere, qui iis gubernandis commissi fuerint, qua fieri poterit, vigilantia, curent.

Cantarios, quique a morbo convalescunt, nisi optime persanati fuerint, hospitiis praefecti non dimittant, ne, vel recrudescente morbo, gravius recidant, atque ita sumptus augeantur, vel etiam in itinere, vitae dispendio deficiant.

Qui Missae sacra festis saltem diebus in valetudinario celebrent, sacramenta languentibus debite administrent, deficientes crebris adhortationibus confortent, saluberrimoque viatico ad extremum vitae spiritum muniant, defunctorum nomina, genus patriamque libro excerptam annotent, sacerdotes accessarii, procuratorum, aliorumque rectorum diligentia, hospitalibus, piisque aliis locis apponantur.

Quae ad projectorum infantium salutem commoda sunt, lintea, cunae, nutrices subsidiariae, quibus donec baptizentur, alendi tradantur, ea omnia parata instructaque a procuratoribus habeantur.

Infantes, ubi primum per aetatem licuerit, locis iis quibus commode per facultates fieri poterit, moribus optimis, artibusque, quae sexum deceant, tam mares quam feminae instruantur, donec eis, Deo juvante, provisum fuerit.

In vitam, moresque mendicantium pauperumque Episcopi diligenter inquirant; eos ad communionem, Paschali saltem tempore, compellant; quos pervicaces reluctantesque noverint, ejiciant.

Quos illo anno confessos fuisse, sanctamque Eucharistiam sumpsisse aut liquido non constiterit, aut saltem probabile non fuerit, eos, ni praeceptis Ecclesiae illico paruerint, hospitalium rectores nusquam admittant.

Horum plurium Conciliorum statuta, quod ad potestatem supra hospitalia Episcopis tributam attinet, in Gallia recepta sunt, si quaedam excipiantur, ut laicos administratores destituendi facultas, & litigia quae super hospitalium temporalibus rebus suborta fuerint. Haec sunt, ad quae praesens, in hoc negotio, Gallicarum jurisprudentia redigitur.

1. Per edicti an. 1695. articulum 29. mandatur, ut Archiepiscopis, Episcopis, eorumque magnis Vicariis aliisque Ecclesiasticis qui ea possessione gaudent, ut hospitalibus, piisque locis praesint, eorumque administrationis curam gerant, quae loca scilicet ad pauperum solatium, saecularium doctrinamque instituta sunt, sua omnia jura, sedes & honores serventur, quibus hactenus rite ac recte potiti sunt dictique Archiepiscopi & Episcopi in collegiis ad dictorum hospitalium, piorumve locorum administrationem positus, ubi eorum decessores hactenus non fuere, primam deinceps sedem teneant, praesideantque, & quaecunque iidem ad spiritale regimen, divinique servitii celebrationem ediderint, mandata, statutaque, omnibus oppositionibus, & appellationibus simplicibus & tamquam ab abusu nihil obstantibus, & quin id praejudicio sit, executioni tradantur.

Hujus articuli dispositio quae generale jus in Archiepiscoporum & Episcoporum favorem statuit, per declarationis, die 12. Decembris an. 1698. editae articulum 10. renovata fuit, eique aresta conformia sunt. Verum haec dispositio non spectat hospitalia quae exemptorum capitulorum jurisdictioni subsunt, quaeque capitula jurisdictione quasi Episcopali gaudent, inquit doctus auctor novi Commentarii, an. 1764. impressi, super edicto mensis Aprilis an. 1695. Itaque, subdit auctor hic, Aureliani Episcopus collegio ad majoris hospitalis administrationem spectanti non praeest, quia collegium illud eos praesides habet, qui deputantur a cathedralis Ecclesiae capitulo, quod super eodem hospitali jurisdictionem quasi episcopalem obtinet.

2. Episcopis id juris est, ut suarum dioeceseon visitationem peragentes hospitalia visitent; perspiciant, an reditus in eos usus quibus addicti sunt, fideliter impendantur, an per administratorum negligentiam, vel fraudem bona depereant; expendant, an ibi aegrotantibus servitium ita praestetur, ut fundationes postulant; an capellani, religiosi aut religiosae, qui iis deserviunt, ministrantque, suis fideliter officiis fungantur, & regularem vitam ducant. Est haec Melunensis coetus, an. 1579. habiti constitutio.

3. Hospitalia qualibet, & quae primum inter ea locum teneant, etsi quoad temporalem administrationem a capitulis pendeant, Episcopi tamen visitationi subsunt, qui ibidem potest, quaecunque crediderit e re fore, statuta edere, quorum executio ad capitula pertinet, penes quae eorum administratio est. Ita judicatum per Parisiensis senatus decretum, an. 1665. 20. Decembris die.

4. Cum suppetit hospitalibus bonorum plus, quam ad accedentes alendos pauperes opus est, ad Episcopos, vel ad regios judices, pro locorum usu, non autem ad hospitalium ecclesiasticos superiores, aut laicos administratores pertinet bona opera [illegible] id quod superest, addicendum sit, definire.

5. Administratores nec ecclesiastici, nec nobiles, nec officiarii esse possunt, sed puri putique cives, [illegible] oeconomi, qui facile ad reddendam rationem [illegible] possint. His munus non ultra triennium [illegible] debet; iidem a fundatoribus nominantur, vel a collegiorum generalibus coetibus eliguntur; si male pecuniam insumpserint, restitutioni obnoxii sunt; si malam litem egerint, ad expensas ipsi damnantur.

6. Cum Episcopi non intersunt hospitalium collegiis, non semper his magni Vicarii per eorum absentiam praesunt. Loca nempe non desunt, in quibus praefecturarum generales locum tenentes, absentibus Episcopis, praesunt. Ita judicatum per arestum supremi Consilii, Kal. Martiis an. 1701. in interpretationem articulorum 29. & 45. edicti an. 1695.

HOSPITALITAS. *Quaere* ELEEMOSYNA, BENEFICIARIUS, EPISCOPUS.

HUMATIO. *Quaere* SEPULTURA.

JAC

JACOBITAE, haeretici Eutichiani, seu Monophysitae qui unam tantum in Christo Domino naturam ponebant, ita dicti a celebri Eutychiano quodam, qui Jacobus Baradaeus, seu Zanzalius nuncupatus Eutychianismum quem propemodum Chalcedonense Concilium, & imperatorum leges extinxerant, ab inferis excitavit. Jacobus hic Syrus monachus erat, admodum rudis, at omnino fervens falso Eutychianismi studio, cujus in Oriente instaurator fuit; ex quo factum, ut *Jacobitarum* nomen omnibus Orientis Eutychianis, seu Monophysitis tribueretur.

Cum Eutychianismum cum omnibus ejus fautoribus Chalcedonensis Synodus, an. 451. celebrata damnasset; Severus in sanctam Antiochiae patriarchalem Sedem intrusus, caeterique Eutychiani Episcopi Jacobum Baradaeum selegerunt, qui eorum sectam tueretur, eique oecumenici Metropolitani titulum contulerunt. Is Orientem discurrit, & ubique Episcopos, presbyteros & diaconos initiavit. Cum Severus supremum diem obiisset, ei Jacobus successorem dedit Sergium nomine, qui Antiocheni Patriarchae titulum sumpsit, quin tamen ibi sederet, imperatoribus in suis ditionibus Jacobitas haud tolerantibus. Ergo Sergius ad residentiam Amidam urbem sibi delegit, quae Jacobitarum Patriarcharum sedes fuit, quoad Romani Imperatores Syriae dominati sunt. Patriarcha qui rebus omnibus par esse non posset, primatem elegit, qui ei dignitate concedens, ab eodemque *Maphrianus*, hoc est, *fructifer* appellatus

pellatus Taguite consedit. Extitere post an. 1646. Jacobitarum Patriarcharum nonnulli, qui quidem Aleppi residentes, se Romanæ Ecclesiæ fidem sequi professi sunt.

Jacobitæ unam & unicam in Christo naturam agnoscunt, qui tamen naturas duas, divinam humanamque in ejus persona confusas fuisse contendunt; proprie proinde Acephalorum tantum erroribus involuti, qui Chalcedonense Concilium rejiciebant, quosque Constantinopolitanum an. 536. Concilium damnavit. Cætera quod spectat, a nobis non discrepant in articulorum fide, de quibus nos inter & Calvinistas controvertitur, quemadmodum in suis de Fidei, super Eucharistia, Perpetuitate operibus D. Renaudotius ostendit. Tenent hi scilicet omnia & singula Romanæ Ecclesiæ sacramenta, ab eaque non nisi quoad aliquos usus differunt, qui eorum non quidem essentiam, sed administrationem afficiunt. Ut aliquod exemplum afferam, rubeo ferro vix baptizatum infantem notant. Falso igitur insimulati sunt, qui aliquos super Trinitate, super animarum origine, superque sacramentis errores, ut, quam vocant, impanationem docerent.

IBAS, Episcopus Edessenus, initio quidem a præcipuis Nestorii defensoribus fuit. Ad Persam quemdam, nomine *Marin*, epistolam scripsit, in qua decessorem suum *Rabulam* vituperabat, propterea quod Theodorum Mopsuestenum damnaverat, qui Nestorii magister fuerat, cujusque principia huic hæresiarchæ facem prætulerant, ut suum, quoad divini Verbi cum humana natura moralem unionem, personarumque in Christo pluralitatem, systema conficeret. Ibas in Catholicæ Ecclesiæ sinum rediit, at Nestorianismi nihilominus, pluriumque criminum ab Ecclesiæ suæ presbyteris quatuor accusatus fuit in Tyri & Berythi Conciliis, quæ absolutum remiserunt. Anno post, eum Dioscorus in Ephesino pseudo-Concilio deposuit. Ibas ob hac injusta depositione ad œcumenicum Chalcedonense Concilium appellavit, quod eum, lecta quam ad *Marin* dederat, epistola, in sedem restituit. Subsecuto sæculo, cum Theodorus, Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, hæreticus acephalus Justinianum Imperatorem impulisset, ut in Theodori Mopsuesteni scripta, in Theodoreti, Cyrensis Episcopi anathemata, & in Ibæ epistolam inveheretur, is princeps hæc singula in generali Concilio quinto, an. 553. Constantinopoli habito damnata voluit; quod *trium Capitulorum*, seu trium quæstionum negotium dictum, per ea tempora, graviter animos secuit, ideoque longum schisma in Ecclesia excitavit. Latum in Constantinopolitani Concilii sessione octava judicium ejusmodi est: *Repetitis igitur omnibus quæ apud nos acta sunt, iterum confitemur, quod suscipimus sanctas quatuor Synodos, id est, Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, & Chalcedonensem, & quæ pro una eademque fide definierunt, prædicavimus & prædicamus. Eos autem qui hæc non suscipiunt, alienos Catholicæ Ecclesiæ judicamus. Condemnamus autem, & anathematizamus una cum omnibus aliis hæreticis qui condemnati & anathematizati sunt a prædictis sanctis quatuor Conciliis, & a sancta catholica & apostolica Ecclesia, & Theodorum qui Mopsuestiæ Episcopus fuit, & impia ejus conscripta; & quæ impie Theodoretus conscripsit contra rectam fidem, & contra duodecim capitula sancti Cyrilli, & contra Ephesinam primam Synodum, & quæ ad defensionem Theodori, & Nestorii ab eo scripta sunt. Super hæc anathematizamus & impiam epistolam, quam dicitur Ibas ad Marin Persam scripsisse, quæ denegat Deum Verbum de sancta Dei Genitrice, & semper virgine Maria incarnatum, hominem factum esse; & sanctæ memoriæ Cyrillum qui recte docuit, tamquam hæreticum, & similiter Apollinarii scribentem criminatur; & inculpat quidem Ephesinam primam Synodum, tamquam sine examinatione & quæstione Nestorio ab ea deposito; & duodecim sancti Cyrilli capitula impia & contraria rectæ fidei vocat; defendit autem Theodorum & Nestorium, & impia eorum dogmata & conscripta. Prædicta igitur tria capitula* anathematizamus, *idest, Theodorum impium Mopsuestenum cum nefandis ejus conscriptis, & quæ impie Theodoretus conscripsit, & impiam epistolam quæ dicitur Ibæ, & defensores eorum; & qui scripserunt, vel qui scribunt ad defensionem eorum, vel recta eos dicere præsumunt, vel omnino impietatem eorum, nomine sanctorum Patrum, aut sancti Chalcedonensis Concilii defenderunt, aut defendere conantur.*

ICONOCLASTA, seu ICONOMACHUS, ruptor, fractor imaginum. Iconoclastæ, ita nuncupati, quia imagines infringebant, octavo Ecclesiæ sæculo prodierunt, & furentibus similes in crucem, & Christi Domini, Sanctorumque imagines invecti sunt. Leo nimirum Imperator, cognomento Isauricus, quippe qui Isauriæ natus erat, & an. 716. Martii die 2. imperium susceperat, ab Episcopo cui *Constantine* nomen, extimulatus, præcipuum Iconoclastarum fulcrum evasit, sibique gloriam abolendis imaginibus comparare credidit. Regni anno decimo, edictum vulgavit quo eas ubique locorum everti jussit, illudque Romam ad executionem misit. Gregorius II. qui tunc Romanam Ecclesiam regebat, Romæ, an. 726. Concilium coegit, quod Iconoclastas damnavit, magnaque cum animi firmitate Imperatorem per litteras monuit, Episcoporum, non imperatorum esse de Ecclesiasticis dogmatibus judicare. Constantinus Copronimus, Leonis Isaurici, & Leo, Constantini filius, qui deinceps regnarunt, Iconoclastis faverunt; his Gregorii II. successores, S. Germanus, Constantinopolitanus Patriarcha, S. Joannes Damascenus, aliique plures acriter obstitere. Nicæna secunda Synodus quæ generalis septima fuit, Irene, ejusque filio Constantino Porphyrogeneta imperium tenentibus, an. 787. eos damnavit; atque hujus Concilii decreta a Constantinopolitano, an. 842. sub Imperatrice Theodora, confirmata fuere.

Sequentes divinitus inspiratum sanctorum Patrum nostrorum magisterium, & catholicæ traditionem Ecclesiæ .... definimus in omni certitudine ac diligentia, sicuti figuram pretiosæ ac vivificæ crucis, ita venerabiles ac sanctas imagines proponendas, tam quæ de coloribus & tessellis, quam quæ ex alia materia congruenter in sanctis Dei Ecclesiis, & sacris vasis, & vestibus, & in parietibus ac tabulis, domibus & viis, tam videlicet imaginem Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, quam intemeratæ Dominæ nostræ sanctæ ac Dei Genitricis, honorabiliumque Angelorum, & omnium Sanctorum simul & almorum virorum. Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto, qui has contemplantur, *alacrius eriguntur ad primitivorum eorum memoriam, & desiderium, & ad osculum, & ad honorariam his adorationem tribuendam; non tamen ad veram latriam, quæ secundum fidem est, quæque solam divinam naturam decet, impartiendam .... imaginis enim honor ad primitivum transit, & qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam. Sic enim robur obtinet sanctorum Patrum nostrorum doctrina, id est, traditio sanctæ & catholicæ Ecclesiæ quæ a finibus usque ad fines terræ suscepit Evangelium .... Eos ergo qui audent aliter sapere, aut docere, aut secundum scelestos hæreticos ecclesiasticas traditiones spernere, & novitatem quamlibet excogitare, vel projicere aliquod ex his quæ sunt Ecclesiæ deputata, sive Evangelium, sive figuram crucis, sive imaginalem picturam, sive sanctas reliquias martyris; aut excogitare prave aut astute ad subvertendum quidquam ex legitimis traditionibus Ecclesiæ Catholicæ; vel etiam quasi communibus uti sacris vasis, aut venerabilibus monasteriis; siquidem Episcopi, aut clerici fuerint, deponi præcipimus; monachos autem, vel laicos a communione segregari.* (Nicænum II. generale Concilium, an. 787. sess. 7. & 8.)

Si quis Christum Deum nostrum circumscriptum non confitetur secundum humanitatem, anathema.

Si quis evangelicas historias imaginibus expressas non admittit, anathema.

Si quis ipsas non salutat, cum sint in nomine Domini & Sanctorum ejus, anathema. Vide *Sancti, Sanctorum Imagines.*

IDOLOLATRA, IDOLOLATRIA. Idololatria proprie peccatum est, per quod falsis Diis, eorumve figuris & simulacris quæ scilicet *idola* nuncupantur, seu denique cuicui creatæ rei, quæcunque tandem ea fuerit, supremi honores exhibentur, qui uni vero Deo, tamquam omnium rerum creatori, primo principio, & ultimo fini debentur.

Theismus, seu Dei unius fides est hominum primitiva religio; Polytheismus, seu error quo Deorum pluralitas creditur, ejusdem corruptio est. Unum ergo & unicum Deum esse omnes, initio quidem, homines credidere, supremum videlicet, spiritale, immensum, infinitum Ens quod eos ex nihilo traxerat, at non diutius hanc unici Dei qui eosdem creaverat, notionem servarunt; eique quamprimum Deos alios quos sua ipsorum ignorantia, cupiditas, animi impetus, libido, superstitio confinxerant, substituerunt. Idololatriæ originem Vossius principiorum duorum, quorum unum boni, alterum mali principium esset, inventioni tribuit, cui occasionem præbuit bonorum malorumque animadversio, quibus universa mundi machina referta est, quæque homines contrariis divinitatibus duabus, quarum par quidem potestas, & prorsus aliæ functiones essent, tribuenda censuerunt. Autumant alii creatas res quas omnium primas idololatræ coluerunt, solem,

lem, lunam & astra fuisse. Horum splendor, pulchritudo, utilitas effecerunt, ut iisdem divina virtus, & religiosus deinde cultus tribueratur. Multo quidem ante diluvium cœpit depravatio hæc, quandoquidem, sub diluvii tempus, una tantum familia comperta est; cujus afflat pure religio, statimque post rursus emersit; eadem evasit dominans mundi religio, nec nisi prout Evangelium excrevit, eversa est. In hac ergo hypothesi homines idololatræ diu fuere, quin haberent idola, quoniam sol, luna, sydera, ad quæ primus eorum cultus referebatur, imagine non indigebant. At iidem homines, cum religiosum obsequium rebus sibi similibus, per apotheosin, præstare vellent, & præterea secum ipsi reputarent, Enti supremo ministros, seu subalternos deos qui eidem in universi regimine præsto essent, addi oportere, idolis seu figuris opus habuere, quæ ipsis eos homines, quos non nisi vita functos in deorum numerum referebant, eosque cæteros inferiores deos exhiberent, quos ipsi sibi imaginati fuerant, quibusque regendam naturæ partem tribuerant; atque hinc idola, seu figuræ innumeræ quarum aliæ materies, forma alia, e lapide scilicet, ligno, marmore, ebore, auro, argento, ære, argilla confectæ, quæ spiritus, homines, animalia, flumina, plantas, elementa, &c. repræsentabant.

Perspicitur hinc præcipuas idololatriæ causas esse: 1. indelebilem, et crassam corruptamque divinitatis notionem, seu ideam quæ hominem eo traxit, ut id quod amabat, aut æstimabat præter modum, superstitioso cultu prosequeretur; 2. similibus rebus æquo vehementius addictum animum; 3. humanæ mentis superbiam & vanitatem, quæ cum fabula veritatem confudit; 4. antiquitatis inscitiam; 5. orientalium linguarum stilum figuris refertum poeticumque, qui personam nulli non rei tribuit; 6. superstitionem, scrupulos & metum; 7. subditorum in Principes, filiorumve in parentes immodicam observantiam; illustrium virorum admirationem, grati erga benefactores animi significationem, &c. 8. scriptorum affectationem; 9. falsas viatorum narrationes; 10. poetarum fictiones; 11. pictorum sculptorumque imaginationes; 12. rudem naturalium effectorum, horumque causarum cognitionem; 13. artium inventionem quam male barbari homines acceperunt; 14. quorumdam hominum temeritatem, qui dii haberi voluerunt.

E maxime exsecrandis criminibus idololatria est; nimirum est crimen læsæ majestatis divinæ cujus incommunicabilis cultus ad abjectas creaturas transfertur; illudque proinde passim gravissimeque in Conciliis damnatum, punitumque conspicitur.

De his qui in persecutione prævaricati sunt, si voluntarie fidem negaverunt, hoc de eis Nicena synodus statuit, ut quinque annos inter catechumenos exigant, & duos inter communicantes; ita ut communionem inter pænitentes non præsumant. In potestate tamen, vel arbitrio sit Episcopi, ut si eos ex animo errorem deflere, & agere pænitentiam viderit, ad communionem pro ecclesiastica humanitate suscipiat. (Concilium Arelatense, an. 452. can. 10.)

Placuit inter eos qui post fidem baptismi salutaris, adulta ætate, ad templum idololaturus accesserit, & fecerit, quod est crimen principale, quia est summum scelus, placuit, nec in fine eum communionem accipere. (Concil. Eliberitanum, can. 1.)

De his qui præter necessitatem prævaricati sunt, aut præter ablationem facultatum, aut præter periculum, vel aliquid hujusmodi, quod factum est sub tyrannide Licinii, placuit synodo, quamvis humanitate probentur indigni, tamen eis benevolentiam commodari. Quicunque ergo veraciter pænitudinem gerunt, tribus annis fideles inter audientes habeantur, & sex annis omni se emoritione dejiciant, duobus autem annis sine oblatione populo in oratione communicent. (Concilium Nicænum I. an. 325. canon. 11.)

Circa eorum vero personas, qui se post unum & sanctum lavacrum, vel profanis sacrificiis dæmonum, vel incesta lavatione polluerint, eam censuræ formam duximus esse servandam, ut his juxta synodum Nicenam satisfactiones quidem aditus non negetur, ne infelicibus lacrymis vel salutis janua desperatione claudatur; acturi vero pænitentiam usque in diem mortis, non sine spe tamen remissionis quam ab eo plene sperare debebunt, qui ejus largitatem & solus obtinet, & tam dives misericordia est, ut nemo desperet. Deus enim mortem non facit, nec lætatur in perditione vivorum. (Concilium Valentinum, an. 374. can. 3.)

Manifestissime liquet, quod hostis humani generis, ut Apostolus narrat, per mundum rugiens currat, quærens quem devoret; nam diversæ tergiversationis suæ actu quamplurimos insipientium decipiens, suis eos discipulis irretire non cessat; & cum Dominus præcipiat: Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, *& reliqua; & iterum:* Non facietis vobis idolum & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eam; *rursumque:* Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli servies, *illi diversis suadelis decepti, cultores idolorum efficiuntur, veneratores lapidum, accensores facularum, excolentes sacra fontium, vel arborum, auguratores quoque, seu præcantatores, multaque alia quæ longum est narrare.... decernimus, ut omnes Episcopi, seu presbyteri, vel hi qui judicandis causarum negotiis præsunt, solerti cura invigilent; & in quacunque loca præmissa sacrilegia, vel qualibet alia quæ divina lege prohibentur, vel sanctorum Patrum cohibent instituta, venerantes quoque, aut facientes reperierint, cujuscunque sint generis, aut conditionis, statim secundum prædictarum sententiarum seriem emendare, & exstirpare non differant.* (Concilium Toletanum, an. 693. cap. 2.)

JEJUNIUM, Jejunium, generatim, est temperantiæ virtutis actus, per quem abstinetur a permissis quibusdam rebus. Est ergo positum in abstinentiæ genere quodam; ex quo fit, ut totuplex jejunium distingui possit, quot ea sunt, a quibus abstineri ex virtute potest. Est jejunium *spirituale*, quod nihil est aliud quam peccati fuga; est jejunium *morale*, quod alimenti mensuram, prout corporis ratio postulat, moderatur; est jejunium *naturale*, in eo positum, ut nihil mediæ noctis hora, seu nutritionis, seu medicaminis in modum, seu aliter sumptum fuerit; est jejunium *Ecclesiasticum*, quod excludit alimenta quædam, nec permittit alia nisi ex certa quantitate quadam, pro forma quam Ecclesia præscribit; atque id ea mente, ut sua quisque peccata expiet, suumque ipsius corpus maceret, ne impedimento sit, quominus animus ad Deum assurgat.

§. I.

De Jejunii Antiquitate.

OMnibus retro temporibus, & apud omnes nationes quæ aliquam, seu veram, seu falsam religionem professæ sunt, jejunium in usu fuit. Tertullianus, in Libro *de Anima*, cap. 48. eos certos facit nunquam ethnicos oracula consuluisse, quin prius jejunium indicerent; & S. Hieronymus (Contra Jovinian. lib. 2. Tom. IV. p. 203.) ethnicorum jejuniis utitur, ut Jovinianum, eum scilicet acerrimum jejunii hostem pudore suffundat, & ad incitas redigat. A Mosis ætate, penes Judæos communia jejunii exempla sunt, eorumque jejunandi ratio non in eo solum versatur, ut serius comedatur, sed ut nullo non pacto se quisque affligat. Eorum omnia jejunia inchoantur ad vesperam, nec nisi in sequentem diem post solis occasum desinunt, quin interim cibi quicquam potusve sumatur. Balneis quoque, suffimentis, odoribus, unctionibus, matrimonii usu, denique rebus omnibus, ad corporis voluptatem & mollitiem facientibus iidem abstinent; nuptias non celebrant; incedunt nudis pedibus; in cinere & cilicio silentium servant, & ejusmodi alia pœnitentiæ & afflictionis argumenta præbent; pueri a decimo tertio, & puellæ a decimo secundo ætatis anno, jejunii legi subsunt; omnesque jam inde ab ætatis anno septimo, pro ut uniuscujusque vires ferunt, se ad jejunium exercere jubentur.

§. II.

De Christifidelium Jejunio.

CHristifidelium primi sæpius quam Judæi jejunabant, seu potius omnis eorum vitæ ratio nihil aliud quam privationum & jejuniorum series, contextusque veluti quidam erat. Primis iis tamen temporibus ea tantum obligationis jejunia censebantur, quæ Pascha præcedebant, Quadragesima scilicet; jejunia cætera non nisi per gradus obtinuere. Ex hoc genere jejunia sunt, quæ quatuor temporibus, in festorum dierum vigiliis, & in *stationibus* servabantur, quæ de more quarta & sexta feriis a Christifidelibus habebantur, qui per eos dies in designatam Ecclesiam conveniebant, ubi solemnem in modum orarent, & Missæ sacrificium offerrent.

Erant ergo penes Christianos jejuniorum genera plura; quadragesimæ unum, stationum alterum, & quod *superpositionis* jejunium appellabatur. In quadragesimalibus jejuniis, ad vesperas tantum, hoc est, vespertina circiter hora sexta, comedebatur. In stationis je-

junis quæ etiam *semijejunia* nuncupabantur, cibus hora nona, scilicet post meridiem tertia sumebatur; & in *superpositionis* jejuniis, duplicibus videlicet, obfirmative, integra dies sine comestione transigebatur. Ita quidem sabbato sancto jejunabant; cui nonnulli majoris ejusdem hebdomadæ sextam feriam addebant; alii non nisi alternis diebus per totam quadragesimam comedebant; alii jejunium in tres & quatuor dies protrahebant; alii *xerophagiam* servabant, hoc est, siccis tantum escis utebantur; alii denique pane & aqua contenti erant. Is fere mos obtinebat, ut a carne, ovis, lacte, butyro, caseo, vino, jejunii diebus, abstineretur, ac ne aqua quidem bibebatur, extra unicam refectionem quæ hora tertia, vel sexta, pro jejuniorum discrimine, locum habebat.

Nunc temporis tria sunt, quibus Christianorum jejunium continetur; ut nimirum a carne, ovis & lacte per quadragesimam abstineatur, in meridie tantum; aut sub meridiem ex Ecclesiæ communi consuetudine comedatur, & unica comestio fiat cum vespertina cœnula, quæ solum ab Ecclesia toleratur, & admodum modica sit, oportet.

§. III.

De Personis Jejunio obnoxiis, & de causis quæ ab eo dispensant.

Quicunque in jejunandi morali, quam vocant, impotentia non versatur, jejunii lege, in lethalis peccati pœnam, abstringitur. Jejunandi *moralis impotentia* nuncupatur magna difficultas quæ jejunanti cuipiam occurrit, quæque valetudini grave incommodum affert; & huic morali impotentiæ labor, ætas, infirmitas causam præbent. Hujus definitionis ea ratio est, quia jejunio non servando, violatur in re gravi præceptum Ecclesiæ quæ suis quædam jejunia filiis imposuit, potestatis vi quam a suo ipsa sponso Christo Domino accepit, ut justas utilesque leges, in peccati pœnam obligantes conderet; cujusmodi est jejunii lex, quod carni domandæ, animo ad Deum erigendo, ejusque tum justitiæ flectendæ, tum punitionibus avertendis, tum beneficiis pertrahendis maxime inservit.

Est ergo ridiculum dicere jejunii legem superstitiosam legem esse, & cum evangelica libertate pugnare, quæ, quicquid Deus ad hominis usum creavit, indiscriminatim comedi sinit. Non superstitione quadam ducta nos vetat Ecclesia quibusdam per quædam tempora dapibus vesci, perinde ac si ejusmodi dapes ipsæ per se malæ essent, eosque inquinare possent, qui iis uterentur; at id facit a virtutis, macerationis, pœnitentiæ principio. Est ergo jejunii, sub lethalis peccati pœna, servanda lex, quoties justa dispensationis e regulis quæ sequuntur, causa non subest.

1. Qui opera, vel itinera conficere necesse habent, quæ cum jejunio conjungi non possunt, ab eo dispensantur, ut agricolæ, vinitores, fabri lignarii &c. Pictores vero, typographi qui prelo quidem addicti non sunt, tonsores, sartores, calcearii sutores, & qui ejusmodi aliam quamvis artem exercent, jejunio exempti non sunt, quia labor quem harum artium exercitatio secum trahit, non ita gravis est, ut cum jejunio stare non possit. Idem de iis dicendum qui venatum eunt, quique pilæ, aut similibus ludis ad suam ipsorum voluptatem vacant. Confessarii porro, concionatores, ægrotantium custodes, qui hæc munia cum jejunio conciliare non possunt, jejunare non tenentur, quia eadem munia jejunio præferri debent.

2. Pueri a jejunio dispensantur, & quidam ad completum usque 21. ætatis annum, quippe qui nutritione indigent, ut ad cumulatum augmentum perveniant; quod autem ad senes attinet, eos sola moralis impotentia dispensat, nunquam vero, quantumvis provecta ætas ipsa per se, cum scilicet hanc impotentiam adjunctam non habet.

3. Languor, infirmitas, gravis morbus jejunio eximunt, itemque alimentorum necessitas, qualis in nutricibus, & prægnantibus feminis reperitur.

4. Pauperes quibus non suppetit ad prandium in diem satis, ut jejunii asperitatem ferant, immunes ab eo sunt; possunt etiam carnem comedere, cum nihil aliud iis præsto est, aut cum solus iisdem panis præ manibus est, a quo vivere sine gravi incommodo nequaquam possent.

5. Ad Episcopos, ad parochos, & iis absentibus, ad eorumdem vicarios, ad communitatum superiores, quoad ipsorum inferiores, pertinet a jejunii lege dispensandi potestas.

6. A quadragesimalibus cibis dispensatio non continet a jejunio dispensationem, itemque a jejunio dispensatio a quadragesimalibus cibis dispensationem non continet; et quadragesimæ quod potest, perfici debet. Qui quadragesimalibus cibis vesci non potest, & jejunare quoad cætera potest, jejunare debet, quin quadragesimalibus cibis vescatur; qui cibis his uti potest, at jejunio impar est, iis uti debet, quin jejunet. Qui aliquibus tantum diebus jejunare potest, quibus diebus potest, jejunare debet.

§. IV.

Super Jejunio solutiones.

1. Lethaliter aut venialiter peccat, qui sine justa causa ante meridianam horam comedit, prout meridiem longiore aut breviore temporis spatio anteverterit. Ad lethale peccatum satis est hora, P. Alexandri, aliorumque plurium casuistarum sententia. Ecclesia religiosis eam veniam dat, laborum causa, quibus iidem distenti sunt, ut hora undecima cum dimidio, seu hora dimidio ante meridiem comedant, etiam quadragesimali tempore. Porro tempus quod, jejunii diebus, in prandium impendi potest, nulla quidem peculiari lege definitum est; at præcepti jejunii quod macerationem & pœnitentiæ usum spectat, generalis lex satis ostendit comestionem diutius protendi non posse, quin gravius leviusve peccatur, pro longiore aut breviore temporis spatio, quod inutiliter in hac animali crassaque functione ponitur.

2. Illud adeo jactatum axioma, *liquidum non frangit jejunium*, non est verum, nisi cum bibi necesse est, ut subsidium difficili digestioni afferatur, vel ut sedatur sitis quæ absque eo solatio incommodum pareret. Peccatur ergo, cum in jejunii fraudem, absque necessitate, solumque ad voluptatem, jejunii diebus, liquores, licet ad nutritionem parum facti sumuntur; aut cum ad sedandam sitim, poma, pira, &c. comeduntur; aut cum post potum comeditur aliquid, ut fici, amygdalæ, ne potus noceat; & proinde tam quoque potiori ratione peccatur, cum, extra veræ necessitatis casum, liquores ad alimentum admodum comparati, ut crassior cervisia, vinum compositum, chocolatum, &c. sumuntur.

3. Ova & lactaria per quadragesimam comedendi prohibitio ad dominicos æque atque ad cæteros dies protenditur; & quibus in locis ova vetita sunt, comedi non licet cocta dulciaria, nisi forte legitimus usus id patiatur, iisve ovorum tam parum admixtum sit, ut pro nihilo habeatur.

4. Pueri qui nondum ætatis annum septimum compleverunt, carne, rebusque cæteris quadragesimali tempore vetitis vesci possunt, nisi forte ante id temporis perfecto rationis usu polleant, quia eos tum solum obligant Ecclesiæ leges, cum usum hunc attigerunt; quod fere completo septimo ætatis anno contingit.

5. Toties peccatur, quoties extra tempus comeditur, quod jejunii diebus concessum est.

6. Theologi & medici super quæstione secti sunt, an scilicet jejunii & abstinentiæ diebus, aquæ pullos, piletios, mollebonios, fulicas, pussinos anglicos, & id genus alias aquaticas aves comedi liceat. Sunt diœceses, ut Andegavensis, in quibus vetitæ sunt; & in his quidem diœcesibus, iis vesci non licet. In diœcesibus porro, quibus favet constans usus, saltem tacite ab Episcopis approbatus, est quod eas sine peccato comedi posse censeatur. (*Vide* super hoc negotio Tractatum historicum & moralem de Abstinentia, &c. auctore domno Gregorio Berthelot, Rothomagi an. 1731. & Jejunii Historiam dogmaticam & moralem, auctore domno Josepho de Lisle, Parisiis an. 1741.)

Jejuniorum superstitiones (jejunia, seu abstinentias) *per singulos menses placuit celebrari, exceptis diebus duorum mensium, Julii & Augusti, ob quorumdam infirmitatem.* (Concilium Elliberitanum, can. 23.)

Non oportet, in Quadragesima, quinta feria ultima hebdomada jejunium dissolvi, & totam Quadragesimam inhonorari, sed per totos dies jejunare, & escis abstinentia convenientibus, id est, aridioribus uti, (Concilium Laodicenum, can. 50.)

Id a sacerdotibus omnibus decretum est, ut ante Pascha solemnitatem, non Quinquagesima, sed Quadragesima teneatur. (Concilium Aurelianense, an. 511. can. 24.)

Hoc etiam decernimus observandum, ut Quadragesima ab omnibus Ecclesiis æqualiter teneatur; neque Quinquagesimam, aut Sexagesimam ante Pascha quilibet sacerdos præsumat indicere. Sed neque per sabbata absque infirmitate quisquam solvat Quadragesimæ jejunium, nisi tantum die dominico prandeat, quod sic fieri specialiter Patrum statuta sanxerunt. Si quis hanc regulam irruperit, tam-

tamquam transgressor disciplinæ a sacerdotibus censeatur. (Concilium Aurelianense, an. 541. can. 11.)

Non licet in vigilia Paschæ ante horam secundam, noctis vigilias perexpleri, quia in illa nocte non licet post mediam noctem bibere, nec in Natali Domini, nec in reliquis solemnitatibus. (Concilium Antissiodorense, an. 578. can. 11.)

Jejunia, quando generaliter pro aliqua necessitate indicuntur, diligenter ab omnibus custodienda sunt, & observanda. (Concilium Turonense, an. 1009. can. 47.)

Jejunium diebus dominicis tenere, & canonica interdicit auctoritas, & Resurrectionis dominicæ tanta solemnitas. (Concilium Aquisgranense, an. 836. capit. 3. can. 18.)

Sanctæ Mariæ summum Festum omnes omnino honorantes; primum jejunio, & deinceps celebritate. Singulorum quoque Apostolorum festivitates religiose quisque celebret jejunio, præterquam Philippi & Jacobi, quibus propter Paschalis gratiam & celebritatem, jejunium non indicimus, nisi voluntarium. Cætera omnia Festorum jejunia quisque teneat diligenter ad eorum exemplar, qui hæc optime observaverint. (Concilium Enhamiense, an. 1009. can. 15.)

Et jejunia quatuor temporum (quæ imbrem vocant), & cætera omnia, prout sanctus Gregorius genti imposuit Anglorum, conservanto. (Can. 16.)

Quaque etiam die veneris jejunandum est, nisi festum sit. (Can. 17.)

Undecimo autem titulo mandamus, ut Christiani per omnes sextas ferias jejunent, & hora congrua cibo reficiantur, & faciant labores suos. (Concilium Coyacense, an. 1050. can. 11.)

Item statutum est, ne nullus in Quadragesima prandeat, antequam, hora nona peracta, vespertina incipiat. Non enim jejunat, qui ante manducat.

Quod nemo laicorum a capite jejunii, nemo clericorum a Quinquagesima usque in Pascha carnes comedat. (Concilium Claromontiense, an. 1095. can. 9.)

Cum in omnibus ecclesiasticis constitutionibus utilis quædam honestas, & spiritualis profectus incrementum elucescat, in indicendis tamen jejuniis insigniter emicuit, quibus nihil aptius retundendæ carnis petulantiæ potuit institui, cum id genus dæmoniorum (ut ad spiritum, dictum Christi referamus) jejunio tantum & oratione pellatur. Nec sane quidpiam, exemplo Mosis, promovendæ mentis puritati commodius, aut demum, exemplo Ninivitarum, ad impetrandam, aut iram Dei placandam efficatius ab ecclesiasticis quondam Præsidibus potuit ordinari. Quæ vero Apostolus instituit, ut quadragesimale jejunium sanctificarent, quo Christifideles, non tam Mosen, aut Eliam, quam Christum imitati, totius anni decimam exsolverent. Quæ vero a Calisto martyre in quatuor anni partes diffcrtæ sunt jejunia, quarti, quinti, septimi & decimi mensis legem referunt, ut figuram adimpleant; & velut quadam nostri temporis primitiæ sub illis quatuor anni partibus offerantur, ea quidem observantia, ut duodenarius dierum numerus duodecim mensium numero respondeat; neque dissimili religione statuta sunt cætera vigiliarum jejunia, quæ potiores sacris solemnitatibus accedamus. Cæterum quod ad ciborum delectum attinet, etsi jam olim exoleverit vetus illa Mosaicæ legis servitus, quam umbram futurorum Apostolus appellat, nec jam aliquod commune dicendum sit, aut immundum; nihil tamen sanctius, nihil utilius potuit institui, quo pruriens carnis lascivia frenaretur, quam ut jejuniorum & statutis ab Ecclesia abstinentiæ diebus, a carnium usu temperantes, cibis tantum aridioribus vesceremur. Neque profecto minor esse debet apud nos sacrosanctæ matris Ecclesiæ auctoritas, quam apud filios Rachab mortuari patris imperium; qui, ne patris edictum violarent, a vino perpetuo abstinuerunt. Si quis igitur Aerianorum hujusmodi errorem mille abhinc annis damnatum, & a Joviniano, Vigilantio, Valdensibus, VVicleffo, Hussitis, ut novissimis istis diebus a Luthero & sequacibus suscitatum secutus, quadragesimale jejunium non tam terrena cogitatione initiatum, quam cælesti majestate consecratum, & cætera ecclesiastica jejunia, vel præscriptas a Patribus abstinentias non observaverit, aut non observandas duxerit, sacrorum Conciliorum auctoritate anathema sit. (Concilium Senonense, seu Parisiense, an. 1528. can. 7.)

Jejunia ergo ab Ecclesia indicta reverenter observari volumus; admonendusque populus, cur sint instituta; nempe ne corpus per intemperantiam cibi aut potus luxurians castigetur, in servitutemque redigatur, quo animus negotiis ut liberior laudibus divinis insistat, divinæque voluntati se se attemperet. Magnum certe & generale jejunium est abstinere ab omnibus iniquitatibus, & ab illicitis voluptatibus sæculi. Ad hoc perfectionis qui nondum pervenit, is Ecclesiæ indictum hoc vocans, haud consummat. (Concil. Coloniense, an. 1536. Part. IX. cap. 2.)

Ricard Concil. Tom. IV.

Qui Ecclesiæ ordinationem irrident, illique divum Paulum opponunt, quasi is jejuniis ecclesiasticis contradicat, gravissimam utrique contumeliam (Apostoli doctrinam dedita opera adulterantes) inferunt. Non enim Ecclesia aliquod cibi genus perpetuo interdixit, aut Judaicum ciborum delectum contra apostolicam doctrinam invexit, quinimmo cum Paulo semper docuit doctrinam esse dæmoniorum, cibum aliquem immundum judicare & prohibere, quem Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, his qui cognoverunt veritatem, quod scilicet omnis creatura Dei bona sit, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sed potius Ecclesia veteris legis, ac apostolicorum virorum exempla secuta, jejunia quædam publica certis diebus indixit, jubens tum a carnibus abstinere, & cibis aridioribus uti, non quod carnes immundæ sint, sed ne luxui temperetur. Qua de re in Gangrensi Concilio, quod non multo post Apostolorum tempora observatum est, pari censura damnati sunt cum hi qui nonnullos cibos carnium illicitos reputarunt, tum illi qui præter necessitatem corporalem superbientes, jejunia communia totius Ecclesiæ putaverint contemnenda, perfectam in sua scientia rationem vindicantes; quos anathema esse Concilium illud decrevit; atque ulla multa quæ nunc in contentionem rursus vocantur, ut succincte admodum, ita christianissime apostolico spiritu definit. (Cap. 3.)

Cum vero criminentur hostes Ecclesiæ ejus institutum, non videmus, cum ipsa nulli injiciat laqueum, quod hanc constitutionem adeo ligare non velit, ut vel charitati, vel necessitati minime cedere debeat. Quinimmo liberum facit quolibet tempore quibuslibet vesci, modo id vel charitas, vel necessitas suadeat; adhibito tamen utriusque medici, si præsto sint, aut saltem ulterius, nimirum animæ, consilio. (Cap. 4.)

Jam cum in jejuniis ratio potius indictionis, quam abstinentia ista a carnibus spectetur; admonendus est populus, cum jejunandum erit, non minus sumptuosa & prolixa illa piscium fercula, quam carnium, vitanda; bellaria item illa magis quam carnes, inflammantia. (Cap. 5.)

His canonibus addemus sequentes super jejunio propositiones quatuor quas an. 1700. Gallicanus Clerus censoria virga notavit.

Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat; puta, quia non vult se subjicere præcepto.

In die jejunii qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

Omnes officiales qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, & etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

Harum quatuor propositionum censura ejusmodi est: *Doctrina his quatuor propositionibus contenta, falsa est, temeraria, scandalosa, perniciosa; ecclesiasticorum mandatorum incuriam inducit; jejunii leges pravis artibus eludit.*

JESUS CHRISTUS est Dei incarnatus Filius. *Quære* INCARNATIO.

IGNORANTIA, scientiæ seu cognitionis defectus. Spectari potest ignorantia vel quoad personam quæ ignorat, vel quoad rem quæ ignoratur, vel quoad actionem quæ per ignorantiam committitur.

Quoad personam quæ ignorat, distinguitur rerum ignorantia, quas ea scire debet, earumque quas eamdem scire non est necesse; itemque ignorantia rerum quas scire potest, & earum quas scire non potest.

Rerum ignorantia, quæ sciri possunt, & quæ *vincibilis* appellatur, ea est, quæ naturæ conatibus, consuetisque gratiæ subsidiis vinci ac deponi potest. Si sua quispiam officia ignorare studeat, effectetque, ejus ignorantia *affectata* dicitur; quod si solum negligat suorum officiorum notitiæ imbui, quin ea ignorare reapse studeat, hæc ignorantia *crassa*, *supinave* nuncupatur.

Rerum ignorantia, quæ sciri non possunt, quæque ipsa proinde *invincibilis* dicitur, ea est, quæ propriis studiis & conatibus, aut consuetis gratiæ subsidiis vinci seu deponi non potest. Ejusmodi est infidelium ignorantia, qui de Evangelio nihil sibi dictum audierunt; invicte scilicet illud ignorant.

Quoad ignoratam rem, occurrit duorum generum ignorantia, juris una, facti altera.

Juris ignorantia supra legem cadit, quæ aliquid præcipit, aut prohibet; exempli causa, qui legem ignorat,

rat, quæ certa quadam die jejunium servari jubet; ovaque & lactaria per eamdem præceptum jejunii diem comedi vetat, is quidem super his duobus capitibus in juris ignorantia versatur.

Ignorantia facti tum locum habet, cum ignoratur non lex quidem quæ jubet aut vetat, sed actio quæ in legem fit; exempli gratia, ova quispiam aut carnem inscius quadam jejunii die comedit, qua die ejusmodi alimenta vetita sunt; ea facti error, seu ignoratio.

Quoad actionem ipsam, *antecedens*, *concomitans*, *aut subsequens ignorantia est*.

Antecedens ignorantia est quæ est prorsus involuntaria, quæque eodem tempore in causa est, ut id quispiam velit, quod si cognosceret, sane nollet. Hujusmodi ignorantia in eo locum habet, qui amicum, quin norit, occidit, quemque si nosset, non occiderat.

Concomitans ignorantia est, quæ actionem comitatur, sed quæ tamen ejus causa non est, quia licet actio ipsa cognosceretur, non proinde tamen omitteretur. Hujusmodi est ejus ignorantia, qui inimicum, quin cognoscar, occidit, sed eum tamen, si cognosceret, occidere non omitteret.

Ignorantia *subsequens* ea est, quæ deponi potest, quæque efficit, ut aliquid quispiam ob eam solum causam ignoret, quia ignorare vult; & quod inde consequitur, hujus generis ignorantia voluntaria est, seu directe, ac tum quidem est ignorantia quæ dicitur affectata; seu indirecte, & in hac facti specie, negligentiæ ignorantia est.

Rerum ignorantia quæ sciri & possunt & debent, maxime criminosa est, potissimum in Religionis ministris, eamque proinde Concilia severe damnant.

Ignorantia mater cunctorum est errorum, & maxime in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere sanctas Scripturas admonet Paulus Apostolus, dicens ad Timotheum: Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. *Sciant igitur sacerdotes Scripturas sanctas & canones; ut omne opus eorum in prædicatione & doctrina consistat, atque ædificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina.* (Concilium Arelatense, an. 813. can. 3.)

Sunt plerique pastorum, qui dum metiri se nesciunt quæ non didicerunt, docere concupiscunt; qui pondus magisterii tanto levius æstimant, quanto vim magnitudinis illius ignorant; ne quia indocti & præcipites doctrinæ arcem tenere appetunt, a præcipitationis suæ ausibus in ipso locutionis januæ repellantur. Nulla ars doceri præsumitur, nisi intenta prius meditatione discatur. Ab imperitis ergo pastorale magisterium qua temeritate suscipitur, quando est ars artium regimen animarum?.... Ne temerare sacra regimina, quisquis his impar est, audeat, & per concupiscentiam culminis, ducatum suscipiat perditionis. (Concilium Aquisgrenense, an. 816. lib. 8. cap. 14. & Greg. *in Pastor.*)

Sicut iniqui & peccatores ministerium sacerdotale assequi prohibentur; ita indocti & imperiti a tali officio retrahuntur. Illi enim exemplis suis vitam bonorum corrumpunt; isti sua ignavia iniquos corrigere nesciunt. Qui enim docere poterunt, quod ipsi non didicerunt? Desinat locum docendi suscipere, qui nescit docere. Ignorantia quippe præsulum, vitæ non congruit subjectorum. Cæcus enim si cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt. *Sacerdotes indoctos per Isaiam prophetam ita Dominus improbat:* Ipsi, *inquit*, pastores ignoraverunt intelligentiam; *& iterum:* Speculatores ejus cæci omnes, *id est, imperiti Episcopi.* (Can. 16. *ibid.*)

Tam doctrina, quam vita clarere debet ecclesiasticus doctor. Nam doctrina sine vita arrogantem reddit; vita sine doctrina inutilem facit. Sacerdotis prædicatio operibus confirmanda est, ita ut quod docet verbo, instruat exemplo. Vera enim est illa doctrina, quam vivendi sequitur forma. Nam nihil turpius est, quam si bonum quod sermone quisque prædicat, explere opere negligat. (Cap. 20. *ibid.*)

Prudentem, & litterarum peritia insignem eum oportere esse ad sacerdotium aspirantem, sicque jure constitutum, ne quis litterarum expertes audeat ad sacros ordines promovere.... multo magis igitur ignorantia, errorum omnium mater, sacerdotibus vitanda est. (Concil. Narbonense, an. 1551. can. 9.)

IMAGINES, *Quære verb.* ICONOCLASTÆ, & SANCTI.

IMMUNITAS, privilegium, alicujus oneris, officii, aut impositi vectigalis exemptio. Id peculiariter de ecclesiasticis immunitatibus dicitur.

Distinguitur immunitas duplex, quarum una personalis dicitur, realis altera. Personalis immunitas professioni addicta est, Deoque in sæculari & regulari clero consecratas personas spectat. Realis immunitas afficit bona quæ Eclesia possidet.

Personalis immunitas continetur aliquibus privilegiis a Principibus clero concessis, cujusmodi sunt: ecclesiasticos ob commune delictum judicandi facultas; a militari servitio, ab excipiendis hospitio iis qui castra sequuntur, a tutelis & curatelis, a tributariis operibus, publicisque laboribus qui populo ipsi imponuntur, exemptio; itemque prærogativa, ne quis e clero ob civilia debita in carcerem trudi possit.

Qui cleri privilegiis maxime infensi sunt, e quorum numero est *Ecclesiasticarum Immunitatum Examinis partium studio liberi* auctor, personalium immunitatum justitiam & æquitatem haud ægre perspiciunt & patentur. „ De his personalibus immunitatibus, seu ve„ teribus, seu recentibus cum clero non contenditur, „ inquit auctor hic, tom. III. pag. 13. decebat, atque adeo „ justum erat eas eidem concedi. “ Id igitur unum quæritur, ecclesiastica ne bona ab impositionibus, tributis scilicet exempta sint, an perinde ac laicorum bona iisdem subsint. Verum, ad hanc controversiam finiendam, contra rationem æquitatemque naturæ faceret, qui ad Concilia confugeret, innumeros eorum canones congerens, qui non spirituales solum pœnas, cujusmodi sunt interdictum & excommunicatio, sed temporales quoque, ut munerum, dignitatum, dominiorum privationem, in ecclesiasticarum, seu realium, seu personalium immunitatum violatores pronuntiant; ita quippe Episcopi, cum in Conciliis congregati, eorumdem canonum auctores sint, judices simul & partes in propria causa constituerentur; quod non minus rationi, quam naturali æquitati repugnat. Ut ergo lectorem ad hanc quæstionem quæ tanta utrinque animorum contentione agitatur, dirimendam comparemus, non alia nobis ineunda ratio, quam ut parumper quem nobis hoc in opere proposuimus, ordinem deferamus, sermonem eo redigentes, ut exponamus hoc loco religiosa fide tum rationum momenta quæ ab ecclesiasticarum immunitatum hostibus proferuntur, tum defensionis adjumenta quibus earumdem fautores utuntur.

Rationum momenta quæ ab ecclesiasticarum immunitatum hostibus congeruntur.

1. Id distributivæ justitiæ, naturali juri nixæ est, ut omnia corporis membra, sine exceptione, ac sine dispensatione, per harmonicam & congruam æqualitatem ad corporis onera conferant. Est hoc naturale jus, cui nullum prorsus aliud, divinum aut humanum jus derogare potest. Omnis ergo huic juri contraria immunitas injusta est.

2. Supremi Principes, Christo nomen dantes, jurium ad supremam potestatem pertinentium nullum quoad subditos amiserunt; perficere possunt, atque adeo debent, ut ecclesiastica non secus atque omnia cætera bona ad Principatus onera conferant; justitiam lædunt, cum subditis ecclesiasticis dispensant, ut eadem ratione qua cæteri, ad communia onera contribuant. Ejusmodi dispensatio, siquidem facta fuisset, semper revocabilis esset, quia societatis jus alienari non potest.

3. Ecclesia est in Principatu, atque Principatus patrocinatur. Tuetur hic ejus ministros, ejusque bona. Ergo tum ii, tum hæc, perinde ac reliquorum subditorum personæ & bona, in Principis manu sunt, & principatui personalia servitia, realesque contributiones debent; secus, Ecclesiam inter & Principatum leonina tantum societas existeret; totum scilicet emolumentum penes Ecclesiam, totus onus penes Principatum esset.

4. Ecclesia nec bona possidet, nisi ex fidelium liberalitate; nec immunitatibus, nisi a Principum concessione gaudet. Primam his immunitatibus epocham attulit a magno Constantino suscepta Christiana religio. Imperator hic qui, ineunte sæculo quarto, fidem amplexus est, edidit leges duas, unam pro personali ecclesiasticorum immunitate, pro reali bonorum ad eos spectantium immunitate alteram. His immunitatibus non nisi peculiarium exemptionum ratio fuit ad duodecimum usque sæculum; quæ fuit generalium absolutarumque immunitatum epocha, quas sibi clerus arrogavit, prætexens ecclesiastica bona, per eorum Deo factum donum, naturam mutasse; donum hoc consecrationem veluti quamdam fuisse; quæ ea sacris tantum usibus addicebat; eademque distrahere velle, ut in profanos usus, & politicæ societatis necessitates conferantur, sacrilegium esse. At hæc obducta species frivola est, chymærica metamorphosis, quæque præcipua, supraque omnem alienationem posita, quibus pol-

pollent, jura Principatui, patriæ, supremis Principibus, privatis ipsis personis, in Ecclesiam beneficis adimendis minime sufficit. Primum enim omnium quicunque privati homines sua Ecclesiæ bona donarunt, ea sane, prout possidebant, & quod inde consequitur, publicis oneribus obnoxia largiti sunt. Præterea Principes ac civile regimen sibi semper primitivum, utriusque alienationis nescium perficiendi scilicet jus servarunt, ut eadem bona ad publica onera contribuerent; id etiam juris iisdem est, ut expendant, an ecclesiastica bona, prout eorum designatio postulat, impendantur; quoniam, si aliter res haberet, onera quibus esset quoad eadem bona faciendum satis, causa exempli, pauperum sustentatio, in Principatum reciderent. Addi & illud potest, clero nunquam veras immunitates fuisse, quæ tributo Principibus solvendo eumdem eximerent.

Responsa, & defensionis adjumenta quæ ecclesiasticarum immunitatum fautores in medium afferunt.

1. Ea distributiva justitiæ est, quæ in distributione bonorum, onerumque reipublicæ, geometricam proportionem custodit, proportionem scilicet, quæ personarum statui & conditioni respondet. Omnia ergo & singula societatis membra ad ejusdem bonum contribuere debent; id nimirum ad distributivam justitiam, & naturale jus pertinet; at ad illud contribuere non æque omnia, nec eadem ratione debent; & hæc integra contributionum æqualitas id demum est, quod justitiæ distributivæ & naturali juri additur. Societatis perinde se habent ac corporis membra, quibus non eadem omnibus munia, neque eadem onera sunt. Ecclesiastici non agricolæ sunt, non artifices, non mercatores, non militares; orant, concionantur, docent, spiritalia cætera ad animarum salutem necessaria subsidia suppeditant; & iis quidem hæc personalis contributio, quoad politicum regimen, esse potest realis loco. Viri nobiles, magistratus, officiarii qui in Principum ædibus servitium obeunt, in ditione privilegiati quique, non æquo ad sua singuli onera conferunt, quin hæc inæqualitas distributivam justitiam lædat, quia virtus hæc non est in eo posita, ut in singulis jurium & obligationum servetur æqualitas, sed in eo potius, ut unicuique jura constent, quæ ei legitime acquisita sunt.

Falsum ergo est ecclesiasticorum realem immunitatem injustam esse, & naturali juri contrariam. Si res ita se haberet, nobilem virum inter & quemlibet unum e multis nihil unquam discriminis esse posset; neminem unum Principes exemptionibus aut privilegiis donare possent, eorumque omnes quoad hanc rem concessiones suapte natura, seu, quod ajunt, radicaliter injustæ & criminosæ semper fuissent, & adhuc essent. Huic consecutioni quæ ex principio quod ab immunitatum hostibus ponitur, necessario derivatur, non minus momenti inest, quam ut eadem damnatione involvat omnes ad unum Principes qui privilegia concesserunt, omnes omnino subditos, clericos aut laicos, nobiles aut ignobiles, litteratos, togatos, militares viros qui iisdem potiti sunt, aut etiamnum potiuntur, universas nationes quæ suos sacerdotes tributi & vectigalium oneri subduxerunt, denique Deum ipsum qui in veteri lege Levitas e publicis oneribus liberavit, quamvis eos decimæ ex ipsis hortorum herbis partæ, omnium fructuum primitiis, omnium animalium primogenitis, domibusque aut agris qui eidem offerentur, locupletasset.

2. Supremæ potestatis nullum Principes jus emittunt, tametsi perficere nequeant, ut ecclesiastica bona ad civilis regiminis onera, ut cætera omnia contribuant; nec proinde tamen ulla ex parte justitiam lædunt. Estne ergo minus supremum Principem esse, id non posse repetere, quod semel pure & simpliciter donatum est? Ecclesiæ donarunt bona Principes, eidemque a subditis factas donationes probarunt; ergo quoad aliqua capita supremi esse desinunt, summæque potestatis jura aliqua amittunt, nisi puras eas simplicesque donationes revocent, publicis oneribus ea ipsa bona subdentes, quæ ab iisdem soluta erant. Rectane est consecutio hæc? An vero non potius pronuntiandum est, Principibus integrum fuisse, ut donarent, aut non donarent, suorumque subditorum donationes, in Ecclesiæ gratiam editas approbarent, aut improbarent; et, quoniam ipsi donarunt, easque donationes probarunt, eos non amplius earumdem dominos esse, quin inde, æque atque ex aliarum donationum, votorumve quæ in rebus ab iisdem pendentibus edere possent, irrevocabilitate ullum detrimentum suprema eorum potestas patiatur.

Frustra quispiam dixerit a supremis Principibus non pendere, ut suorum subditorum parti, in cæterorum præjudicium, exemptiones concedant, cum omnia societatis membra, ratione habita, ad principatus onera conferre debeant. Experientia compertum est, in ditionum plerisque, civium ordines esse, quorum ad publica onera contributio aperte quam cæterorum ordinum major est; atque id quidem si minus quoad simplices laicos, saltem quoad religionis ministros faciendum esset, quia scilicet eorum ministrorum, omniumque rerum quibus ad Dei cultum opus est, sustentatio evadit ipsa regiminis onus ad quod Principes populique contribuant, necesse est. At, si Principes cum ecclesiasticis dispensare non possunt, ut ne eadem ratione qua cæteri, ad communia onera contribuant, quin se ipsi in maximam subditorum partem injustos & crudeles reddant; expungendi erunt ergo ex Ecclesiæ fastis sancti omnes Reges qui bonis, immunitatibus, privilegiis eam cumularunt, ut in eorum locum, qui eam expoliarunt, afflixerunt, persecuti sunt, substituantur.

Falsum est igitur, aut supremos Principes suæ supremæ potestatis quicquam amittere, quamvis efficere nequeant, ut ecclesiasticorum perinde atque aliorum bona ad regiminis communia onera contribuant, aut eos non ita facientes, in subditorum partem injustos esse, aut denique immunitates quas in hanc rem concesserunt, ad eorumdem nutum revocabiles esse. Regum beneficia permanentia esse debere pronuntiat lex: *Beneficium Principis debet esse mansurum*; & ratio dictat oportere, ut obstricta ab iis fides incorrupta sit, & æqua atque eorumdem potestas vigeat; esse ex eorum re, ut ipsorum donationes & conventiones sartæ tectæ serventur; superque hac una firmitate statui posse nationum pacem, proprietatemque bonorum ad cives spectantium, qui contractuum, pactorum, conventionum bona fide, immutabilique Principum promissione nituntur: hinc eorum sollicitudo, ut privilegiorum quæ Ecclesiæ concedebant, immutabilitatem, in actis quibus eadem continebantur, exprimerent.

3. In Principatu quidem Ecclesia est; et id impedit ne, quin eidem sua jura sint, quæ Principatus vereri debeat, & sine crimine violare non possit? Est in Principatu civis quisque; an proinde interetur nullo modo civem in suum ipsius honorem, bona, vitam gaudere, Principatumque de rebus omnibus ad cives spectantibus pro arbitratu statuere posse, nihilque prorsus iisdem debere? Ecclesia in Principatu est, ita sane, at quin ab eo quoad plura capita pendeat, & ut ei longe præstantiora, quam ab eodem tenet, emolumenta comparet. Ecclesia fideles docet; eos ad virtutem format, iis sacramenta administrat, conceditque spiritalia omnia subsidia quæ eos ad Dei, supremæ scilicet felicitatis possessionem ducere possunt. Hæc emolumenta quæ Principatus ei debet, iis sane præstant, quæ ipse ab eo percipit. Non ita tamen exempta est, ut ne eidem temporalibus quoque in rationibus, cum necessitas postulet, opitulari debeat; quod ea semper præstitit, & ita præstitit, ut suæ in eum munificentiæ, liberalitati, magnanimitati nullum, quoad fieri per eam posset, modum imponeret. Quoties sua ipsa sacra vasa vendidit, ut ditionis patientibus membris solatium afferret? Quot Episcopi, aliique beneficiarii potiorem suorum redituum partem impenderunt, ut hospitalia fundarent, aut sustentarent, auxilio pauperem nobilitatem afficerent, hospitalitatem erga copias & officiarios Principis exercerent? An vero non omnibus retro temporibus extitere, qui, pestiferis grassantibus morbis, reditus, supellectilem, vitam profunderent, ut contagione infectos morti subtraherent? Nonne e clero ipso perspecti, qui tributa quoque quibus hostilis exercitus populos bellis obtritos subdiderant, de suo solverent? Quam multa capitula & monasteria tuto certoque perfugio ac præsidio per eorum dominia, proximamque regionem incolis fuerunt, & esse non desinunt? Ex alia vero parte, quam multis clerus oneribus ac tributis obnoxius est! E venali sale vectigalia, tam multiplicium mercium ingressum, portoria, bonorum redemptiones, vulgo amortizationes, immensa, immoderata, immania dona gratuita, quæque superant; quod solveret, siquidem solvendæ, vicesimæ, atqui adeo decimæ bonorum partis taxæ subesset, hæc omnia & singula clerus onera fert, ut publicis civilis regiminis rationibus præsto sit. Quomodo ergo *inanina* dictitari societas potest, in qua Ecclesia omnia subsidia spiritalia & temporalia, quæ quidem potest, quæque emolumenta quæ a Principatu recipit, longe multumque superant, tam liberaliter eidem suppeditat?

4. Ecclesiæ immunitates naturali & divino jure nituntur. Ethnici, Judæi, Græci, Romani, Barbari,

Scy-

Scythæ, omnes, naturæ instinctu, & rationis lumine ducti perspexerunt religionis ministros publicis sumptibus alendos esse, communibusque oneribus eximendos. Geneseos capite quadragesimo septimo legimus Ægypti terras supremo Principi quintam proventuum partem solvisse, & sacerdotum terras ab hac contributione liberas fuisse. Omni prorsus tributo Levitas eximebat Judæorum lex, eosque eodem exemit Artaxerses ipse, cum Judæos, Esdra duce, in patriam remisit (I. Esdr. 7. 24). Romani, a Numæ tempore, quicquid ad religionis ministrorum sustentationem necessarium erat, e publicis fundis parabant. Ecclesiasticorum ergo bonorum immunitas naturali divinoque jure, perinde atque eorumdem consecratione nititur; nec Scholarum subtilitas quædam, sed certa veritas est, bona quæ Ecclesiæ donata sunt, Deo consecrata bona esse; eadem, per hanc consecrationem, e profano usu educta, & sanctis usibus addicta esse; Dei, cleri, & pauperum patrimonium evasisse; hujusque dispositionis vi, naturam, non physicam quidem, sed moralem mutasse; & ut alias omnes res & personas Deo mancipatas consecratasque, in novam naturam & conditionem alteram abiisse; re naturam, inquam, & conditionem, quæ sanctitatis & immutabilitatis characterem veluti quemdam iisdem imprimunt, ut non amplius in consuetum vitæ commercium regredi, nec ad profanos usus sine sacrilegio redigi possint, nisi necessitas urgeat, & annuat Ecclesia: *Omne quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino.* (Levit. XXVII. 28. 29.)

Ejusmodi fuit cogitatio, intentio, voluntas firma & constans populorum supremorumque Principum, qui vel Deo suorum ipsi bonorum partem donarunt, vel bonorum ab aliis editas donationes ratas habuerunt. Ejusmodi est Ecclesiæ mens, quæ bona ipsa, solum hac apposita conditione, recepit; mutua nempe mens, quæ inviolata jura statuit, quæ Principes tueri debent, suarum conventionum, obstrictæ fidei, præstitique jurisjurandi vi, dum se reapse eorum custodes & defensores, maxime solemnem in modum, exhibuerunt; atque hinc tam multi Conciliorum canones, tam multa Imperatorum rescripta, Gallorumque Regum capitularia quæ sacrilegos eos pronuntiant, qui bona hæc attingere ausi fuerint: „ Scimus, inquiunt regni proceres populusque, in libello supplici quem „ an. 803, Carolo Magno obtulerunt, Ecclesiæ bona „ sacra bona esse; sunt ea fidelium oblatio, & pecca„ torum redemptio; sacrilegii proinde reus fit, qui ea „ surripere contendit . . . . Quicumque nostrum bona „ donat Ecclesiæ, Deo ipsi donat; exarat enim scri„ ptum, quod super altari ponens, aut manu tenens, „ ad ejus loci presbyteros & superiores ita loquitur: „ Deo bona in hoc scripto notata offero & consecro „ ad meorum peccatorum remissionem... in Dei ser„ vitium, pauperumque & clericorum nutritionem im„ pendenda. Si quis hæc bona surripuerit, sacrilegii „ reus erit, cujus rationem, summo jure, ad Dei tri„ bunal reddet. "

Capitulare 339. libri quinti ad mulctam damnat, mandatque presbyteris, ut eos publicæ pœnitentiæ subdant, qui taxas e bonis Deo consecratis sumentes, ecclesiasticam immunitatem infregerint: *Placuit, ut prædia.... Deo tradita a quibusdam aliqua occasione venentur, aut invadantur, sed sub immunitatis tuitione, perpetua firmitate perdurent.... similiter & homines eorum, & omnia quæ eis subjecta esse noscuntur. Si quis contra hæc venerit, compunas, sicut de immunitate constituimus, & pœnitentia publica a sacerdotibus usque ad satisfactionem mulctetur.*

Est ergo prorsus inutile dicere, Ecclesiæ donandis bonis, aut donationibus in ejus gratiam editis confirmandis, id sibi juris Principes reservasse, ut eas donationes, pro ut iis visum esset, revocarent, eademque bona publicis oneribus subderent; hoc enim jus primitivum esse, & alienari omnino non posse. Probatum est Principum, aliorumque in Ecclesiam beneficorum hominum mentem huic arrogatæ dispositioni, re sane ipsa, seu, quod ajunt, formaliter contrarium fuisse; quoniam, ut ipsi professi sunt, suis se bonis, in religionis favorem, absolute, & absque explicita aut implicita restrictione spoliarunt; ea pure & simpliciter Deo donarunt, eademque, solum hac apposita conditione, Ecclesia suscepit. Quid, heu! demum est, Deo sua quempiam bona donare, publicis eadem oneribus subdendi primitiva sibi retento jura, nisi ea donare, & non donare revera, aut ex parte saltem? Hæ jactatæ reservationes cum donatorum mente, ipsarumque donationum vi & ratione ex diametro pugnant, quæ scilicet in Ecclesiæ gratiam aditæ novam quod videmus, naturam ineunt, & conditionem mutant, consecrationis ope, quæ a commercio, usque communi eas extrahit, & quod inde consequitur, publicis oneribus eximit.

Alienum a vero est, nunquam Ecclesiæ præsto fuisse veri nominis immunitates quæ eam tributo Principibus solvendo subducerant, quandoquidem certo constat ob ejusmodi tributis exemptionem cum christianorum Imperatorum primo cœpisse. Exstat Constantini lex, in Codice relata, & an. 315. data quæ expressis verbis tributis omnibus Romani Imperii subditis Catholicas Ecclesias eximit, iisque eamdem ac prædiis ad Imperatorem pertinentibus exemptionem tribuit: *Præter privatas res nostras, & Ecclesias catholicas .... omnes pensitare debebunt.* Id huic legi causam præbuit, quod Constantinus, Christianam fidem amplexus, ferre non potuit bona vero Deo sacra oneri obnoxia esse, a quo bona falsis numinibus consecrata libera erant; ut reapse, penes Græcos & Romanos, erant bona falsorum deorum templis consecrata, eorumque sacerdotibus alendis addicta. Gallias, ad Clodoveum usque, qui primus earum Rex, moderatæ sunt Romanæ leges; ibi ergo clerus iisdem immunitatibus, quibus in reliquo Romano Imperio, gaudebat; adeoque Gallorum Regum prima stirpe antiquior est Gallicarum Ecclesiarum immunitas. Clodoveus, Christo nomen dans, sedulo sane cavit, ne eam attingeret; ac, si qua tristium temporum intervalla excipiantur, eadem immunitas, sub tribus Gallorum Regum stirpibus, religiose servata est.

At, inquiet fortasse quispiam, nullus ergo necessitatis casus, nullus abusus est, ob quem Princeps ad suorum subditorum solatium ipse per se de Ecclesiæ bonis statuere possit.

In promptu responsio est. In necessitatis casibus Principes ab Ecclesia subsidia postulant, quemadmodum David a summo sacerdote Achimelech propositionis panes petiit, quibus vesci non nisi Domini ministris licebat; & Ecclesia quidem nunquam negligit aut renuit, publici regiminis urgentibus rationibus, pro viribus opem ferre. Quod ad abusus attinet, hi vero satis auctoritatis Principi tribuere non possunt, ut Ecclesiæ bonorum destinationem mutet, sed ut potestate solum utatur, quam Deus eidem concredidit, ut eos abusus evelleret, inexorabiliter a sanctuario luxum, mollitiem, vanitatem, voluptatem, omnia vitia, omnia scandala expelleret, eoque aditum puriori tantum, maximeque perspectæ virtuti patere sineret. *Vide* cujusdam Archiepiscopi Litteras ad auctorem opusculi cui titulus: *De Jure Principis in immobilia cleri & monachorum bona, deque usu, in quem is, ad civium felicitatem, eadem bona conferre potest.* Vide etiam *Beneficium*, *Beneficiarii*, *Bona Ecclesiæ*, *Causæ majores*, *Delicta*.

IMPEDIMENTA MATRIMONII. *Vide* MATRIMONIUM.

IMPOSITIO MANUUM, cæremonia penes Judæos & Christianos in pluribus occasionibus admodum usitata. Imponebant Judæi manus iis pro quibus orabant; judicibus & magistratibus, quos instituebant; sacerdotibus, aliisque sacris ministris, quos initiabant, Dominoque offerebant; imponebant præterea manus super hostias quas pro peccato ad tabernaculum præsentabant; imponebant testes manus accusatæ personæ capiti, veluti significandi animo, ejus se sanguinem a se ipsis in eamdem rejicere. Christus Dominus imponebat pueris manus, qui eidem præsentabantur, iisque benedicebat. Baptizatis Apostoli, manus imponentes, Spiritum sanctum tribuebant. Impertiebatur Ecclesia quoque manuum impositionem iis qui matrimonium inibant, aut ordinibus initiabantur; ægrotantibus qui in mortis articulo aut ordinibus initiabantur; clinicis, morbo scilicet laborantibus qui in lecto jacentes baptismum per aspersionem suscipiebant, cum ad Ecclesiam, ubi convaluissent, accedebant; hæreticis, ut eos Ecclesiæ reconciliaret; pœnitentibus, catechumenis, energumenis, &c.

De his qui in infirmitate credere volunt, placuit eis debere manum imponi. (Concilium Arelatense, an. 334. can. 6.)

Diaconus cum ordinatur, solus Episcopus qui eum benedicit, manum super caput illius ponat; quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur. (Concilium Carthaginense, an. 398. can. 4.)

Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu Episcopi libellum in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi Episcopo: Accipe, & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super energumenum, sive baptizatum, sive catechumenum. (Can. 7.)

Pœnitentes qui in infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos, sine manus impositione, si supervixerint. (Can. 78.)

Omni

Omni tempore jejunii, manus pœnitentibus a sacerdotibus imponatur. (Can. 80.)

Baptizandi nomen suum dent, & diu abstinentia vini & carnium, ac manus impositione crebra, examinati baptismum percipiant. (Can. 85.)

Omni die exorcistæ energumenis manus imponant. (Canon. 90.)

Bonosiacos autem ex eodem errore venientes, quos sicut Arianos baptizari in Trinitate manifestum est, si interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum chrismate, & manus impositione in Ecclesia recipi sufficit. (Concil. Arelatense, an. 405. can. 7.)

IMPRESSIO LIBRORUM. Vetant Concilia plura, ne quis liber sine Episcoporum, aut Inquisitorum doctorumque, quos ipsi in id præposuerint, imprimatur.

Statuimus & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus nullus librum aliquem, seu aliam quamcumque scripturam, tam in urbe nostra, quam aliis quibusdam civitatibus & diœcesibus imprimere, seu imprimi facere præsumat, nisi prius in urbe per vicarium nostrum, & sacri palatii magistrum, in aliis vero civitatibus & diœcesibus per Episcopum, vel alium habentem peritiam scientiæ libri, seu scripturæ hujusmodi imprimendæ, ab eodem Episcopo ad id deputandum, ac inquisitorem hæreticæ pravitatis, sive diœcesis, in quibus librorum impressio hujusmodi fieret, diligenter examinentur, & per eorum manu propria subscriptionem, sub excommunicationis sententia, gratis & sine dilatione imponendam, approbentur. (Concilium Lateranense, an. 1515. sess. 10.)

Cum per abusum artis impressoriæ, libr... plurimum malorum emerserit, prohibemus, ne ulli typographi, aut bibliopolæ quempiam recens editum librum, aut chartam vel imprimant, vel venum exponant, vel vendant publice vel occulte, nisi hic liber revisus, & charta, vel scripturam, vel picturam continens, ad hoc per nostros deputatos commissarios diligenter perspecta sit prius; quæ & typographi nomen, & cognomen complectantur, atque eam civitatem, seu oppidum, in quibus excusa sunt, nominatim designent. Quæ vero his caruerint, nulla palàm venum exponantur. (Concil. Coloniense, an. 1536. Part. XII, can. 9.)

Omnibus autem typographis interdicimus, ut quosvis libros de rebus sacris, & ad religionem pertinentibus, sine nomine auctoris, & antequam ab Episcopo, vel ab eodem delegato examinati, & manu propria subscriptione approbati fuerint, per se, vel alios excudere, aut vendere undeunt, aut etiam apud se retinere. Quod si auctores religiosi fuerint, præter hujusmodi approbationem, facultatem quoque a suis superioribus habeant. Qui autem secus præsumpserint, in prædictis & aliis quæ a sacro Concilio Tridentino in Decret. de Editione & usu sacr. libr. *prohibentur, præter amissionis librorum mulctam, sciant se jam excommunicationis sententiam incurrisse.* (Concil. Burdigalense, an. 1583. can. 27.)

Moderationis arestum, in Parisiensi parlamento, die 2. Februarii an. 1712. super D. Procuratoris generalis conclusionibus editum omnibus typographis, bibliopolis, circumforaneis propolis.... interdicit, ne sine Regis privilegio, aut sine politiæ officiariorum venia, intra cujusque ditionis fines, in casibus, & e formis, per patentes litteras diei 2. Octobris an. 1701. præscriptis, libros, opuscula, libellos, aut soluta folia, typis edant, vendant, expediant, aut distribuant; omnino in mulcta librarum mille, privationis magisterii, atque adeo corporalis, si res tulerit, punitionis pœnam. Posteriores constitutiones plures hujus aresti executionem mandarunt. *Quære* LIBRI.

INCARNATIO. Per id nominis significatur unio naturæ humanæ cum divina natura in sola Persona æterni Verbi, videlicet Filii Dei, secundæ Personæ sanctissimæ Trinitatis, coæterni & consubstantialis Patri; ex qua quidem hypostatica unione existit Jesus Christus, Homo-Deus, seu Verbum incarnatum, quod semper fuit ut Deus, & initium habuit ut homo. Una ergo tantum in Christo Domino persona est, Verbi persona scilicet, & in eodem sunt generationes, seu nativitates duæ, prorsus ut naturæ duæ, nempe generatio divina & æterna, per quam ab omni æternitate in æterni Patris sinu, & humana temporalisque generatio, per quam in tempore, atque in beatæ Mariæ Virginis sinu genitus est. Per divinam generationem, divinam naturam recipit, Deusque ut Pater est; per humanam generationem, humanam naturam sumit, & homo est, ut nos sumus; Deus ergo simul & homo est; & quia semper divinam naturam habuit, Deus semper fuit; quia vero humanam naturam non semper habuit, non semper homo fuit, nec cœpit homo esse, nisi a suæ incarnationis momento ipso.

Cum Verbum dicitur caro factum, ita id accipiendum est, ut ab eo sumpta fuerit non hominis solum caro seu corpus, sed tota prorsus humana natura, hoc est, corpus & anima, cujusmodi nostrum corpus, & anima nostra est, corpus e carne & ossibus constans, passibile & mortale, fami, siti, dolori obnoxium; anima iisdem ac nostra facultatibus prædita, intellectu & voluntate scilicet, ut nobis omnino similis sit, si peccatum, ignorantia, & concupiscentia, quæ peccati consecutiones sunt, excipiantur. Duplex proinde in Christo Domino intellectus est, voluntas duplex, intellectus divinus & intellectus humanus, divina item & humana voluntas. Duorum pariter in eo generum operationes seu actiones sunt, operationes quæ a divina natura profluunt, cujusmodi sunt, gratiam tribuere, peccata condonare, & operationes quæ ab humana natura derivantur, ut, bibere, comedere, pati, &c. Est ergo fidei caput duas in Christo post incarnationem naturas esse, divinam & humanam, quæ sine mixtione, sine confusione, cumque suis omnibus essentialibus proprietatibus in una & unica incarnati Verbi persona subsistunt; ac nimirum Trinitatis inter & Incarnationis mysterium id discriminis intercedit, quod in Trinitatis mysterio natura una subsistit in personis tribus, & in Incarnationis mysterio, naturæ duæ in una persona subsistunt.

Ut duarum in una Verbi persona naturarum unio facilius a nobis intelligatur, omnium comparationum aptissima ea est, quæ ex animæ nostræ cum nostro corpore unione ducitur; quemadmodum enim anima nostra, quamvis simplex & spiritalis substantia, nostro tamen corpori, materiali nempe compositæque substantiæ, in sola hominis persona, unita est; ita naturæ duæ, divina & humana, licet inter se infinito intervallo distent, in una eademque persona quæ Christus est, nihilominus unitæ sunt; & quemadmodum post animæ nostræ nostro cum corpore unionem, hæ res duæ sine mixtione & sine confusione subsistunt, ita scilicet, ut anima quidem nostra remaneat semper spiritus, nostrum autem corpus semper materies; ita in Christo Domino, post duarum naturarum unionem, divina semper divina est, ut antea erat, & humana semper humana.

Confitemur Dominum nostrum Jesum Christum ex Patre quidem secundum spiritum ante sæcula genitum, novissimis vero diebus ex Virgine secundum carnem natum; unam personam compositam ex cælesti divinitate & humana carne; & secundum quod homo est, unum; & totum Deum, & totum hominem; totum Deum etiam cum corpore, sed non, secundum corpus, Deum; totum etiam hominem cum divinitate, sed non secundum divinitatem hominem; sic totum admirabilem etiam cum corpore, sed non secundum corpus adorabilem; totum adorantem etiam cum divinitate, sed non secundum divinitatem, adorantem; totum increatum etiam cum corpore, sed non secundum corpus, increatum; totum formatum etiam cum divinitate, sed non secundum divinitatem formatum; totum Deo consubstantialem etiam cum corpore, sed non secundum corpus consubstantialem Deo; quemadmodum neque secundum divinitatem hominibus coessentialis est, quamvis nobis secundum carnem coessentialis etiam cum divinitate existens. Etenim cum illum secundum spiritum Deo consubstantialem dicimus, non dicimus hominibus secundum spiritum coessentialem. Contra autem, cum illum secundum carnem hominibus coessentialem prædicamus, non prædicamus illum secundum carnem Deo consubstantialem. Sicut enim secundum spiritum nobis coessentialis non est, quia secundum hunc Deo consubstantialis est; ita neque Deo secundum carnem consubstantialis est, quia secundum hanc nobis est coessentialis. Quemadmodum autem hæc distincta & declarata sunt non ad inducendam unius indivisæ personæ divisionem, sed ad denotandam proprietatum Verbi & carnis minime confusam distinctionem; ita & illa quæ ad indivisam compositionem pertinent, prædicamus. (Ephesinum generale Concilium, an. 431. Part. IV.)

Magna & universalis synodus.... propter illos qui dispensationis mysterium corrumpere conantur, & purum hominem esse genitum ex sancta Virgine Maria impudenter delirant, epistolas Synodicas beatissimi Cyrilli Alexandrinæ Ecclesiæ præsulis ad Nestorium & ad Orientales, congruenter habentes suscepit, ad convincendas Nestorii vesanias, & ad interpretationem eorum qui salutaris symboli pro zelo nosse desiderant intellectum; quibus etiam & epistolam magnæ & senioris urbis Romæ præsulis beatissimi & sanctissimi Archiepiscopi Leonis, quæ scripta est ad sanctæ memoriæ Archiepiscopum Flavianum, ad perimendam Eutychis malam intelligentiam, utpote & magni illius Petri confessioni congruentem, & communem quamdam columnam existentem adversus perverse sentientes, ad confirmationem rectorum dogmatum congruenter aptavit. Hic namque qui

in duas

in duos filios dispensationis divinæ mysterium discerpere nituntur, repugnat; & illos qui passibilem deitatem Unigeniti ausi sunt dicere a sacro cœtu expellit; & his qui in duabus Christi naturis temperamentum, aut confusionem opinantur, resistit; & eos qui cælestem, aut alterius alicujus esse substantiæ, quam a nobis assumpsit servi formam, delirantes dicunt, abigit; & qui duas quidem ante unitatem naturas Domini fabulantur, unam vero post unitionem confingunt, condemnat. Sequentes igitur sanctos Patres, unum eumdemque confiteri Filium & Dominum nostrum Jesum Christum consonanter omnes docemus, eumdem perfectum in deitate, & eumdem perfectum in humanitate, Deum verum & hominem verum eumdem ex anima rationali & corpore, consubstantialem nobis eumdem secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato; *ante sæcula quidem de Patre genitum secundum deitatem, in novissimis autem diebus eumdem propter nos, & propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei genitrice secundum humanitatem, unum eumdemque Christum, Filium, Dominum, Unigenitum, in duabus naturis inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum; nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ, & in unam personam atque subsistentiam concurrente; non in duas personas partitum aut divisum, sed unum eumdemque Filium & Unigenitum Deum Verbum, Dominum Jesum Christum, sicut ante Prophetæ de eo, & ipse nos Jesus Christus erudivit, & Patrum nobis symbolum tradidit.* (Concilium Chalcedonense, an. 451. sess. 5.)

INCENDIARIUS is est qui ædificiis, aliisve proximi bonis malo animo ignem admovet. Incendiarii quicquid injuriæ sua ipsi culpa attulerunt, restituere debent; eos morte puniunt civiles leges, iisdemque Ecclesia pœnas plures, ut censuras, & alias imponit.

Si quis homicidium, membrorum truncationem, domorum incendia fecerit, aut fieri jusserit, aut facienti consenserit, quousque de his legaliter, vel amicabiliter coram Episcopo civitatis, aliisque civibus non emendaverit, ab Ecclesia privatum se esse agnoscat. Si ergo post secundam & tertiam conventionem sancta in quibus arguitur, non emendaverit, tamquam ethnicus & publicanus ab omni Christianorum collegio separetur. (Concilium Ravennatense, an. 877. can. 7.)

Pessimam siquidem, & depopulatricem, & horrendam incendiorum (incendiariorum) malitiam, auctoritate Dei, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, omnino detestamur, & interdicimus. Hæc enim pestis, hæc hostilis vastitas omnes alias depredationes exsuperat; quæ quantum populo Dei sit damnosa, quantumque detrimentum animabus & corporibus inferat, nullus ignorat. Assurgendum est igitur, & omnimodis laborandum, ut tanta clades, tantaque pernicies pro salute populi eradicetur & extirpetur. Si quis igitur post hujus nostræ prohibitionis promulgationem, malo studio, sive pro odio, sive pro vindicta, ignes apposuerit, vel apponi fecerit, aut appositoribus consilium, vel auxilium scienter tribuerit, excommunicetur. Et si mortuus fuerit incendiarius, christiana careat sepultura; nec absolvatur, nisi prius damno quod intulit, secundum facultatem suam resarcito, juret se ulterius ignem non appositurum. Pœnitentia ei detur, ut Hierosolymis, aut in Hispania in servitio Dei per integrum annum permaneat. (Concil. Remense, an. 1131. can. 17.) Canonem hunc ad verbum adscripsit Lateranensis secunda generalis synodus, an. 1139. habita canone 18.

Statuimus, quod incendiarii, & raptores publici excommunicati sint, & tamquam excommunicati vitentur, & ecclesiastica sepultura careant; nisi per se, vel per heredes satisfactionem fecerint, vel emendam. (Concil. Vaurense, an. 1368. can. 118.)

INCENSUM, THUS, gummi seu resinæ aromaticæ & odoriferæ genus quo utitur christiana Ecclesia suis in cæremoniis ob rationes quæ sequuntur.

1. Deo thus offerimus, ut et, tamquam supremo Principi obsequii nostri specimen exhibeamus, eidem testemur paratos nos esse ad ejus gloriam nos ipsos consumere, eique desiderium significemus quo flagramus, ut preces nostræ, tamquam suave suffimentum gratique odoris incensum ad ejus solium usque attollantur.

2. Adoletur altari thus, rogandi causa Christum Dominum qui in Apocalypsi per altare exhibetur, ut preces nostras per hoc ipsum thus significatas suscipiat.

3. Thus crucibus & imaginibus adhibetur; atque hæ thurificationes ad prototypa referantur, ad Christum Dominum scilicet & ad Sanctos cum ipso in cælis regnantes, ad quos nostrarum precum incensum mittimus.

4. Thure salutamus Evangeliorum librum, ut per hanc cæremoniam testemur observantiam qua Dei verbum prosequimur, bonumque odorem qui diffunditur, ut ait S. Paulus, ab iis omnibus qui hoc divinum verbum in usu ponunt.

5. Oblationes quæ Deo exhibentur, incenso sparguntur, eum obsecrandi gratia, ut eas tamquam grati odoris incensum accipiat.

6. Exhibetur fidelibus thus, ad eosdem monendos, ut ipsi se per suarum precum fervorem ad Deum efferant, se thuris instar in ejus servitium absumant, & ubique Christi Domini bonum odorem effundant. Fiunt etiam suffimenta hæc ad unionem significandam quæ Christum Dominum inter & fideles interest; atque ea causa primum thure spargitur altare quod Christum Dominum repræsentat, deinde vero fideles qui ejus membra sunt, quique in Christo Domino, per Christum Dominum & cum Christo Domino orare debent.

7. Adhibetur peculiariter Episcopis, Sacerdotibus, Regibus, Principibus, Principissis aliisque non vulgaribus personis thus, ut characteri dignitatique quibus eminent, honos præstatur.

8. Thure perfunduntur Sanctorum exuviæ, ut palam fiat per eos bonum Christi Domini odorem, dum mortalem hanc vitam vivebant, diffusum fuisse, & adhuc post eorumdem mortem diffundi.

9. Thus exhibetur corporibus mortuis & fidelium sepulcris, ut ostendatur eorum memoriam qui in Ecclesiæ sinu moriuntur, in bono odore vigere, Ecclesiamque pro iis perinde ac pro viventibus suarum precum incensum offerre. (Catechismus Montis Pessulani, in 4. p. 531. P. le Brun, in Explicatione Missæ, Tom. I. p. 146. & seq.)

Offerri non liceat ad altare, præter novas spicas, uvas & oleum, ad luminaria & thimiama, id est, incensum tempore quo sancta celebratur oblatio. (Canon. 4. Apost.)

Perspicitur hinc thuris usum, in sanctorum mysteriorum celebratione, antiquissimum esse, quippe cujus expressa mentio in apostolicis canonibus fit qui priorum quatuor christiani nominis sæculorum ecclesiasticam disciplinam continent. Sane Hyppolitus qui tertio sæculo in vivis agebat, ad thus quod attinet, ita loquitur: *Lugebunt etiam Ecclesiæ luctu magno, quia nec oblatio, nec suffitus (seu thurificatio) fiat.* (*De Consummat. Mundi.*)

Dum divina celebrantur, ad altare vel intra chori cancellos nulli laici, multo minus feminæ se se intrudant. Quod si præsumpserint aliqui, maxime ex iis qui dignitatis alicujus splendore sint insignes, nullus iis honor ecclesiasticus, ut thurificationis & osculi pacis ac evangeliorum exhibeatur. (Concilium Remense, an. 1583. tit. *de Eucharistia*, n. 7.)

Ex hoc Remensis Concilii canone constat thus inter Ecclesiæ honores qui clero reservati esse debent, locum habere. Verum hæc peculiaris prærogativa primo quidem Imperatoribus & Regibus, deinde vero Principibus, & præcipuis viris concessa fuit; ad extremum, per disciplinæ relaxationem, cum thurificationes tamquam honorifica jura in Ecclesia spectarentur, patroni, fundatores & domini jus dicentes hujus honoris participes esse voluerunt; & ejusmodi etiamnum reapse est Gallicana super hoc capite jurisprudentia. His dominis honorificum hujusmodi jus, tamquam eorum dominatui addictum servatur. Ita judicatum per arestum parlamenti Parisiensis, die 26. Junii an. 1696. & per ejusdem parlamenti arestum aliud, die 10. Junii an. 1716. (Monumenta Cleri, Tom. XII. pag. 321. & seq.)

INCESTUS. Hoc nomine crimen venit quod per carnale commercium patratur inter personas quæ consanguineæ aut affines sunt, ad gradum usque ab Ecclesia prohibitum, quartum quidem, & hunc ipsum, si de consanguinitate aut affinitate agitur, quæ per legitimum matrimonium contrahitur, secundum vero, si de criminoso commercio sermo est. Distinguitur incestus duplex, spiritalis unus, legalis alter.

Spiritalis incestus est crimen quo se per mutuum carnale commercium obstringunt, qui spiritalem cognationem per baptismatis, aut confirmationis sacramenta inierunt, ut baptizati, aut confirmati pueri pater & mater.

Legalis incestus est crimen inter personas patratum, quæ legali, hoc est, adoptionis cognatione conjunctæ sunt, ut inter adoptantem, & adoptatam.

Est incestus enorme crimen, & naturæ contrarium, quæ in consanguineos & affines observantiam inspirat. Morte in lege veteri plectebatur; illudque novæ legis concilia gravissime damnant, & canonicis pœnitentiis incestuosos subdunt.

De his qui se incesta pollutione commaculant, placuit, ut,

ne, quousque in ipso detestando & illicito carnis contubernio perseverant, usque ad Missam tantum catechumenorum in Ecclesia admittantur; cum quibus etiam nec cibum sumere ullum christianorum, sicut Apostolus jussit, oportet. (Concilium Ilerdense, an. 524. can. 4.)

Si homo incestum commiserit de istis causis, de Deo sacrata, aut commatre sua, aut cum matrina spiritali de fonte, & confirmatione Episcopi, aut cum matre & filia, aut duabus sororibus, aut cum fratris filia, aut sororis filia, aut nepte, aut cum consobrina aut sobrina, aut cum amita, vel matertera, de his criminibus pecuniam perdat, si habet; &, si emendare se noluerit, nullus eum recipiat, nec cibum ei donet; &, si hoc fecerit, sexaginta solidos damno regi componat, usque dum se ipse homo correxerit; &, si pecuniam non habet, si liber est, mittatur in carcerem usque ad satisfactionem; si servus, aut libertus est, vapuletur plagis multis. (Concilium Metense, an. 753. cap. 1.)

De ecclesiasticis vero, qui supradicta facinora commiserint, si bona persona fuerit, perdat honorem suum; minores vero vapulentur, aut in carcerem recludantur. (Cap. 11.)

Ut incestuosos pariter investigare studeant omnino praecipimus. Et, si poenitere noluerint, de Ecclesia expellantur, donec ad poenitentiam revertantur. (Concilium Moguntinum, an. 813. can. 43.)

Dictum est nobis, quod in quibusdam locis Episcopi & comites ob incestuosis .... vuadios accipiant .... & inter se pecuniam dividant. Quod penitus abolendum decrevimus .... & constituimus, ut incestuosi juxta canonicam sententiam poenitentia mulctentur. (Concilium Cabillonense, an. 813. can. 18.)

Incestuosi, parricidae, homicidae multi apud nos, heu proh dolor! reperiuntur; sed aliqui ex illis sacerdotum nolunt admonitionibus aurem accommodare volentes in pristinis perdurare criminibus; quos oportet per saecularis potentiae disciplinam, a tam prava consuetudine coerceri, qui per salutifera sacerdotum monita noluerunt revocari. (Concilium Turonense, an. 813. can. 41.)

Quarto vero titulo statuimus, ut omnes archidiaconi & presbyteri, sicut sacri canones praecipiunt, vocent ad poenitentiam adulteros, incestuosos .... &, si poenitere noluerint, separentur ab Ecclesia, & a communione. (Concilium Coyacense, an. 1500. can. 4.)

In Gallia, patrem inter & filiam, filium inter & matrem, fratrem inter & sororem incestus punitur ignis supplicio. Harum ob ejusmodi crimina punitionum exempla plura apud Brillonium, Paponium, Rochefluvinium, Ruviotium videri possunt.

Incesta caetera in collaterali linea, pro consanguinitatis proximitate aut distantia, & multiplicium circumstantiarum ratione habita, puniuntur. Plectuntur interdum morte, cui poenae is quoque subditur, qui cum matre & filia incestum perpetrat. Incestuosus cum nepte & amita virgis caedendus, & ad perpetuas triremes, mulctamque damnandus. Confessarii cum ea incestus, cujus confessiones audit, igne punitur. Incestus etiam cum religiosa plectitur morte quae pro aliis personarum qualitate, alia est. *Vide Dictionarium Gallicum ARESTORUM.*

INDULGENTIA. Derivatur indulgentiae nomen a verbo *indulgere*, quod idem est ac *remittere*, condonare, gratiam concedere; unde vox *remissio*, venia.

Indulgentia, in Christiana religione, est temporalis poenae quae peccatis nostris quoad culpam aeternamque poenam remissis debetur, relaxatio seu remissio; quam Ecclesia, extra poenitentiae sacramentum, per eorum ministerium concedit, qui spirituales thesauros distribuendi, seu applicandi potestate pollent, addita bonorum quorumdam operum conditione, quae ab eo perficienda sunt, qui indulgentias lucrari vult, prout Bullae praescribunt.

Si indulgentia totius temporalis poenae, seu in hac vita, seu in altera, peccato debitae remissionem concedit, plenaria dicitur; sin ejusdem poenae partem tantum remittit, partialis seu non plenaria nuncupatur.

Fidei caput est, in Valdenses, Wiclefitas, Hussitas, Lutheranos & Calvinistas definitum, indulgentias concedendi potestate Ecclesiam pollere, & hunc usum ad salutem fidelibus utilem esse. Nititur haec potestas sacris litteris, Patrum traditione, Conciliis a quibus docemur in Ecclesia spiritalem thesaurum esse, e Christi Domini Sanctorumque superabundantibus meritis, eorumdemque non minus superabundantibus satisfactionibus compositum, quae Ecclesia, potestatis vi, quam a supremo capite Christo Domino accepit, & sine infinitarum divini hujus Servatoris satisfactionum praejudicio nobis applicare vult. Haud sane, dum Sanctorum in caelis regnantium satisfactionibus uniuntur, Christi Domini satisfactiones & merita deprimuntur, quasique gradu dejiciuntur, perinde ac si non sufficerent ipsa per se, roborisque ac virtutis gradum aliquem per hanc unionem recipere possent; immo vero Christi Domini satisfactio robur omne omnemque vim Sanctorum satisfactionibus tribuit, eas non ipsis solum Sanctis, sed etiam eorum fratribus qui, ut ipsi, ejusdem corporis membra sunt, utiles & proficuas reddens; quod non insufficientiam satisfactionis Christi Domini, sed ejus potius omnipotentem bonitatem probat, qui in magno suorum electorum salutis opere sibi secundas causas consociare vult, suam iis virtutem, tamquam instrumentis quibus ei lubet in hunc finem uti, ac tamquam canalibus qui infiniti fontis e quo emanarunt, abundantiam probant, nedum ejus ariditatem ostendunt, eidemve supplementi loco sunt. Dum ergo Sanctorum merita in Ecclesiae thesauro cum Christi meritis conjunguntur, perinde fit, ac dum Deus in mundi regimine secundas causas adhibet, in quibus affulget ejus potestas, a qua suum omne robur, suamque omnem in agendo vim eaedem mutuantur.

Generalia Concilia quae universam Ecclesiam repraesentant, summusque Pontifex qui ejusdem caput est, cujusque generis indulgentias in tota, quam late patet, Ecclesia, divino jure, concedere possunt; ac potestas haec aeque sacris Litteris, Traditione, ejusdemque constanti in Conciliis, & penes Romanos Pontifices usu nititur.

Episcopi quoque, divino jure, suis dioecesanis indulgentias concedendi potestate gaudent, quia eorum, divino jure, capita sunt, externamque jurisdictionem obtinent, cui addicta est potestas haec quam tamen Concilia restringere possunt, quod reapse praestiterunt, propterea quod haec ipsa potestas, quoad exercitationem, per divinam institutionem iisdem subest. Factum hinc, ut, cum Episcoporum nonnulli sua in hoc negotio potestate abusi essent, eos Lateranense quartum generale Concilium plenarias indulgentias concedendi jure spoliaret, illudque in Ecclesiae quidem dedicatione ad anni, & in aliis occasionibus, justisque de causis ad quadraginta dierum indulgentiam redigeret. In dubio est, an externum forum tantummodo spectet restrictio haec, & an semper Episcopi in poenitentiae tribunali plurium annorum indulgentiam concedere possint; hac de re, itemque de Episcoporum quoad indulgentias mortuis concessas potestate non convenit inter Theologos. Barbosa potestatem hanc ad viventes eorum dioecesanos a sancta sede restrictam putat; hanc restrictionem tamquam odiosam alii rejiciunt. Utcumque res habeat, indulgentias concedendi facultas ad Episcopum statim pertinet, ac confirmatus est, etsi nondum consecratus sit, quia per confirmationem, potestatis jurisdictione gaudet, quam ipse per se, vel per delegatum, seu in proprio, seu in alieno, quoad suos dioecesanos tantum, territorio exercere potest. Quod autem ad Sacerdotes caeteros Episcopis inferiores, cujusmodi sunt Parochi, Abbates, regularium ordinum superiores attinet, ea fere, post S. Thomam, Theologorum sententia est, eos non posse, communi quidem jure, indulgentias concedere: *Sacerdotes parochiales, vel Abbates, aut alii hujusmodi Prelati non possunt indulgentias facere.* (*In Supplem.* ad III. P. q. 26. art. 1.) Cum porro indulgentias concedendi facultas sit jurisdictionis actus, eidem proinde per commissionem exercendae diaconi & inferiores clerici idonei sunt, non item laici.

Indulgentiae justis piisque rationibus niti debent, cujusmodi sunt Ecclesiarum constructio & consecratio, infidelium resipiscentia, haeresum extirpatio, fidelium erga Sanctos & apostolicam Sedem pietas, Martyrum gloria, spiritalium aut temporalium malorum periculum, &c. Absque his, aliisve ejusmodi rationum momentis, indulgentiae, quaecumque concederentur, nullae & invalidae omnino essent.

Cum opera quae indulgentiae Bulla praescribit, certo tempore addicta sunt, qui tempus illud, quin ea perficeret, praetergredi per negligentiam, aut aliter passus est, non amplius indulgentiam lucrari potest. At, si praescripta opera isto tempori addicta non sunt, ea quispiam ob causam, & ex prudentis confessarii sententia, differre potest, quin eum impediat dilatio haec, ne indulgentiam lucretur, dummodo ante indulgentiam quam lucrari vult, eadem perficiat.

Si, qui indulgentiam, quo tempore indicta erat, quoque ipse in loco versatur, per negligentiam, aut aliter lucratus non est, se in aliam regionem conferat, ubi nondum indulgentiae tempus elapsum est, & id ibi perficiat, quod in Bulla enuntiatur, indulgentiam lucrabitur.

Cum praescriptae preces eduntur, eas, quamvis peculia-

gulariter designari præstet, generatim, e summi Pontificis mente, deo offerri satis est. Cum indulgentias distribuendi facultatem a summo Pontifice quispiam accepit, ei debet ipse per se facere satis, in pœnam pullitatis indulgentiarum quas per alios distribuendas curarat.

Quantumvis indulgentiæ suapte natura bonæ sint, iis quispiam multifariam abuti potest, seu eas sine legitima, satisque gravi causa concedens, seu iisdem effecta tribuens, quæ revera non pariunt, cujusmodi sunt peccati quoad culpam remissio quæ non nisi per pœnitentiæ sacramentum contritioni additum obtinetur, aut pœnæ, sine ulla pœnitentia, remissio, quasi vero ea vis indulgentiis inesset, ut ne amplius pœnitentiam peragi, deique justitiæ per jejunia, preces, eleemosynas, & satisfactoria opera cætera satis fieri oporteret. Ex quo fit, ut tamquam abusivæ, subreptitiæ aut obreptitiæ spectandæ sint omnes indulgentiarum Bullæ quæ culpæ simul & pœnæ remissionem pollicentur, nisi forte per culpæ absolutionem seu remissionem quæ in iis Bullis memoratur, intelligantur culpæ remissionis adjumenta quæ Deus solus ipse per se, aut per Sacramenta quæ sua in Ecclesia instituit, concedere potest. Esset indulgentiarum abusus altius falsas indulgentias vulgari, easve ad negotiationem traduci, quod olim quæstores sæpius a Conciliis damnati factitabant.

Quia per indiscretas & superfluas indulgentias quas quidam Ecclesiarum prælati facere non verentur, & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur; decernimus, ut, cum dedicatur basilica, non extendatur indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive a pluribus Episcopis dedicetur, ac deinde in anniversario dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat. Hunc quoque dierum numerum per indulgentiarum litteras præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet causis aliquoties conceduntur; cum Romanus Pontifex qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueverit observare. (Lateranense IV. generale Concilium, an. 1215. can. 62. *in Forma Litterarum Prædic.*)

Præcipimus, quod quæstores non permittantur in Ecclesiis aliud populo prædicare, quam in indulgentiis domini Papæ, & sui Diœcesani litteris continetur .... cum certum sit per venales, ac conductores quæstores, tum ex pravâ ipsorum vita, tum ex prædicatione erronea, multa scandalosa provenisse, damnatis in inferno liberationem pro modica pecunia promittentes. (Concilium Biterrense, an. 1246. can. 5.)

Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus, illa usa fuerit; sacrosancta Synodus indulgentiarum usum, christiano populo maxime salutarem, & sacrorum Conciliorum auctoritate probatum in Ecclesia retinendum esse docet & præcipit; eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. In his tamen concedendis moderationem, juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit, ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus vero qui in his irrepserunt, & quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur, emendatos & correctos cupiens, præsenti decreto generaliter statuit, pravos quæstus omnes pro his consequendis, unde plurima in christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse. Cæteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocumque provenerunt, cum ob multiplices locorum & provinciarum apud quas hi committuntur, corruptelas, commode nequeant specialiter prohiberi, mandat omnibus Episcopis, ut diligenter quisque hujusmodi abusus Ecclesiæ suæ colligat, eosque in prima Synodo provinciali referat; ut aliorum quoque Episcoporum sententia cogniti, statim ad summum Romanum Pontificem deferantur, cujus auctoritate & prudentia, quod universali Ecclesiæ expedit, statuatur; ut ita sanctarum indulgentiarum munus pie, sancte, & incorrupte omnibus fidelibus dispensetur. (Concilium Tridentinum, sess. XXV. Decret. *De Indulgentiis.*)

Ad extirpandos abusus, ex quibus perspicuum est censuram ecclesiasticam vilescere, quod præter ea quæ canones, generaliaque Concilia præscripserunt, etiam in concessionibus mandatorum, sive permissionum, ullo modo regula a generali Concilio tradita excedatur. Præterea ex generalis ejusdem Concilii sententia, nullo modo quæstoribus permittatur concionari, nec quicquam proponere, præter ea quæ in diplomatibus, seu bullis, aliisque indulgentiarum litteris continentur; quæ quidem articuli legantur & publicentur a parochis, & non a quæstoribus, qui, ut perspicuum est, fabulas quasdam, seu abusus intermiscent, ubi litterarum publicatio illis conceditur. (Concilium Narbonense, an. 1551. can. 57. *De Quæstoribus.*)

Quia per indiscretas & superfluas indulgentias, & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur; ideo prohibet sancta Synodus, ne quis ullas novas, aut ignotas indulgentias populo commendet, & promerendas offerat, nisi prius ab Ordinario visitatæ fuerint & probatæ. At præcipit etiam eadem Synodus, ut parochi populum suum diligenter admoneant, ne circumforaneis quibusdam, aut etiam impressis libellis temere fidem adhibeat, qui ex levibus, vanis & superstitiosis causis exorbitantes indulgentias pollicentur; cum indulgentiæ non nisi ex piis & rationabilibus causis concedi debeant. (Concilium Cameracense, an. 1565. tit. *De Indulgentiis.*)

Monet pios suos filios eadem hæc Synodus, ne circumforaneis quibusdam, aut etiam cum privilegio impressis libellis temere fidem habeant, qui ex levibus, aut superstitiosis causis, incertisque revelationibus immodicas, & plus æquo exorbitantes pollicentur indulgentias; perissimum si promissiones contineant certorum effectuum, periculorum scilicet evitationem, a gladiis, tormentis, ab aquis, a peste, aut liberationem certam a purgatorio; quemadmodum & missis quibusdam, & precibus certo numero recitandis affixas alicubi videre licet. (Concilium Mechliniense, an. 1570. tit. *De Indulgentiis.*)

Quæcumque indulgentiarum quæ olim, vel nuper cuivis etiam regularium, aut aliter exemptorum Ecclesiæ perpetuo concessæ sunt, tabulæ, scripta, monimenta, aliaque omnia ejusdem generis extant; ea, ubi sunt, in urbe, sive diœcesi, Episcopus studiose conquirenda curet; tum illa conquisita, inde summatim scripta, in librum certum, eo nomine confectum qui in archivo episcopali servetur, diligenter relataque referri jubeat .... singulæ autem Ecclesiæ, quibus vel concessæ sunt, vel concedentur, proprium ejusdem generis codicem in quo illa scribantur, accurate confectum, aut tabellam ejusdem generis in sacristia habeant; illarum exemplari in archivo, vel in sacristia asservato. (Concilium Aquisextiense, an. 1585. tit. *De Indulgentiis.*)

Parochus, concionatorve, quo tempore indulgentiæ exponuntur, doceat diligenter, ejus consequendæ causa, non esse necessariam præstitutam eleemosynæ largitatem; ut cælestem eum Ecclesiæ thesaurum, spiritualiaque munera exponi omnes intelligant non ad quæstum, sed ad peccatorum satisfactionem, & ad pietatis exercitationem.

In publicandis indulgentiis omnis turpis quæstus suspicio tollatur .... parochus, concionatorve indulgentiarum valorem interdum explicet, simulque ostendat, quo in pretio a cunctis fidelibus haberi debeant. Singulæ Ecclesiæ quibus vel concessæ sunt, vel concedentur indulgentiæ, codicem habeant, in quo per ordinem illæ memorentur, ac summorum Pontificum nomina, qui ipsas concesserunt, mensis item & annus. Tabella etiam in singulis sit Ecclesiis, in qua idem prorsus exhibeatur. Pari diligentia altarium privilegiatorum nomina notentur. (Concilium Avenionense, an. 1594. tit. 48. *De Indulgentiis.*)

Plus quam sufficienter pro peccatis nostris persolvit Christus per opera ad quæ non tenebatur, pro nostra redemptione; quorum merita, ut thesaurum pretiosissimum, in manibus divi Petri Apostolorum principis, ejusque successorum tradidit; ut pro sua prudentia ad libitum fidelibus communicarent per concessiones quas semper indulgentias nominavit Ecclesia, populo utiles; eas tamen, quæstus sordidi gratia, publicari vetitum est. (Concilium Narbonense, an. 1609. cap. 12. *De Indulgentiis.*)

Ideo statuimus, ut in Ecclesiis, aut alias quoquo modo publicentur indulgentiæ, nisi ab Episcopis visæ, & per eorum sigillum aut signum, & secretarii subscriptionem appareat parochis eas a summo Pontifice concessas fuisse.

Parochi vero & concionatores, indulgentiarum valorem, utilitatem & efficaciam fidelibus explicent, simulque ostendant, cum qua diligentia, pietate & puritate mentis applicare quisque sibi eas debeat.

In Ecclesiis quibus indulgentiæ concessæ fuerint, & capellis seu altaribus privilegiatis, tabulæ publice appenantur, signo & sigillo Episcopi, ejusque secretarii notatæ, quæ appareat quid concessum ad dictas indulgentias consequendas.

INDULTUM, INDULTARIUS. Indultum est gratia, ut vocant, expectativa per Papæ Bullam alicui communitati, aut personæ concessa ad aliquid agendum aut obtinendum contra communis juris dispositionem. Indultarius is est, cui seu activum seu passivum indultum suppetit. Duorum enim generum indultum distinguitur, activum unum, passivum alterum.

Indultum activum nihil est aliud quam ad beneficia per reservationes regulasque apostolicæ cancellariæ designata

signata libere nominandi, conferendi, & præsentandi facultas.

Indultum passivum beneficia & gratias expectativas dictas recipiendi facultate continetur. Ejusmodi sunt Parisiensis Senatus, graduatorum & mandatariorum indulta. *Vide* GRATIÆ EXPECTATIVÆ, GRATUATI, MANDATA APOSTOLICA.

INFAMIS, INFAMIA. *Quære* IRREGULARITAS.

INHUMATIO. *Vide* SEPULTURA.

INJURIA. Hoc nomine generatim venit omnis actio qua alienum jus sine legitima causa violatur; at magis peculiariter veniunt contumeliosa in quempiam prolata verba; quorum alia mentem aut corpus afficiunt, & *convicia* nuncupantur; alia lædentibus in præsentem personam exprobrationibus continentur, & *contumelia* vocantur; alia denique versantur in servitiis, pro ut opus fuit, alteri præstitis, & per *improperii* vocabulum exprimuntur. Injuriæ mortalia peccata sunt, siquidem graves sint, nempe cum vexatam personam dedecorant, aut graviter lædunt, aut dedito studio proferuntur; at, si leves sint, hoc est, nec personæ dedecus afferant, nec eam graviter lædant, aut, si graves sunt, per oscitantiam levitatemque pronuntientur, quin adsit dedecorandi, vel graviter insultandi animus, his in casibus, venialia solum peccata sunt, docente S. Thoma, 2. 2. quæst. 72. art. 2. ad 3. Idem S. Doctor, *ibid. ad* 1. nos certos facit, interdum etiam sine ulla peccati nota injurias enuntiari posse, oblectationis in modum, dummodo personæ quas eædem efficiunt, non inde se læsas putent, omnesque cæteroquin serventur modestiæ, æquitatis, prudentiæ, honestatis & charitatis regulæ.

Injurias qui proferunt, reparare debent; quique injuriis affecti sunt, earum reparationem juridice petere possunt, modo id non vindictæ animo, sed ut reus emendetur, aut e legitimo moderatoque proprii honoris servandi desiderio, vel ob aliorum utilitatem faciant; atque adeo debent ita se gerere in hac posteriore facti specie, cum scilicet eorum fama ad aliorum spiritale, aut temporale bonum necessaria est. Quamobrem pater, parochus, confessarius, judex, quivis alius in ecclesiastica, aut sæculari dignitate constitutus, honoris sui reparationem e juris ordine petunt, oportet, eum ad eorum emolumentum, in quos iidem auctoritate pollent, ita facto opus est. S. Thomas, *ibid. art.* 3. *in corp.*)

Id e canonici Juris & Gallicæ jurisprudentiæ effatis est, ut Ecclesiæ judex de clericorum in laicos injuriis cognoscere possit, nec iisdem clericis ad Ecclesiæ judicem remissio neganda sit, seu de simplicibus, seu de qualificatis, ut vocant, injuriis, quarum atrocitas privilegiatum casum reddere potest, sermo sit. (Monumenta Cleri, Tom. VII. p. 511. & seq.)

INQUISITIO judiciarius actus est, qui testium super crimine quod patratum fuit, depositiones continet. Quicunque judicum ad inquisitiones incumbunt, iis antiquiorem diem adscribere nequeunt, secus, tamquam falsarii, capitali pœna puniendi. Statuta quædam ad inquisitiones quoad clericorum personam spectantia in Conciliis occurrunt.

Per provinciam nostram frequenter perpendimus multos ecclesiasticorum beneficiorum possessores suis beneficiis fraude diabolica spoliari. Dum enim nonnulli, infernalis ignis facibus agitati, in ipsorum beneficia oculos ambitionis infigunt, procurant se per patronos præsentari ad eadem, impetrantes clandestinas inquisitiones fieri per decanos & alios; & possessiones nanciscuntur beneficiorum hujusmodi, justis eorumdem possessoribus hoc penitus ignorantibus. Unde contingit de pastore perfido fieri possessorem, & de possessore vero fieri actorem, omni justitia reclamante. Nos autem cupientes a provincia nostra tantam nequitiam funditus extirpare, statuimus, & perpetuo ordinamus, ut nullus decanus, seu quivis prælatus alius, exceptis personis Episcoporum, quorum hac ordinatione auctoritas non arctatur, inquisitionem faciat de præsentationis hujusmodi negotio, nisi in pleno loci capitulo, in cui possessio Ecclesia incumbit, vocato legitimo; sub tanti temporis spatio, quo possit ibi prudentum virorum consilia perficere, & defensioni status sui, sufficienti remedio providere. (Concilium Lambethense, an. 1281. can. 14.)

Quia nonnulli Abbates, Priores, Præpositi, Archipresbyteri, & alii Ecclesiarum inferiores prælati, prout est huic sacro Concilio insinuatum, contra rectores & clericos Ecclesiarum subjectarum prælatis eisdem, ordinario jure, inquisitiones formant, accusationis admittunt, ac ad privationem, & pœnas alias procedere non verentur; & per hoc tam juri communi, quam pontificali dignitati plurimum detrahunt; statuimus, præsentis auctoritate Concilii, quod nullus Abbas, Prior, Præpositus, Archipresbyter, seu alius Prælatus inferior Episcopo, contra rectores, seu clericos Ecclesiarum subjectarum eisdem, inquisitionem formare, accusationem admittere, vel ad privationem procedere quoque modo præsumant. Decernentes irritum & inane quidquid contra hoc statutum per talem fuerit attentatum; nisi de speciali privilegio, vel consuetudine legitime præscripta eis hoc competere dignoscatur. Ordo namque ecclesiasticus confusioni pateret, si pontificalis jurisdictio non servaretur.

In Gallia, contra ecclesiasticum de criminibus accusatum inquisitiones, alibi quam in officialitate, ab Ecclesiæ judice, sine abusu, peragi possunt. Regium mandatum, quoad interrogatoria solummodo, suis in ædibus procedere judices vetat, iisque, ubicunque e re visum fuerit, inquirendi libertatem relinquit. (Arestum parlamenti Parisiensis, Junii die 17. an. 1673. Monumenta Cleri, Tom. VIII. pag. 673. & seq.)

Si forte clericorum per officialitatum promotores revendicationi eorumdemque ob commune delictum ad Ecclesiasticos judices remissioni locus fuerit, inquisitiones & acta cætera per regium judicem edita, quæ erit eorum forma & ratio, subsistent; & vicissim, per Ecclesiæ judicem editæ inquisitiones, ante appellationem quidam apud regium judicem interpositam, suam & ipsæ vim roburque servabunt, ea tamen lege, ut testes e rege judice rursus ad examen vocentur. (Regia sanctio mensis Februarii an. 1678. Monum. Cleri, Tom. VII. pp. 414. 424. 4 33.)

INQUISITIONES de eorum vita, moribus & doctrina, qui ad episcopatus, & alia beneficia consistorialia dicta nominati sunt. *Vide* EPISCOPI, §. IV. num. 6.)

INSINUATIO, INSINUARE. Alicujus actus insinuatio in eo est posita, ut is in publici tabularii ad eum finem instituti registra referatur, ad faciendam fidem, & ut eo, cum ita res tulerit, confugiatur; quod a latinis dicitur *relatio in acta*, seu, *in publicas tabulas*.

In re beneficiaria, insinuatio est collationum, præsentationum, procurationum, &c. in ecclesiasticarum insinuationum tabulariis quæ in quaque diœcesi statuta sunt, descriptio, seu registratio. Quæ quorumdam actuum insinuationem præcipit lex, haud nova est; extant ejus vestigia in Theodosii, itemque Justiniani Codice; ac posterior quidam insinuationes mandat, quin earum tamen tempus definiat. Franciscus I. in sua Villarsii-Coteretii Sanctione, an. 1539. & Henricus II. in edicto an. 1548. & in declaratione an. 1549. Jurisprudentiam hanc adoptarunt. Ea proinde obligat in conscientiæ foro, ut Principum leges cætera quæ publicum bonum spectant, ad eamdemque omnes, seu clerici, seu laici, siquidem generatim loquimur, se conformare debent, indicta peccati pœna, eaque lege, ut acta quæ insinuata non fuerint, nulla sint; neque enim desunt super ecclesiasticis, ut super laicis insinuationibus leges quæ hanc obligationem imponunt, quæque hanc pœnam in refractarios pronuntiant. Ita statuit an. 1646. regia sanctio; ut nempe 1. omnes gradnum, nominationum, requisitionum, earum recusationis, aliorumque similium litteræ in diœcesanis insinuationum tabulariis, intra mensem ab iisdem datis numerandum, in nullitatis pœnam, insinuentur, 2. detur opera, ut insinuentur procurationes ad resignandum, aut permutandum, cum a Romana ipsa curia missæ sunt, & antequam ad eam mittantur, itemque Papæ aut Ordinarii provisiones, præsentationes, *visa*, initæ possessiones, & quidem intra mensem ab inita possessione. Ludovici XIV. regia edictum, mense Decembri an. 1691. enuntiatum, & in parlamento, die 2. Januarii an. 1692. in acta relatum memoratæ sanctioni consonam quoad ecclesiasticas insinuationes legem continet. Edictum hoc, quam late regnum paret, servandum est, præterquam in Burgundiæ Comitatu & in Lotharingia, ubi locum non habet. An. quoque 1731. constitutio gravissimas super insinuationibus dispositiones continet.

Animadversione dignum est nullitatis pœnam per Decembris an. 1691. in acta pronuntiatam, quæ temporis spatio per ejusdem edicti articulos plures præscripto insinuata non fuerint, solum tamquam comminatoriam a recentiore jurisprudentia spectari, quoad acta quidem quæ nec falsi, nec fraudis suspicioni obnoxia sunt, satisque fore, ut ejusmodi acta quibus in querela uti in animo est, ante litis judicium insinuata sint, quamvis a tempore, post terminum in an. 1691.

edicto præscriptum numerendo, quo eadem acta insinuari debuissent, anni plures excurrerint. At hæc animadversio non est actis de fraude suspectis accommodanda. Ex quo fit, ut hujus edicti articuli quibus id propositum est, ut in beneficiorum resignationibus, permotationibus & dispositionibus abusus, pravæque consuetudines impediantur, summo semper jure executioni mandatæ fuerint, & adhuc mandentur. (Mopom. Cleri, Tom. XII. pag. 1090.)

Ecclesiasticarum insinuationem tabolarium ab Episcopi domesticis, aut officiariis teneri non potest. Ita scilicet Parisiensis Senatus decretum, die 27. Junii an. 1686. in Cenomanensis Capituli exemptionis causa editum statuit.

INSTITUTIO CANONICA, lata quadam notione sumpta beneficii, quodcunque fuerit, omnes omnino provisiones significat. At si eadem peculiariter accipiatur, existit in jure canonico triplicis generis institutio; videlicet, corporalis, seu ea per quam possessio tribuitur; ea prætarea quæ auctoritatem confert, seu ad animarum curam approbatio; denique collativa quæ proprie a nobis hoc tempore dicitur *institutio*, quia titulum confert. Itaque institutio proprie dicta, seu collative, beneficii canonica & necessaria collatio est, quippe quæ fieri debet in ejus grattam, quem patronus præsentat. Communi jure, institutio auctoritatem tribuens ad Episcopum pertinet: *Non liceat prætereo patrono, cujusvis privilegii prætextu, aliquem ad beneficia sui Juris patronatus, nisi Episcopo loci ordinario, ad quem provisio, seu institutio ipsius beneficii, cessante privilegio, jure pertineret, quoquo modo præsentare; alias præsentatio ac institutio forsan secuta, nulla sint, & esse intelligantur.* (Concilium Tridentinum, Sess. XIV, cap. 13. *De Reform.*)

INTERCESSOR. Appellabantur olim *intercessores* & *interventores* Episcopi qui, episcopali sede vacante, episcopatum, ad successoris defuncti Episcopi electionem usque, administrabant; qui quidam ita nuncupabantur, quia defunctum Episcopum inter ejusque successorem erant, scilicet *intercedebant*, *interveniebant*. Nunc temporis *administratores* appellarentur.

Item constitutum est, ne nulli intercessori licitum sit cathedram cui intercessor datus est, quibuslibet populorum studiis, vel seditionibus retinere; sed dare operam, ut intra annum eisdem Episcopum provideat. Quod si neglexerit, anno exempto, interventor alius tribuatur. (Concilium Carthaginense, an. 401. can. 8.)

INTERDICTUM, censura est, per quam Ecclesia, in alicujus gravis & ad scandalum facti criminis punitionem, fideles sanctarum quarundam rerum usu privat, cujusmodi sunt sacramenta, divina officia, Ecclesiæ ingressus, ecclesiastica sepultura, quatenus hæ res sunt bona quædam quæ a fidelibus possideri possunt.

§. I.

Interdicti divisio,

INterdictum dividitur in *personale*, *locale* & *mixtum*. *Personale* interdictum proxime personas afficit, easque sanctarum rerum usu, & quidem ubique locorum, privat. *Locale* interdictum proxime locum afficit, impeditque, ne ibidem aut Missa audiatur & celebretur, aut Sacramenta suscipiantur, aut sepultura tribuatur. *Mixtum* interdictum continet personale & locale, caditque proinde supra personas & supra loca.

Interdictum, tam locale quam personale, dividitur in *generale* & *peculiare*. Interdictum *locale generale* illud est, quod ad universum aliquem locum protenditur, ad eum scilicet locum cui alia plura loca subsunt, cujusmodi est regnum, diœcesis, urbs, &c.

Interdictum *locale peculiare*, seu *particulare* est, quod supra peculiarem aliquem locum cadit, non autem supra loca quæ quidem ita ab eo pendent, ut ejus nec partem, nec accessorium conficiant. Quamobrem alicujus Ecclesiæ interdictum est interdictum particulare, tametsi supra capellas cadat, quæ in ea continentur, supraque cœmeterium quod eidem contiguum est; propterea quod profana loca cætera interdicta non sunt.

Interdictum *personale generale* illud est, quod directe communitatem aliquam efficit, prout communitas est, videlicet, prout ipsa peculiare corpus constituit. Hoc interdictum ligat omnia & singula hujus corporis membra, prout hæc ejus partem conficiunt.

Interdictum *personale particulare* est illud quod in peculiares seu privatas plores personas cadit, prout privata seu peculiares eædem sunt. Ita interdictum quod in personas decem, aut centum mille ferretur, quæ alicujus criminis participes extitissent, semper interdictum particulare esset, quia semper ejusmodi est, dum contra communitatem, prout communitas est, latum non fuit.

Cum interdictum enuntiatum in clerum est, populus ei non subest; & cum latum est in populum, ei clerus, seu secularis, seu regularis obnoxius non est. Nec magis, cum est in clerum latum, ei religiosi subsunt, nisi parochi sint, aut simile aliquod officium possideant, aut interdictum expressis verbis in ecclesiasticas personas omnes prolatum sit. Cum familia interdicitur, interdicuntur & clerici qui ex eadem familia sunt.

Episcopi, pueri, insani, peregrini, advenæ generali interdicto non continentur. Interdictum personale, seu generale, seu particulare sit, non eum complectitur, qui illud tulit; at eundem, summo excepto Pontifice, locale interdictum complectitur.

Cum est interdicta urbs, ejus quoque suburbia, & proxima ædificia interdicta sunt, quamvis eadem suburbia alteri Episcopo subderentur; quia tunc esset pro certo habendum ac vel e jure, vel ab Episcopo interdicta fore, ne suo interdictum effectu destitueretur. Interdicti loci præcipua Ecclesia, inferiores Ecclesiæ, tam collegiatæ, quam parochiales, quæ ibidem existunt, interdictum, quoad externam speciem, servare debent; at si nominatim in interdicto expressæ non sint, in iis divinum officium submissa voce, & quin æra campanæ pulsentur, celebrari potest.

Cum capella, aut cœmeterium interdicta sunt, non proinde interdicta est Ecclesia quæ iisdem contigua est, quia accessorium non trahit principale; at e converso, cum interdicta Ecclesia est, contiguum quoque cœmeterium interdictum, quia principale trahit accessorium.

Interdicti originem auctorum aliqui ad Gregorium Papam VII. referunt, qui an. 1073. apostolicam Sedem conscendit; eam alii tribuunt Alexandro III. qui an. 1159. Pontificatum obtinuit. At ejus admodum authenticum monumentum conspicitur sexto seculo, & in urbe Rothomago, ubi clausæ fuere omnes Ecclesiarum januæ, quin populus divinis officiis adsistere posset, quoad S. Prætextati, urbis Episcopi qui in sua cathedrali Ecclesia, an. 586. trucidatus fuerat, interfector detectus esset. Id etiam non sine fundamento præsumi potest interdicti usum multo alto altius ascendere, quippe cui in ligandi & solvendi potestate, quam Christus Dominus Apostolis eorumque successoribus concessit, origo est. Gregorius Turonensis qui factum memorat, quod post S. Prætextati mortem Rothomagi contigit, *Hist. Franc. Lib. 8. cap. 31.* alia præterea interdicta a Leone, Agathensi, & a Franciano, Aquisextiensi Episcopis lata refert, *lib. 1. de Miracul. Martyr. cap. 79. & Lib. de Gloria Confess. cap. 71.*

§. II.

Interdicti Effecta,

INterdictum parit affecta quædam ipsum per se, illudque casu, seu per accidens sequuntur alia. Quæ primi generis sunt, aliquorum sacramentorum, divinorum officiorum, Ecclesiasticæ sepulturæ privatione, quæ vero posterioris sunt generis, pœnis in eos latis qui interdictum violant, continentur.

1. Generalis interdicti tempore, nemini Eucharistiæ sacramentum, præter quam in mortis articulo tribui potest; ac tum quidem, ut moris est, dum viaticum fertur, tintinnabulum pulsari potest. Ecclesiastici nominatim interdicti sacramentum hoc tum solum, cum non interdicti desunt, afferre possunt. Ut hostiæ ad morientium communionem necessario consecrari & renovari possint, semel in hebdomada licet, submissa voce, sine sonitu, & januis clausis, Missam dici.

2. Cujusque generis hominum, seu bene valeant, seu ægrotent, confessiones audiri possunt, iis exceptis qui interdicto locum præbuerunt, eorumque fautoribus, nisi forte satisfacere parati sint.

3. Nec extrema unctio, nec ordo conferri possunt; ei tamen extrema unctio tribui posset, cui pœnitentia tribui non potuisset. Presbyteratus quoque conferri posset, si presbyterorum haud satis esset ad sacramenta administranda, quorum administratio per id temporis concessa est, quia cum aliquid conceditur, etiam cætera conceduntur, sine quibus illud subsistere nequit.

4. In dubitatione est, an, interdicti tempore, ma-

trimonii sacramentum administrari possit: quamobrem, in hac facti specie, ad superiorem confugiendum asset. Baptismum porro & confirmationem non sine consuetis solemnibus formis conferri licet, quia jus hæc duo, perinde ac pœnitentiæ sacramenta administrari generalibus verbis sinit; jam vero sacramentorum solemnes formæ, cum eorum quoddam solummodo accessorium sint, quod sacramentis ipsis longe multumque dignitate concedit, horum conditionem sequi debent ex ea duplici juris regula: *Plus semper in se continet, quod est minus: accessorium naturam sequi congruit principalis*. Id tamen, ad confirmationem quod attinet, de iis tantum intelligi debet, qui generali personali interdicto devincti sunt; de cæteris enim qui particulari interdicto subessent, idem judicium ac de excommunicatis, quoad passivam sacramentorum susceptionem, ferendum esset.

5. Interdictum, seu locale, seu personale, divinorum officiorum celebrationem impedit, quæ ab Ecclesiæ ministris peragi consueverunt. Per novum tamen jus temperata est, quoad caput hoc, veteris juris asperitas, quoniam tum quoque, in Ecclesiis & monasteriis, submissa quidem voce, janua clausis, & quin campanæ pulsentur, sacrum fieri, divinaque officia celebrari possunt; atque hæc ipsa, de more, solemnem etiam in modum, Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, sancti Sacramenti, seu Corporis Christi, & per ejus octavam, Conceptionis B. Virginis, itemque per ejus octavam, ejusdemque Assumptionis diebus in Ecclesiis quæ nominatim interdictæ non sunt; iisque interdicti interesse possunt; ita tamen, ut qui ei causam præbuerunt, ad altare non accedant. Ejusmodi est dispositio capitis, *Alma mater*, quod ad generale solummodo interdictum refertur. Divina pariter officia celebrandi venia clericos tantum, non laicos spectat.

6. Generalis interdicti tempore, ecclesiastica sepultura privantur omnes, privilegiatis laicis exceptis, clericisque qui nominatim interdicti non sunt, quique non dedere interdicto locum, nec illud servare omiserunt. Pueri, adultique ipsi qui sacramenta susceperunt, arcentur ab ecclesiastica sepultura, quia hæc nec utilis, nec necessaria est, perinde ac sacramenta.

§. III.

De Casibus Interdicto obnoxiis.

PRæcipui sex casus sunt, qui locali interdicto subjiuot.

Primus est, cum urbs (Roma excepta) iis qui Cardinalem male habent, consilium dat auxiliumve.

Secundus, cum urbs publicos usurarios recipit.

Tertius, cum urbs efficit, ut aliquis Pontifex injuriose percutiatur, aut in exilium pellatur.

Quartus, cum religiosi, aut seculares in suis Ecclesiis, aut cœmeteriis quempiam sepelierunt, quem ad promittendum impulerunt, se sibi sepulturam apud eos electurum, eamve non mutaturum; in hac enim facti specie, ejusmodi Ecclesiæ & cœmeteria interdicta sunt.

Quintus est hæreticorum sepultura, quibus in locis humati sunt.

Sextus, isque postremus est, cum, in aliqua Ecclesia, personæ nominatim interdictæ ad divina officia receptæ sunt; qua in re animadvertendum, post Bullam, *Ad vitanda scandala*, nullum locale interdictum esse, quod denuntiatum non sit.

§. IV.

De eorum pœnis, qui Interdictum violant.

PRohibentur Ecclesiæ aditu; 1. qui in loco interdicto celebrant; 2. qui excommunicatos interdictosque denuntiatos ad divina officia, ad sacramenta, vel ad ecclesiasticam sepulturam admittunt; 3. Episcopi aliique Superiores qui usurpant vacantium ecclesiarum, aut beneficiariorum bona; 4. qui censuras ferunt, quin præscriptas formas servent; 5. Episcopi qui in suarum visitationum cursu, plus accipiunt, quam iis debetur, nisi duplum intra mensem restituant.

Clericus qui in interdicto loco sciens celebrat, in irregularitatem incidit, qui personaliter interdictus suspensusve a sanctis functionibus, vel ab Ecclesiæ ingressu, obit nihilominus sacri ordinis munia; remanet in adhuc Ecclesiæ aditu prohibitus, quoad satis ei fecerit, cujus sententiam violavit.

Qui excommunicatum, vel interdictum sepeliunt in loco sancto, excommunicationem & ipsi subeunt. Idem de iis dicendum, qui personam non interdictam in interdicto loco sepeliunt; idem de religiosis etiam exemptis qui interdictum a præcipua, seu parochiali Ecclesia servatum nequaquam custodiunt; idem de dominis qui interdictis in locis officia celebrari jubent, aut impediunt, ne excommunicati, vel interdicti denuntiati, cum ita iisdem mandatur, ex Ecclesia egrediantur.

§. V.

De iis qui Interdictum tollere possunt.

1. GEnerale interdictum, seu locale, seu personale sit, ab eo solum tolli potest, qui jurisdictione in externo foro pollet.

2. Eorum interdictorum nullum, quæ in jure lata comperiuntur, sibi summus Pontifex reservavit; eaque proinde Episcopi quidem, non autem parochi, tollere possunt.

3. Locale & personale interdicta, quæ ad statum temporis spatium, aut certa quadam addita conditione, lata sunt, cessant, cum tempus illud excurrit, aut completa conditio est.

4. Interdictum personale *ab homine*, semper reservatum est; interdictum *a jure*, nunquam, nisi facta sit reservationis expressa mentio.

5. Interdictum personale tolli potest *ad cautelam*, cum rea facti pœnitet, expeditque eos *ad cautelam* absolvi. Interdictum generale locale de medio *ad cautelam* tolli non potest; id enim vetat jus, *Cap. 10. de Sent. Excom. in Sexto*. Interdictum mixtum tolli *ad cautelam* posse fere sentiunt docti viri.

6. Interdictum generale locale aut personale non nisi per absolutionem tolli potest; adeoque interdictus fundus, siquidem alienetur, semper interdictus remanet; secus enim interdicta facile eludi possent. Si interdicta Ecclesia diruitur, nemo amplius ibidem, antequam area reconciliata fuerit, humari potest; at cum communitate quæ extinguitur, interdictum expirat, quia qui communitatis privilegiis frui desinit, ejus desinens membrum esse, non amplius ejusdem oneribus obnoxius est. Excipiuntur ab hac regula, qui interdicti causa sunt; in his enim interdictum subsistit, quoad eos legitimus superior solverit, is nempe qui illud tulit, aut cui ipse ejus tollendi facultatem concessit, ejusdemve successor, aut proximus, in appellationis casu, superior.

7. Interdicti eadem propemodum atque excommunicationis forma est; illud e scripto, cum causæ expressione, ac post monita pronuntiari debet; at ejusdem tollendi ratio non eadem semper est. Interdictum, seu locale, seu personale, quod ad statum tempus solummodo latum est, designato tempore cessat; quodque latum est certa quadam addita conditione, statim & ipsum cessat, atque impleta conditio est; ut proinde, in hac duplici facti specie, nullo ad illud tollendum ecclesiastici superioris judicio opus sit. Cæterum interdictum non cessat nisi per superioris absolutionem, qui in externo foro supra locum, suprave personarum communitatem, in quas illud latum fuit, ordinaria vel delegata jurisdictione pollet.

Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, vel decreta pro catholica fide, pro ecclesiastica disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel interdictione imminentium, vel futurorum malorum, a Sedis apostolicæ præside salubriter promulgata contempserit, anathema sit. (Concilium Romanum, an. 863, cap. seu decr. 5.)

Probat canon hic interdicti usum summis Pontificibus Gregorio VIII. & Alexandro III. multo sane antiquiorem esse.

Monachi nullo modo recipiant ad sepulturam, aut ad quodlibet divinum officium excommunicatos, aut raptores, aut interdictos. (Concilium Nemausense, an. 1096. can. 16.)

Hic quoque canon evincit, undecimo seculo, in ea religiosos obligatione fuisse, ut interdicta ab Episcopis lata servarent, in qua quidem etiamnum sunt, cujuscunque tandem ordinis, aut congregationis sint, seu exempti, seu non exempti, ex Clementinæ dispositione, cujus auctor Clemens Papa V. & cum temperamento quod ei Bonifacius VIII. attulit in cap. *Alma mater, de Senten. Excomm. in Sexto*. Hoc temperamentum in eo versatur, ut regulares, per generalis interdicti universum tempus, de more canonicas horas recitare, suique ordinis officia cætera peragere possint, quin æra campana pulsent, aut januas aperiant, itaque submissa voce, ut ab iis qui extra fuerint, audiri non possint. Iidem suum ad officium suos tantum religiosos, ac ne ipsos quidem domesticos recipere possunt;

sunt; quod si quid horum violaverint, excommunicationem subeant ex Clementinæ verbis, & cap. *Licet ubis, de privilegiis, in Sexto.*

Quoniam ex indiscreta interdictorum promulgatione, multa consueverunt scandala evenire; statuit hæc sancta Synodus, quod nulla civitas, oppidum, castrum, villa, aut locus ecclesiastico supponi possit interdicto, nisi ex causa, seu culpa ipsorum locorum, aut domini, seu rectorum, vel officialium. Propter culpam autem, seu causam alterius cujuscunque privatæ personæ, hujusmodi loca interdici nequaquam possint auctoritate quacunque ordinaria, vel delegata, nisi talis persona prius fuerit excommunicata, ac denuntiata, seu in Ecclesia publicata, aut domini, seu rectores, vel officiales ipsorum locorum, auctoritate judicis requisiti hujusmodi personam excommunicatam infra biduum inde cum effectu non ejecerint, aut ad satisfaciendum compulerint; quæ etiam post biduum ejecta, recedente, vel satisfaciente, mox divina resumi possint; quod etiam in pendentibus locum habeat. (Concilium Basileense, an. 1435. sess. XX. art. 3.)

In causis vero judicialibus mandatur omnibus judicibus ecclesiasticis, cujuscunque dignitatis existant, ut quandocunque executio realis, vel personalis in qualibet parte judicii propria auctoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se, tam in procedendo, quam definiendo, a censuris ecclesiasticis, seu interdicto. (Concilium Tridentinum, sess XXV. *De Reform.* cap. 3.)

Basileensis Concilii, super interdicto, decretum Pragmaticæ Sanctioni, & Concordato insertum fuit. Decretum hoc, quamvis ipsum per se saluberrimum, satis magna vi non pollebat, ut omnibus generalium interdictorum incommodis remedium afferret; ad ea proinde efficacius impedienda, in suorum effatorum numero Gallia posuit, (Monumenta Cleri, Tom. VI. p. 588.) interdicta a Papa ipso lata, executioni sine regia auctoritate mandari non posse. Et sane quot non scandalis, perturbationibus, omnisque generis malis generalia interdicta causam, aut occasionem præbent? Ea nempe locum dant debilitationi fidei, remissioni pietatis probitatisque fidelium, impiorum licentiosorumque hominum blasphemiis, Ecclesiæ, religionis, ejusque ministrorum contemptui, &c. quod in causa fuit, ut eorum usus perrarus evaderet, multoque rarior dubio procul deinceps futurus sit,

INTERSTITIUM, temporis a legibus intervallum. Ecclesiastica interstitia sunt intervalla temporis, quæ, prout Ecclesiæ leges præscribunt, unum inter & alterius superioris ordinis susceptionem existere debent.

Veteres canones longa interstitia inter minores ordines, & longiora, ratione habita, inter ordines majores ponebant; interstitia non deerant annorum decem; & minora erant annorum quinque, ut ex prima Siricii Papæ epistola compertum fit. Novi canones nullum inter minores ordines servandum statuunt, Episcopi prudentiæ relinquentes, ut aliquod ponant, aut ab iis omnino dispensent; quoad sacros autem ordines, anni, inter singulos, interstitia præscribunt. Hi canones obligant in conscientia, quique eos non servant, operam dantes, ut, haud servatis interstitiis, initientur, lethaliter peccant, tametsi nec suspensionem, nec irregularitatem subeant, propterea quod hæc pœna a jure expressa non est, & Sixti V. Bulla, die 5. Januarii an. 1589 edita, quæ eam continet, a Clemente VIII. in bulla quadragesima, Februarii die 28. an. 1595. revocata fuit.

Interstitiorum a subdiaconatu ad diaconatum, itemque a diaconatu ad presbyteratum annus, non civilis & naturalis, integris nempe duodecim mensibus constans, sed ecclesiasticus annus est; ita scilicet, ut clericus qui hoc anno, die sabbati quatuor temporum quadragesimæ diaconus ordinatus fuerit, qui dies, ut ponitur, in Martii 17. diem incidit, proximo anno, die sabbati quatuor temporum quadragesimæ presbyteratum suscipere possit, quamvis hoc sabbatum diebus viginti quam præsenti anno citius contingat; & quod inde consequens fit, integri menses duodecim inter hujus clerici diaconatum & presbyteratum intercesse non debeant. Hæc decisio, Giberto contraria, Fagnani est, (Institutiones Ecclesiasticæ, t. 1. p. 227.) qui Cardinalium Congregationem, ad explicationem Tridentini Concilii, quod ad mores ac disciplinam attinet, institutam, cujusque ipse e secretis erat, ita cum Clementis VIII. approbatione definiisse asserit. (Fagnanus, in suo super Decretalibus Commentario, *de Temporibus ordination.* n. 11.)

Solus Papa ab interstitiis penitus dispensare potest, ita videlicet, ut una eademque die plures majores ordines eidem personæ conferat. Episcopus, ob necessitatem, vel Ecclesiæ utilitatem dispensare potest ex parte tantum; quod si extra duplicem hanc facti speciem dispenset, peccat is quidem, in censuram tamen non incidit, quia nullam jus, quoad hanc rem, in eumdem infligit.

Episcopi magnus vicarius ab interstitiis dispensare potest, absente Episcopo, ac tum solum, cum dimissorias litteras concedendi facultate polleat. Ita definiit Cardinalium, Tridentini Concilii interpretum Congregatio, die 7. Martii an. 1709.

Osius Episcopus dixit. necessarium arbitror, ut diligentissime tractetis, si forte aut dives, aut scholasticus de foro, aut ex administratore Episcopus fuerit postulatus, non prius ordinetur, nisi ante & lectoris munere, & officio diaconi, & presbyteri fuerit perfunctus; & ita per singulos gradus, si dignus fuerit, ascendat ad culmen Episcopatus. Potest enim per has promotiones quæ habent utique prolixum tempus, probari, qua fide sit, quave modestia, & gravitate, & verecundia; &, si dignus fuerit probatus, divino sacerdotio illustretur. Nam nec conveniens est, nec ratio, nec disciplina patitur, ut temere ac leviter ordinetur aut Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, qui neophytus est; maxime cum beatissimus Apostolus magister gentium, ne hoc fieret, denuntiasse & prohibuisse videatur; sed hi quorum per longum tempus examinata sit vita, & merita comprobata. Universi dixerunt placere sibi hæc. (Concilium Sardicense, an. 347. can. 13.)

Qui se divinæ militiæ desiderat mancipari, sive inter lectores, sive inter exorcistas, quinquennio teneatur; exinde acolythus, vel subdiaconus, quatuor annis; & sic ad benedictionem diaconatus, si meretur, accedat; in quo ordine quinque annis, si inculpate cesserit, adhærere debebit; & postea, si probus fuerit, sacerdos efficiatur. (Capitularium Lib. V. cap. 42.)

Item placuit, ut ex laico ad gradum sacerdotii ante nemo veniat, nisi prius anno integro in officio lectorum vel diaconatus, disciplinam ecclesiasticam discat; & sic per singulos gradus prædictus ad sacerdotium veniat. Nam satis reprehensibile est, ut, qui necdum didicit, jam docere præsumat, dum & antiquis hoc patrum institutionibus interdictum sit. (Concilium Bracarense, an. 561. can. 20.)

Cum autem Episcopus ordinationem fecerit, non nisi unum ordinem a subdiacono & supra conferre præsumat. Ordinatus autem in subdiaconum, ad minus per annum in eodem officio deserviat, & diaconus similiter faciat. Quicunque autem Episcopus contra hoc venire præsumpserit, tamdiu a conferendis ordinibus abstineat, donec a Romano Pontifice misericordiam consequatur. (Concilium Dalmaticum, an. 1199. cap. 2.)

Minores ordines iis qui saltem latinam linguam intelligant, per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur . . . . hi vero non nisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum, ad sacros ordines promoveantur; nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi, aliud exposcat. (Concilium Tridentinum, Sess. XXIII. cap. 2. *de Reform.*)

Promoti ad sacrum subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur. (Cap. 15.)

Concilia post Tridentinum habita adoptarunt statuta hæc; iis consentanea est hujus temporis disciplina, antiquosque super interstitiis canones desuetudo abrogavit; eorum tamen vis & ratio semper subsistit, idque in votis habet Ecclesia, ut saltem interstitia a recentioribus Conciliis mollita serventur; & hæc quidem, quæ eidem suppetunt, rationum momenta sunt. Faciunt hæc intervalla, ut eorum qui ad sacerdotium contendunt, fides, pietas, mores, propensiones, doctrina, ingenii vires probentur; iis etiam ipsis inserviunt, ut, quod in iisdem ex humani commercii depravatione est, exuant, induantque quod Ecclesiasticum hominem decet; Ecclesiæ leges & disciplinam ediscant, ejusque cæremonias percipiant; se denique ad omnia sancti ministerii munia per usum forment.

INTRUSUS, **INTRUSIO**. Eos jus intrusos vocat, qui sibi beneficia quæ non vacant, a collatoribus tribuenda curant, aut qui sine jure, sine ullo prorsus, aut sine legitimo titulo, aut per vim, aut sua tantum ipsorum auctoritate, licet sine violentia, beneficium invadunt.

INVENTARIA, seu repertoria sunt supellectilis, codicum, aliorumque mobilium bonorum ad aliquam domum spectantium descriptio, status, recensio. Concilia plura mandarunt, ut Ecclesiarum supellex, vasa, aliaque mobilia bona accurate recenserentur. *Vide* BONA ECCLESIÆ.

INVESTITURA, in re beneficiaria, jus est, quo gaudebant Imperatores, Reges, Principes, Duces, Comites, aliique domini, ut suæ quisque ditionis Episcopos & Abbates qui iis feudorum quæ eo nomine tenebant, homagium fidemque præstabant, per pastoralem baculum & annulum possessione donarent. Investituræ jus omnium primus Gregorius Papa VI. an. 1045. in supremis principibus impugnavit; at Gregorius VII. qui an. 1073. apostolicam Sedem conscendit, id multo vehementius acriusque præstitit; Imperatorem nimirum Henricum IV. excommunicatione perculit, omnesque ecclesiasticos, excommunicationis indicta pœna, a temporalium principum manu investituram suscipere vetuit. Victor III. & Urbanus II. qui Gregorio VII. proxime successerunt, omnes generatim investituras & ipsi prohibuerunt. Cœptum est, Paschali II. Ecclesiam regente, concessionis baculi & annuli cæremoniam sedulo expendi, atque ornamenta hæc tamquam ecclesiasticæ potestatis notæ quædam & insignia spectata sunt; ex quo illud inferebatur, videri Principem, ea cæremonia peragenda, spiritalem potestatem tribuere. Suam ita mentem aperuit Paschalis II. in collatione quam Catalauni cum Imperatoris Henrici V. deputatis habuit, & hoc eorum præcipuum fundamentum erat, qui investituras veluti quamdam hæresim simonia pejorem spectabant. Princeps hic, cum eum inter & summum Pontificem convenisset, ut ei clerus regalia jura redderet, & ipse ab investituris desisteret, Romam venit perficiendi causa, ut hic tractatus solemnem in modum confirmaretur. Coactum in hanc rem, 12. Februarii die, in Lateranum Concilium; at in cœtum irrepente discordia, præcipitantur ventum ad arma, captivusque Papa ab Henrico asportatur, eoque jubente, Aprilis die 12. alteri tractatui subscripsit, per quem Henricus regalia jura clero reliquit, & investituras recepit. Paschalis, carcere liberatus Concilium aliud die 18. Martii an. 1112. in Laterano coegit, in eoque investiturarum privilegium revocavit. Hanc ipse revocationem in alio Concilio, die 6. Martii an. 1116. pariter ibidem habito confirmavit. Wormatiensis cœtus, an. 1122. habitus conventionem inter Papam Calixtum II. & Imperatorem Henricum V. transegit, quam generale Concilium Lateranense primum, an. 1123. celebratum approbavit confirmavitque.

Ad Galliam quod attinet, Regibus cum Romanis Pontificibus super investituris nihil dissidii fuit; iis pacifica semper, etiam Gregorii VII. tempore, potiti sunt. Subsequentium Pontificum temporibus, Reges ab investitura per pastoralem baculum & annulum recesserunt, quamvis per hæc externa signa Prælatis qui eadem ab iis accipiebant, nunquam, perinde ac Principes cæteri, spiritalem potestatem tribuere contendissent. Majores contentio hæc turbas excitavit in Anglia, quæ tamen & ipsa tandem ad Calixti II. constitutionem se conformavit.

Investitura vocabulum derivatur a verbo *investire*, quod significat *induere*, aut *ornare*; adeoque investire & infeudare, ut ajunt, synonyma sunt, eumque ambo, qui fidelitatis jusjurandum supremo domino præstat, in possessione ponere, feudoque induere significant.

Ut per laicos nullo modo quilibet clericus, aut presbyter obtineat Ecclesiam, nec gratis, nec pretio. (Concilium Romanum, an. 1059. can. 6.)

Decrevit sancta Synodus, ut nullus Episcopus, Abbas, Presbyter, vel qualibet persona de clero accipiat de manu Regis, vel Comitis, vel cujuslibet laica persona donum episcopatus, vel abbatia, vel Ecclesia, vel aliquarum ecclesiasticarum rerum. Sed Episcopus a suo metropolitano, Abbas, presbyter, & catera inferiores persona a proprio Episcopo; si vero laici, decretis canonicis resistentes, Ecclesias violenter tenere præsumpserint, ipsi excommunicentur, in Ecclesiis vero illis nullum divinum officium fiat, nullus ibi ... lumen non ponatur, mortuus non sepeliatur; tantum baptismi gratia ibi non negetur, infirmis remedio pœnitentiæ & communionis subveniatur. (Concilium Pictavense, an. 1078. can. 1.)

Clericus, vel monachus qui ecclesiasticum de manu laici susceperit beneficium, quia non intravit per ostium, sed ascendit aliunde, sicut fur & latro, ab eodem separetur officio. (Concilium Nemausense, an. 1096. can. 8.)

Constitutiones sanctorum canonum sequentes statuimus, ut quicumque clericorum ab hac hora investituram Ecclesiæ, vel ecclesiasticæ dignitatis de manu laici acceperit, & qui ei manum imposuerit, gradus sui periculo subjaceat, & communione privetur. (Concilium Lateranense, an. 1110.)

Privilegium illud, quod non est privilegium (neque vero debet dici privilegium, sed pravilegium) pro liberatione captivorum, & Ecclesia a domino Papa Paschali per violentiam Henrici Regis extortum, nos omnes in hoc sancto Concilio cum eodem domino Papa congregati, canonica censura, & ecclesiastica auctoritate, judicio sancti Spiritus, damnamus, & irritum esse judicamus, atque omnino cassamus, & ne quid auctoritatis & efficacitatis habeat, penitus excommunicamus. Quod ideo damnatum est, quod in eo privilegio continebatur, quod electus canonice a clero & populo, a nemine consecretur, nisi prius a Rege investiatur; quod est contra Spiritum sanctum, & canonicam institutionem. (Concil. Lateranense, an. 1112.)

Ecclesia primitiva, Martyrum tempore, floruit apud Deum, & non apud homines. Dein ad fidem conversi sunt Reges, Imperatores, Romani Principes, qui matrem suam Ecclesiam, sicut boni filii honestaverunt, conferendo Ecclesiæ Dei prædia, & allodia, sæculares honores & dignitates, regalia quoque jura & insignia, quemadmodum Constantinus, cæterique fideles; & cœpit Ecclesia florere tam apud homines, quam apud Deum. Habeat ergo mater & domina nostra Ecclesia sibi a regibus sive principibus collata; dispenset & tribuat ea filiis suis, sicut scit, & sicut vult. Privilegium investitura, quod in tentoriis concessisse videbatur, abolere volens, iterat sententiam Papæ Gregorii VII. investituram ecclesiasticarum rerum a laica manu susceptam excommunicavit sub anathemate dantis & accipientis. (Concilium Lateranense, an. 1116.)

Ego Calixtus Episcopus, servus servorum Dei, tibi dilecto filio Henrico, Dei gratia Romanorum Imperatori Augusto, concedo electiones Episcoporum, & Abbatum Teutonici regni, qui ad regnum pertinent, in præsentia tua fieri, absque simonia, & aliqua violentia; ut, si qua inter partes discordia emerserit, metropolitani, & comprovincialium consilio vel judicio, saniori parti assensum & auxilium præbeas. Electus autem a te regalia accipiat per sceptrum, exceptis omnibus quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur; & quæ ex his jure tibi debet, faciat. Ex aliis vero partibus Imperii consecratus, infra sex menses regalia per sceptrum a te recipiat. (Wormatiensis Cœtus, an. 1122.)

Rescriptum Henrici Imperatoris.

Ego Henricus, Romanorum Imperator Augustus, pro amore Dei & sancta Romana Ecclesia, & domini Papa Calixti, & pro remedio anima mea, remitto Deo, & sanctis apostolis Dei Petro & Paulo, sanctæque Catholica Ecclesia omnem investituram per annulum & baculum; & concedo in omnibus Ecclesiis qua in regno & imperio meo sunt, canonicam fieri electionem, & liberam fieri consecrationem.

Hæc mutua constitutio seu conventio legitur etiam ad calcem canonum Lateranensis primi generalis Concilii quod eam confirmavit. Ex verbis ipsis quibus hic tractatus effertur, perspicitur, 1. Papam in id assentiri, ut Episcopi & Abbates, præsentes quidem regalibus, hoc est, omnibus bonis quæ a regia majestate tenent, per sceptrum investiantur, antequam benedicantur, aut consecrentur; absentes vero, intra sex a consecratione, aut benedictione menses, eamdem investituram suscipiant. Perspicitur, 2. Imperatorem omni per annulum, & pastoralem baculum, seu pedum pontificum investitura nuntium remittere.

Consuli possunt super investiturarum negotio, 1. Dupinius, in *Historia Controversiarum, ad duodecimum sæculum, Ecclesiasticorum Auctorum Bibliotheca ab eo concinnata* Part. I. 2. *Historia Originis Decimarum, Beneficiorum, aliorumque temporalium bonorum Ecclesiæ*; Lugduni, typis Anissonii, an. 1639. ubi admodum accurate effertur investiturarum historia; 3. P. Alexandri de Episcopatuum & Abbatiarum Investituris *Dissertatio*; 4. D. Gervesii, super Investiturarum Haresi, *Dissertatio*, ubi complures investigationes occurrunt; dissertatio hæc est earum quarta, quas auctor suæ Sugeri, Abbatis Sancti Dionysii Historiæ, an. 1721. ut ajunt, *in* 12. Parisiis impressæ præposuit; 5. D. Schilteri super Investituris simultaneis *Dissertatio*; 6. P. Mabillonius, Annalium Ordinis S. Benedicti Tomo sexto, ubi funestæ discordiæ consectationes memorat, quæ duodecimo sæculo, in investiturarum negotio, sacerdotium inter & imperium emersit, ostenditque controversiam hanc solum in verborum ambiguitate versatam esse; 7. P. Maimburgus, in sua *deficientis Imperii Historia*, ubi Imperatorum cum Romanis Pontificibus, quoad investituras, rixam fusius persequitur; 8. Spicilegii Tomus septimus, ubi extat Monumentorum ad Galliæ episcopatuum investituras spectantium collectio; 9. P. Barrius, in Historia Germaniæ, Tom. IV. ubi exponit, in quo tandem investiturarum difficultas quæ sacerdotium & imperium scindebat, verseretur, quidquid in duarum potestatum contentionibus cum justitia congrueret, quid modum excederet.

Clebrio-

Crebriores hujus dissidii difficultas & ambiguitas erant in eo positæ, quod summi Pontifices putabant Principes contendere spiritalem Episcopis, Abbatibus, aliisque ecclesiasticis potestatem tribuere, quibus beneficiorum investituram *per baculum & annulum* impertiebantur; cum Principes non ea mente essent, ut spiritalem ecclesiasticis quos beneficiis investiebant, potestatem conferrent, sed ea tantum, ut quoad eos temporale jus exercerent, & ob feuda quorum infeudationem seu investituram iis tribuebant, fidem & homagium ab iisdem exigerent, quemadmodum a feudetariis cæteris per ipsos feuda tenentibus exigebant.

JOVINIANUS, hæresiarcha sæculi quarti, monachus erat monasterii quod S. Ambrosius in Mediolanensium suburbiorum uno administrabat. Cum is a pristino fervore descivisset, Romam una cum aliquot aliis monachis, sub annum 382. se contulit, ubi haud cunctatus se voluptatibus dedidit, erroresque plures vulgavit, ut publice, siquidem posset, suam quæ scandalo erat, mutationem, mollemque quam sine pudore trahebat, vitam purgaret. Ergo dictitabat epulas & abstinentiam, ipsas per se, nec bonas nec malas esse; omnibus promiscue cibis neminem non uti posse, dummodo iis cum gratiarum actione uteretur; omnium qui baptisma suscepissent, illudque servarent, unam eamdemque in cælis mercedem fore, nec eos a diabolo vinci posse; virginitatem non esse matrimonio perfectiorem statum; falsum esse Mariam, Domini nostri matrem, post partum, virginem permansisse, aut oportere, Manichæorum instar, Christo Domino phantasticum corpus tribui; omnia quoque peccata paria esse contendebat. Joviniano satis artis ac technæ fuit, ut sibi in urbe Roma bene multos asseclas adderet, pluribusque virginibus Deo sacris matrimonium persuaderet, ironice ab iis quærens, an ipsæ se Sara, Anna, totque aliis conjugatis feminis, quarum pietatem sacra Scriptura tam magnifice prædicet, meliores crederent. Jovinianum Theodosius Imperator exilio mulctavit; eumdemque, cum adhuc an. 412. Ecclesiam turbarat, Imperator Honorius in insulam relegavit, ubi misere periit. Adversarios habuit S. Ambrosium, S. Augustinum, S. Hieronymum, summumque Pontificem Siricium qui eum in Concilio an. 390. Romæ habito, itemque in alio, eodem anno Mediolani celebrato damnandum curavit. En excerpta duo; unum Epistolæ quam S. hic Pater ad Mediolanensis Concilii Patres scripsit; ejus alterum, quam ad eum iidem Episcopi rescripserunt.

Quia non patitur quietos nos ab incursatione sua vacare hostis antiquus, ab initio mendax, inimicus veritatis, æmulus hominis, quem ut deciperet, se ante decepit; pudicitiæ adversarius, luxuriæ magister .... odit jejunia, ministris suis prædicantibus, dum dicit esse superflua, spem non habens de futuris, Apostoli sententia repercussus dicentis: Manducemus, bibamus; cras enim moriemur. *O infelix audacia! O desperata mentis astutia! Tam incognitus sermo hæreticorum intra Ecclesias, cancri more, serpebat, ut occupans pectus, totum hominem præcipitaret in mortem ... Quæ de re necessarium satis fuit, dilectissimi mihi, quæ gesta sunt hic, ad vestram conscientiam cognoscenda mandare, ne, ignorantia cujuspiam sacerdotis, pessimorum hominum Ecclesiam irrumpentium sub religioso nomine contagio violaret, sicut scriptum est, dicente Domino:* Multi veniant ad vos in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces. Ex fructibus eorum cognoscetis eos. *Hi sunt videlicet, qui subtiliter christianos se se jactant, ut sub velamento pii nominis gradientes, domum orationis ingressi, sermonem serpentina disputationis effundant, ut fugiterent in obscuro vestes corde .... Nam cum alii hæretici singula sibi genera quæstionum, male intelligendo, propofuerint convellere .... isti .... continentiam pervertentes ...., aliquot christianos corpore jam vastare, atque sua dementia sociare .... Nos sane nuptias non aspernanter accipimus, quibus velamine intersumus; sed virgines quas nuptiæ creant, Deo devotas majore honorificentia veneramur. Facto ergo presbyterio .... omnium nostrum tam presbyterorum & diaconorum, quam etiam totius cleri unam scitote fuisse sententiam, ut Jovinianus, Auxentius, Genialis, Germinator, Felix, Plotinus, Martianus, Januarius & Ingeniosus, qui incentores novæ hæresis & blasphemiæ inventi sunt, divina sententia & nostro judicio in perpetuum damnati extra Ecclesiam remanerent.* (Siricii Papæ Epistola.)

Recognovimus litteris Sanctitatis tuæ boni pastoris excubias, qui diligenter commissam tibi januam servas, & pia sollicitudine Christi ovile custodias, dignus quem Domini oves audiant & sequantur. Et ideo, quia nosti oviculas Christi, lupos facile deprehendis, & occurris quasi providus pastor, ne isti morsibus perfidiæ suæ, feralique ululatu dominicum ovile dispergant. Laudamus hoc, Domine frater nobis dilectissime, & toto concelebramus affectu. Nec miramur, si luporum rabiem grex Domini perhorruit, in quibus Christi vocem non recognovit. Agrestis enim ululatus est, nullam virginitatis gratiam, nullum castitatis ordinem servare, promiscue omnia velle confundere, diversorum gradus abrogare meritorum, & paupertatem quamdam cælestium remunerationum inducere; quasi Christo una sit palma quam tribuit, ac non plurimi abundent tituli præmiorum. Simulant se ista donare conjugio. Sed quæ potest laus esse conjugii, si nulla virginitatis est gloria? Neque vero nos negamus sanctificatum a Christo esse conjugium .... Sed prius est, quod nati sumus, quam quod effecti; multoque præstantius divini operis mysterium (ministerium), *quam humanæ fragilitatis remedium. Jure laudatur bona uxor, sed melius pia virgo præfertur, dicente Apostolo:* Qui jungit virginem suam, bene facit; & qui non jungit, melius facit. Hæc enim cogitat quæ Dei sunt, illa quæ mundi. *Illa conjugalibus vinculis colligata est, hæc libera vinculorum; illa sub lege, ista sub gratia; bonum conjugium, per quod est inventa posteritas successionis humanæ; sed melior virginitas, per quam regni cælestis hæreditas acquisita, & cælestium meritorum reperta successio. Per mulierem culpa successit, per virginem salus evenit. Denique speciale sibi donum virginitatis Christus elegit, & integritatis munus exhibuit, atque in se repræsentavit quod elegit in matre .... hæc est virgo quæ in utero concepit, virgo quæ peperit filium. Sic enim scriptum est:* Ecce Virgo in utero accipiet, & pariet filium. (Isaiæ 7.) *Non enim concepturam tantummodo virginem, sed & parituram virginem dixit .... Quid autem etiam viduitatis attexemus præconia, cum in Evangelio post Virginis celeberrimum partum, Anna vidua subrogetur? .... Merito ab illis viduitas despicitur, quæ solet observare jejunia, quibus se dolent isti aliquo tempore esse maceratos, & propriam ulciscuntur injuriam, quotidianisque conviviis, usque luxuria, laborem abstinentiæ propulsare desiderant .... Itaque Jovinianum, Auxentium, Germinatorem, Felicem, Plotinum, Genialem, Martinianum, Januarium & Ingeniosum, quos Sanctitas tua damnavit, scias apud nos quoque secundum judicium tuum esse damnatos.* (Mediolanensis Concilii Patrum Epistola.)

IRREGULARITAS. Designatur hoc vocabulo canonicum, scilicet Ecclesiæ canonibus institutum impedimentum quod ex quibusdam defectibus, & quibusdam criminibus oritur, afficitque, ut ne quispiam tonsuram & ordines quos non habet, licite suscipere, eorumve quos suscepit, itemque ecclesiasticæ jurisdictionis iisdem addictæ munia obire, aut denique ecclesiasticum beneficium valide consequi possit, nisi prius dispensationem obtinuerit.

Vox *irregularitas*, haud ea quidem disertis, seu formalibus verbis in antiquis canonibus legitur; eamdem tamen æquivalenter, seu quoad substantiam innuunt hæ veteres locutiones: *alienus a regula seu canone, devius a regula, secundum regulam non probatus*; hæc enim verba nihil aliud quam hominem vere irregularem significant, qui ab ordinibus exclusus est, quia non est regulis canonibusque conformis, aut quia qualitatibus caret, quas Ecclesiæ regulæ canonesque præscribunt, ut ordines suscipiantur, eorumve qui suscepti sunt, officia peragantur.

§. I.

De Irregularitatis divisione.

OLim, & per plura quidem sæcula, non aliæ propemodum irregularitates innotescebant, quam quæ e crimine, vel a criminis suspicione derivabantur, quod reum reddebat irregularem, & ab ordinibus arcebant, eiva eorumdem exercitationem interdicebant. Deinceps, ac sub Innocentii Papæ III. tempus, qui an. 1198. electus fuit, cœptæ sunt irregularitates distingui, quæ ex defectu, quæque ex culpa originem trahunt.

Irregularitas quæ ex defectu est, indignitatem aliquam sequitur, quæ ordinibus quempiam minus idoneum reddit, quin reum afficiat.

Irregularitas quæ ex culpa oritur, fundamenti loco crimina quædam habet, quæ ab ordinum susceptione, eorumve functionibus eos arcent, qui ejusmodi crimina perpetrarunt.

Irregularitatum quæ ex defectu proveniunt, itemque defectuum qui irregularitatem pariunt, octo genera sunt; est enim 1. natalium defectus; 2. rationis, seu mentis defectus; 3. defectus corporis; 4. defectus

ætatis;

ætatis; 5. libertatis defectus; 6. defectus famæ: 7. bigamiæ; 8. lenitatis defectus.

Quæ porro irregularitatem afferunt, crimina quinque ſunt; 1. homicidium; 2. baptiſmatis iteratio; 3. ordinum mala ſuſceptio; 4. mala ſuſceptorum eorumdem ordinum exercitatio; 5. hæreſis.

Has omnes & ſingulas irregularitates hi verſiculi complectuntur:

Qui ſpurius, juveniſve, animis aut corpore læſus,
Mancipium, bigamus, judex, famave notatus,
Errans, bis tingens, male qui promotus ad aram,
Aut male qui ſervit, fraterna & cæde cruentus,
Quiſquis hic eſt, ſacris nunc ſaltem altaribus abſit.

Tribuitur etiam irregularitas in perpetuam, temporalem, totalem, partialem; in eam quæ ex naturali & divino, in eamque quæ ex eccleſiaſtico tantum jure oritur.

Irregularitas perpetua eſt, quæ omnino tolli non poteſt, aut quam ſolum tollere poteſt diſpenſatio.

Primi generis irregularitas in cæco, aut muto; ſecundi in homicida eſt.

Irregularitas temporalis tollitur lapſo temporis: ejuſmodi eſt quæ ex ætatis defectu naſcitur; hæc enim ceſſat, cum ad ætatem quæ requiritur, ventum eſt.

Irregularitas totalis ab omni ordine, ab omni ordinis exercitatione, & ab omni beneficio prorſus excludit; partialis autem non niſi ab horum rerum aliqua, vel aliquibus arcet.

Naturalis juris, itemque divini juris irregularitas in eo reperitur, qui non baptizatus, aut feminini ſexus eſt.

Eccleſiaſtici juris irregularitas nititur Eccleſiæ legibus, quæ ab ordinibus quoſdam amovet, ut ſpurios, &c.

§. II.

De irregularitatis cauſis.

IRregularitatum inſtitutionis cauſa finalis, ſeu finis eſt religionis honos, Deique cultus majeſtas; decet enim, atque adeo neceſſe eſt divini Nominis miniſtros a quibuſdam peccatis, aut a quibuſdam defectibus qui apud populum eos dedecorant, immunes eſſe.

Irregularitatis efficiens cauſa, generale Concilium, vel unus & unicus Papa eſt, quia generalia ſolum Concilia, ſummuſque Pontifex irregularitates inſtituendi jure pollent, quemadmodum conſtans uſus in Eccleſia ad nos uſque ſervatus probat; quandoquidem nulla adeſt irregularitas præter eas quæ a communi jure latæ ſunt; commune autem jus omnino generalium Conciliorum, aut ſummorum Pontificum auctoritate nititur.

Cauſa materialis proxima, ut cum ſcholis loquamur, ſeu occaſio quæ irregularitati locum præbet, eſt defectus ipſe, ſeu lethale peccatum, illudque externum, & in ſuo genere conſummatum.

Irregularitatis cauſa formalis dicta, ſeu forma verbis quæ irregularitatem innuunt, continetur; hæc autem verba jus non decernit.

§. III.

De irregularitatis effectis.

IRregularitas parit effecta quatuor; impedit, ne ordines qui non habentur, licite, aut valide ſuſcipiantur; eadem impedimento eſt, ne, qui habentur, licite exerceantur, itemque ne ulli liceat juriſdictione quæ iiſdem addicta eſt; ea quoque ulli accipiendo beneficio ineptum reddit; demum efficit, ut irregulares lethalis culpæ rei ſint, ſiquidem ordines ſuſcipiant, aut ſuſceptos exerceant.

1. Irregularitas impedit, quominus ordines ſeu licite, ſeu valide ſuſcipiantur; quemadmodum enim impedimenta ſunt quæ illud abrogant, dirimuntque, quæque ſolummodo illicitum reddunt, ita etiam ſunt canonica quoad ordines impedimenta, quæ nullam prorſus & irritam, itemque alia quæ ſolum illicitam ordinationem reddunt. Primi generis impedimenta ſunt quæ ex naturali ac divino jure promanant; cujuſmodi ſunt baptiſmatis & maſculini ſexus defectus. Alterius vero generis impedimenta per quæ ſolum illicita redditur ordinatio, cætera omnia impedimenta ſunt, quæ ad eccleſiaſticum jus tantummodo ſpectant.

2. Suſceptorum ordinum, hiſque addictæ juriſdictionis uſum exercitationemve impedit irregularitas;

ex quo fit, ut ſacerdos irregularis nec licite ſacrum facere, nec ſub utraque ſpecie communionem ſumere, nec ſe per hoſtiam ab alio, vel ab ipſo, antequam irregularis eſſet, conſecratam communicare, &c. poſſit.

3. Irregularitas neminem non cuivis beneficio ineptum reddit, adeoque in irregularis gratiam facta collatio nulla prorſus & invalida foret. Ab hac ſententia ſtant fere theologi, nixi capite *Dudum*, 22. *de Election.* & Tridentini Concilii ſeſſionis 14. capite 7. quod ullum irregulari beneficium tribui vetat; quamvis enim hujuſmodi collationem haud apertis rotundiſque verbis nullam declaret, hac tamen notione illud uſus & univerſim theologi intelligunt. Præterea irregularitas eccleſiaſticarum penſionum ſuſceptionem invalidam reddit, a ſtilo Romanæ curiæ, ut docet Navarrus, lib. 5. *Conſil.* conſ. 44. Nullam ergo, & potiore quidem ratione, beneficiorum collationem reddit; ex quo ſequitur irregularem beneficii fructus reſtituere debere, quod ei in irregularitate collatum fuit; electionis, præſentationis, collationis beneficiorum acta & id genus alia valide exercere non poſſe; novum, ſeu in interno, ſeu in externo foro, ordinariæ juriſdictioni recipiendæ inhabilem eſſe, quia beneficii aut dignitatis, cui irregularis impar eſt, intrinſeco titulo nititur ejuſmodi juriſdictio. Poteſt idem tamen novam juriſdictionem delegatam ſuſcipere, quæ pura putaque commiſſione nititur, ſi juriſdictionem ad audiendas confeſſiones neceſſariam excipias.

4. Quicumque ordines, ipſamque tonſuram in irregularitate violet, ſe lethali peccato obſtringit, quia haud vulgarem, in re gravi, Eccleſiæ legem violat.

§. IV.

De rationum momentis quæ irregularitatem impediunt.

1. OBlivio, oſcitantia, bona fides, materiæ levitas, & generatim quicquid a mortali peccato excuſat, irregularitatem quæ a peccato eſt, impedit, quia nemo tam gravem pœnam niſi ob lethalem culpam ſubire poteſt. At quæ ex defectu dimanat, irregularitas, defectum ipſum ſolum conſequitur, quin ab ulla penitus culpa pendeat.

2. Ignorantia vincibilis dicta, ſeu juris, ſeu facti ſit, quia a gravi peccato non excuſat, irregularitatem non impedit.

3. Juris dubitatio irregularitatem impedit, quia leges hanc pœnam in eos non ferunt, qui in ejuſmodi dubitatione verſantes agunt; at qui in facti, quod homicidium, dubitatione eſt, ſe tamquam irregularem ſpectare debet, pro ut Innocentius III. *de Homicidio volunt.* cap. 18. Clemens III. cap. 12. Honorius III. cap. 24. definiunt; a quorum ſententia infert S. Thomas (*Quodlibeto* 4.), cum in pugna perſonæ duæ occiſæ jacuerunt, quin innoteſcat, qui eas occiderint, pugnantes omnes ſe tamquam irregulares gerere debere. Excipitur facti ſpecies, in qua qui occiderent, id ſuæ ſolum ſervandæ vitæ animo facerent, nempe, quoad injuſtos aggreſſores, intra juſtæ defenſionis fines ſe continerent. Sequitur hinc cum diſpenſatione ad ſuſcipiendos ordines indigere, qui quempiam percuſſit, dubitatque, an ex impactis ictibus occubuerit; qui item abortus cauſa fuit, dubitatque, an fœtus animatus eſſet; qui pariter homicidium conſuluit, dubitatque, an reapſe conſilium in mortem influxerit. Idem dicendum de medico qui non ſine fundamento dubitat ſe ægrotantis morti cauſam præbuiſſe.

4. In facti dubio, quod homicidium non ſpectat, irregularitas non contrahitur, quia jus expreſſis verbis id non decernit, ut pene omnes theologi docent.

§. V.

De irregularitate defectus natalium.

1. IRregularitas defectus natalium ex illegitima nativitate oritur; illegitima autem nativitas eſt, quoties ex alia quam legitimi matrimonii conjunctione derivatur. Ut hæc nativitas impedimentum ſit, non eſt neceſſe publicum id vitii eſſe, illud ei notum eſſe ſatis eſt, qui eodem laborat. Itaque illegitimi ſeu ſpurii, tam occulti quam publici, ſunt irregulares, ſeu phyſice illegitimi ſint, e parentibus ſcilicet haud vere conjugatis nati, ſeu canonice tantum ſint illegitimi, hoc eſt, e parentibus orti; qui per verum quidem matrimonium conjuncti erant, ſed cujus tamen illicitus uſus evaſerat, propterea quod eorum alter, ſacros ordines ſuſcipiens, aut religioni nomen dans, ſolemne caſtitatis votum ediderat.

2. Expositos infantes irregulares esse ajunt alii, negant alii; at convenit inter omnes, quoad omnes ordines, & quoad omnium generum beneficia, cum iis dispensare Episcopos posse.

3. E vero matrimonio, seu tamquam sacramento, seu tamquam civili contractu nati filii legitimi sunt, ad ordines & beneficia quod attinet. Idem de iis dicendum qui ex matrimonio nati sunt, quod nullum erat ob dirimens impedimentum in cujus ignoratione saltem parentum unus invincibiliter versabatur. Eadem est eorum ratio qui ex fornicatione quidem nati, legitimi tamen per patris & matris matrimonium subsequens evaserunt. Nititur hæc legitimatio fictione juris, in eo posita, quod pueri pater & mater, quoniam absolute liberi erant, mutuoque matrimonium inire poterant, cum is conceptus fuit, reapse conjugati fuisse ponuntur. Sixtus IV. per Constitutionem an. 1576. declaravit, ad cardinalatus dignitatem, legitimationem ex subsequenti matrimonio provenientem nequaquam sufficere, sed vitii nihil natalibus inesse oportere. Jam vero illegitimi filii quos etiam deterior conjunctio, quam fornicatio, ut adulterium, incestus, sacrilegium in lucem edidit, haud hi quidem per subsequens matrimonium legitimi sunt.

4. Irregularitas quæ ex natalium defectu oritur triplici ratione tollitur. Prima est per religiosam professionem, quoad ordines, & beneficia simplicia tantum; non autem quoad prælaturas, tam regulares, quam saculares, ad quas Romanæ Sedis dispensatio requiritur. Huic privilegio id causæ est, quod, cum religiosi extra incontinentiæ occasionem sint, nullus est timendi locus, ne suorum hi parentum incontinentiam imitentur; qui sane timor efficit, ut illegitimi filii ab ordinibus arceantur.

Altera irregularitatis quæ ex natalium defectu nascitur, tollendæ ratio legitimatione continetur quæ vel per subsequens matrimonium, vel a summo Pontifice, sine hoc matrimonio, perficitur.

Posita demum est ratio tertia in dispensatione quæ pertinet ad Papam unum, quoad majores ordines, & beneficia quæ animarum curam adjunctam habent; & ad Episcopos, quoad tonsuram, minores ordines & beneficia simplicia, quæ nec dignitates sunt, nec personatus, nec summo Pontifici reservata, & quæ denique, ut cuipiam conferantur, in eo sacros ordines reapse non postulant.

Certum est, inquit P. Thomassinus, (Ecclesiæ Disciplina, lib. 2. cap. 4.) primis Ecclesiæ seculis, nec ad ordines, nec ad beneficia, ullam natalium defectui inhabilitatem addictam fuisse. Vitium hoc Græca quidem Ecclesia tamquam ordinationis impedimentum numquam spectavit, Ecclesia vero Latina non illud primo protulit nisi in eos qui ex infami sacerdotum concubinatu nati essent; quod deinde ad alios omnes illegitimos filios devenit, quemadmodum ex undecimi seculi Conciliis compertum fit.

Ut filii presbyterorum, sive diaconorum, sive subdiaconorum, in sacerdotio, vel diaconatu, vel subdiaconatu nati, nullo modo ulterius ad clericatum suscipiantur; quia tales, & omnes alii qui de non legitimo conjugio sunt nati, semen maledictum in Scripturis divinis appellantur, nec apud saculares leges hæreditari possunt, neque in testimonium suscipi. Et qui de talibus clerici nunc sunt, sacros ordines non accipiant; sed in quocunque gradu nunc sunt, in eo tantum permaneant, & ultra non promoveantur. (Concilium Bituricense, an. 1031. can. 8.)

Ut filii presbyterorum, & cæteri ex fornicatione nati ad sacros gradus non provehantur, nisi aut monachi fiant, aut in congregatione canonica regulariter vivant. Prælationes vero nullatenus habeant; sed neque servi, nisi a Dominis suis libertate donentur. (Concilium Pictaviense, an. 1078. can. 8.)

Ut nulli filii concubinarum ad ordines, vel aliquos honores ecclesiasticos promoveantur, nisi monachaliter, vel canonice vixerint in Ecclesia. (Concil. Claromontiense, an. 1095. can. 11.)

§. VI.

Recensentur animi seu mentis defectus tres, videlicet, rationis, scientiæ & fidei defectus.

1. QUicunque rationis usu non pollent, irregulares sunt. Spectant ad genus hoc infantes, fatui, lunatici, epileptici, energumeni, furiosi, & horum similes, quamvis iis lucida intervalla suppetant. Hi quidem; ubi perfecte convaluerunt, ordinem suscipere possunt cum Papæ dispensatione, qui eam unus tam ob animi, quam ob corporis defectus, tribuere potest, ut vulgo docent Canonistæ. Si morbis his post susceptos ordines correpti fuerint, eos, valetudine cumulate reparata, quod longam probationem postulat, & non aliter, obire possunt. Epilepsia, seu morbi comitialis eventa, siquidem ante pubertatis ætatem solummodo contigerunt, irregularitatem non pariunt, quia epilepsia cum hac ætate disjicitur; quod si postea contigerint, expectanda est viginti quinque annorum ætas, quibus elapsis malum hoc fere semper insanabile evadit, adeoque epilepsici qui nati sunt annos viginti quinque, sine dispensatione ordines nec suscipere, nec exercere possunt. Hi morbi beneficiis non privant; beneficiarios tantum adigunt, ut vicarios habeant. Vertigines irregularem non reddunt; at sacerdotes qui graviter iis laborant, ob irreverentiæ periculum, celebrare non possunt.

2. Trident. synod. sess. 23. postulat, ut, qui tonsuram suscipere volunt, confirmati sint; fidei elementa didicerint; legere & scribere sciant; requirit ad minores quatuor, ut latina sciatur; ad subdiaconatum & diaconatum, ut adsit eorum cognitio quæ ordinis sacramentum & officium afficiunt; ad sacerdotium, ut sacramenta administrari, quæque ad salutem necessaria sunt, populus doceri possit. Congruæ hujus a Concilio requisitæ scientiæ defectus irregularitatem parit, quia qui hoc vitio laborant, sanctis functionibus apti non sunt; quod causæ fuit, ut Papa Gelasius irregulares pronuntiarat *illiteratos* (cap. 1. dist. 36.). Super hac irregularitate solus Papa dispensare potest, dummodo scientiæ defectus gravis non sit; quique dispensationem obtinuit, a functionibus abstineat, quibus ineptus est, quoad necessariam scientiam adeptus fuerit; aliasque nemo sit qui digne officium obire possit, in cujus gratiam dispensatio concessa est.

3. Firmæ constantisque fidei defectus irregularitati causam præbet; Neophyti scilicet, seu qui fidem recens amplexi sunt, irregularitati subsunt, quoad satis probati fuerint, quemadmodum post S. Paulum in primæ ad Timotheum Epistolæ capite tertio Concilia declararunt. Huic porro probationi tempus unice ex ejus qui probatur, animi præparatione statuendem est.

Quoniam permulta, sive per necessitatem, sive ex quacunque causa, contra regulam gesta sunt, ita ut homines ex vita gentili nuper adhuc catechizati, vel instituti, statim ad spiritalem baptismum venissent, & continuo cum baptizati sunt, etiam ad episcopatum, vel ad presbyterium provecti sunt; recte igitur visum est, de cætero nihil tale debere fieri. Nam & tempore opus est, ut sit catechumenus; & post baptismum multa probatione indiget. Evidens namque est apostolicum præceptum, dicens: Non Neophytum, ne forte elatus in judicium incurrat, & laqueum diaboli. *Si vero, procedente tempore, aliquod peccatum admiserit, & convictus duobus vel tribus testibus fuerit; cesset a clero, qui ejusmodi est. Si quis vero præter hæc facit, tamquam contraria statutis sancti Concilii gerens, etiam ipse periclitabitur de statu sui cleri.* (Primum generale Nicænum Concilium, an. 325. canon. 2.)

Ordinari ad diaconatus ac sacerdotii officium Neophytum non debere. (Concilium Arelatense, an. 442. canon. 1.)

Bene quidem Majorum regulis definitum est, ut dæmoniis, aliisque passionibus irretitis ministeria sacra tractare non liceat. Cui præcepto consensu rationis adhibito, id communiter definimus, ut nullus de his qui aut in terram a dæmonibus arrepti eliduntur, aut qualibet modo vexationis incursibus afferuntur, vel sacris audeant ministrare altaribus, vel indiscussi se divinis ingerant sacramentis. (Concil. Toletanum, an. 1175. can. 13.)

§. VII.

De Irregularitate defectus corporis.

1. QUamvis injustum sit ob corporales defectus quempiam contemni; Ecclesiæ tamen visum est ejusmodi vitiis laborantes homines a sacro ministerio arceri oportere, quia ægre impediri potest, ne populus nos despiciat, timendumque est, ne eorumdem contemptus in sanctum ipsum ministerium resiliat. Quamobrem irregularitas non ex iis solum corporis vitiis oritur, quæ, ne omnino sacra munia perficiantur, impediunt, sed ex iis etiam, quæ impedimento sunt, ne eadem sine periculo, aut sine scandalo, aut sine irreverentia, aut quin horrore populus afficiatur, aidemve, quoad Religionis ministros, contemptus occasio præbeatur, peragi possint. Ejusmodi sunt defectus qui sequuntur: Si manus deest; si deest unguis pollicis manus dexteræ, ita nempe, ut id vitii impediat, quominus hostia frangi possit; si desunt digiti duo cum di-

midiæ manus palma; si pollex ipse prorsus, aliusve a digitis ad sacerdotalia ministeria necessariis, eorumve pars ita deest, ut sine scandalo celebrari non possit; his vitiis addenda hæc; manus tremor qui ad calicis effusionem exponat; oculi, quicunque sit, deficientia; integra cæcitas; macula, aut alia gravis deformitas in oculo, quæ horrorem afferat; si nasus deest; item si crus aut pes, ita quidem, ut ad altare servitium sine baculo præstari nequeat; in eodem numero est auris carentia, quæ capillis tegi non potest; admodum insignem in modum gibbus, &c.

2. Latentis membri defectus qui nec periculum, nec horrorem affert, irregularitatem non parit ipse per se, sed tum solum, cum id membri ipse sibi quispiam abscidit, suave culpa dignus fuit, cui illud amputaretur: irregulares proinde sunt, qui se ipsi eunuchos faciunt, aut qui se eunuchos fieri sinunt, vel ut vocem servent, vel ut ab aliquo morbo sanentur, vel etiam ut castitatem custodiant; qui tamen a medicis, valetudinis ergo, vel a barbaris eunuchus affectus fuisset, irregularis non esset; ejusmodi autem foret, si hæc ei pœna jure ac merito ob aliquam culpam, seu magistratus jussu, seu aliter, inflicta fuisset.

3. Leprosi & peste corrupti irregulares sunt. Ethiopes, & nigri cæteri in hunc numerum referendi, necne, sint, dubitatur. Ex hoc porro genere hermaphrodita profecto sunt; ita nihilominus, ut, si virilis sexus in iis prævaleat, ordines valide, quamvis illicite, suscipere possint.

4. Corporis vitia quæ ordines antecedunt, ab omnibus ordinibus arcent; quæ vero susceptos ordines subsequuntur, e functionibus mutum amovent, quæ exerceri non possunt. Defectus qui tonsuram præcedunt, ab omni beneficio, quique sequuntur, ab iis tantum excludunt, quibus imparem hi defectus hominem reddunt.

5. In dubio, an defectus irregularitatem importet, standum est ordinarii judicio.

6. Irregularitas quam corporis defectus parit, per ejusdem defectus cessationem, aut per Papæ dispensationem cessat, cui scilicet usui hæc dispensationum genera reservavit.

§. VIII.

De Irregularitate defectus ætatis.

IRregularitas quæ ex ætatis defectu est, tum existit, cum ætas deest, quæ communi, aut peculiari jure ad ordines, vel ad beneficia requiritur. Itaque, cum quarumdam diœcæseon peculiari jus ad tonsuram quatuordecim, & ad minores ordines octodecim annos postulat; qui hanc ætatem non attigerunt, irregulares, quoad tonsuram & minores ordines, sunt, canonico scilicet ad tonsuram & minores ordines impedimento subsunt. Reliquos ordines quod spectat, irregularis est, communi jure, ad subdiaconatum, qui ætatis annum vicesimum primum nondum complevit; ad diaconatum, qui vicesimi secundi finem non attigit; ad presbyteratum, qui vicesimum quintum non inchoavit; ad episcopatum, qui non explevit ætatis annos triginta. Hic postremus articulus in Gallia receptus non est, ubi satis habetur, annos viginti septem inceptos esse.

Impedimentum defectus ætatis quoad ordines, ad beneficia quoque protenditur, quæ ordines postulant; ad hæc scilicet beneficia ætas opus est, quæ ad ordines iisdem additos requiritur. Est hac in re duplex exceptio; spectat una dignitates, animarum oneri obnoxias, ad quas semper annis viginti quinque inceptis opus est, tametsi non desint, quæ, sacris canonibus ita statuentibus, diacono contentæ sint; spectat altera dignitates cæteras, præbendas, portionesque, quibus ordo aliquis adnexus est; ad hæc beneficia, ætatem adesse, quæ sufficit, ut ob ea requisitus ordo intra annum ab inita possessione numerandum suscipi possit. In Gallia fere incipit enumeratio post pacificæ possessionis annum, ut proinde proviso ad promotionem integri suppetant anni duo. Ex communi, generatim recepto jure, irregularis, quoad pœnitentiariam, ob ætatis defectum est, qui annos quadraginta nondum complevit. Est hoc unicum seculare beneficium quod grandiorem quam quivis alius ordinum, ætatem postulat. Abbatiæ quoque quadragesimum ætatis annum in fœminis sibi vindicant, si regiæ nominationis abbatias exceperis, ad quas sufficiunt inchoati anni viginti tres. (Gibertus, *Instit. Ecclesiast. & benefic.* Tom I. p. 241. & 242.)

§. IX.

De libertatis defectus Irregularitate.

QUadruplicis generis homines, ex communi jure, ob irregularitatis defectum, irregulares sunt; videlicet, captivi, conjugati, magistratus *curiales* dicti, quique ob magnam pecuniæ vim, rationem reddere debent.

1. Captivi, seu servi irregulares sunt; & siquidem absque dominorum venia initiati fuerint, domini ipsi sarciendi sunt, ad eosve remittendi ipsorum captivi, postquam gradu dejecti sunt, si majores ordines susceperunt: *Servos in clerum provehi sine voluntate dominorum non permittimus, ad eorum qui possident, molestiam.... Si quando autem etiam dignus servus visus sit, qui ad gradum eligatur, qualis noster quoque Onesimus visus est, & domini concesserint, ac liberaverint, & ædibus emiserint, fiant.* (Can. Appost. 81.)

Impedimentum hoc statu & conditione servorum nititur, qui propterea quia sui juris non sunt, seu suarum personarum domini, nec Ecclesiæ se dedere, nec eadem servitia quæ a suis ipsa ministris expectat, præstare possunt. Impedimento huic in Gallia non est locus, quia ibidem personalis servitus non recipitur, statimque ac servus in eam pedem infert, pristinam libertatem recuperat. Turcæ Mauri, aliique barbari homines qui, ut in Regis triremibus, & alibi serviant, emuntur, non aliter quam bello capti spectantur; nec ad ordines, perinde atque ad matrimonium dispensatione indigent, tametsi servitus in dirimentium impedimentorum numero sit. In Nivernensi consuetudine, qui servili conditione sunt, clero filios adscribere, sine expressa domini venia, non possunt; quod si fecerint, quin eam obtinuerint, id domino juris est, ut ab iis ob tributaria opera, & personalia onera quæ eidem debent, indemnitatem exigant. Remensis Concilii, an. 630. habiti canon 6. designare videtur id genus homines: *Hi quos publicus census spectat, sine permissu Principis, vel judicis, se ad religionem sociare non audeant.*

2. Nullus ordo, ne tonsura quidem homini conjugato conferri potest, nisi forte ejus uxor in id consentiat, & religiosam professionem, si junior est, amplectetur, aut, si admodum provecta ætate est, perpetuæ in civili societate castitatis votum emittat.

3. Populi servitio addicti magistratus olim irregulares erant; at hæc irregularitas non amplius subsistit.

4. Qui ob gravem pecuniæ summam, seu publica, seu privatim, rationem reddere tenebantur, irregulares erant, ex jure veteri; ejusmodi erant tutores, procuratores, administratores, &c. *Actores & executores seu procuratores pupillorum, si post depositum onera, & redditas ratiocinia, actus vita ipsorum fuerint comprobati in omnibus, possunt, si postulati fuerint, honore munerari* (can. *Magnus*, tit. *de Obligat. ad ratioc.*). Ejusmodi canones non amplius in Gallia usui sunt, ibique diebus singulis, qui publicis muneribus functi sunt, antequam etiam rationem reddiderint, ordinibus initiantur; satius tamen tutiusque foret in hac facti specie Episcopum consuli.

§. X.

De famæ defectus Irregularitate.

IRregularitati quæ ex infamia defectu, seu ex infamia oritur, fundamentum suppeditat ea Juris regula (c. 87. *in Sexto*), dignitatum januas infamibus personis clausas esse debere. Distinguitur infamia juris, ea scilicet quæ ex crimine, vel ex vita ad scandalum prava dimanat; & infamia facti quæ ex professione nascitur, ad quam incumbitur. Ex utraque derivatur irregularitas; ac proinde tamquam irregulares spectandi sunt; 1. qui publice noti sunt ut rei alicujus criminum quibus jus infamiam addixit, cujusmodi, ut exempla proferam, læsæ majestatis, furti, proditionis, &c. crimina sunt; 2. qui histrionum, carnificum, mimorum, comœdorum, & ejusmodi artes professi sunt; 3. qui ad aliquam pœnam cum infamia conjunctam, ut ad triremes, ad ferreum collare, vulgo *berlinn*, a judice damnati fuere; 4. qui publicam pœnitentiam ob crimen scandalo obnoxiam subierunt; 5. eorum filii, qui ob læsæ majestatis crimen damnati sunt, hæreticorum filii & nepotes, filii pariter & nepotes eorum qui non sine violentia cardinalem percusserunt; 6. qui corporalis capturæ decreto ob crimen notati fuere.

Cessat infamia; 1. per publicam, reique hominis

culpæ respondentem emendationem; 2. per dispensationem summi Pontificis, atque adeo Episcopi qui eam quoad beneficiorum, ordinumque jam susceptorum usum tantum concedere potest, cum de criminibus adulterio minoribus agitur; 3. per baptismum, si de facti infamia sermo est, cujusmodi est histrionis, comœdi, &c. professio, 4. per domicilii mutationem in locoque commorationem, ubi qui infamiæ subest, non est hoc titulo notus, cum de facti pariter infamia sermo est.

§. XI.

De Irregularitate quæ ex bigamia proficiscitur,

MAtrimonium quodque semel aut pluries iteratum, itemque illud omne in quo partium altera conjugata fuit, *bigamia* nuncupatur. *Bigami*, quod inde consequitur, appellantur, qui bis conjugati fuere, quique matrimonia duo consummarunt, seu ante, seu post baptismum, ex Latinæ Ecclesiæ usu; qui viduam, aut ab alio corruptam duxerunt; qui cum uxoribus, postquam in adulterium lapsæ sunt, rem habuerunt; qui matrimonium inierunt, postquam sacrum ordinem susceperunt, aut solemnia religionis vota emiserunt. Omnes hi bigami irregulares sunt. *Vide* BIGAMIA,

§. XII.

De lenitatis defectus Irregularitate,

IRregularitati, quæ ex lenitatis defectu est, causam præbet voluntarius & proximus in hominis mortem, aut mutilationem influxus, quamvis utraque justa sit. Irregularitas hæc non minus quam Ecclesia, vetus est, quippe cui id fundamento est, homines, per ordines, ejus ministros fieri, qui cum agno ob mansuetudinem comparatur, qui hanc in primis virtutem suis discipulis commendavit, qui ne dum eos mori aut pati voluit, qui morte prœuisve cæteris digni erant, pro omnibus potius hominibus passus ipse mortuusque est, suoque se præterea quotidie patri, tamquam propitiationis victimam, per nostrorum altarium incruentum Sacrificium, ad eorumdem salutem offert. Ut hanc nimirum summi sacerdotis mansuetudinem suavitatemque imitentur, a sua Ecclesia ministris postulat, ut sanguinis puras manus habeant, semperque suum ipsorum potius quam fratrum sanguinem fundere parati sint.

Lenitatis defectus qui irregularitatem parit, occurrit 1. in omnibus fidelibus qui quempiam occidunt aut mutilant, aut ad mutilationem libera proximaque ratione conferunt; 2. in iis qui quempiam criminaliter persequuntur, siquidem eum judex ad mortem, vel ad mutilationem damnaverit; 3. exterorum quidem Theologorum sententia, in testibus quorum depositionem accusati mors, aut mutilatio subsequitur; in Gallia, testes & denuntiatores irregulares non sunt, nisi se ipsi præsentaverint, quin accerentur, & ad vindictam, ex aliove animi impetu deposuerint; 4. in procuratoribus, causidicis, actuariisque, ut exteri pariter Theologi docent; & in Galliis, procuratores & causidici irregulares non sunt, nisi in causa fuerint, ut innocens mortem subiret, propterea quod eum male, reumve contra justum accusatorem studiosius fatiusque, quam par erat, defenderunt; theologi, Galli quoque, ad actuarios, seu graffarios quod attinet, secti sunt; & hi quidem, ut tutius agatur, dispensationem obtinere debent; 5. in Gallis, ut alibi, occurrit lenitatis defectus in judicibus qui ad mortem, aut mutilationem damnarunt; in advocatis & procuratoribus regis ad regia tribunalia spectantibus, & in cæterorum sæcularium tribunalium procuratoribus fiscalibus, qui conclusiones ad mortem aut mutilationem tendentes, cum eæ quidem secutæ sunt, ediderunt; in satellitibus qui reum ad supplicium ducunt, & in sententiæ executoribus; in clericis qui adsistunt reorum morti, ut iis faveant, & auctoritatem addant, qui eos damnarunt ipsorum nomine, & non aliter; in iis qui ligna ad reum comburendum injiciunt aut afferunt; in operariis qui quidem supplicii instrumenta solum in carnificum gratiam conficerent; in iis qui in prælio interfecerunt, aut mutilarunt, tum etiam cum, an interfecerint, aut mutilaverint, dubitatur, atque adeo tum quoque cum bellum justum est; quod si illud injustum fuerit, satis ex jure est adfuisse conflictui, seu militari facinori, in quo cujuspiam occisio contigerit; 6 occurrit lenitatis defectus etiam in medicis & chirurgis qui, culpa sua, cujuspiam mortis aut mutilationis, haud servatis artis regulis, causa sunt; & in clericis qui medicinam & chirurgiam cum adustione aut incisione profitentur; non item in iis qui hanc exercent ex artis regulis, & quin adustio, aut incisio locum habeant, quia jus iis hanc exercitationem non interdicit.

Papa unus, ejusque delegati super hac irregularitate dispensare potest; ut enim Tridentina synodus statuit, eo tantum jure gaudent Episcopi, ut irregularitatum dispensationem tribuant, quæ ex delicto promanant; jam vero lenitatis defectu nixa irregularitas ex delicto non oritur,

§. XIII.

De Irregularitate quam homicidium affert,

HOmicidium irregularitatem parit, non solum cum data opera patratum est, verum etiam cum forte fortuna, seu casu quodam, citraque intentionem contigit; si reus illicitæ & periculosæ rei operam dabat, aut si id agens, quod licebat, in gravem negligentiam quæ eumdem lethalis culpæ reum efficeret, prolapsus est. Ergo tamquam irregulares spectandi sunt; 1. qui in singulari certamine, vel in bello aperte injusto, vel quavis alia ejusmodi occasione occiderunt, seu statim, ac prope momento temporis, seu sensim occiderint, ut propinato veneno quod suum non nisi pluribus post mensibus effectum edidit; 2. qui expresse aut tacite homicidium jusserunt, nisi jussa revocaverint, eique qui sibi homicidium patrandum sumpserat, revocationem significaverint; 3. qui quempiam percussum voluerunt, quem mandatarius mutilavit, aut interfecit, quamvis ei disertis verbis utrumque vetuerint; 4. qui homicidium consuluerunt, ita quidem, ut ad illud, seu occisorem designantes, seu ad facinus animum eidem addentes, vere conferrent; 5. qui illud approbant, ratumque habent, quamvis iis inscii, dummodo tamen eorum nomine, & ut ipsis gratum fuerit, patratum fuerit, e Juris regula (cap. 23. *de Sentent. excommun. in Sexto*): *Cum quis absque suo mandato manus injecit in clericum, suo nomine, violentas; si hoc ratum habueris, excommunicationem latam a canone incunctanter incurris, cum ratihabitio retrotrahatur, & mandato debeat comparari*. 6. In irregularium quoque numerum, homicidii causa, referendi sunt, quicunque ad illud efficaciter & proxime studium & operam contulerunt, ut qui venenum suppeditant, quod ad vitam adimendam facit, aut qui eum quem jubet interfici, detinent, ne elabatur; milites qui injusto in bello arma tulerunt, etiamsi eorum unus hostium quempiam interemisset, aut mutilasset, quia omnes & singuli unam tantum moralem causam conficiunt; qui ad id belli milites conscribunt, aut pecuniam, arma, vel ejusmodi quicquam præbent; testes, accusatores, & judices injusti; qui innocentem impediunt, ne se purget, quive hominis quem alter aggreditur, arma celant, impediendi causa, ne se defendat; qui occisioni adstant, cum occisorem adjuvare parati sunt, quamvis eum reapse non adjuvent; qui justitiæ vi homicidia impedire debent, nec, prout possunt, impediunt; cujusmodi sunt Principes, præsides, magistratus, &c. 7. Idem dicendum de clericis qui per igniariæ fistulæ ictum, seu venantes, seu se oblectantes, casu quempiam occidunt; itemque de iis qui prævidere potuerunt, atque adeo debuerunt contingere id sibi posse. 8. Est illud apud Romanam pœnitentiariam in more positum, ut eos habeant irregularium loco, qui mulieris abortum curant, licet dubitandi causa subsit, utrum fœtus animatus sit, necne, e communis juris regula: *In dubio via tutior semper est eligenda*, (Cap. 12. *de Homicidio*; & cap. 5. *de Cleric. Excommunic.*)

De mutilatione, quoad irregularitatem, perinde ac de homicidio pronuntiandum est. Jam vero mutilatio est membri amputatio, membri autem nomine venit corporis pars quæ peculiarem & a reliquis distinctam operationem obtinet, quæve alicujus actionis totale instrumentum est; ut manus, pes, lingua, nares, &c. Dentes, aures, digiti non ea membra sunt quorum abscissio irregularitatem inducat.

Summus unus Pontifex ab irregularitate quam voluntarium, seu justum, seu injustum sit, homicidium parit, dispensare potest; ab ea dispensant Episcopi, quæ ex fortuito occultoque homicidio, & ex injusta eademque occulta mutilatione proficiscitur.

Necessarium quoque homicidium, scilicet ob unam & unicam adversarii præveniendi necessitatem, ei adimenda ad propriam servandam vita, patratum vetus Eccle-

Ecclesiæ disciplinæ irregularitati subdebat. Cernitur id in Triboriensis Concilii, an. 895. habiti canone undecimo qui his verbis conceptus est : *Si quis clericus, quamvis nimium coactus, homicidium fecerit, sive sit presbyter, sive diaconus, deponatur*. Disciplinam hanc reformavit summus Pontifex Clemens V. apud generale Viennense Concilium, in Clementina *de Homicidio*, quæ ita habet : *Nullam ex hoc irregularitatem incurrit, qui aliter mortem vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem*. Id tamen Tridentina synodus ut certum ponit, ecclesiasticos qui in hanc facti speciem inciderunt, adhuc dispensatione indigere, sed quæ iis negari non potest. *Vide* hujus Concilii Textum verb. *Homicidium*. Hæc dispensatio, licet ex earum numero sit, quæ favorabiles appellantur, est sanctæ Sedi reservata.

§. XIV.

De Irregularitate quæ ex Baptismi iteratione oritur.

Baptismatis iteratio, citra justam causam peracta tum eum qui baptizat, tam eum qui sciens baptismum recipit, tum clericum qui cæremoniis adsistit, irregulares reddit ; & hæc irregularitas tam ad ordines, quam ad beneficia locum habet. Qui, apposita conditione, vel etiam absque conditione per oscitantiam, baptismi sacramentum iterant, quamvis eorum gravis negligentia obfuerit, quominus, an primum validum ratumque esset, inquirerent, nullam prorsus irregularitatem subeunt, quia non ea mente fuere, ut illud iterum conferant ; huic autem menti, priorisque baptismi contemptui hanc pœnam canones addixerunt. Theodorus Cantuariensis eos in irregularium numero ponit, qui bona fide rebaptizarunt ; & Cameracense Concilium, an. 1585. celebratum, tit. 6. cap. 7. eos pariter irregulares declarat, qui sub conditione rebaptizant, propterea quod de præcedentis baptismi validitate diligenter inquirere neglexerunt ; at hæ decisiones effectu carent. Hæc irregularitatis species prope locum non habet nisi inter Græcos schismaticos qui quoscunque Latinos ad suam communionem pertrahere possunt, rursus baptizant ; est enim in Latina Ecclesia propemodum inauditum, novo quempiam baptismate ablui, quem valide baptizatum esse constiterit, eumque voluntarie pati se iterum baptizari. (Cap. *Eos*, & cap. *Quibus*, *de Consecr.* dist. 4.)

Irregularitas quæ e baptismatis iteratione oritur, est Papæ reservata, cum publica est. Episcopi ab ea quæ occulta est, dispensare possunt.

§. XV.

De Irregularitate quæ ex prava Ordinum susceptione derivatur.

Ordinum prava seu illicita susceptio irregularitatem parit ; 1. cum ordinem fortuito quispiam suscepit absque acceptione, contraque Episcopi cum excommunicationis pœna conjunctam interdictionem ; 2. cum, post susceptos minores ordines, subdiaconatus sumitur, quin ad hunc ordinem approbatio præcesserit ; 3. cum ex Episcopi excommunicati & denunciati manu ordines suscipiuntur ; 4. cum minores ordines & subdiaconatus, aut subdiaconatus & diaconatus in eadem ordinatione sumuntur, quin Episcopus annuat, ac potiori jure, si præsul ipse id per excommunicationis pœnam vetuerit ; 5. cum sacrorum ordinum aliquis, constante matrimonio vel consummato, suscipitur.

§. XVI.

De Irregularitate quæ malum Ordinum usum sequitur.

1. Quicunque serio, scienter & solemniter obit sacri ordinis munia, quem non suscepit, irregularis evadit : *Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, ... nunquam ordinetur*. Eadem est ejus ratio, qui alterius confessionem audit, quin sacerdos sit, seu absolutionem ei tribuat, seu non.

2. Quicunque majori excommunicatione, suspensione, interdicto etiam occulto obstrictus est, irregularis evadit, si majores ordines absque legitima causa solemnem in modum exercet ; legitimæ porro causæ sunt ignorantia invincibilis, oscitantia, oblivio, scandali vitandi necessitas. Hinc illud consequens fit earum censurarum aliqua irretitum clericum, si hebdomadarii officium obeat, dicatque, *Dominus vobiscum*, in irregularitatem incidere ; si enim id non dicit, nihil facit aliud quam quod monales, officium recitantes faciunt. Perinde res habet, si subdiaconus Epistolam cum manipulo, & diaconus Evangelium cum stola, in earumdem censurarum aliqua versantes concinant ; si enim iis ornamentis induti non sint, non censentur sacrum ordinem exercere. Idem dicendum de clericis qui matrimonia celebrarent, aut baptisma solemnem in modum conferrent ; si enim privatim & absque ulla solemni forma baptizarent, ita requirente necessitate, irregulares non essent, quoniam id omnes facerent, quod ipsæ feminæ interdum faciunt. Idem de Episcopo sentiendum est, qui sanctum Chrisma conficit, dum alicui censuræ subest ; qui, licet extra solemnis Missæ tempus, Confirmationis sacramentum confert ; qui tonsuram, aut quatuor minores ordines tribuit ; qui Ecclesias, altaria, calices, patenas consecrat ; qui abbates, virgines, indumenta ad divinum servitium designata benedicit ; qui pollutas Ecclesias reconciliat, gradu clericos dejicit, excommunicatos non sine præscriptis solemnibus formis absolvit ; qui benedictionem populo solemnem in modum impertitur per ea verba : *Sit nomen Domini benedictum*, quia omnia hæc & singula munia ad episcopalem, aut sacerdotalem ordinem pertinent. Idem quoque judicium de abbatibus & sacerdotibus ferendum est, qui cum summi Pontificis venia episcopales aliquas functiones exercent ; itemque de sacerdotibus qui, quamvis invalide, absolutionem tribuunt, censuris obstricti, quia scilicet absolutioni non alia solemnitas, quam pronuntiatio verborum inest.

Multi nomine sacerdotes, censuram ecclesiasticam contemnentes, excommunicati, vel suspensi a prælatis ipsorum, exigentibus culpis suis.... attrectare sibi interdicta mysteria non verentur ; contra quos rigorem ecclesiasticum volumus exerceri. Statuimus igitur, ut tales, sine spe restitutionis, ab officiis & beneficiis deponantur, & infames & intestabiles sint, & de cætero ad beneficia ecclesiastica nullatenus admittantur, nisi per pœnitentiam approbatam, & conversionem laudabilem, sedis Apostolicæ gratiam meruerint obtinere. (Concilium Moguntinum, an. 1225. Statuto 3.)

3. Ab irregularitate quæ per censuræ violationem, sacrorum ordinum aliquo exercendo contrahitur, cum crimen publicum est, solus Papa dispensare potest ; cum crimen occultum est, dispensat Episcopus. Quod ad irregularitatem attinet, quam is subit qui ordinem quem non habet, exercet, Episcopus ab ea dispensat, quoad usum ordinis jam suscepti, post pœnitentiæ annos duos aut tres ; at eadem quoad superiores ordines suscipiendos summo Pontifici reservatur, cum publicum crimen est ; si enim occultum sit, Episcopus etiam ad superiores ordines obtinendos dispensat. C. 2. *de Cleric. non ordin. min.*

4. Animadversione dignum est, jurisdictionis per ecclesiasticum censuris obnoxium exercitatione irregularitatem non importari, quia solum ordinum, in hac facti specie exercitationi addicta hæc pœna est. At in quæstione est, an Episcopus super irregularitate dispensare possit, quæ ex censura dimanat, quam ipse tulit. Id eum posse Cardinalis Noviliscensis, Archiepiscopus Parisiensis in Mandato quod an. 1709. super casibus & censuris reservatis edidit, expressis verbis pronuntiat. Canonistæ vulgo contra sentiunt, hoc nixi principio, inferiorem a superioris legibus dispensare non posse ; jam vero lex quæ ecclesiasticum hominem qui sui Episcopi censuram violat, irregularem declarat, a Conciliis summisque Pontificibus emanavit, quemadmodum videre potest, quisquis titulum *de Clerico excommunicato ministrante* percurrerit ; Concilia vero, summique Pontifices unumquemque singillatim Episcopum longe multumque antecellunt.

§. XVII.

De Irregularitatis dispensatione.

Super irregularitatis dispensatione, scitu necessaria sunt potissimum duo ; primum refertur ad justas causas quæ ab irregularitate dispensationem exposcunt ; alterum personas spectat ad quas pertinet ejusmodi dispensationes concedere.

Quoad primum caput, Juris Corpori inserti canones, inquit Gibertus, (Institution. ecclesiastic. benefic. & benefic. Tom. 1. pag. 259.) non alias, ad irregularitatem quod attinet, dispensationis causas, quam urgentem Ecclesiæ necessitatem, aut evidentem ejusdem Ecclesiæ utilitatem approbant. In prima facti specie versatur Ecclesia, cum eidem personæ desunt, quibus ad ordines, aut ad beneficia requisitæ qualitates non insunt. Versatur eadem in altera facti specie, cum irre-

irregularitati obnoxii homines singularibus ingenii viribus polleant, quæ in iis exilitatem irregularitatem obliterent; cujusmodi esset spurius æque doctus, prudens, sapiens & pius, & quod inde consequitur, servitio utiliter Ecclesiæ præstando par. Sequitur hinc canonicas irregularitatum dispensationes non esse, quæ solum eorum qui petunt, eorumve qui iis consanguinitate junguntur, aut communitatum quarum iidem membra sunt, spectata paupertate tribuuntur; tum enim potissimum ob impetrantis, aut consanguineorum, aut communitatis utilitatem dispensatio conceditur.

Quod ad eos attinet, quibus irregularitatis dispensationes concedendi jus est, quodque ad eorumdem, quoad hanc rem, potestatis amplitudinem spectat, a regulis quæ sequuntur, quasque exceptiones quæ singulis congruunt, comitantur, judicari poterit.

Regula I.

Quæcunque ex transeuntis causæ vitio nascitur irregularitas, cessat statim atque eamdam causam cessare contingit, quin dispensatione opus sit, quoniam id genus irregularitates ad illud usque tempus solummodo latæ sunt, quo causæ subsistent, a quibus eædem originem trahunt. Quemobrem qui ob ætatis, scientiæ, libertatis, valetudinis, natalium defectum irregulares sunt, ejusmodi esse desinunt, cum ætas, scientia, libertas, quæ requiruntur, iisdem adsunt; cum mente & corpore convaluerunt; cum legitimi per matrimonium subsequens evaserunt. Ad irregularitates quibus est causa permanens, hæc regula non protenditur, ut ad eas omnes quæ ex delicto proveniunt, si infamiam & hæresin, in Gallia quidem, exceperis; nec magis eadem regula bigamiam, aut lenitatis defectum afficit.

Regula II.

Irregularitas, quæcunque ex proprio delicto ortum ducit, per baptisma tollitur, seu potius culpa, quæcunque fuerit, nullam irregularitatem parit ante baptismum, quia sacramentum hoc omnes peccati maculas, omnem quæ ex eo derivatur, indignitatem, turpitudinemque, omnia denique irregularitatum quæ illinc proficiscuntur, fundamenta de medio funditus adimit; non eadem est irregularitatum ratio, quibus defectus originem præbet, si unus excipiatur lenitatis defectus; quemadmodum enim ea vitia post baptismum subsistunt, ita irregularitates quæ ex iisdem oriuntur, & ipsæ perdurant.

Regula III.

Ad irregularitatis, quæcunque tandem ea sit, dispensationem religiosa professio viam sternit, efficitque, ut spurii sacros quidem ordines, non tamen prælaturas, ne regulares quidem ipsis suscipere possint. Ita statuit commune Jus, cap. 12. 3. *De eo qui furtive*; & cap. 1. *De filiis presb.*

Regula IV.

Dispensare possunt summi quidem Pontifices ab omnibus canonicis irregularitatibus; Episcopi autem ab iis quæ ex criminibus occultis oriuntur, ex iisque quæ ad contentiosum forum deductæ non sunt; excipitur irregularitas quæ ex voluntario homicidio derivatur, a qua solus Papa, quantumvis id criminis occultum sit, dispensare potest. Qua in re venit animadvertendum, non omne ad contentiosum forum deductum crimen irregularitati, summo Pontifici reservatæ causam præbere. Querela scilicet, aut inquisitio ad id non sufficiunt; denuntiatum in jus accitum fuisse, & succubuisse necesse est; si enim, vel e falsis probationibus, absolutus fuerit, ejus crimen occultum censetur; sin, ante judicium, cum parte transigit, tum etiam Episcopus dispensare potest.

Regula V.

Omnes irregularitates quæ ex defectu proveniunt, nonnullis exceptis, universim summo Pontifici reservatæ sunt. Ratio est, quia irregularitatis dispensatio Episcopo interdicta est, quoties e jure, vel a legitima consuetudine ei non conceditur; atqui irregularitatum ex defectu prodeuntium paucæ sunt, a quibus dispensendi facultatem Episcopo jus aut consuetudo concedunt; cujusmodi sunt irregularitates duæ, quarum una ex natalium defectu, altera ex similitudinaria bigamia derivantur. Irregularitates porro ex defectu prodeuntes universim summo Pontifici reservatas esse propterea dicimus, quia ab iisdem Episcopi dispensare possunt, cum dubiæ sunt, cumque irregulares, quominus ad Papam confugiant, aut paupertas, aut quod inde contingeret, scandalum impedit.

Hanc regulam Gibertus impugnat, inquiens principium quo ea nititur, procul dubio falsum esse, atque ut veritati congrueret, omnibus casibus Episcopo non expresse concessis accommodari non posse. At nobis quidem hujus strenui Canonistæ animadversiones & ratiocinationes impedimento non sunt, quominus institutæ regulæ, tamquam quoad usum tutiori standum putemus.

Regula VI.

Episcopi ab irregularitate, per censurarum quas ipsi tulerunt, violationem inita, cum publica est, dispensare non possunt. Ratio est, quia, licet censura quæ irregularitati occasionem præbet, ab Episcopo lata sit, irregularitas tamen quam subit qui hanc censuram violat, lata est e communi jure, cæterarumque proinde, quæ in communi jure continentur, irregularitatum naturam sequitur.

Regula VII.

Nulla irregularitas suscipienda, quæ in jure expressa non sit; ex quo fit, ut, in dubitationibus super jure, minime necesse sit ad dispensationem confugere, cum post maturum examen, facti species de qua dubitatur, expressis verbis notata in canone non occurrit.

Regula VIII.

Qui legitimis privilegiis gaudent, ut super irregularitate dispensent, iis uti possunt, quam late patent; adeoque, si prælati regulares ab omnibus irregularitatibus dispensendi facultatem a summis Pontificibus acceperunt, quemadmodum Salmanticenses theologi dicunt, satis auctoritatis obtinent, ut eadem utantur; at Episcopo semper id juris est, ut e religioso publice irregulari qui ad suscipiendos ordines ei se sisteret, privilegium quod jactat, sibi exhibitum velit; nec huic religioso sufficeret consuetudinem in medium afferre.

Regula IX.

Ut irregularitates quæ ex occultis criminibus oriuntur, bene penitus perspiciantur, animadvertendum est, posse crimen aliquod quoad actionem quæ ejus veluti materiam conficit, esse publicum, eodemque tempore quoad malitiam occultum esse. Causa exempli, si sacerdos latente excommunicatione irretitus, publice Missam celebret, actio quidem, seu Missæ celebratio publica erit, at peccatum quo se is obstringat, quodque irregularem eumdem reddat, occultum erit. Fieri & illud potest, ut notorium sit eum sacerdotem, postquam in excommunicationem incidit, celebrere, at idem tamen hujus censuræ absolutionem suscepisse censeatur; ac tum quidem adhuc occulta erit ejusdem censuræ violatio. In his duobus casibus peccata tamquam occulta spectanda sunt, idemque de irregularitatibus quæ ex iis prodierunt, statuendum est. Ita sentiunt D. *de Sainte-Beuve*, & P. Naverrus, Recolletus, Innocentii Papæ XI. pœnitentiarius.

Regula X.

Ex omnibus irregularitatum generibus, quæ ex delicto occulto proveniunt, ejus tantum quæ ex occulto homicidio derivatur, summo Pontifici reservata dispensatio est; & præterea requiritur, ut homicidium ipsum per se voluntarium sit, non fortuitum, seu per imprudentiam peractum, nec necessarium, seu ad propriam defendendam vitam editum, quæ contra jus fasque impetita fuerit, nec aliter servari potuerit. Super cæteris irregularitatum generibus, quæ ex occulto crimine oriuntur, Episcopo concessa est dispensatio, dummodo eædem per occulti criminis a quo natæ sunt, confessionem, aut apud judicem convictionem publicæ non evaserint: *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare; & in quibusdam casibus occultis, etiam sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in diœcesi sua*

per

per se ipsos, aut vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum vicariis, sit permissum. (Concilium Tridentinum, sess. XXIV. cap. 6. *de Reformat.*)

Regula XI.

Quoties qui irregularitate summo Pontifici reservata obstrictus est, legitimo impedimento detinetur, quominus ad eum dispensationis ergo confugiat, hanc ei Episcopus tribuere potest. Ratio est, quia legitimum impedimentum in causa est, ut reservationis lex perfici nequeat, id quod obligationem adimit, quam lex imponit: ut enim fert vulgaris regula: *nemo ad impossibile tenetur.* Legitima porro impedimenta quæ obsunt, ne reservationis legi possit fieri satis, non alia sunt, quam supplicantis paupertas, facta hypothesi de casibus agi, in quibus Datariæ dispensatione opus est, & scandalum cui dispensationis retardatio, siquidem ea Romæ peteretur, exponeret.

Regula XII.

Dispensationes quæ in externo foro usui esse debent, a Dataria, quæ vero in interno tantum foro debent inservire, a Pœnitentiaria sumuntur.

Regula XIII.

Si subsit dubitatio, an irregularitas reservata sit, itemque, an quæ dubio procul reservata est, inita fuerit, licet Episcopo super omni irregularitatum genere dispensare, propterea quod *odia restringi, & favores convenit ampliari.*

Regula XIV.

Tametsi communis rumor ferat certum quemdam hominem irregularem esse, & ea quidem irregularitate quæ sit summo Pontifici reservata, cum eo tamen tamquam irregulari non est agendum, nisi aliunde satis graves ejusmodi irregularitatis probationes suppetant. Nititur id ea juris regula: *Actore non probante, reus absolvitur.*

IRREGULARITAS. Parisiense Concil. an. 1212. Part. IV. cap. 16. fatuorum festum damnat his verbis: *A festis vero follorum, ubi baculus accipitur, omnino abstineatur. Idem fortius monachis & monialibus prohibemus.* Festum hoc, quod etiam subdiaconorum festum nuncupabatur, in Gallia quidem per annos amplius quingentos perstitit. Erat illud ineptiarum, scurrilitatum, indecori, sacrilegiorum plena lætitia, cui Clerici, subdiaconi, ipsique presbyteri vacabant in nonullis Ecclesiis, divini officii tempore, quadam Natale dominicum inter & Epiphaniæ diem, & præsertim anni die prima; quod in causa erat, ut festum idem etiam *Kalendarum Festum* appellaretur.

JUBÆUM, seu pulpitum, in Ecclesiis eminens locus, chorum & navim segregans, ad quem, evangelii dicendi causa, in solemnibus Missis ascenditur. Idem est atque ambo, seu tribuna, ubi edebantur publicæ lectiones omnes quæ divinorum officiorum tempora, diu noctuque, in Ecclesia recitabantur. Et quia lector, antequam lectionem inchoaret, a celebrante benedictionem petebat, his verbis: *Jube domne, benedicere;* populus *Jubæum* nuncupavit locum ipsum, e quo tam crebro ea locutio a lectoribus repetebatur. Aderant in Ecclesiis jam inde ab an. 420. jubæa, seu pulpita, quorum edita fuerunt ad altas lectiones alia. Quod evangelio deserviebat, in veteribus basilicis quæ ad Occidentem sitæ erant, ad Pontificis dexteram, quæ ad extremam absidis partem erat, collocatum fuit. E jubæo canere debebat nemo, præter cantores lectoresque: *Quod non oporteat amplius, præter eos qui regulariter cantores existunt, qui & de codice canunt, alios in pulpitum conscendere, & in Ecclesia psallere.* (Concilium Aquisgranense, an. 816. can. 76.)

JUBILARES, seu JUBILATI. Religiosus qui in aliquo monasterio ab edita professione quinquaginta annos exegit, ecclesiasticus qui per annos itidem quinquaginta certæ cuidam Ecclesiæ deservit, canonicus qui per illud temporis spatium, quod capitularia statuta præscribunt, officiis interfuit, *Jubilares*, seu *Jubilati* nuncupantur; in eamdem, ratione habita, significationem, qua antiqui, in seculari militia, *veteranos* vocabant. Sunt in Gallia, sunt in Belgio, sunt alibi capitula plura, e quorum statutis qui annos triginta canonici fuere, jubilares sunt; immunesque, hoc titulo, a lege, qua matutinis interesse jubentur, exceptis dominicis festisque diebus, ac tempore quo hebdomadarii fuerint, quin distributionum quæ præsentium peculiares & propriæ sunt, quicquam amittant. Verum abusive sunt statuta hæc, quippe quæ cum canonicatuum natura ipsa, quæ omnes canonicos non legitime impeditos divinis omnibus officiis adesse vult, cum generalium & particularium Conciliorum legibus, cum summorum Pontificum constitutionibus pugnant, in quos capitula nihil possunt, propterea quod inferiores nunquam possunt a suorum superiorum legibus dispensare, nisi in id a suis ipsis superioribus auctoritate muniti sint. Basileense Concilium, Tridentinum quoque non aliam legitimam causam, propter quam canonici, tuta conscientia, canonicali officio deesse possint, quam corporis infirmitatem, aliamve corporalem necessitatem, justam quidem, & rationi consentaneam, aut evidentem quæ Ecclesiæ bonum spectet, necessitatem agnoscunt.

Qui in matutinis ante finem psalmi, Venite, exultemus, *in aliis horis ante finem primi psalmi, in Missa ante ultimum* Kyrie eleison, *usque ad finem divino officio non interfuerit, nisi forte necessitate urgente, ac petita & obtenta a præsidente chori licentia, discedere oporteat, pro illa hora absens censeatur, salvis Ecclesiarum consuetudinibus, si quæ forte circa hoc arctiores existant. Idem in his observetur, qui a principio usque in finem in processionibus non permanserint. Pro cujus executione deputetur aliquis, onus habens notandi personas singulas, statuto tempore non convenientes, juramento adstrictus agere fideliter, & nulli parcere. Jubet enim hæc sancta synodus, quod in illis Ecclesiis, in quibus, singulis horis certæ distributiones statutæ non sunt, omnino etiam de grossis fructibus (si qui sint) deputentur, ut juxta mensuram laboris, plus minusve quisque capiat emolumenti; tollens prorsus abusum illum, quo in una duntaxat hora præsens, totius diei distributiones usurpat; & illum, quo præpositi, vel decani, aut alii officiales, ex hoc solum quod officiales sunt, licet actualiter pro utilitate Ecclesiæ non absint, quotidianas distributiones percipiunt:* (Concilium Basileense, sess. XXI. tit. 40.). *Vide* CANONICI.

JUBILÆUM. Super hujus vocabuli, *Jubilæum*, etymologia, & primitiva significatione non convenit inter auctores. Illud alii derivant ex hebraica voce *Jobel*, quæ *Arietem* significat, quia jubilæum per arietis cornu, vel saltem per instrumentum, arietis cornui forma simile annuntiabatur; alii deducunt a *Jobal*, qua voce innuitur *Venia, Remissio, Libertas;* trahunt alii a verbo *Hobil*, quod est *Reducere, Revocare*, quia tunc unaquæque res ad pristinum dominum reducebatur. S. Thomas, *in Psalm.* 26. *Jubilæum* dictum vult a latino nomine *Jubilus*, seu potius *Jubilum*, quod eum lætitiæ motum, subitamque occupationem significet, quæ minus verbis quam confuso rumore, & acclamatione quadam exprimitur, quæ omnia animi sensa exhibet, quin ullum pronuntiet.

Utcumque de his variis opinionibus sentiendum sit, id certum est, jubilæum, penes Hebræos, quadragesimum nonum, aut quinquagesimum annum fuisse, qui post annorum hebdomadas septem, aut annos septies septem contingebat, quo scilicet anno servi libertatem recuperabant; quique ex Hebræis sua ipsorum prædia vendiderant, aut oppigneraverant, in eorumdam possessionem redibant.

Ad jubilæi nimirum Hebræorum imitationem, suum Christiani jubilæum instituerunt, quod continetur plenaria indulgentia a communi fidelium patre concessa, non sine solemni forma quadam, & peculiaribus privilegiis, in eorum gratiam, qui bona præscripta opera ad eam lucrandam perfecerint. Alexander Papa IV. qui S. Petri cathedram an. 1259. conscendit, Compostellensi, seu S. Jacobi Apostoli in Gallæcia Ecclesiæ Jubilæum, ad Romani instar, concessit; quod evincit jubilæum urbis Romæ, seu anni sancti jam tum institutum fuisse. Initio quidem illud non nisi anno quoque centesimo celebrabatur. Clemens VI. an. 1350. mandavit, ut illius celebratio a quinquagesimo in quinquagesimum annum incideret. Paulus II. an. 1470. illud ad quemque vicesimum quintum annum redegit; quod, primo, Sixtus IV. ejus successor, an. 1475. executus est. Præter hæc anni cujusque vicesimi quinti Jubilæa, novi quique Pontifices, dum ad Apostolicam sedem evehuntur, unum concedunt, itemque alia pro re nata, prout nempe gravissima quædam extra ordinem Christianæ reipublicæ, aut alicujus singillatim regni rationes postulant, causa exempli, ut in aliquo regno fides, ubi nutat, farta tecta servetur, ut bellum,

sum, pestis, & ejusmodi alia flagella a Divina cui imminent, avertantur.

§. I.

De Jubilæi privilegiis.

JUbilæum, quod ad temporalis pœnæ peccatis debitæ remissionem attinet, plenariæ indulgentiæ nihil addit; solum concedit, ut plurimum, non unius generis in Bulla notata privilegia, quæ ultra Bullæ verba, utinque ipsam protrahi non licet, ex ea regula: *Quod non est in Bulla, non est in praxi.* Horum privilegiorum hæc magis in more posita, majorisque momenti sunt.

1. Per jubilæi Bullam, id cuique pœnitenti, seu regulari, seu sæculari conceditur, ut sibi, quemcunque voluerit, confessarium aligat, dummodo ab ordinario approbatus sit; id autem semel tantum, & jubilæi lucrandi animo. Iis confessarius jubilæi tempus prorogare potest, qui morbo laborant, qui in carcere detinentur, qui iter agunt, qui legitime impediti, aut non satis parati sunt; bona etiam opera ad jubilæum lucrandum præscripta mutare in eorum gratiam potest, qui vere iis perficiendis impares sunt, omnibus servatis clausulis quæ in Bulla exprimuntur.

2. Quilibet confessarius approbatus ab omnibus censuris absolvere potest, cum reus denuntiatus non fuit, itemque ab omnibus casibus Episcopo, summove Pontifici reservatis; at eos quibus aliqua, licet occulta, irregularitas, infamiæ nota, defectus, incapacitas inest, ne in conscientiæ quidem foro redintegrare potest, aut ab impedimentis canonicis dispensare. Id tamquam inconcussi principii loco ponendum est, confessarium non posse a censuris absolvere, quas ecclesiasticus superior in patrati criminis punitionem tulit; nisi cum reus plenam cumulatamque, siquidem potuit, satisfactionem exhibuit, aut, cum primum poterit, exhibere paratus est.

3. Vota in alia bona opera, justis quidem de causis, mutare potest, si perpetuæ castitatis, & in approbatum ordinem ingrediendi votum excipias; vota quoque jurejurando firmata Theologi excipiunt; & hæc sane in usu tutior opinio est. Potest etiam confessarius ad elapsum jubilæum usque voti mutationem differre, cum ejus rem, ut par erat, expendere per tempus non potuit, dummodo qui votum edidit, jubilæum lucratus fuerit, cujus intuitu summus Pontifex vota mutari sinit; secus, id facere nequit: nec magis id ei licet quod pœnitentem, qui, seu voluntarie, seu involuntarie, suorum votorum mutationem non petiit jubilæi tempore, quia confessarii, quoad hanc rem facultas ei temporis spatio, quo jubilæum existit, addicta est. Hæc autem voti mutatio nec extra Pœnitentiæ sacramentum, nec nisi post pœnitentis confessionem peragi potest; hæc saltem tutior sententia est; at hæc mutatio fieri profecto potest, etiamsi qui votum edidit, eam sibi legem per aliud votum imposuisset, ut nunquam prioris voti commutationem peteret; quia ita voventis mens superiorem jure spoliare non potest, quod hoc in genere Deus ei tribuit, & quia contingere potest ejusmodi votum voventi ipsi valde incommodum fore; at præterea cum vovens editi voti commutationem gravibus causis adductus petit, haud confessario liberum est hanc ei denegare, quia denegans, eum bono ad quod jubilæi vi jus obtinet, injuria privaret.

4. Qui, jubilæi tempore, censurarum casuumque reservatorum absolutionem suscepit, ab iis vere absolutus est, quamvis deinde non omnia perficiat, quæ ad lucrandum jubilæum requiruntur, dummodo, cum absolutus fuit, ea perficiendi sinceram voluntatem habuerit. Ratio est, quia absolutio collata fuit absolutum in modum, non autem ea conditione, ut pœnitens, siquidem conditionibus ad lucrandum jubilæum requisitis non fecisset satis, rursus censuras subiret, & in reservata peccata recideret; at si minus eo animo fuit, ut ad jubilæi consecutionem præscripta faceret, absolutio nulla est, quia illud summi Pontifices hac solum conditione concedunt. In eumdem modum de votorum commutatione disputandum est.

5. Potest pœnitens, jubilæi tempore, plures confessarios adire, a quibus eidem addicta privilegia consequatur; quandoquidem nihil occurrit in jubilæi Bullis, quod postulet, ut omnia per unum eumdemque confessarium fiant, & quia necesse nonnunquam est in jubilæi cursu confessarium mutare.

§. II.

De Jubilæi enuntiatione.

SPectabantur olim tamquam ipso facto omnibus fidelibus concessæ indulgentiæ quæ enuntiabantur in urbe Roma, & unusquisque præscripta faciens, eas sine novo mandato lucrari poterat. Lateranensis Concilii, an. 1215. habiti Patres vetuere, ne qua indulgentia enuntiaretur, quam Episcopi non approbassent; quod decretum a Viennensi Concilio, an. 1311. confirmatum fuit; longiusque etiam progressa Tridentina synodus indulgentias enuntiandi jus ad solum ordinarium, additis e capitulo duobus, redegit. Itaque id juris Episcopo est, ut Bullas expendat, quæ jubilæi indulgentias continent, easque enuntiari sinat. Huic disciplinæ capiti id causæ est, quia populorum spiritale bonum requirit, ut Brevium indulgentiæ cum veritate consentiant; quod solum per earumdem examen præsules scire possunt.

Indulgentiarum enuntiationem Episcopus, ob causas ex populorum emolumento ductas, ad aliquod tempus differre potest; estque jam illud in more positum, ut is ipsarum jubilæi bullarum enuntiationem per aliquot hebdomadas differat; at eam diutius, ut, plurium mensium spatio, sine peculiaribus extremi ponderis causis, protrahere non potest, quia summi Pontifices mandant, ut ejusmodi enuntiatio sine ulla cunctatione, ac sine ullo impedimento fiat.

§. III.

De cæterarum, per Jubilæi tempus, indulgentiarum suspensione.

COnsuevere summi Pontifices per Bullas, eas quidem tantum, quæ anni sancti jubilæum continent, cæteras indulgentias suspendere; sed, quoniam suspensio hæc quæ anno tantum 1475. initium habuit, varietatis multum in jubilæis pluribus passa est, dubitari merito potest, an generatim pateat, supraque omnem exceptionem sit. Hæc sunt, de quibus inter theologos super hoc capita fere convenit. 1. Quod anni sancti vulgo dicitur, jubilæum, a Clementis VIII. tempore, omnes, seu plenarias, seu partiales, a summis Pontificibus concessas indulgentias suspendit, non item eas quas concedendi jus penes Episcopos est. Hujus decisionis priori parti id fundamento est, quod Clemens VIII. simpliciter indulgentias suspendit, cum ejus decessores solum plenarias suspenderent; idemque Papa, perinde atque ejus successores a communi lege partiales indulgentias aliquas exceperunt. Ejusdem decisionis posteriori parti id causam suppeditat, quod summi Pontifices ea mente sunt, ut solum suos ipsorum favores suspendant, non autem eos quos Episcopi concedere possunt.

2. Ab hac suspensione excipiuntur, 1. indulgentia quam pro cruciatis, seu pro sacro bello Bulla continet; 2. indulgentiæ mortuis proxime, aut in agone versantibus concessæ; 3. indulgentiæ Romanæ urbis Ecclesiis concessæ; 4. indulgentia jubilæi Compostellæ, quæ annum durat, atque adeo in advenarum gratiam, qui eam urbem ingrediuntur, cum S. Jacobi festum in dominicam diem incidit, a Circumcisionis vigilia initio ducto; 5. indulgentia Beatæ Virginis Lauretanæ; 6. itemque Portiunculæ pro Assisiensi Ecclesia tantum; 7. quæ sunt iis concessæ qui recitant *Angelus*, &c. vel sanctum Viaticum comitantur, cum ad ægrotantes defertur; 8. altarium privilegiatorum indulgentiæ, cæteræque quæ viventibus in eum solum finem concessæ sunt, ut eas defunctis applicent; 9. quæ ad pietatem, quadraginta horarum dictam, tam Romæ, quam in aliis omnibus locis pertinent; 10. quas Cardinales legati *a latere*, aut Nuntii apostolici, Episcopique, pontificalia munia obeuntes, populo benedicentes, aut quavis alia ratione tribuere consueverunt. Perspicitur id in Bulla, *Cum nos nuper*, quam Benedictus Papa XIV. Maji die 17. an. 1749. edidit; ex quidem Bulla sequitur indulgentias, Ecclesiis, aut confraternitatibus ad septennium concessas, cæterarum instar, cessare.

3. Nec indulgentiæ per jubilæi spatium suspensæ enuntiari, nec fideles, ut eas lucrentur, adduci possunt, quin ipso facto in excommunicationem incidatur, nisi bona fides, aut ignorantia excusationi sint.

4. Jubilæum facultatem suspendit, quæ regularibus a summis Pontificibus concessa est, ut a casibus sanctæ Sedi reservatis absolvant, vota commutent, &c. nisi in Bullis excepti sint, ut regularium superiores quoad

suos

fuus fubditos reapfe funt, per Brevé, *Cum nos nuper*, Benedicti XIV.

5. Indulgentiarum, per anni fancti jubilæum, fufpenfio a Dominicæ Nativitatis primis vefperis cum eo incipit, cum eoque pariter, fequenti anno, ad ejufdem tefti primas vefperas, eafque ipfas definit.

Eleemofynarum quoque quæftores, quorum quidam fe alios mentiendo abufiones nonnullas in fua prædicatione proponunt, admitti, nifi apoftolicas, vel diœcefani Epifcopi litteras vere exhibeant, prohibemus. Et nunc, præter id quod in ipfis continebitur litteris, nihil populo proponere permittantur. Formam vero, quam communiter talibus apoftolica fedes indulget, duximus exprimendam; ne fecundum eam Diœcefani Epifcopi fuas litteras moderentur. (IV. Lateranenfe Concilium, an. 1215. tit. 62.)

Indulgentias, aut alias gratias fpirituales deinceps per ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus populo publicandas effe decernit. (Concilium Tridentinum, Seff. 21. cap. 9. *De Reform.*)

Huic, ad indulgentiarum enuntiationem quod attinet, Tridentini Concilii decreto contentanea eft Gallicanæ Ecclefiæ difciplina, fi claufula, *adhibitis duobus de Capitulo*, excipiatur. Quoad indulgentias nimirum, preces & cæremonias extra ordinem per fuperius mandatum indictas fatis eft, ut officiofe Capitulum de re moneatur. Ita Capitulis, aliifque Corporibus, etiam ab Epifcopali jurifdictione exemptis non id juris fuppetit, ut mandata ad jubilæorum enuntiationem edant. Hæc enuntiatio ex Epifcopi mandato perfici debet, tam in Cathedrali Ecclefia, quam in iis quæ e Capitulis pendent, aliifque exemptis, quæ epifcopalia juffa facere neceffe habent. Judicatum in hunc modum per areftum Parlamenti Parifienfis, Augufti die 23. an. 1635. & per areftum aliud privati Confilii, die 26. Januarii an. 1644.

Ex Gallicanæ Ecclefiæ ufu, jubilæi Bullæ ad Archiepifcopos mittendæ funt, e quorum manibus ad fuffraganeos Epifcopos perferuntur. (Monum. Cleri, Tom. II. pag. 228. Tom. VI. pag. 1113.)

JUDÆI. Concilia longe maximum, quod ad Judæos attinet, conftitutionum numerum continent. Prohibent ea fcilicet, ne Judæi chriftianos fervos habeant, neve Chriftiani domefticos apud Judæos agant, ne cum iis comedant, ne eorum fefta celebrent, ne eorum nomine munera accipiant, ne cum iis cognationes ineant, ne in eorum funeribus concinant, ne eos cogant chriftianam religionem amplecti, ad eamdemve fine longis probationibus eos recipiant, ne cum iis ad balnea fe conferant, jejunent, commorentur, ne eos fibi medicos fumant, &c.

Admoneri placuit poffeffores, ut non patiantur fructus fuos, quos a Deo percipiunt, a Judæis benedici. (Concilium Eliberitanum, can. 49.)

Si quis vero clericus, vel fidelis cum Judæis cibum fumpferit, placuit eum a communione abftinere, ut debeat emendari. (Can. 50.)

Ut erga Judæos a Chriftianis principibus, ac cæteris omnibus Dei fidelibus, tam clericis, quam laicis, viris feu feminis, facrorum canonum, & antiquorum regum, atque legum jura ferventur; ex quibus pauca de multis fubter annotare curavimus. (Concilium Meldenfe, an. 845. can. 73.)

Judæis, vel Paganis caufas agendi, vel militandi licentiam denegamus; quibus chriftianæ legis nolumus fervire perfonas, ne occafione dominii fectam venerandæ religionis immutent ... hac victura in omne ævum lege fancimus, neminem Judæum ad honores & dignitates accedere, nulli adminiftrationem patere civilis obfequii, nec defenforis faltem fungi officio ... nec carcerali cuftodiæ præfint ... nullam denuo audeant ftruere fynagogam. (Theodof. Valentin. Augufti.)

Judæis a cœna Domini ufque in primum Pafcha per plateas, aut forum, quafi infultationis caufa, deambulandi licentia denegetur. (Childebert. Rex Francorum.)

A Judæorum vero conviviis etiam laicos Conftitutio noftra prohibuit; nec cum ullo clerico noftro panem comedat, quifquis Judæorum conviviis fuerit inquinatus. (Concilium Epaonenfe, an. 517. can. 15.)

Ne Judæi Chriftianis populis judices deputentur, aut telonarii effe permittantur, per quod illis, quod Deus avertat, Chriftiani videantur effe fubjecti. (Concilium Matifconenfe, an. 582.)

In Concilio Laodiceno ftatutum eft (can. 37. & 38.), *quod non oporteat a Judæis, vel hæreticis ea quæ mittuntur, munera feftiva fufcipere, nec cum eis fefta celebrare; & quod non oporteat a Judæis azyma accipere, & communicare impietatibus eorum.* Et in alio Concilio: *Si quis Judæus pravitati, jugali focietate, conjungitur, id eft, fi feu Chriftiano Judæa, five Judæo chriftiana mulier carnali confortio mifceatur, quique horum tantum nefas admififfe nofcuntur, a chriftiano cœtu neque convivio & a communione Ecclefiæ protinus fegregentur.* (Richard. Concil. Tom. IV.)

Ut quantum poffumus, Judæis corrumpendi Chriftianorum mores, & eis bona per fraudem auferendi occafionem adimamus, ipfofque ad viam falutis conducere ftudentes, ex facrorum etiam canonum decretis edicimus: (I. Mediolanenfe Concilium, fub S. Carolo Borromæo, an. 1565. Part. III. tit. 14. *De Judæis.*)

Ut Judæi femper, & quocumque iter faciant, viri pileum, feu birretum crocei coloris, mulieres impofitum reliquo capitis integumento pannum ejufdem coloris ferant.

Ne Chriftiani ad convivia, nuptias, vel dies feftos, & fynagogas Judæorum accedant, aut cum eis ludant, vel, quod deteftabilius eft, choream cum Judæis agant.

Ne Judæis Chriftiani in famulatu effe poffint.

Ne Chriftiani, fi in diem, vel horam Judæis operas fuas locaverint, apud illos cibum capiant.

Ne Chriftianæ mulieres, Judæorum nutrices, in eorum domibus effe ullo pacto poffint; nec vero extra eorum domos, nifi cum neceffitas, ordinario probanda poftularit.

Ne Chriftiani Judæos, medendi caufa, ad fe accerfant.

Ne in conjungendis inter fe matrimoniis eorum operam utantur.

Ne Chriftianæ mulieres Judæos, fuci, pigmentorum, aut ornandi fe caufa, adhibeant.

Agros, prædia Ecclefiaftica Judæis locari, vafa, veftes, aliave facra, vel ad ufum Ecclefiæ deftinata, vendi, aut pignori dari ne liceat.

Ne in ædibus quæ Ecclefiis vicinæ funt, Judæi habitent.

Ne Chriftiani cum Judæis in diebus feftis, emptionis, venditionis, vel alio nomine contrahere audeant.

Ne dignitatem, vel publicum officium, quod ad Chriftianos pertinere aliquo modo poffit, Judæi obtineant.

Hæc & reliqua quæ de Chriftianorum cum Judæis confuetudine facris canonibus conftituuntur, curent Epifcopi, & Principes, & Magiftratus, pro fua quifque auctoritatis munere, pœnis contra Chriftianos & Judæos acrioribus conftitutis, ut inviolata ferventur.

Monemus vero Epifcopos, ut ab hominibus piis, ac peritis linguæ Hebraicæ, & rituum Judæorum, vel, fi hujufmodi non reperiantur, ab aliis doctis ac bonis viris curent fidem, ac doctrinam Chriftianam Judæis prædicandam.

Curet Epifcopus, ut Judæus qui ad fidem fe converterit, omnia bona fua habeat; ut, fi filius-familias fit, legitima, & quæcumque alia bonorum pars, ei jure debita, a patre etiam vivente detur; vel, fi mulier fuerit, ei dos a marito reftituatur, vel a patre conftituatur, unde ali poffit, ex prefcripto Conftitutionis Pauli III.

JUDEX. Innuit judicis nomen hominem, auctoritate Principis inftitutum, ut fubditorum fuorum cuique jus reddat, quod ex legibus ei debetur; eftque proinde judex juftitiæ quoad populum minifter publicus.

Judex eft ecclefiafticus, vel civilis, fuperior aut fubalternus, ordinarius aut delegatus.

Ecclefiafticus is judex eft, qui de fpiritualibus rebus cognofcit, cujufmodi funt facramenta, divinum fervitium, fimonia, hærefis, religionis vota, ecclefiaftica difciplina, aliæque mere fpirituales caufæ.

Civilis, feu laicus judex de temporalibus & fæcularibus rebus cognofcit.

Judex fuperior eft, a quo appellari non poteft; & fubalternus, a quo appellationi locus eft.

Ordinarius judex, officii fui vi, judicandi jus obtinet; at judex delegatus non nifi per commiffionem, feu fuperioris mandatum hoc jure gaudet. Si ad omnium generum caufas delegatus eft, fuæ jurifdictionis partem fubdelegare poteft; fin ad peculiarem aliquam caufam tantum, fubdelegare non poteft, nifi a fupremo Principe delegatus fit.

Inftituti judices funt, ut de hominum fortuna, honore, vita fententiam ferant. Eorum proinde ampliffimam notionem exhibent facræ Litteræ, quos ipfos Deorum nomine infigniunt. At ipforum quo ftatus fublimior, eo majora & numero plura officia funt. Horum porro officiorum alia judices ipfos, alia leges, alia eorumdem clientes fpectant.

Judices, ad ipfos quod attinet, non mediocri gradu fcientiam, morum integritatem, privatæ utilitatis neglectum, vim & robur animi poffidere debent; his enim fi dotibus careant, fieri omnino non poteft, ut ea vel ignorantia, feu legum e quibus judicare debent, infcitia, vel imbecillitas, vel avaritia eos in graviffima errata pertrahant.

Quod ad leges pertinet, ad eas fe judices conforment, oportet, feu judiciorum vis & ratio, feu forma

 fpecte-

ſpectetur, quia earum ipſi non domini, ſed interpretes & executores ſunt. Poſſunt tamen, atque adeo debent interdum in legibus verborum ſonum deſerere, ut, quod eadem intime ſibi volunt, id ſequantur; quia una & unica legis littera in peculiari aliqua facti ſpecie quam legislatores prævidere non potuerunt, naturali juri contraria eſſe poteſt. Cum lex obſcura eſt, aut ſe ipſa non explicat, id judices amplecti debent, quod iiſdem videtur ad naturalem æquitatem propius accedere, at iidem non poſſunt, ob humanam obſervantiam quemdam, miſerationis ergo, aut ejuſmodi alia de cauſa, impunitum crimen relinquere, aut minus punire, quam leges mandant, aut pauperi in divitis detrimentum contra legis ſanctionem, aut parcium uni in alterius damnum, cum æque probabilia ſunt utriuſque jura, favere, aut peculiaria dictionis leges ſequi, quæ naturali juri adverſarentur.

Denique judices, quod ad eorum clientes ſpectat, eos tantum licite valideque judicare poſſunt, qui iiſdem ſubſunt. Nec magis iidem poſſunt e clientibus munera accipere, aut ſuper eorum negotiis judicium, ſine cauſa, retardare, in partium incommodum, aut ambiguum in modum qui novis litigiis locum præbeat, pronuntiare, aut partium uni contentionem ſuadere, ut alteri faveant, cujus mala cauſa eſt, aut partes ſine expenſis dimittere, ut ei qui ſpectatis regulis eas ſolvere deberet, gratum faciant, aut ultra quam ſtatutum eſt, ſibi ſumere, vel taxare, aut pati id ab eorum inferioribus fieri. Æque vetantur ineptos homines in ſuum collegium recipere, ebuſuſve fovere aut tolerare, quos ab iis impediri jubet ipſius quo funguntur, officii ratio. Hactenus dicta faciunt, ut judex reſtitutionis obligationi ſubſit, cum ſeu per ignorantiam, ſeu per imbecillitatem obſequiumque, ſeu per odium, ſeu per lucri cupiditatem, partium alteri damnum attulit; faciunt etiam, ut iidem, ne quid habeant, quod exprobrent ipſi ſibi, quam clariſſime, quam promptiſſime, quam æquiſſime fieri per eos poteſt, negotia finiant, & munere quo inſigniti ſunt, ea plene planeque mente fungantur, ut bonum jus rectumque propugnent, crimen puniant, innocentiæ patrocinentur, inter cives pacem ſartam tectamque ſervent, Deo, ut verbo expediam, reique publicæ ſerviant.

Nullus omnino judex occaſione expenſarum, ſeu prætextu alicujus conſuetudinis, pro juſtitia exhibenda aliquid a litigantibus exigere vel extorquere præſumat; ſed, gratis, omnibus juſtitia exhibeatur, poſtpoſita gratia, odio, vel timore. (Concilium Toloſanum, an. 1229. can. 43.)

Edicta Caroli VII. Ludovici XII. Franciſci I. Henrici III. in Bleſenſi Cœtu, & Ludovici XIV. an. 1667. Conciliorum, ſuper hoc capite, canonibus concinunt, dum judices, cæteroſque officiarios ab iis quibus erit apud eos res, dona ſumere ſeu recipere, in concuſſionis, munerumque privationis pœnam, vetaet. *Vide* JURISDICTIO.

JURAMENTUM, ſeu jusjurandum, religionis actus, per quem Deus ſumitur rerum teſtis, quæ affirmantur, aut negantur, aut promittuntur. Si teſtis loco nominatim Deus ſumitur, jusjurandum explicitum eſt; ſi vocatur in teſtem res ſacra, aut alia creata res, quæ divinitatis peculiarem aliquam notam gerit, ut cælum, ſol, implicitum eſt jusjurandum, quia qui res has in teſtimonium appellat, cenſetur Deum teſtem ſumere.

Jusjurandum eſt penes omnes populos in more poſitum; ejuſque licitus uſus eſt, cum illud conditiones, quæ, ut legitimum reddatur, neceſſariæ ſunt, videlicet, veritas, judicium & juſtitiæ comitantur; veritas ſane, quæ in eo eſt poſita, ut qui jurejurando utitur, prudenter credat id quod aſſerit, verum eſſe, & ſe non niſi per verum Deum ita jurare, ut ei quod convenit, id unum tribuat; judicium quoque, quod prudentia, jurisjurandi neceſſitate, reique ob quam illud præſtatur, gravitate continetur; juſtitia denique, quæ poſtulet, ut jusjurandum ad id quod licet, honeſtumque eſt, referatur.

Dictum eſt interea de quibuſdam fratribus, quod eos quos ordinaturi ſunt, jurare cogant, quod digni ſint, & contra canones non ſint facturi, & obedientes ſint Epiſcopo qui eos ordinat, & Eccleſiæ in qua ordinantur. Quod juramentum, quia periculoſum eſt, omnes una inhibendum ſtatuimus. (Concilium Cabillonenſe, an. 813. can. 13.)

Ut nullus deinceps veritatis Epiſcopus ſolito ſuper ſacra jurare præſumat; quod myſterii cauſa ſancti quaſiernas Patriarchæ & ſmerunt. Non enim in baſitatione & malitia exigentis, ſed in charitate non ficta fides ſervatur. Quod qui tranſgredi auſu temerario præſumpſerit, quolibet modo illectus, cenſuræ eccleſiaſticæ ſine retractatione ſubjaceat. (Concilium Meldenſe, an. 845. can. 38.)

Ut multiplex juramentorum & perjuriorum confuſio, per quam multæ fidelium animæ in toto hoc regno perditæ eſſe noſcuntur, quam ſit deteſtanda & Deo odibilis, attentius omnibus annuntietur, ſicut ipſe Dominus oſtendit, dicens: Non perjurabis in nomine meo, nec polluis nomen Dei tui: ego Dominus. *Tantum namque hoc malum eſt, ut ad ſanctuaria martyrum, ubi diverſorum ægritudines ſanantur, ibi perjuri, licet manifeſte incerdum vexari non videantur, juſto Dei judicio a dæmonibus arripiantur.* (Can. 39.)

Si quis presbyter contra laicum, vel laicus contra presbyterum aliquam habet querimonia controverſiam, Epiſcopo regente ſine perſonarum acceptione finiatur, & laicus præjuramento (per juramentum), ſi neceſſe, conſtringatur; presbyter vero vice præjuramenti, per ſanctam conſecrationem interrogetur, quia Sacerdotes ex levi cauſa jurare non debent. (Concilium Triburienſe, an. 895. can. 21.)

Si quis fidelis libertate notabilis, aliquo crimine, aut infamia deputatur, utatur jure, juramento ſe excuſare. (Can. 22.)

Statuimus, ne, quicunque in tranſgreſſione juramenti manifeſte fuerint deprehenſi, ad mandatum noſtrum, ſuffraganeorum, officialium noſtrorum, vel eorum judicio, vel ſedis apoſtolicæ competenter, prout ad quemlibet taliam juriſdictio noſcitur pertinere, in Eccleſia eorumdem publice denuntientur perjuri. (Concilium Marchienſe, an. 1326. cap. 25.)

Si qui laici, principaliter, vel fidejuſſorio nomine, ſemper contractibus, vel aliàs, juramento corporaliter præſtito, vel fide interpoſita, ſe obligaverint, ut poſſint ſuper hujuſcemodi contractibus coram eccleſiaſtico judice conveniri, ad cujus forum, ratione juramenti vel interpoſitionis fidei, cauſa, & cauſarum hujuſmodi cognitio noſcatur ſine dubio pertinere. (Concilium Vaurenſe, an. 1368. cap. 44.)

Juramenta illicita ſunt, quæ ſiunt ad roborandum humanos contractus & commercia civilia.

Hæc propoſitio quæ Wicleffi articulum 43. conficit, in generali Conſtantienſis Concilii ſeſſione octava damnata fuit.

Cum Scriptura admoneat, virum crebro jurantem iniquitate oppleri, ac plagis multis obnoxium fieri, juratorem namque multa comitari pericula, quæ non tam pejerantem, quam eum qui perjurio cauſam, cum debet & poteſt, non ſubtrahit, involvunt. Nos igitur crebram illam juramentorum exactionem in capitulis, ſi non ut injuſtam, certe ut periculoſam, cenſemus coarctandam. Injuſta vero & illicita juramenta, per quæ nonnunquam via debita correctionis præcluditur, & prælati a promovenda Eccleſiarum ſuarum diſciplina & utilitate impediuntur, omnino tolli debent. (Concilium Moguntinum, an. 1549. cap. 87.)

Ex his canonibus liquet Eccleſiæ curias a Conciliis competentes reddi, ut de contractuum validitate & executione cognoſcant, ſuper quocunque profanarum rerum genere ſeu inter eccleſiaſticos, ſeu inter laicos initi fuerint, cum partes contrahentes eos ſe præſtituras, obſtricta jurisjurandi fide, receperunt. Romani Pontifices, variis ejuſmodi fundamentis nixi, Eccleſiæ judicibus aliorum complurium negotiorum cognitionem tribuerunt, qua non gaudent in Gallia, ex hujus ſeculi juriſprudentia, quoque gaudebant ætate D. Petri Bertrandi, tunc Auguſtodunenſis Epiſcopi, ac deinde Cardinalis, & D. Petri de Cugnieres, an. 1329. celebrem diſputationem, coram Rege Philippo Valeſio, ut oſtenderet articuli ſexaginta ſex ad quos hic magiſtratus id redegit quod appellat *eccleſiaſticorum Curiarum in Regis Juſtitiam auſa.* (Monum. Cleri, Tom. VII. p. 542.)

JURISDICTIO. In univerſum juriſdictio nihil eſt aliud quam de cujuſque diſſidiis cognoſcendi judicandique, juris tribuendi, juſtitiæque reddendæ facultas, ſeu auctoritas publica.

Quia porro duorum generum poteſtas exiſtit, quæ hunc univerſum terrarum orbem regit, temporalis una, ſpiritualis altera; duplicis quoque generis juriſdictio eſt, ei duplici poteſtati reſpondens, nempe juriſdictio temporalis ſeu ſecularis, & juriſdictio ſpiritualis ſeu eccleſiaſtica.

Temporalis ſeu ſecularis juriſdictio id unum ſpectat, quod civile eſt; verſatur hæc in humanis rebus, eique propoſitus finis eſt hominum regimen, quoad humana quibus pares ſunt, emolumenta, pacem, honorem, bona, fortunam, vitam, &c. Pertinet juriſdictionis genus hoc ad ſupremos Principes, itemque ad laicos ab iis deſignatos, pro majore aut minore auctoritatis

ctoritatis amplitudine, quam iisdem concedendam putant.

Spiritalis seu ecclesiastica jurisdictio refertur ad animi bona, resque divinas, eoque spectat, ut quoad æternam salutem, supremamque felicitatem homines regat. Ejusmodi jurisdictio Cleri, Religionisque ministris peculiaris & propria est. Tribuitur in voluntariam & contentiosam; ac, licet gratiosa jurisdictio sit voluntariæ jurisdictionis pars, inquit Redactor Monumentorum Cleri (Tom. VI. pag. 1.); fere tamen triplicis generis ecclesiasticam jurisdictionem, voluntariam, gratiosam & contentiosam usus distinguit. Horum generum unicuique sua amplitudo, suæque peculiares regulæ sunt; ea quoque omnia conveniunt in affate quadam, quæ eorumdem communia sunt. Ut hujus divisionis ratio reddatur, id venit animadvertendum (Tom. VII. pag. 1.), omnem jurisdictionem cum causæ cognitione exercendam esse, & superiores quibus ea demandata est, suæ id religioni significare debere, antequam de rebus pronuntient, quæ personis congruunt, quarum iis concredita cura est. Rerum natura, quas ii moderari debent, easque probe percipiendi multiplex ratio, fundamenta sunt, quæ pluribus jurisdictionis generibus suscipiendis statuendisque locum præbuere.

Exercetur voluntaria jurisdictio tum in interno, tum in externo foro. Quæ in interno foro exercetur, peculiariter pœnitentiæ sacramentum spectat, & *pœnitentialis* appellatur; quæ autem in externo, aut gratiosa, aut contentiosa est.

Ea est gratiosa, quæ, quin ad judiciarias formas deveniatur, exercitur, & solum ab eorum prudentia pendet, qui eam possident; super hac ad superiores querelæ deferri non possunt. Ejusmodi est, exempli causa, Episcopi jurisdictio, qui beneficia confert, quorum collatio ad eum spectat, qui concionandi, confessiones audiendi, &c. facultatem Sacerdotibus impertitur, quibus nullus titulus suppetit. Non desunt etiam controversæ res, in quibus tamquam contentiosæ jurisdictionis usus non spectatur ecclesiasticorum superiorum judicium, cum de iis summatim tantum, &, quod dicitur, *de plano* cognoscunt, prout Episcopus in processionibus aliisve cœtibus, de contentionibus quæ super gradibus & prælationibus suboriuntur, scandalum, turbasque evitandi gratia, quæ hæ disputationes pariunt, & sine partium juris præjudicio cognoscit. Episcopis, dum suarum diœceseon visitationem peragunt, occurrunt identidem hæ facti species.

Contentiosa jurisdictio est, quæ ita exercetur, ut judiciarium in modum, & ex omnibus a jure præscriptis formis agatur, reddendæque justitiæ addictum prætorium, statis diebus, & in certis quibusdam locis habeatur, & non aliter.

Cum voluntaria jurisdictio ad aliquod corpus pertinet, stato quoque in loco exerceri debet, ibi scilicet, ubi corpus illud suos de more cœtus habet, ut in cathedralium Ecclesiarum, aut monasteriorum capitulis; at, extra hanc facti speciem, exercetur, ubicumque libuerit. Fit hinc, ut Prælati, seu inferiores, seu superiores, tam intra, quam extra suæ quisque ditionis fines, gratias a voluntaria jurisdictione pendentes distribuant: & ex hac libertate oritur præcipuorum discriminum unum, quæ hanc inter & contentiosam jurisdictionem intersunt.

Quod ad tempus attinet, quo voluntariæ jurisdictioni acta confici debent, horum quædam sunt, quorum est præscriptum tempus, ut electiones, sunt & alia, quorum determinatum tempus non est, ut electionum confirmatio. Hinc illud sequitur, eam, ad primi generis acta quod spectat, hujus jurisdictionis usus quoad tempus liber non sit, eam, quoad caput hoc, voluntariam non esse. Qua in re, eadem est personarum quas efficiunt acta hæc, & temporis quo ea perfici debent, circumstantiæ ratio. Personæ non desunt, quibus hæc acta debentur, ut indultarii, graduati; jam vero, quoad personas has, jurisdictionis actus quo beneficia conferuntur, voluntarius non est. Sunt & casus quidam, in quibus voluntariæ jurisdictionis actus, quoad personarum quas afficit, circumstantiam, non est in præsule voluntarius. Ut exemplum afferam, præsul renuere non potest excommunicatum absolvere, qui se recipit facturum satis, etsi excommunicationis absolutio in voluntariæ jurisdictionis actuum numero sit.

Jurisdictio est vel ordinaria, quod ajunt, vel delegata, vel subdelegata. Ordinaria jurisdictio est, quam suapte natura dignitas quæ possidetur, adjunctam habet; ejusmodi est Episcopi, aut Parochi jurisdictio. Delegata est, quæ ejus tantum mandato, ad quem ordinarie jurisdictio pertinet, exercetur; ejusmodi ea est, qua simplex Sacerdos ab Episcopo approbatus gaudet; subdelegata demum, quam is eam tertio communicat, qui delegatam solum, et cum subdelegandi facultate conjunctam jurisdictionem obtinet.

Jurisdictio voluntaria interna, seu ordinaria, seu delegata, quæ super animis, superque rebus mere spiritalibus exercetur, a Deo solum est, seu remote, seu proxime; & quod inde consequitur, qui hac insigniti sunt, ut Episcopi, Parochi, pari patique Sacerdotes ab Episcopis approbati, eam a Deo tenent, alterutra ratione, nulloque pacto e sæcularibus potestatibus tenent.

Jurisdictio voluntaria externa communi jure ad Episcopos pertinet, & hanc quoque ipsi, quoad spiritalia quæque, officii & characteris vi, proxime a Deo tenent.

Quod ad contentiosam jurisdictionem spectat, distinguantur, (Monumenta Cleri, Tom. VII. p. 1546.) oportet, ejus natura ipsa, quasique fundus, ejusdemque in externis tribunalibus cum apparatu exercendæ ratio, formæque multiplices quas leges usuque necessarias reddiderunt. Huic agendi rationi ecclesiasticæ contentiosæ jurisdictionis, quippe quæ externæ politiæ partem conficit, exercitationem, in Gallia peculiares regulas Regum edicta statuerunt (Pag. 367.); & Gallicana quidem jurisprudentia, tum quod hujus jurisdictionis amplitudinem, tum quod ejusdem exercendæ rationem spectat, non una semper eademque fuit; et multiplex sane varietas in ea distinguitur.

Contentiosa jurisdictio præterea vel civilis, vel criminalis est. Civilis jurisdictio 1. in negotiis mere spiritalibus, tam ad ecclesiasticos quam ad laicos protenditur; 2. in actione mere personali super Ecclesiasticis, cum ab impacto crimine se defendant, superque ipsis simplicibus clericis clericaliter viventibus locum habet.

Criminalis ecclesiasticæ jurisdictio posita est in jure puniendi, corrigendi aut deliniendi ecclesiasticos, cum alicujus delicti rei sunt; at pœnæ quas infligere potest, mere canonicæ pœnæ sunt, ut preces, jejunia, eleemosyna, suspensio, interdictum, privatio, ad tempus, sedis in Ecclesia, & deliberativæ vocis in capitulo, beneficiorum item privatio, excommunicatio, & carcer. Cum delicta ejusmodi sunt, ut publicum ordinem turbent, & graviores, seu pecuniarias, seu infamiam parientes, aut afflictivas pœnas mereantur, has quidem pronuntiare sæcularium judicum est.

Contentiosa jurisdictio ad Episcopos pertinet, iidemque hanc olim, perinde ac voluntariam exercebant ipsi per se; at is est ex longo jam tempore in Gallia institutus mos, (Commentarium super Edicto Mensis Aprilis an. 1695.) ut officialibus hanc curam relinquant; ita scilicet, ut hoc tempore ne liberum quidem Episcopis sit per se ipsos jurisdictionem hanc exercere, aut contentiosi negotii cognitionem apud se detinere, ut super eo personis aliis, quam suis consuetis officialibus judicium demandent (Parisiis, an. 1764.). Ita judicatum per arestum diei 12. Martii an. 1611. allatum e Mornacio, in leg. 1. ff. *De eo cui mandata est jurisdictio*. Parisiensis tamen Archiepiscopus contentiosæ jurisdictionis in suæ officialitatis audientia, cum ei visum fuerit, exercendæ jus sibi servavit, cujus rei gratia, ibi installatur, cum archiepiscopatus possessionem init. In hoc ipso jure, quicumque in catholico Belgio sunt, Episcopi perstiterunt; idemque, per arestum in parlamento Parisiensi an. 1693. editum, Cameracensi Archiepiscopo servatum fuit.

Super ecclesiastica jurisdictione innumeri canones in Conciliis occurrunt. A nobis hujus operis ratio postulat, ut eorum nonnullos qui animadversione dignissimi sunt, lectorum oculis subjiciamus, qui pati non debent sibi distinctiones excidere, quas hactenus proposuimus, siquidem volunt eosdem canones, tam priorum disciplinæ quæ in Gallia nunc obtinet, consentaneos probe percipere.

Item placuit, ut quisquis Episcoporum, presbyterorum & diaconorum seu clericorum, cum in Ecclesia ei crimen fuerit institutum, vel civilis causa fuerit commota, si, relicto ecclesiastico judicio, publicis judiciis purgari voluerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, & hoc in criminali judicio. In civili vero perdat quod evicit, si locum suum obtinere voluerit. (Concilium Carthaginense, an. 397. can. 9.)

Si clericus adversus clericum habeat negotium, non relinquat suum Episcopum, & ad sæcularia judicia non concurrat; sed prius negotium agitetur apud proprium Episcopum, vel certe (si fuerit judicium ipsius Episcopi) apud arbitros ex utraque parte electos audiatur negotium.

Si quis vero contra hæc fecerit, canonum subjaceat correctionibus. (Concilium Chalcedonense, an. 451. can. 9.)

Id etiam placuit, ut clericus, si relicto officio suo propter districtionem, ad sæcularem judicem fortasse confugerit, & is ad quem occurrerit, solatium ei defensionis impenderit, cum eodem de Ecclesiæ communione pellatur. (Concilium Agathense, an. 506. can. 8.)

Si vocentur Prælati ad judicium sæculare, pro eo quod cognovit inter clericos suos, vel inter laicos conquerentes, & clericos defendentes, in personalibus actionibus, super contractibus aut delictis, vel quasi, aut pro eo quod personas ecclesiasticas, ad mandatum domini regis, in judicio sæculari non exhibet ...., pro talibus & his similibus, Prælati ad judicium sæculare vocati, ne ibidem pro his judicium subeant, nullatenus venire præsumant; cum judicandi christos Domini nulla sit laicis attributa potestas, quos manet necessitas obsequendi. (Concilium Lambethanum, an. 1261.)

Item cum clerici, vel religiosi mero judicio sæculari non debeant in causam trahi, suo, vel Ecclesiæ, vel alicujus alterius nomine, nec a laicis contra eos sententia dictari; hoc fieri, sub interminatione excommunicationis quam ferimus in his scriptis, firmiter prohibemus; statuentes, ut, si laicus clericum, vel religiosum ad forum traxerit sæculare, idem laicus omnino cadat a causa; & nihilominus per ordinarium ipsius excommunicatus denuntietur publice, usque ad satisfactionem condignam. (Concilium Coloniense, an. 1266. cap. 9.)

Ne vero jurisdictionem judicum ecclesiasticorum, sive ordinarii fuerint, sive delegati, a sæcularibus judicibus, vel personis impediri, & ex hoc, sicut a pluribus intentatur, dissolvi contingat nervum ecclesiasticæ disciplinæ; statuimus, ut nullus sæcularium, sive nobilis fuerit, sive alter qualiscumque, ecclesiasticorum judicum jurisdictionem in citationibus, monitionibus, denuntiationibus, executionibus, ac aliis modis, quibus jurisdictio ecclesiastica exercetur, per se, vel per alium impediat aliquatenus, vel retardet; & qui contra hoc, ausu temerario, venire præsumpserit, & monitus ab ordinario, vel delegato, intra septem dies a tempore monitionis factæ non destiterit omnino, nec revocaverit; si quid in præjudicium præmissorum attentaverit, sententiam excommunicationis quam in his scriptis ferimus in hujusmodi præsumptores, incurrat ipso facto. (Cap. 18.)

Cum per justitiam laicalem non debeant puniri excessus clericorum, nec ab eis levari emenda de eisdem, cum hæc ad solos judices ecclesiasticos, non sæculares, pertinere dignoscantur; monemus omnes & singulos nostræ provinciæ, ne pro prædictis, seu occasione eorumdem, levent aliquid, recipiant, vel exigant quoquo modo. Alioquin contra facientes excommunicationis sententia ... innodamus. (Concilium Compendiense, an. 1301. cap. 3.)

Item, ut nullus dominus temporalis, vel judex, seu delegatus ejusdem, cujuscumque dignitatis, conditionis, vel status existat, clericum, vel personam ecclesiasticam aut religiosam coram se super criminalibus, vel personalibus citet, seu citari faciat, vel quoquo modo distringat; quod si fecerit, & in hoc persisterit, & intra dies octo non se correxerit, & quod iniquitate præsumpsit, non emendaverit, ex tunc sententiam excommunicationis incurrat. (Concilium Avenionense, an. 1326. cap. 9.)

Cum nonnulli temporale dominium obtinentes, seu sæcularis justitiæ potestatis gerentes officium, jurisdictionem sanctæ matris Ecclesiæ subvertere, vel minuere exquisitis astutiis moliantur; nos eorum malitias actione canonica reprimere cupientes, approbante præsenti Concilio, statuimus, inhibendo, ne qui in foro ecclesiastico litigantes, seu litigare volentes super causis mere ecclesiasticis, sive quæ ad forum Ecclesiæ de antiqua & approbata consuetudine, & hactenus observata pertinere noscuntur, ad desistendum compellant, seu alias quoquo modo procurent per ipsorum, vel parentum, consanguineorum, seu rerum suarum, vel personarum hujusmodi captionem, modisve aliis quibuscumque. Si vero contra facere præsumpserint, excommunicationis sententiæ, auctoritate præsentis Concilii, se noverint subjacere. (Concilium Vaurense, an. 1368. cap. 40.)

Ad nostrum devenit auditum, quod in hac Provincia quidam temporales domini, & eorum officiarii quandoque sub magnis pœnis inhibent suis subditis, & aliis in dominio suo commorantibus, ne alter alterum citare faciat in foro jurisdictionis ecclesiasticæ, etiam in personalibus actionibus .... atque propter, nos talium dominorum, vel officiariorum ausus temerarios refrænare cupientes, jubemus antiqua provincialia statuta circa hoc edita inviolabiliter custodiri, quibus cavetur, quod si aliqui domini, vel judices temporales, aut eorum servientes, vel ministri aliqua ex gravaminibus ecclesiasticæ jurisdictioni inferre præsumpserint, & de talibus, vel eorum altero legitime constiterit, canonica monitione præmissa, efferatur a divinis juxta formam præcedentis statuti; & nisi tale gravamen infra octo dierum spatium fuerit reparatum, volumus & præcipimus, quod ille, vel illi qui tale vel talia perpetraverint, & circa ea dantes auxilium, consilium, vel favorem, auctoritate præsentis Concilii, denuntientur publice & solemniter ipso facto excommunicati. (Concilium Parisiense, an. 1429. cap. 37.)

Nervum medium, ad exequendam reformationem efficax, est jurisdictio ecclesiastica, qua tamquam supremo refugio compelluntur qui sponte non ducuntur ad vitæ emendationem. Hanc Christus Ecclesiæ in Petro pro Ecclesia confitenti ipsum esse Filium Dei, promisit, quando dixit: Tibi dabo claves regni Cælorum, &c. .... *Quapropter Christus præcipit, ut eum qui Ecclesiam jus dicentem non audierit, pro ethnico habeamus & publicano. Tanta est ecclesiasticæ jurisdictionis vis & potestas. Hac coercentur obstinati in sceleribus, pervicaces, rebelles, flagitiosi & contumaces.*

Ecclesiasticus judex officio suo nequit perfungi, ubi magistratus & sæculares homines contumacibus, flagitiosis, & rebellibus patrocinium ferunt adversus ecclesiastica judicia, vel ea impediunt. Idcirco mandamus omnibus magistratibus, præfectis, judicibus sæcularibus, & quibuscumque Ecclesiæ filiis, ne quis ad judicium ecclesiasticum vocatis, adversus Dei ordinationem, unde est ista potestas, & sacros canones, patrocinetur, aut quovis modo impediat mandatorum & sententiarum Ecclesiasticorum judicum executionem, sub pœna excommunicationis, qua, nisi admoniti resipiscant, sint plectendi.

Nihil dubitandum est duplex esse forum ecclesiasticum, a Christo, nomine clavium nobis insinuatum; alterum sacramenti pœnitentiæ, quod proprie ad conscientiam spectat, in quo reus non nisi ex propria confessione solvitur & ligatur; alterum vero jurisdictionis, & regiminis externi, in quo reus non solum ex propria confessione, sed etiam per testes convincitur & judicatur; quo judicio publica delicta corriguntur, & puniuntur, ut per ea homines ab æterna beatitudine secludantur; sed ad vitam æternam perveniant. (Concil. Cameracense, an. 1565. tit. 14. *De Potestate, ac Jurisdictione Eccles.* cap. 1.)

Cumque in hunc finem excommunicationis gladium, velut nervum Ecclesiasticæ disciplinæ a Christo datum esse constet, quo contumaces & rebelles a sacramentis & communione fidelium separet, & præcidat; sane juri divino, necdum sacris repugnat canonibus, quod judices laici, quibus de rebus Ecclesiæ disponendi nulla est attributa potestas, non raro prohibeant, mandentque judicibus ecclesiasticis, ne excommunicatum a jure declarent & denuntient; aut ne quem excommunicent; vel ut latam excommunicationis sententiam revocent. Proinde sancta Synodus obsecrat & obtestatur in Domino serenissimum ac invictissimum Regem catholicum, aliosque Principes, domines, & magistratus civiles, ut ab hujusmodi prohibitionibus & mandatis abstineant; quin potius, si, quod absit, judicem ecclesiasticum sua jurisdictione & potestate abuti contigerit; id ad superiores ejus ecclesiasticos referant; sintque memores pœnarum a sacris canonibus super his institutarum. (Cap. 2.)

Cum & canonicis & regiis Constitutionibus jurisdictio ecclesiastica semper sejuncta fuerit a sæculari, tam in personalibus, civilibus, quam in criminalibus causis; ita ut nec a sæcularibus judicibus ecclesiastici debeant compelli ad debita solvenda, nec ab his puniri, si quid animadversione dignum commiserint, sed ad judices ecclesiasticos debeant remitti in casibus præscriptis a sacris canonibus; monemus in Domino dictos judices sæculares, ut dictis canonibus pareant, nec falcem in messem alienam mittant. Quod si moniti non paruerint, excommunicationis vinculo se noverint subjectos. Præcipitur vero omnibus ecclesiasticis, sub pœna excommunicationis, ne coram judicibus laicis litigent, neve voluntarie se eorum jurisdictioni subjiciant in casibus ad judices ecclesiasticos pertinentibus, sive actores, sive rei sint. (Concil. Rothomagense, an. 1581. tit. *De Jurisd. Eccl.*)

JUSTIFICATIO est a peccati statu ad gratiæ statum transitus, seu mutatio, quæ contingit, cum homo ex peccatore & impio, qui erat, justus & sanctus evadit; quod per habitualis & sanctificantis gratiæ infusionem fit.

In justificatione continentur essentialiter tria, peccatorum remissio seu abolitio, inhærens justitia, & interna renovatio. Justificatio ergo, seu gratia justificans est aliquid positivum, inhærens, intrinsecum & permanens; hæc ejus natura est. Ejusdem effectus in eo est positus, ut nos renovet, interius mutet, ad supernaturalem ordinem elevet, Deo intime uniat, sanctos ejusque oculis gratos reddat, efficiatque, ut salutem & adjumenta quæ ad eam ducunt, mereamur. Excidere possunt homines a justitiæ statu, justificante gratia per mortale peccatum amissa; iidemque se ad eum comparant per fidem & bona opera, quæ quidem

tamquam

tamquam dispositiones ad justificationem necessariæ semper in Ecclesia spectatæ fuerunt.

Falluntur igitur atque Protestantes, cum contendunt justificationem nihil aliud esse quam Christi Domini justitiam quæ nobis imputatur, quæque nostra exterius peccata tegit, perficiens, ne nobis imputentur; inamissibilem esse; ut, ne, cum adest, amittatur, satis esse certo & citra omnem perturbationem credere peccata nostra nobis remissa esse, nosque esse justificatos per ipsam Christi Domini justitiam quæ nobis imputatur in ejusdem inconcussæ fidentiæ gratiam, quæ hac de re nobis inest. Hanc unam & unicam animi præparationem Protestantes ad justificationem exposcunt, promissionum peculiarem fidem, peculiarem fidem scilicet, qua sibi unusquisque divinas super saluta promissiones applicat, credens cumulata fidentia, inconcussâque certitudine sibi peccata, per Christi Domini merita, remissa esse.

Dum per baptismum inserimur (Christo), *per Spiritum sanctum mundamur, & omnem reatum quem nascendo, vel proprie peccando contraximus, renascendo exuimus, & ab omni prorsus peccato liberamur, & per Spiritum sanctum sanctificamur, & innovamur secundum internum hominem.* (Concilium Moguntinum, an. 1549. cap. 6. & 7. *De Fide*.)

Atque hac ratione justificati homines, cum, qui ira mundi, & natura iræ filii, & damnationis rei sunt, per Christi meritum peccatorum suorum remissione impetrata, renovantur Spiritu Dei per Christum secundum internum hominem; ut jam justificati gratia ipsius, & reconciliati Deo, & ab æterna damnationis reatu absoluti, heredes sint secundum spem vitæ æternæ.

Si quis dixerit, opera omnia quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri; aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare; anathema sit. (Concilium Tridentinum, Sess. VI. *De Justific.* can. 7.)

Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi; anathema sit. (Can. 9.)

Si quis dixerit, homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse; anathema sit. (Can. 10.)

Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei; anathema sit. (Can. 11.)

Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum; vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur; anathema sit. (Can. 12.)

Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam, necessarium esse, ut credat certo, & absque ulla hæsitatione, propriæ infirmitatis & indispositionis peccata sibi esse remissa; anathema sit. (Can. 13.)

Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi & justificari ex eo quod se absolvi ac justificari certo credat; aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum; & hac sola fide absolutionem & justificationem perfici; anathema sit. (Can. 14.)

Si quis dixerit, hominem renatum & justificatum teneri ex fide ad credendum se certo esse in numero prædestinatorum; anathema sit. (Can. 15.)

Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit; anathema sit. (Can. 16.)

Si quis hominem justificatum, & quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei & Ecclesiæ, sed tantum ad credendum; quasi vero Evangelium sit nuda & absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione observationis mandatorum; anathema sit. (Can. 20.)

Si quis dixerit, Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem cui fidant, non etiam ut legislatorem cui obediant; anathema sit. (Can. 21.)

Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere; atque ideo eum qui labitur & peccat, nunquam vere fuisse justificatum; aut contra, posse, in tota vita, peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia; anathema sit. (Can. 23.)

Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo & signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam; anathema sit. (Can. 24.)

Si quis in quolibet bono opere justum, saltem venialiter, peccare dixerit, aut (quod intolerabilius est) mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri; tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem; anathema sit. (Can. 25.)

Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus quæ in Deo fuerint facta, expectare & sperare æternam retributionem a Deo, per ejus misericordiam, & Jesu Christi meritum, si bene agendo, & divina mandata custodiendo, usque in finem perseveraverint; anathema sit. (Can. 26.)

Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis; aut nullo alio quantumvis gravi & enormi, præterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti; anathema sit. (Can. 27.)

Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti; aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum qui fidem sine charitate habet, non esse christianum; anathema sit. (Can. 28.)

Si quis dixerit, eum qui post baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere; aut posse quidem, sed sola fide amissam justitiam recuperare sine sacramento pœnitentiæ, prout sancta Romana & universalis Ecclesia, a Christo Domino, & ejus Apostolis edocta, hucusque professa est, servavit, & docuit; anathema sit. (Can. 29.)

Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur; anathema sit. (Can. 31.)

Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum, bonis operibus quæ ab eo per Dei gratiam, & Jesu Christi meritum, cujus membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit. (Can. 32.)

Si quis dixerit, per hanc doctrinam catholicam de Justificatione, a sancta Synodo hoc præsenti decreto expressam, aliqua ex parte gloriæ Dei, vel meritis Jesu Christi Domini nostri derogari; & non potius veritatem fidei nostræ, Dei denique ac Jesu Christi gloriam illustrari; anathema sit. (Can. 33.)

KYR

KYRIE, ELEISON; græca vox quæ significat, *Domine, miserere*; quæque conflata est ex *Kyrios*, dominus, & *eleein*, misereri, ob imperativo, *eleison*, miserere.

Usus dicendi *Kyrie eleison* in christiana religione admodum vetus est; ac locutionem quidem hanc Christiani ne ab Ethnicis sumpserint, an vero, e converso a Christianis Ethnici mutuati fuerint, controvertitur; id certi est, et Ethnicos in suis ad falsa quæ colebant, numina precibus usos esse: *Deum invocantes, precamur eum Kyrie, eleison*, inquit Arrianus, in sua super Epicteto Dissertatione, Lib. II. cap. 7.

Hoc tempore, *Kyrie, eleison*, ad trium sanctæ Trinitatis personarum honorem, novies in Missa dicitur, ac ter quidem ad unamquamque repetitur, quia omnes & singulæ tres indivisim ad misericordiam cooperantur, quæ per hanc formulam a Deo petitur; Pater, suum Filium tradens ad hominem redimendum; Filius, humanam carnem sumens, patiens & moriens; Spiritus sanctus, Verbi humanitatem in Virginis sinu efformans, nobisque ejus merita per gratiæ infusionem applicans.

Olim, precis *Kyrie* numerus ad nonum statutus non erat, & *Kyrie* concinebatur, quoad universus populus conticuisset, atque in ordinem reductus esset, aut quoad celebrans innueret, ut cessaretur; quod etiamnum in collegiata Ecclesia S. Petri Claromontiensis in Arvernia servatur.

In Græca Ecclesia, non dicitur *Christe, eleison*, sed solum *Kyrie eleison*. Mediolani, & in omnibus Ecclesiis quæ Ambrosianum ritum sequuntur, dicitur ter *Kyrie, eleison*, post *Gloria in excelsis*, ter præterea post Evangelium, denique post Communionem ter. Lugduni, semel tantum dicitur *Kyrie*, semel *Christe*, rursusque semel *Kyrie*. Missale Venetense, an. 1535. typis editum, idem exhibet. In aliquibus Ecclesiis, olim preci *Kyrie* vox *imas* addebatur, quæ significat *Nos*; quod completum sensum reddebat; *Domine, miserere nobis*.

Vasionense Concilium, an. 529. celebratum instituit *Kyrie, eleison* in Gallia, secundum Orientis & Italiæ Eccle-

Ecclesias quæ illud multo ante dicebant ; summusque Pontifex S. Gregorius qui an. 604 supremum diem obiit, ejusdem precis usum communem reddidit.

Et quia tam in Sede apostolica, quam etiam per totas Orientales, atque Italiæ provincias, dulcis & nimium salutaris consuetudo est intromissa, ut Kyrie, eleison, *frequentius cum grandi affectu & compunctione dicatur ; placuit etiam nobis, ut in omnibus Ecclesiis nostris ista tam sancta consuetudo & ad matutinum, & ad Missas, & ad Vesperam Deo propitio intermittatur ; & in omnibus Missis, seu in Matutinis, seu in Quadragesimalibus, seu in illis quæ pro Defunctorum commemoratione fiunt, semper*, Sanctus, Sanctus, Sanctus, *eo ordine, quo modo ad Missas publicas dicitur, dici debeat ; quia tam sancta, & tam dulcis & desiderabilis vox, etiamsi die noctuque possit dici, fastidium non potest generare.*

LAI

LAICUS, Appellatur laicus, quisquis ecclesiastici status nomen non dedit. Laici temporalibus negotiis, & ecclesiastici spiritualibus functionibus addicti sunt ; ex quo fit, ut bene multa laicis permissa sint, quæ ecclesiasticis interdicuntur, sintque alia Ecclesiasticis permissa & laicis vetita. Causa exempli, permissum est laicis matrimonium inire, magistratus tam pro criminalibus quam pro civilibus rebus obire, arma gestare, negotiari, mechanicas artes publice profiteri, medicinam & chirurgiam, pro ut ferrum & ignem applicant, exercere, sæculares locationes sumere, venationem ire, publice non vetitis ludis operam dare ; hæc autem singula sunt ecclesiasticis interdicta. Ex alia parte, possunt ecclesiastici Missæ sacrificium offerre, sacramenta administrare, publice docere benedicere, consecrare quicquid divino cultui addictum est, &c. quod laicis non licet. Laicorum porro nonnulli sunt qui cæteris præferuntur, quoad honores Ecclesiæ, cujusmodi sunt pacis osculatio, panis benedicti, aquæ benedictæ aspersio, in subselliis sessio, sepultura, &c. Ejusmodi sunt patroni, domini, æditui, magistratus, qui denique sacras aliquas functiones peragunt, ecclesiasticis ornamentis induti, &c. Occurrunt in Conciliis complures canones qui laicos spectant, quatenus potissimum Ecclesiæ quoad eos jurisdictio, eorumdemque quoad eam ejusque ministros officia protenduntur.

Laicus, præsentibus clericis, nisi ipsis jubentibus, docere non audeat. (Concilium Carthaginense, an. 398. can. 98.)

Nullus ex laicis absque anni conversione præmissa, Episcopus ordinetur ; ita ut intra anni ipsius spatium, a doctis & probatis viris, disciplinis & regulis spiritalibus plenius instruatur. (Concilium Aurelianense, an. 549. can. 9.)

Ut laici secus altare, quo sancta mysteria celebrantur, inter clericos, tam ad vigilias, quam ad Missas stare penitus non præsumant ; sed pars illa quæ a cancellis versus altare dividitur, choris tantum psallentium pateat clericorum. Ad orandum vero & communicandum, laicis & fœminis, sicut mos est, pateant sancta sanctorum. (Concilium Toronense, an. 567. can. 4.)

Statuimus, ut, si quis sæcularium honoratorum in itinere obvium habuerit aliquem ecclesiasticorum gradum, usque ad inferiorem gradum honoris, venerantor, sicut condecet christianum, illi colla subdat, per cujus officium & obsequia fidelissima christianitatis jura promeruit. Et si quidem ille sæcularis equo vehitur, clericusque similiter, sæcularis galerum de capite auferat, & clerico sinceræ salutationis munus adhibeat. Si vero clericus pedes graditur, & sæcularis vehitur equo sublimis, illico ad terram defluat, & debitum honorem prædicto clerico sinceræ charitatis exhibeat ; ut Deus qui vera charitas est, in utrisque lætetur, & dilectioni suæ utrumque adsciscat. Qui vero hæc quæ, Spiritu sancto dictante, sancita sunt, transgredi voluerit, ab Ecclesia, quam in suis ministris dehonorat, quamdiu Episcopus illius Ecclesiæ voluerit, suspendatur. (Concilium Matisconense, an. 585. can. 15.)

Ut Episcopi potestatem habeant res ecclesiasticas providere, regere, gubernare, atque dispensare secundum canonum auctoritatem ; volumus, & ut laici in eorum ministerio obediant Episcopis ad regendas Ecclesias Dei, viduas & orphanos defendendos, & ut obedientes sint eis ad eorum christianitatem servandam. (Concilium Moguntinum, an. 813. can. 8.)

Ut laici presbyteros non ejiciant de Ecclesiis, neque constituant, sine consensu Episcoporum suorum. (Ca. 19.)

Ut laici omnino munera injusta non exigant a presbyteris propter commendationem Ecclesiæ cuiquam presbytero. (Can. 20.)

Sed & illa antessas omnino inhibendas est, quæ quidam sæculares viri presbyteros, aut alios clericos conductores, vel procuratores, sive exactores fiscalium rerum, vel reditum, aut vectigalium constituunt. Si quis igitur deinceps hujus exorbitationis reus inventus fuerit, uterque excommunicetur, tam ipse qui constituit, quam ille qui indigne paruit. (Concilium Papiense, seu Ticinense, an. 850. can. 19.)

Tertio autem titulo statuimus, ut omnes Ecclesiæ & clerici sint, sub jure sui Episcopi ; nec potestatem habeant super ecclesias, aut clericos laici. (Concilium Coyacense, an. 1050. can. 3.)

Ut cujuslibet ordinis clericos laici non judicent. (Concilium Romanum, an. 1059. can. 10.)

Nullus laicus decimas suas, aut Ecclesiam, aut quidquid ecclesiastici juris est, sine consensu Episcopi, vel Romani concessione Pontificis, monasteriis, aut canonicis offerre præsumat. (Concilium Meltense, an. 1089. can. 5.)

Ne gravamen aliquod sancta patiatur Ecclesia, nullum jus laicis in clericos esse volumus & censemus .... neque liceat laicis exactionem aliquam pro Ecclesia beneficiis, aut paternis maternisve facultatibus quærere. (Can. 11.)

Cum igitur decima et primitia adeo debita sint, ut sine voluntate eorum quibus debentur, absque mortali peccato non valeant retineri ; volumus & præcipimus, ut tam laici, quam alia persona de bonis omnibus sibi collatis a Deo, non deductis expensis, ad solutionem ipsarum per ecclesiasticam censuram compellantur. (Concilium Avenionense, an. 1209. can. 5.)

Cum Ecclesia Dei, & ecclesiastica persona beneficium in domo Domini habeant .... sub anathematis districtione modis omnibus prohibemus, ut albergarias, procurationes, exactiones, seu talltas aliquas ab ipsis de cætero laici exigant, vel extorquere præsumant. (Can. 7.)

Inhibemus, ne electioni Episcopi, vel alterius rectoris Ecclesiæ faciendo, per se, vel per quamcunque aliam personam, se immisceant (laici), *vel violentiam faciant, vel impedimentum adhibeant, quo minus electio canonice et libere celebretur.* (Can. 8.)

Quisquis electioni de se factæ per sæcularis potestatis abusum consentire præsumpserit contra canonicam libertatem ; & electionis commodo careat, & ineligibilis fiat. (Concilium generale Lateranense IV. an. 1215. can. 25.)

Cum Regum, Principum, Baronum, & aliorum catholicorum fidelium proprium & peculiare ab antiquo fuisse noscatur, Ecclesias, monasteria, locaque sacra Deo ædificare ; destructa vero, sive concisa, aut in se, sive in ministris, vel in facultatibus, juribus, privilegiis, vel immunitatibus suis diminuta, sive oppressa relevare, reficere, defendere, ac etiam restaurare .... multum profecto ab antiquorum & majorum suorum videntur vestigiis deviare, qui Ecclesias ipsas, vel earum bona, seu jura destruunt, scindunt, occupant, invadunt, seu earum privilegia & immunitates imminuunt, & infringunt, aut qui talibus tacite vel expresse consentiunt ; seu qui talia & his similia contra Deum, ejusque Ecclesiam, atque ministros impie committentes, per assumpta potestatis vel jurisdictionis officium non compescunt, & ab ipsis desistere per remedia opportuna non cogunt. Declaramus igitur, atque decernimus Ecclesias, & ecclesiasticas personas ab omnibus angariis & parangariis, exactionibus & collectis, & aliis superinductionibus, oneribus, & muneribus sordidis laicorum, nec non a præstationibus tributorum, pedagiorum, seu vectigalium pro ecclesiasticis personis, evectionibus, & rebus ipsorum, qui non causa mercimonii, sive negotiationis, sed pro suis & Ecclesiarum suarum necessitatibus, per terram, sive per aquam ducunt, seu transeunt, omnino immunes & exemptas esse juxta canonicas & legitimas sanctiones, nec per aliquos cujuscumque altitudinis, jurisdictionis, seu etiam potestatis, ad talium præstationem posse vel debere compelli. (Concilium Budense, an. 1279. cap. 59.)

Ex his, aliisque ejusmodi compluribus canonibus cernitur, ie canonici juris effatis, ecclesiasticorum in laicos auctoritatem late patere ; at hoc in capite cum canonici juris principiis Gallicanæ jurisprudentiæ placita non consentiunt ; quod facile intelliget, quicunque plurimos hoc in opere disseminatos articulos legerit, hosque potissimum, ANNATA, APPELLATIO, ARCHIDIACONI, CENSURÆ, EPISCOPI, EXCOMMUNICATIO, INTERDICTUM, PATRONI, &c.

LECTOR. Lectoris ordo, quatuor minorum ordinum unus. Lectoratus, seu lectoria officium olim erat, inquit Fleurius, (Instit. ad jus eccles. Tom. I. pag. 73.) officium primum quod pueris clerum ingredientibus tribuebatur. In præsentia, ostiariatus, seu ostiarii officium

cium est minorum quatuor ordinum primum. Cum Episcopus lectoratum confert, ordinandum jubet sacrarum Scripturarum Librum tangere, ita eum alloquens: „ Accipe librum hunc, nec desine Dei verbum fidelibus legere; si enim hoc ministerio fideliter functus „ fueris, partem cum iis habebis, qui ab initio divinum hoc verbum cum fructu administrarint. " Perspicitur hinc lectoris officium esse, Dei verbum in publicis fidelium cœtibus legere; & sane ea olim lectoribus demandata provincia erat, ut in Ecclesia sanctas veteris & novi Testamenti Scripturas, seu ad Missam, seu ad alia, præsertim noctis officia, præterea Martyrum acta, Patrum homilias, quasque Episcopi ad Ecclesias scribebant, epistolas legerent. Debebant iidem panem, novosque fructus benedicere, catechumenos, & fidelium infantes erudire, lectiones, hoc est, e Bibliis, e SS. Patribus, aut e Sanctorum historiis excerpta canare, quæ in quoque matutini officii nocturno legi consueverunt. Lectores etiam notarios agebant, Episcopis scilicet & presbyteris a secretis erant, suæque custodiæ & curæ concreditos sacros libros habebant; quod eos, persecutionum tempore, gravi discrimini obnoxios reddebat. Hodie clerici quique, Sacerdotes ipsi promiscue lectiones canendi munus obeunt.

Lector cum ordinatur, faciat de illo verbum Episcopus ad plebem; judicans ejus fidem, ac vitam, atque ingenium. Post hæc, spectante plebe, tradat ei codicem, de quo lecturus est, dicens ad eum: Accipe, & esto lector verbi Dei; habiturus, si fideliter & utiliter impleveris officium, partem cum eis qui verbum Dei ministraverint. (Concilium Carthaginense, an. 389. can. 8.)

Placuit, ut lectores, cum ad annos pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri. (Concilium Carthaginense, an. 397. can. 19.)

Item placuit, ut, quicunque in Ecclesia primum vel semel legerit, ab alia Ecclesia ad clericatum non teneatur. (Concilium Milevitanum, can. 15.)

Quia in quibusdam provinciis conceditur psalmistis & lectoribus uxores accipere; statuit sancta Synodus prorsus non licere cuiquam ex his alterius sectæ accipere uxorem. (Concilium Chalcedonense, an. 451. can. 14.)

Hoc enim placuit, ut omnes presbyteri qui sunt in parochiis constituti, secundum consuetudinem quam per totam Italiam satis salubriter teneri cognovimus, juniores lectores, quantoscunque sine uxore habuerint, secum in domo, ubi ipsi habitare videntur, recipiant; & eos quomodo boni patres spiritaliter nutrientes, psalmos parare, divinis lectionibus insistere, & in lege Domini erudire contendant; ut & sibi dignos successores provideant, & a Domino præmia æterna recipiant. Cum vero ad ætatem perfectam pervenerint, si aliquis eorum pro carnis fragilitate uxorem habere voluerit, potestas ei ducendi conjugium non negetur. (Concilium Vasionense, an. 529. can. 1.)

Lectorum ordo formam & initium a prophetis accepit. Sunt igitur lectores qui verbum Dei prædicant; quibus dicitur: Clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam. *Uti quippe dum ordinantur, primum de eorum conversatione Episcopus verbum facit ad populum; deinde coram plebe tradit eis codicem apicum divinorum, ad verbum Dei annuntiandum. Qui autem ad hujusmodi provehitur gradum, iste erit doctrina & libris imbutus, sensuumque ac verborum scientia perornatus; ita ut distinctionibus sententiarum intelligat, ubi finiatur junctura, ubi adhuc pendeat oratio, ubi sententia extrema claudatur. Sicque expeditus vim pronuntiationis tenebit, ut ad intellectum omnium mentes sensusque promoveat; discernendo genera pronuntiationum, atque exprimendo proprios sententiarum affectus; modo indicantis voce, modo dolentis, modo increpantis, modo exhortantis, sive his similia, secundum genus propriæ pronuntiationis ... Porro vox lectoris simplex erit & clara, ad omne pronuntiationis genus accommodata, plena succo virili, agrestem & subrusticum effugiens sonum; non humilis, nec adeo sublimis; non fracta, non tenera, nihilque femineum sonans, neque cum motu corporis, sed tantum cum gravitatis specie. Auribus enim & cordi consulere debet lector, non oculis; ne potius ex se ipso spectatores magis, quam auditores faciat.* (Concilium Aquisgranense, an. 816. lib. 1. cap. 3.)

Tales ad legendum, cantandum, & psallendum, in Ecclesia constituantur, qui non superbe, sed humiliter debitas Domino laudes persolvant, & suavitate lectionis ac melodiæ & doctos demulceant, & minus doctos erudiant; plusque velint in lectione, vel cantu populi ædificationem, quam popularem vanissimam adulationem. Qui vero hæc docte peragere nequeunt, erudiantur prius a magistris, & instructi hæc adimplere studeant, ut audientes ædificent. (Cap. 133.)

LEGATUM, testatoris, per editum testamentum, in certi cujusdam hominis, aut communitatis gratiam, donum. Caducum legatum est, quod omni prorsus effectu caret; est conditionatum, seu conditione suspensum, quod locum tum solum habet, cum conditio perficitur, quæ eidem addita est; pium est, quod aliquo pietatis, aut charitatis opere continetur, seu quod spiritale, seu quod corporale est, seu utrumque spectet, seu ad unam pluresve personas, seu ad locum etiam Deo sacrum, ut ad Ecclesiam, ad monasterium, ad hospitale referatur. Occurrunt in Conciliis, ad pia legata quod attinet, statuta plura.

Qui oblationes defunctorum fidelium detinent, & Ecclesiis tradere demorantur, ut infideles, sunt ab Ecclesia abjiciendi. (Concilium Vasionense, an. 442. can. 4.)

Secundum constitutionem Synodi Vasensis, quicunque oblationes fidelium suppresserit, aut negaverit, ab Ecclesia cui fraudem fecerit, excludatur. (Concilium Arelatense, an. 452. can. 47.)

Clerici etiam, vel sæculares qui oblationes parentum aut donatas, aut testamento relictas retinere præsumpserint, aut id quod ipsi donaverint Ecclesiis, aut monasteriis, crediderint auferendum, sicut ante Synodus sancta constituit, velut necatores pauperum, quousque reddant, ab Ecclesiis excludantur. (Concilium Remense, an. 625. can. 10.)

Deinde, ut decimæ & primitiæ, seu oblationes vivorum & mortuorum, Ecclesiis Dei fideliter reddantur a laicis, & ut in dispositione Episcoporum sint; quas qui retinuerint, a sanctæ Ecclesiæ communione separentur. (Concilium Romanum, an. 1059. can. 5.)

Episcopi, etiam tamquam Sedis apostolicæ delegati, in casibus a jure concessis, omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate, quam inter vivos, sint executores. (Concilium Tridentinum, Sess. XXII. cap. 8. *De Reform.*)

Conciliorum canones qui eam Episcopis facultatem tribuunt, pie ut legata exequantur, aut executioni mandanda curent, in Galliis recepti non sunt; id ibi ad Regis tantum procuratores pertinet. *Vide* TESTAMENTUM.

LEGATUS. Derivatur id nominis a *legare*, *delegare*, videlicet, *mittere*, *vel gerenda præficere*. Itaque legatus, spectata quidem vocis origine, eum significat, qui ab alio ad aliquam functionem mittitur; at, e vulgari usu, legati nomen oratoribus tantum tribuitur, quos summi Pontifices, cum auctoritatis singulari nota, eorumque dignitatis signis, ad supremos Principes mittunt; sunt autem insignia hæc, petasus, annulus, crux, quæ iidem a Cardinale, vel ab Episcopo pontificalem in modum celebrante recipiunt.

Trium generum legati sunt, legati *a latere*, legati *missi*, & legati *nati*.

Legati *a latere*, seu *de latere*, Cardinales sunt, quos Papa oratores mittit; hi porro legati *a latere*, seu *de latere* nuncupantur, quia semper sunt ad Papæ latus, tamquam ejus consiliarii, & quia trahuntur illinc, ut delegentur.

Legati qui *missi* vocantur, ii sunt quos Papa mittit, qui cardinales sint, ut nuntii, internuntii, & quicunque a summis Pontificibus ad certa quædam negotia mittuntur, nec generalibus facultatibus instructi sunt.

Denique legati, qui *nati* dicuntur, ii sunt, quibus nulla quidem legatio demandatur, sed quorum tamen dignitati addictus est apostolici legati titulus, cujusmodi sunt Archiepiscopi, Arelatensis & Remensis, qui sunt, suæ dignitatis causa, legati nati. Hinc in præsentia non amplius est nisi purus putusque honorificus titulus, facultate prorsus & functionibus destitutus. Auctor *Tabulæ Romanæ Curiæ*, legatos *a latere* distinguit a legatis *de latere*, & hos posteriores cum legatis *missis* confundit.

Triplex hoc legatorum genus, quamvis iidem singuli veteribus ignoti fuerint, ea tamen ratione nititur, qua olim Romani Pontifices ad supremos Principes deputabant; quandoquidem certum est id iis in more fuisse, ut præter legatos quos ad œcumenica Concilia mittebant, a quibus ipsi repræsentarentur, alios præterea ad Reges ac Principes ob Ecclesiæ negotia mitterent. Ita sane Vincentius Capuanus, & Marcellus Campaniæ Episcopus, Lucifer Calaritanus, presbyter Pancratius & Hilarius diaconus pro Nicæna fide, & S. Athanasii causa ad Imperatorem Constantium missi fuere. Interdum etiam summi Pontifices mittebant deputatos quosdam, qui diu in principum aulis commorabantur, quique, quin iis ullum peculiariter negotium demandatum esset, eorum omnium quæ forte suboriebantur, curam sumebant, eademque ad summos Pontifices deferebant, quamobrem *Responsales* & *Apocri-*

Apocrisarii nominabantur, quæ vocabula *responsorum latores* significant.

Summi tandem Pontifices, cum sibi e re fore perspicerent, ut Vicarios seu legatos haberent, qui principum subditi essent, præcipuarum sedium Episcopis, ut Arelatensi, qualitatem hanc tribuerunt, & prærogativa quidem hæc quæ initio statim non nisi transiens & personalis fuit, perpetua deinde, eidemque sedi inhærens evasit; & hæc nimirum legatorum distinctioni quam hodie cernimus, origo est.

Statui non possunt certæ regulæ, ut judicetur, quam late legatorum facultas & jura pateant, quia pendet id adjunctis pluribus temporum, locorum, negotiorum, voluntatique tum summorum Pontificum qui eos mittunt, tum Principum ad quos iidem mittuntur.

Canonistæ quos Ultramontanos Galli nuncupant, legatos *a latere*, in suæ legationis provinciis, ordinarios esse docent; at Gallorum effata huic doctrinæ repugnant; hæc nempe sunt, quæ eorum usus hac in re fert.

1. Legati *a latere*, sine expresso Regis consensu se in Galliam conferre non possunt; hi scilicet exteri Principis, extra ordinem, oratores sunt. Est illud e jure gentium, penes omnes nationes in usu positum, ut principum nullus oratorem ad alium Principem, nisi cum hic in id consentit. Mos hic in Belgio perinde atque in Galliis obtinet.

2. Apud Regem jurat legatus suæ se legationis facultate tamdiu solum usurum, quamdiu suæ Majestati placuerit; hanc ei, ejusque Senatui facultatem exhibet, quam expendant, in acta referant, &, ut iis visum fuerit, moderentur.

3. Sua legatus potestate, nec antequam e parlamento firmata fuerit, nec contra temperamenta quæ eidem adhibita sunt, uti potest. Temperamenta autem hæc se generatim habent, legatum sua facultate uti non posse, nisi prout sancta decreta, Regis auctoritas & prærogativæ, sanctiones, regni jura, Gallicanæ Ecclesiæ libertates, & Universitatum privilegia postulaverint.

4. Legatus, ejus facultatibus ad veritatem exactis, beneficia sine mandato conferre potest; at resignationes *in favorem* admittere nequit. Potest etiam spurios legitimitate donare, ut beneficia, non autem regia officia teneant; dispensationes, aliasque gratias, pro ut ejus Bullæ sonant, concedere; sibi crucem, præterquam ubi Rex ipse adest, prælatam velle. Ordinarios in eorum jurisdictione turbare non potest, nec vero quempiam, ut legitimas functiones obeat, absque Regis consensu, subdelegare, nec in prima, ut ajunt, instantia de ecclesiasticis causis in ordinariorum præjudicium cognoscere, nec ad se Regis subditos accitos velle, nec in eos ullum contentiosæ jurisdictionis actum, per citationem, evocationem, delegationem, aut aliter exercere; ac ne tum quidem id posset, cum partes communi consensu apud eum agere vellent, ut Pithou & Fevretius animadvertunt, quia non pendet a partibus, ut contra publicum jus ipsæ sibi judices eligant.

5. Cum legatio finem habuit, magistratui in id designato suarum expeditionum registra legatus relinquere debet, ut earum excerpta, quibus opus fuerit, tradi possint; statutisque ab eo editis sua manebit vis, etiam postquam a suæ legationis locis egressus fuerit.

Legati & vice-legati Avenionenses iisdem solemnibus formis subsunt, cum eorum facultates extra Vindascinum Comitatum in regiones quæ Regi parent, protenduntur. Eorum Bullæ in acta referri debent, consuetis cum modis, apud omnia parlamenta, in quorum ditione siti sunt episcopatus ad quos ipsorum facultates pertinent. Avenionenses prolegati satis habent in præsentia perficere, ut eorum Bullæ in Aquisextiensi parlamento probentur, quia facultates quibus gaudent, non ultra episcopatus patent, qui ex ejusdem parlamenti ditione sunt.

Item statuimus, quod si Episcopus, vel aliquis rector alicujus Ecclesiæ de diœcesi expensas necessarias fecerit in legatis & nunciis Sedis apostolicæ, expensæ illæ solvantur de communi contributione Ecclesiarum totius diœcesis, & ista expensa semel in anno in una Synodo colligantur. (Concilium Avenionense, an. 1270. cap. 5.)

Legati quoque, etiam de latere, *Nuntii*, *Gubernatores ecclesiastici, aut alii, quarumcunque facultatum vigore, non solum Episcopos in prædictis causis impedire, aut aliquo modo eorum jurisdictionem iis præripere, aut turbare non præsumant, sed nec etiam contra clericos, aliasve personas ecclesiasticas, nisi Episcopi prius requisito venia, eoque negligente, procedant; alias, eorum processus ordinationesve nullius momenti sint; atque ad damni satisfactionem partibus illati teneantur.* (Concilium Tridentinum, Sess. 24. cap. 20. *De Reform.*)

Videri possunt, super legatis, Wicquefortius, *De Oratoribus, eorumque Functionibus*, Fevretius, *De Abusu*, lib. 3. Rebuffus, *in Praxi Beneficiaria, superque Concordato*; Chopinus, *Polit.* lib. 1. Tillerius, *in Collectione*, Part. III. pp. 279. 283. & 392. *de Juribus & Facultatibus Legatorum a latere in Gallia*; Van-Espennus, *Jur. Eccl. univ.* Tom. I. p. 186. & seqq. Gibertus, *Instit. Eccles. & Benef.* Tom. I. p. 434. & seqq. Opus cui titulus: *Definitiones Juris canonici*, Parisiis impressum an. 1674. Tractatus *de Legatis*, qui ad Cardinalium Historiæ calcem extat; Monumenta Cleri, Tom. VII. p. 142. & seqq. Tom. X. p. 874. & seqq.

LEGITIMATIO, actus per quem filii naturales, qui scilicet illegitimi aut spurii sunt, legitimi fiunt, & vulgo definitur *spuriorum, liberorum adoptio*. Quære verba hæc: SPURIUS, IRREGULARITAS DEFECTUS NATALIUM, MATRIMONIUM.

LIBELLATICUS. In primitiva Ecclesia tribuebatur *libellaticorum* nomen Christianis qui, bona, munera, aut vitam amittendi metu, sumebant ab Ethnicis magistratibus schedulas, seu syngraphas quæ fidem facerent eos Imperatorum edictis paruisse, impedirentque, ne iidem amplius in religionis negotio turbarentur, aliave molestia afficerentur. Ab his libellis socordes ignavique Christiani *libellatici* dicti fuere. Eos, utpote admodum gravis criminis reos, non nisi post diuturnas probationes ad communionem Ecclesia recipiebat, quoniam eorum libelli ferebant eos idolis sacrificasse, seu reapse non sacrificassent, ut Magdeburgenses Centuriatores contendunt, seu vere ac re ipsa iis impiis sacrificiis se polluissent, ut asserit propugnatque Baronius, ad an. 205. num. 4. & ad an. 253. num. 6.

LIBELLUS. Designatur hoc vocabulo scriptum aliquod lædens, injuriosum, diffamatorium, diciturque libellus maledicus, famosus. Romanæ leges olim infamantium libellorum auctores morte puniebant, eosdemque Ecclesiæ leges anathemati subjiciebant: *Hi qui inventi fuerint libellos famosos in Ecclesia ponere, anathematizentur.* (Concilium Eliberitanum, can. 52.)

Per edictum Caroli IX. mense Majo an. 1560. omnes effectores programmatum, publice affixorum scriptorum, seu alienam famam impetentium libellorum, qui non alio quam ad commovendum incitandumque ad seditionem populum spectare possunt, eorumdemque libellorum impressores, venditores & disseminatores declarantur læsæ majestatis rei, seditiosorumque & conventicula cogentium hominum pœnis obnoxii, & quod inde consequitur, extrema sententia a præsidialibus curiis judicari possunt. Henrici III. Molini, & Ludovici XIII. Parisiis, sanctiones duæ idem statuunt. Per articulum 99. constitutionis ad typographicam rem pertinentis, quæ die 28. Februarii an. 1723. in Consilio edita fuit, typographi, librarii concinnatores, bibliopolæ, circumforanei propolæ, qui libros seu libellos contra familiarum honorem & famam imprimendos, vendendos, distribuendos, exponendos, aut circumferendos curaverint, suis privilegiis & immunitatibus excident, suæque obeundæ arti impares declarabuntur, quin unquam in integrum restitui possint.

LIBERTAS, seu **LIBERUM ARBITRIUM**. Libertatis, seu liberi arbitrii nomine venit ea voluntatis vis qua promiscue se habet, ut velit, aut nolit, quæque proinde activa indifferentia nuncupatur; itemque electiva potestas, seque ad unam aliamve rem, sine coactione, & sine necessitate, determinandi facultas. Ergo distinguantur, oportet, 1. libertas *contradictionis*, quæ alicujus rei faciendæ, vel omittendæ, agendi, vel non agendi potestas est; 2. libertas *contrarietatis*, quæ est faciendi aliquid, aut ejus oppositum, amandi aut odio habendi potestas; 3. *disparitatis* libertas, quæ rem aliquam, aliamve quæ ab ea differt, at eidem non est contraria & opposita, faciendi, ut studendi, vel orandi facultas est.

Natus est homo liber; & libertas quæ ejus naturæ patrimonium veluti quoddam est, in contradictionis indifferentia, atque exemptione non solum a coactione, verum etiam a necessitate, essentialiter continetur. Contrarietatis indifferentia, hoc est, boni malique faciendi potestas non est de libertatis essentia; solum ad hominum, in terris, statum pertinet. Homini Deus, dum eum creavit, boni & mali faciendi potestatem tribuit, cum hoc tamen summi momenti discrimine, quod ad malum faciendum non indiget nisi se

ipso

ipso, concupiscentiam sequens qua ad illud trahitur; quin cogatur, quoniam eidem semper ipse resistere potest, cum ad bonum, ut oportet, æternæque salutis meritorie ratione faciendum egeat Salvatoris gratia quæ efficaciter, tamen absque necessitate, absque coactione, in eoque semper resistentiæ potestatem relinquens, efficit, ut id ipse faciat; quæ quidem resistendi facultas sub gratia, vel maxime victricis operatione subsistit, probetque, si læsum, infirmatum, inclinatum per peccatum fuit, nec extinctum nihilominus, nec penitus deletum liberum arbitrium fuisse. Fidei caput id omne est, quemadmodum sacræ Litteræ, Patres, & Concilia nos docent.

Etsi nulla pene sit tam aperta catholica veritas, nullus tam manifestus sacræ Scripturæ locus, quem non hæretici suis cavillis & tergiversationibus eludant; nulla tamen in re tam impudenter, tamque rei christianæ jactura debacchati sunt, quam in exterminando profligandoque libero arbitrio. Nam quid Christifidelibus perniciosius excogitare potuit hostis ille veritatis, quam si vel a Pelagio seducti, sine præsidio gratiæ sibi tumidius arrogent, vel fatiscenti pusilloque animo cum VViclesso necessitati fatisque committant omnia? Nihil profecto reliquum erit tum divinis legibus, tum humanis; nullus consiliis aut electioni, nullus precibus aut objurgationi, exhortationique id genus locus; nulla denique justitia futura est, qua quibusdam constituta sunt præmia, si, pro VViclefi & Lutheranorum sententia, omnia de necessitate eveniant. Prodiit hic error primum apud Gentiles, sed summo omnium consensu mox explosus est; adeo liberum esse arbitrium, velut evidenti quodam experimento cognitum, omnium mentibus se se insinuat. Cum igitur reliquerit Deus hominem in manu consilii sui, apposueritque coram eo ignem & aquam, bonum & malum, ut, ad quodcunque voluerit, porrigat manum suam, nec abs re beatus ille dicitur, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit; quod sub eo sit appetitus ejus, & dominetur illius; & denique pervolventi sacram Scripturam passim obvium sit, quod liberam in utramvis partem hominis arbitrium asserere; satis esse visum est sacro provinciali Concilio, libertatis hujusmodi vires & metas exponere. Neque enim liberum arbitrium asserentes, divinam excludimus propterea gratiam; quod illi falso nobis imponere non verentur, atque hoc fumo credulorum oculos perstringere; sed juxta sacram Scripturam eo extendimus, ut voluntas humana, misericordiæ prævenientis auxilio suffulta, & interius quodam & occulta secretioris inspirationis afflatu concita, se se convertat in Deum, Deo appropinquet, & ad rectam illam gratiam se præparet, qua tandem accepta sit ad vitam æternam. Neque tamen tangentia necessitatis libero præjudicans arbitrio, tam illa semper fit in promptu; nec momentum quidem prætereat, in quo ... non stet ad ostium, & pulset; cui si quis aperuerit januam, intrabit ad illum, & cœnabit cum eo; nec denique tale sit hujusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit. Quoties enim Dominus voluit congregare filios Jerusalem, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluerunt? Frustra certe Stephanus Judæos dura cervicis, & incircumcisi cordis arguerat, qui semper Spiritui sancto resisterent; frustra Paulus Thessalonicenses admonuerat, Spiritum ne extinguerent, si divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur. Trahit quidem Deus, sed in ejus odorem currimus; non vi, non unco rapimur; prædestinat, eligit, vocat; sed eos demum tandem glorificat, qui in fide & charitate radicati per bona opera certam suam vocationem electionemque fecerint; & licet attingat a fine usque ad finem fortiter, disponit tamen omnia suaviter. Hanc igitur hæresim, arbitrii libertatem prorsus auferentem non tam damnamus, quippe quæ jam olim ab Ecclesia, & sacrosanctis Conciliis damnata sit, quam communi hominum conceptioni, & apertis Scripturæ testimoniis declaramus esse contrariam. (Concilium Senonense, seu Parisiense, an. 1528. can. 15.)

Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum denique a satana invectum in Ecclesiam, anathema sit. (Concil. Tridentinum, sess. VI. *de Justific.* can. 5.)

Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie & per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.

LIBERTATES ECCLESIÆ GALLICANÆ. Libertates hæ non Romanorum Pontificum concessiones, non contra commune jus acquisita jura, non exemptiones & privilegia generali regulæ contraria, sed nihil sunt aliud, quam universæ Ecclesiæ primitivus ordo, vetus scilicet commune jus quod per totam Ecclesiam ex antiquis canonibus & primitivis regulis servabatur, uno verbo: *Usus antiqui juris*; quod sane jus super articulis numero pluribus in Gallia firmius accuratiusque quam in cæteris catholicis regnis perstitit. „ Gallicana Ecclesia, inquit Abbas Fleurius, (Sermo super Gallicanæ Ecclesiæ Libertatibus) a disciplinæ remissione ante quadringentos aut quingentos annos inducta se melius quam aliæ defendit, Romanæque curiæ ausis vehementius restitit. “ Ergo Gallicanæ Ecclesiæ Libertates omnino sunt commune jus quod in universa Ecclesia vigebat, sunt veteres consuetudines usuque regni, maxime ex parte priorum sæculorum canonibus & disciplinæ nixi, quorum possessionem executionemque Galliarum Ecclesia constanter retinuit, quin iis detrimenti quicquam afferri sineret, per inductam novam disciplinam in ejus præjudicium, quæ primis Ecclesiæ sæculis obtinebat; sunt id prorsus, quod majores nostri commune jus, inviolabiles leges, impræscriptibiles consuetudines appellarunt: *Contra statuta Patrum condere aliquid, vel mutare nec hujus quidem sedis potest auctoritas; apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxere reverentiam* (*Zosimus Papa, cap. 7. causa 25. scribens ad Episcopos Galliæ Narbonensis*). Perspicitur hinc summos semper Pontifices credidisse antiquas, & peculiariter Gallicanæ Ecclesiæ quam ad servandam fidem, ecclesiasticamque disciplinam custodiendam collatum studium illustrem reddidit, consuetudines in honore habendas esse. Persuasum & illud iisdem fuit has ipsas consuetudines tum quoque retineri oportere, cum cæterarum Ecclesiarum usibus adversabantur; atque ex his principiis, magni Africani Concilii Patres ajebant Gallicanæ Ecclesiæ consuetudinibus derogatum non fuisse: *Nulla Patrum definitione derogatum est Ecclesiæ Gallicanæ.* Secundum eadem quoque principia, tanquam generalis regula, in canonico jure sæpenumero repetita, statutum fuit, Ecclesiarum veteres consuetudines servandas esse, iisque ne Papam quidem per novas constitutiones derogare debere, cum nec naturali æquitati, nec disciplinæ quæ ab omni tempore in Ecclesia servata est, eædem consuetudines contrariæ sunt. (Greg. IX. cap. *Cum tanto.*)

Quid? quod Gallicanæ Ecclesiæ libertates cum sanctæ Sedis dignitate supremaque eminentia optime congruunt, & æque falleretur tum qui eas in absoluta ab omnium Ecclesiarum capite independentia positas vellet, tum qui easdem nonnisi tanquam privilegia quædam, ex pura putaque Papæ liberalitate ortum trahentia spectaret. Sunt eæ potius naturales franchisiæ quas Galli nuncupant *libertates* quæ eos a servitute tuentur, in quam pleræque aliæ Ecclesiæ propterea lapsæ sunt, quod sua jura vetera non servarunt. Est hæc veritati consona notio libertatum Ecclesiæ Gallicanæ quæ, quin unquam Romanæ Ecclesiæ, quoad communionem devincta & consociata esse desineret, semper antiquum jus quod omnium Ecclesiarum commune erat, suasque peculiares consuetudines, seu aliter dictas suas, suasque libertates mordicus propugnavit. Hæ porro, quamvis singulas persequi propemodum infinitum esset, pendent omnes a fundamentalibus principiis duobus quæ ob hanc causam Gallicanæ Ecclesiæ libertatum *fundamenta* nuncupantur.

Horum fundamentalium principiorum primum est, potestatem quam Christus Dominus S. Petro & Ecclesiæ tribuit, ad id redigi, quod spirituale est, nec alio prorsus quam ad animarum in hac vita sanctificationem, earumdemque in altera æternam salutem referri; eamdem nec directe, nec indirecte ad temporalia protendi; ecclesiasticum proinde ministerium mere spirituale esse, nihilque seu Papam, seu Religionis ministros cæteros, congregatos dispersosve, in temporalia Regum jura, itemque in sæcularem jurisdictionem posse.

Gallicarum libertatum fundamentale principium alterum est, Papæ, tanquam universæ Ecclesiæ capitis, quoad spiritualia, potestatem nec absolutam, nec indefinitam, nec illimitatam esse, sed per canones receptos, perque consuetudines servatas in regno, restrictam directamque, adeoque secundum hos canones & has consuetudines exercendam; ut proinde quicquid Romani Pontifices contra mandaverint, absolute nullum futurum sit, quemadmodum Papa Zosimus profitetur in textu quem supra protulimus: *Contra statuta Patrum*, &c. Non aliter generalis Nicæni Concilii Patres sentiebant, cum canonem hunc, qui ejus celebris Concilii sextus est, edidere; *Mos antiquus perduret in Ægypto, vel Lybia & Pentapoli.... similiter autem & apud Antiochiam, cæterasque provincias, honor suus unicuique servetur Ecclesiæ.* Ejusmodi sunt inconcussa libertatum Galliæ fundamenta.

Jam fontes, e quibus eædem hauriuntur, nec canones sunt quos Gratiani Decretum complectitur, nec qui in Burchardi, & Yvonis Carnutensis Collectionibus, aut in Gregorii IX. ejusque successorum Compilatoribus reperiuntur, quoniam hæc monumenta multo quam Gallicanæ libertates recentiora maximum canonum numerum continent, quos Gallia non recepit; sed antiqui canones sunt, qui per octo priores secula, in tota, quam late patebat, Ecclesia fuere legis loco. His inerant aliqua summorum Pontificum decretales Epistolæ, priorumque generalium, & aliquorum particularium Conciliorum decreta. Ejusmodi est canonum corpus, quos a Dionysio Exiguo collectos & in ordinem redactos Adrianus Papa I. ad Carolum Magnum misit, quibusque Romana Ecclesia tunc utebatur. Codex hic qui universæ Ecclesiæ Codex appellabatur, continebat priora generalia Concilia quatuor, & præterea Ancyranum, Neocæsareense, Gangrense, Antiochenum, Laodicenum, Africæ, & Sardicense. In hoc nimirum Romanæ Ecclesiæ veteri Codice consignata sunt præcipua Gallicanarum libertatum effata; hinc ea tamquam a fonte effluunt; adeoque jus quod Ecclesia, per octo priora secula, ad Carolum Magnum usque secuta est, quod *jus vetus ecclesiasticum* appellatur, quodque in antiquis Collectionibus duabus, scilicet in Latina canonum Collectione quæ universæ Ecclesiæ Codex nuncupabatur, & in Dionysii Exigui Collectione continetur, illud demum jus est, quod pecoliaribus Gallicanæ Ecclesiæ consuetudinibus additum, ejusdem libertates constituit. Qua in re sedulo animadvertendum, eorum consuetudinum Gallicanas libertates constituentium alias veteribus canonibus nisi, alias iisdem contrarias esse, quippe quas induxere longe posterioribus temporibus subortæ circumstantiæ quæ requirebant, ut antiqui juris asperitas remitteretur; ejusmodi sunt resignationes in favorem, collationes beneficiorum per præventionem, &c. Gallicanarum libertatum effectus, quoad capita hæc, is est, ut novæ servitutes iis addi nequeant, quas ante omnem memoriam possessio apud Gallos induxit, fuisque Papa juribus non aliter quoad Gallos utatur, quam prout ex longissimo tempore iis usus est. Suam reapse primitivam & naturalem libertatem servant Galli ubicunque non eos eadem spoliavit omni memoria major possessio.

Sunt tamen certi quidam usus in Gallia, qui solum a peculiari Papæ gratia originem trahunt, ut indultum Parisiensis parlamenti officiariis concessum; at, cum ejusmodi gratias Papa semel concessit, eas Rex acceptavit, iisdemque Gallicana Ecclesia se subdidit; has non amplius Papa solus revocare potest, quia tum quidem eæ regni legum & consuetudinum partem conficiunt. Idem dicendum de Cancellariæ regulis quæ in Gallicana jurisprudentia adoptatæ fuere.

D. Pithou, in Tractatu de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, earum octuaginta tres articulos numerat; auctor Monumenti super his ipsis libertatibus, an. 1755. typis editi, eas ad centum quatuordecim usque perducit; et D. Hericurtius, in Tractatu de Legibus ecclesiasticis, genuinas legitimasque Gallicanæ Ecclesiæ libertates ad articulos redigit, qui sequuntur.

1. Per eas Galli ab inquisitionis tribunali liberi sunt.

2. Cujusque generis hominibus ordines conferendi potestatem in Papa non agnoscunt; & Romæ ordinati clerici, sine suorum Episcoporum dimissoriis litteris, ad nullam functionem in Gallia recipiuntur.

3. Non suscipiunt Galli novas bullas, nisi postquam examinatæ, patentibusque litteris apud parlamentum in acta relatis insignitæ fuerunt, exceptis brevibus pœnitentiariæ, provisionum beneficiorum, ad peculiaria negotia spectantibus; in his appellatio tamquam ab abusu locum habet.

4. Non sumunt bullas, nec annatas solvunt, nisi ob beneficia consistorialia. Quoad cætera, sufficit simplex signatura, cujus multo minores expensæ sunt.

5. Non patiuntur beneficiorum, itemque Romanæ Curiæ expeditionum taxas augeri.

6. Non recipiunt pensiones omnes, sed solum pro regni consuetudinibus.

7. Nec vero suscipiunt omnis generis dispensationes, ut quæ inter consuetudines & statuta firmata Ecclesiarum sunt.

8. Exteri in Gallia nec beneficia, nec pensiones possidere, nec monasteriorum superiores esse possunt, sine Regis expressa venia.

9. Regis subditi extra regnum trahi non possunt, citationum, appellationum & forensium actorum obducta specie; iidem non nisi e Gallis judicari possunt.

10. Papæ Nuntius nullam in Gallia jurisdictionem obtinet.

11. Legati non possunt in Galliam mitti, nisi Regis rogatu, vel saltem ex ejusdem expresso consensu, aut facultates suas exercere, antequam eas cum veritate congruere parlamentum perspexerit, aut modos prætergredi, quos iisdem curia hæc adhibendos censuerit.

12. Appellari non potest ad Papam, *omisso medio*.

Has libertates sartas tectasque servandi rationes reducuntur ad quatuor. Prima est cum Papa collationum ratio; secunda est accuratum Bullarum examen, ne quid contra Gallicanæ Ecclesiæ jura enuntiari sinatur; tertia est ad futurum Concilium appellatio; quarta est appellatio tamquam ab abusu ad parlamenta.

Super Gallicanæ Ecclesiæ libertatibus consuli possunt Tractatus de Juribus & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, a pluribus auctoribus in lucem editi, labente seculo decimo sexto, & ineunte decimo septimo, collecti impressique Parisiis, an. 1638. operam dantibus Petro & Jacobo Dupuy, fratribus, hoc titulo: *Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ*. Opus hoc rursus, & quidem amplius a prælo prodiit, an. 1651. duobus voluminibus *in folio*, & an. 1731. tribus voluminibus itidem *in folio*. Possunt etiam consuli, Tractatus Petri Pithou, quo nempe nititur quicquid cæteri deinde scripserunt; Tractatus Coquillii super Gallicanæ Ecclesiæ libertatibus, aliusque Petri de Marca super eodem argumento; Natalis Alexandri, & Dupinii Dissertationes, & Fleurii sermo de Gallicanæ Ecclesiæ libertatibus; & tomus quintus Scientiæ Regiminis, auctore D. *de Real*, magno Senescallo Forcalquerii; Gallicanæ Ecclesiæ Libertates probatæ & commentariis illustratæ ex articulorum quos edidit Petrus Pithou, ordine ac dispositione, superque Petri Dupuys, regii consiliarii Collectionibus, per Durandum de Maillane, advocatum in parlamento, volum. 5. in quarto, impressis an. 1771. apud Petrum Bruysetium Ponthum, Lugduni.

LIBRI ECCLESIÆ, *aliique*. Plures, quod ad Libros attinet, canones seu constitutiones in Conciliis occurrunt.

Item placuit, ut singula Ecclesiæ libris & indumentis sacerdotalibus ornentur. (Concilium Rothomagense, an. 1189. can. 2.)

Omnes autem Ecclesiæ libros habeant emendatos; quia per eorum falsitatem multa leguntur & cantantur a pluribus indecenter. (Concilium Vintoniense, an. 1240. can. 11.)

Librum qui dicitur Manuale, habeant singuli presbyteri parochiales, ubi continetur ordo Baptismi, Extremæ unctionis & hujusmodi, nec non libros alios in quibus possint tam diurnum, quam nocturnum officium celebrare. (Concil. Budense, an. 1279. can. 42.)

Decani item & plebani examinent libros & ornamenta necessaria ad divinum cultum in Ecclesiis sibi subjectis, & ubi necesse fuerit, per conservatores dictæ Ecclesiæ, & parochianos, intra mensem post admonitionem eorumdem, suppleri faciant. (Concilium Coloniense, an. 1310. can. 17.)

Libros autem parochorum & concionatorum visitatores inspiciant; & ab eis diligenti inquisitione cognoscant, quosnam potissimum auctores legant, & in concionibus imitentur. Contagiosos autem, & de hæresi suspectos libros ab eis auferant, & ad lectionem veterum orthodoxorum, aut etiam recentiorum qui suspecti non sint, eos hortentur. (Concilium Moguntinum, an. 1549. can. 51.)

Porro quoniam omnes ritus, formulæ precandi, Breviario, Missali, & agendis, seu Manuali continentur, hortamur Episcopos nostræ provinciæ, ut adhibitis saltem duobus canonicis, quorum unus ab Episcopo, alter a capitulo eligatur, diligenter inspiciant & examinent hujusmodi libros, illisque similes, sicut preculas horarias, ne quid contineant contrarium doctrinæ catholicæ, & veris historiis Sanctorum & aut superstitionibus affine, aut quod aliqua ratione disciplinam ecclesiasticam, morumque probitatem labefactet; atque ubi indigesta, minusque pietati consona Breviaria, vel Missalia repererint, curent, quam primum, & quam proxime fieri poterit, ad usum Ecclesiæ Romanæ, juxta Constitutionem Pii V. reformari, & in lucem emitti, impensis Diœcesis. (Concilium Remense, an. 1583. tit. 4.)

Qui libri deinceps excudentur, Episcopi & inquisitoris fidei diligentia & auctoritate & examinentur, & approbentur. Approbatio libri initio apponatur. Qui libros absque approbatione typographus ediderit, canonicis pœnis coerceatur.... quique superstitiosis orationibus pleni, precarii libri sunt, ii omnino prohibeantur. (Concil. Toletanum, an. 1590. cap. 11.)

Caveant Episcopus, ne libri illi parvuli quibus preces variæ continentur, falsis superstitiosisque titulis inspersi

habean-

habeantur, aut vendantur, nisi suo, aut inquisitoris, aliorumve theologorum quos huic muneri præfecerit, diligenti studio primum recogniti & purgati sint. (Concil. Avenionense, an. 1594. lib. 7.)

Quod sancte a Conciliis ordinatum est, insequentes, quoscunque libros a sancta Sede apostolica vetitos, & ex professo de hæresi, & rebus obscœnis tractantes, aut legi, aut domi retineri prohibemus, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, & aliis pœnis a summis Pontificibus, & œcumenicis Conciliis ordinatis. (Concilium Narbonense, an. 1609. cap. 3.)

LINGUA VULGARIS. Sunt Concilia quæ ministris quibus demandata institutio est, mandant, suis ut parochianis vulgari sermone *Pater*, Symbolum, Missæ canonem, Ecclesiæ cæremonias, Patrum homilias explicent.

Decimo docuerunt decreto, ut presbyteri omne sui gradus officium legitimo ritu per omnia discant exhibere nosse; deinde ut symbolum fidei, ac dominicam Orationem, sed & sacrosancta quoque verba quæ in Missæ celebratione & exponere posse propria lingua qui nesciunt, discant, nec non & ipsa sacramenta, quæ in missa ac baptismate, vel in aliis ecclesiasticis officiis visibiliter conficiuntur, quid spiritaliter significent, & discere (ediscere) studeant. (Concilium Cloveshoufense, an. 747. can. 20.)

Ut Episcopi sermones & homilias sanctorum Patrum, prout omnes intelligere possint, secundum proprietatem linguæ prædicare studeant. (Concilium Remense.)

LIS, CONTROVERSIA, CAUSA, dissidium apud judices pendens, instantia, processus, acta forensia. Etsi lites haud ea quidem suapte natura malæ, sed licitæ atque adeo necessariæ in circumstantiis pluribus sint, ut cum id agitur, ut sua quispiam bona suumve honorem contra injustum raptorem tueatur; non minus tamen verum est eas semper periculosas esse, & raro fieri, ut ne peccet, qui easdem persequitur, ne scilicet indignationis, odii, vindictæ in adversarios impetu se abripi sinat, seu obtrectet eorum famæ, seu eos calumnia impetat, seu cavillis vexet, seu iisdem amicam compositionem cum congrua *satisfactione proponentibus* faciles aures præbere renuat; hinc ii canones qui lites Christifidelibus & potissimum ecclesiasticis interdicunt.

Ut Episcopus pro rebus transitoriis non litiget provocatus. (Concilium Carthaginense, an. 398. can. 19.)

Statuendum est Episcopis, ut dissidentes fratres, sive clericos, sive laicos ad pacem magis quam ad judicium cohortentur. (*Ibid.* can. 26.)

Ejus qui frequenter litigat, & ad causandum (al. accusandum) facilis est, testimonium nemo absque grandi examinatione recipiat. (*Ibid.* can. 58.)

LITANIA. Sumitur ab ecclesiasticis auctoribus *litania* nomen, 1. pro processionibus ab Ecclesia institutis; 2. pro personis quæ has processiones constituunt; 3. pro precum formulis, quæ in iisdem processionibus, ad Sanctorum honorem, vel ad alicujus mysterii celebrationem, seu generatim, seu peculiariter concinuntur; 4. pro rogationum diebus tribus; quæ *magnæ litaniæ* nuncupantur; 5. pro *Kyrie, eleison*, quia litaniæ incipiunt a *Kyrie, eleison*, in eumdemque modum aliquando desinebant.

Litania nomen cum *letania* vocabulo confundi non debet. Posterior enim vox significat diem festum & lætitiæ diem, ut constat e S. Gregorii Magni Litteris, (*Lib. IV. Epist.* 54.) in quibus hic sanctus Papa *letanias*, seu solemnes dies enumerat, quibus *pallium* deferre Archiepiscopis licet; jam vero *pallium* nunquam extra Ecclesiam deferebatur; litaniæ autem tum magnæ, tum parvæ semper extra Ecclesiam peraguntur. Litania græce supplicationem significat.

Rogationes, id est, litanias ante Ascensionem Domini ab omnibus Ecclesiis placuit celebrari; ita ut præmissum triduanum jejunium in Dominicæ Ascensionis festivitate solvatur; per quod triduum, servi & ancillæ ab omni opere relaxentur, quo magis plebs universa conveniat; quo triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis utantur. (Concilium Aurelianense, an. 511. can. 27.)

De litania, ut expleta solemnitate Pentecostes, sequente septimana, a quinta feria usque ad sabbatum, per hoc triduum abstinentia celebretur. (Concilium Gironense, an. 517. can. 2.)

Item secunda litania facienda sunt Kalendis Novembris.... quibus diebus a carnibus, & a vino abstinendum decrevimus. (Cap. 3.)

Sextodecimo condixerunt capitulo, ut litaniæ, id est, Rogationes a clero, omnique populo his diebus cum magna reverentia agantur, id est, die septimo Kalendarum Majarum, juxta ritum Romanæ Ecclesiæ; quæ & litania major apud eam vocatur. Et item quoque, secundum morem priorum nostrorum, dies ante Ascensionem Domini in cælis cum jejunio usque ad horam nonam, & missarum celebratione venerentur, non admixtis vanitatibus, uti mos est plurimis, vel negligentibus, vel imperitis; id est, in ludis, & equorum cursibus, & epulis majoribus; sed magis cum timore & tremore, signo passionis Christi, nostræque æternæ redemptionis, & reliquiis Sanctorum ejus coram portatis, omnis populus genuflectendo divinam pro delictis humiliter exoret indulgentiam (Concil. Cloveshoufense, an. 847. can. 16.)

Litaniæ autem græco nomine appellantur, quæ latine dicuntur Rogationes. Inter litanias autem exomologeses hoc differt, quod exomologeses pro sola peccatorum confessione aguntur, litaniæ vero indicuntur propter rogandum Deum, & impetrandum in aliquo misericordiam ejus. Sed nunc jam utrumque vocabulum sub una designatione habetur. (Concilium Moguntinum, an. 813. can. 32.)

Placuit nobis, ut litania major observanda sit a cunctis Christianis, diebus tribus, sicut legendo reperimus, & sicut sancti Patres nostri instituerunt, non equitando, nec pretiosis vestibus induti, sed discalceati, cinere & cilicio induti, nisi infirmitas impedierit. (Can. 33.)

De litania quoque majore, atque de Rogationibus ventilatum est; sed communi consensu ab omnibus electum atque decretum, juxta morem Romanum, VIII. Kalendas Maji illam celebrantium, secundum consuetudinem nostræ Ecclesiæ, non omittendam. (Concilium Aquisgranense, an. 836. can. 10.)

In litania majore jejunium; sicut in Rogationibus ante Ascensionem Domini, exerceatur. (Concilium Ingelheimense, an. 948. can. 7.). *Vide* PROCESSIONES, ROGATIONES.

LITES CRIMINALES CLERICORUM. Ex usu qui fere viget, qui magis functionibus congruit, quique in officialitatibus notior est, ecclesiasticorum delicta, quoad tribunalia quorum jurisdictioni subsunt, tribuuntur in genera omnino duo; quæ sunt casus privilegiatus, ob quem eorum causa ab Ecclesiæ judice & a judice regio conjunctim instrui, ac deinde ab utroque separatim dijudicari debet; & delictum commune quod omnia clericorum delicta complectitur, quæ ad ecclesiasticorum judicum tribunal, præ regiis judicibus, spectant. *Vide* DELICTUM; *vide* etiam Tom. VII. Monumentorum Cleri, p. 391. & seq.

LITTERÆ. In Conciliis de multiplici litterarum genere sæpenumero sermo est; ejusmodi sunt litteræ quas confessores ad Christianos in persecutione lapsos dabant, litteræ formatæ dictæ, litteræ commendationis, litteræ communionis, litteræ pacis, seu pacificæ, litteræ canonicæ, litteræ apostolicæ, litteræ sigillo Principis obsignatæ, ordinis litteræ, &c.

Omnis qui attulerit litteras confessionis, sublato nomine confessoris, eo quod omnes sub hac nominis gloria passim concutiant simplices, communicatoriæ ei dandæ sunt litteræ.

Canonis hujus explicatio, qui Eliberitani Concilii vicesimus quintus est, ad hujus Operis Tomi primi paginam 46. legitur.

Placuit, ubique, & maxime in eo loco, in quo prima cathedra constituta est Episcopatus, ut interrogentur hi qui communicatorias litteras tradunt, an omnia recte habeant, suo testimonio comprobati.

Hic quoque canon, qui ejusdem Concilii quinquagesimus octavus est, pag. 48. primi Tomi hujus Operis explicatur.

Ne feminæ suo potius, absque maritorum nominibus, laicis scribere audeant, quæ fideles sunt, vel litteras alicujus pacificas, ad suum solum nomen scriptas accipiant.

Canon hic ejusdem Eliberitani Concilii octuagesimus primus, idemque postremus est; ipsiusque declaratio ad primi Tomi hujus Operis pagin. 49. occurrit.

De his qui confessorum litteras afferunt, placuit, ut, sublatis litteris, accipiant communicatorias. (Concilium Arelatense, an. 314. can. 9.)

Quod non oporteat sacerdotem, vel clericum sine litteris proficisci canonicis. (Concilium Laodicenum, canon. 41.)

Nullus peregrinorum sine pacificis, id est, commendatitiis suscipiatur epistolis. (Concilium Antiochenum, an. 341. can. 7.)

Presbyteri qui sunt in agris, canonicas epistolas dare non possunt; ad alios tantum vicinos Episcopos litteras destinabunt. Chorepiscopi autem, qui sunt irreprehensibiles, dare possunt pacificas, id est, generales epistolas. (Can. 8.)

Item placuit, ut Episcopi trans mare non proficiscantur, nisi consulto primæ sedis Episcopo, sive cujusque provinciæ Primate, ut ab eo præcipue possint sumere formatam, vel commendationem. (*Hinc etiam dirigenda litteræ*

Concilii ad transmarinos Episcopos). (Concilium Carthaginense, an. 397. can. 28.)

Placuit, ut quicumque clericus propter necessitatem suam alicubi ad comitatum ire voluerit, formatam ab Episcopo accipiat. Quod si sine formata voluerit pergere, a communione removeatur . . . formata autem qua a primmeibus, vel a quibuscunque Episcopis, clericis propriis dantur, habeant diem Paschæ. (Concilium Milevitanum, can. 20.)

Omnes pauperes & indigentes auxilio, cum proficiscuntur, sub probatione epistolis, vel ecclesiasticis pacificis tantummodo commendari decrevimus, & non commendatitiis litteris; propterea quod commendatitia littera personis honoratioribus solummodo concedantur. (Concilium Chalcedonense, an. 451. can. 9.)

Ut presbyteri, vel quilibet clerici in alterius parochia sine formata non recipiantur, neque retineantur, nec etiam ministrare sinantur.

Ut auctoritatem sigillo regio roboratam more tractoria christianissimus Princeps singulis donet Episcopis, quam quisque Episcoporum penes se habeat, ut, quando ei necesse fuerit, per eamdem auctoritatem reipublica ministros conveniat, ut ipsi, in quibuscunque civili indiguerit adjutorio, reipublica ministris concurrentibus, suum, immo divinum possit rite peragere ministerium. Vide DIMISSORIA, EXTRANEUS.

LOCATIO, quoad Ecclesiæ bona. *Quære* BONA ECCLESIÆ.

LUDUS, animi relaxatio, ludicra seu jocose occupatio, denique ad solatium capiendum, reficiendasque corporis vires exercitatio. Hoc loco ludus e nobis pro conventione sumitur inter plures personas inita, qua oblectationis ergo pacifcuntur eos qui jacturam subierint, victoribus seu lucrantibus certam pecuniæ summam daturos; est hic ex eorum contractuum genere, qui lucrum utrinque spectant, & aleatorii nuncupantur, quia lucrans non gratuitam summam de qua convenit, sed tamquam periculi pretium accipit, cui subierat, ut parem alteri, si victor is fuisset, summam & ipse daret; quæ peculiaris nota contractuum est, quibus inest utrinque lucri ratio, quique aleatorii sunt.

Triplicis generis ludus distinguitur, unus puræ putæque industriæ, alter puri putique casus, tertius mixtus, in quo nempe partim casus, partim industria locum habet.

Is est meræ industriæ ludus, qui unica a lusorum dexteritate pendet, ut pilæ ludus. Ludus qui casui subditur, is est, qui solum, aut prope solum e sorte pendet, ut telorum, bochiæ, lansquenetti, pharaonis, anseris & blanchæ ludus.

Ludus mixtus e dexteritate, seu industria simul & e fortuna pendet, ut chartarum ludi plures; cujusmodi sunt vulgo pichetus, hombre, seu hominis ludus, triumphus, &c.

§. I.

De Ludo spectato, prout se habet ipse per se, & prout refertur ad naturale jus.

INter omnes, aut propemodum omnes convenit mixtos & meræ industriæ ludos suapte natura malos non esse; et ejusmodi eos ludos esse qui solum e casu pendent, asserunt theologi plures; quia, inquiunt, hujus generis ludis intrinsecum vitium inest, quod sortis profanatione continetur, quam ipsi tamquam religiosi aliquid spectant; & quia, cum sors a solo Deo pendeat, hanc rationem inire, est Deum consulere; quod ob ea tantum fieri debet, quæ id merentur.

Theologi qui putant ne puri quidem putique casus ludos ipsos per se malos esse, ad momentum primum ita respondent: tametsi Deus olim sorte usus fuerit, suam ut voluntatem Israelitis significaret, eamdemque Israelitæ & Apostoli impenderint, ut Dei voluntatem cognoscerent, non inde tamen consequens fieri sortem ipsam per se aliquid religiosi esse, sed solummodo ejus in iis casibus usum religiosum fuisse; prorsus ut aquæ ad baptismum administrandum usus religiosus est, quin aqua religiosa sit ipsa per se, & quin eam ad profanos usus adhiberi vetitum sit.

Respondent ad momentum alterum, sortis rationem inire, non esse Deum consulere, quia Deus consuli nequit, quin adsit intentio, quæ lusoribus haud sane est. Addunt sortis eventa, in naturali ordine, non aliter e Dei voluntate pendere, quam ab ea pendent eventa cætera, cum hoc discrimine, quod sortis eventa naturales causas habent, quæ nobis penitus ignotæ sunt, cum cæterorum eventuum causæ nobis saltem ex parte innotescant. Qui ludum mere fortuitum ludit, lusionis lucrum a sorte expectet, videlicet, a naturalium causarum quæ eidem ignotæ sunt, quibusque proprie sors continetur, concursu & conspiratione quadam; cum is qui ad ludum incumbit, in quo ars & dexteritas locum habet, a sua ipsius industria illud expectet, quæ ei quidem cognita causa est; at neuter in animo habet Deum consulere, eumque reipse non consulit, dum ludo vacat.

Ex alia parte, si naturale tantummodo jus consulatur, cum quilpiam alteri pecuniam suam absolute & sine conditione cedere possit, eam quoque potest eidem dare, addita conditione, seu conditio hæc ab industria, scilicet a nota causa, seu e casu, sorte, fortuna, ab ignota videlicet causa pendeat.

§. II.

De Ludo spectato quoad humanum jus.

QUamvis mere fortuitus ludus ipse per se, naturalique tantum consulto jure, malus non sit; humano tamen jure, tam ecclesiastico, quam civili, non clericis tantum, sed laicis quoque prohibitus est.

Innumeros canones Concilia continent, qui fortuitos ludos, præsertim clericis interdicant. Eorum plures qui animadversione digniores & recentiores sunt, attulimus verbo *Clericus*, quod consului potest. Hoc loco ita nobis temperabimus, ut Romanas aliquas, itemque nonnullas Galliarum leges subdamus generali legi œcumenici Concilii Lateranensis quarti, an. 1215. celebrati, quod canone decimo sexto fortuitis ludis non solum vacare, sed & interesse clericos vetat: *Ad aleas, vel taxillos non ludant; nec hujusmodi ludis intersint* (clerici).

Paulus jurisconsultus senatusconsultum memorat quod in ludum, quicunque tandem fuerit, pecuniam conferri vetabat, iis tantum exceptis ludis qui corpori exercendo inserviebant, & ad bellum utiles erant: *Senatusconsultum vetuit in pecuniam ludere, præterquam si quis certet hasta, vel pilo jaciendo, vel currendo, saliendo, luctando, pugnando, quod virtutis causa fiat.* (L. 2. §. fin. ff. *de Aleatoribus*.)

Ei qui jacturam in ludo subierat, in lucrantem Romani actionem dabant, ut id repeteret, quod in fortuiti ludi pretium eidem solverat; quique lusores apud se recipiebant, ut ejusmodi ludis operam darent, adeo odiosi erant, ut ob contumelias quibus affecti essent, ob damna quæ subiissent, ob furta quæ passi essent, ludi quidem tempore, præter omnem iis actionem negaret: *Adversus parentes & patronos est repetitio ejus quod lusum est.* (D. L. 4. §. 2.) *Si quis eum, apud quem alea lusum esse dicetur, verberaverit, damnumve ei dederit, aut si quid, eo tempore, dolo ejus subtractum est, judicium non dabo.* (L. 1. ff. d. tit.)

In Gallia quidem S. Ludovicus Rex per mandatum an. 1254. expressis verbis vetuit, ne talis, aut tharis luderetur, ac ne tali quidem ad ludum conficerentur: *Inhibemus districte, ne nullus omnino ad taxillos ludat, sive ad aleas, & thares; & scholas etiam de.. eorum prohibemus, & prohiberi volumus omnino, & tenentes eas districtius puniantur. Fabrica etiam decorum prohibeatur.*

Carolus IV. cognomento Pulcher, per mandatum an. 1319. interdictionem, ne talis luderetur, iteravit; pariterque prohibuit, ne tesseris, trimo, orbiculo, metulis, globo, aleisve ejusmodi ludis opera daretur, qui e militaribus exercitationibus everterunt, mulcta parisiensium quadraginta solidorum indicta pœna.

Carolus V. sapiens dictus, hanc constitutionem per eam confirmavit, quam ipse Aprilis die 3. an. 1369. edidit.

Carolus IX. per Aurelianensem constitutionem, art. 101. omnes aleatorias domos, metularum & talorum ludos vetat, ea in refractarios statuta pœna, ut extra ordinem puniantur.

Ludovicus Rex XIII. in sua declaratione diei 30. Maji an. 1611. ita loquitur: „ interdicimus omnibus, „ ne aleatoria loca teneant, aut conveniant, ut aleis „ talisve ludant, itemque proprietariis suarum domo„ rum detentoribus, earumve locatariis, ne quem in „ eas recipiant, qui dicta aleatoria loca tenebit, di„ ctisve ludis operam dabit, in pœnam mulcta, alte„ rius punitionis, si res tulerit, eaque lege, ut fiat „ ipsi proprio & privato nomine pecuniaria jactura, „ quæ ibi contigerit, emissamque pecuniam restituere „ teneantur. "

Rex, per mandatum diei 13. Novembris an. 1731. interdictiones iterat, quas ipse, ejusque decessores jam pluries ediderant, ne ad vetitos ludos incumberetur, eorumve conventicula tenerentur; perque mandatum

cum aliud diei 7. Maji an. 1740. fortuitos omnes novæ inventionis ludos vetat proscribitque.

In medium afferri possent omnium regni curiarum decreta numero plurima quæ fortuitos ludos eadem qua leges severitate damnant; cujusmodi sunt inter alia quæ Parisiense parlamentum edidit, die 23. Junii an. 1612. die 13. Junii an. 1614. die 23. Novembris an. 1680. die 8. Februarii an. 1708. &c.

Haud pauciores nobis super hoc negotio regiminis sententiæ suppetunt. Quæ an. 1734. Januarii die 19. an. 1736. Aprilis die 13. an. 1737. Januarii die 30. prodierunt, peculiares personas plures damnant ad tria mulctæ librarum millia, quæ pluribus fortuitis ludis aut ipsæ vacaverant, aut aliis vacandi veniam dederant.

Clerici qui in ludis deprehenderentur, quos regia mandata, senatuum decreta, politicæque constitutiones prohibent, in Gallia tamquam laici a sæcularibus judicibus damnarentur, salvo & integro remanente Episcopi jure, ut eosdem post canonicas monitiones puniret. (Leges ecclesiasticæ, capit. de Criminibus, n. 36.)

§. III.

De conditionibus necessariis, ut licite ludi possit.

QUamvis aliquis ludus licitus sit ipse per se, pluribus tamen conditionibus opus est, ut eidam licite vacari possit.

1. Requiritur, ut non solum lusorum quisque sit summæ proprietarius, quam in ludum exponit, deque ea disponendi jura gaudeat, verum etiam ea summa modica sit ejusque facultatibus respondeat, qui eam exponit, ita scilicet, ut eam exponens, suarum obligationum nulli desit, cujusmodi sunt eleemosynæ ejus statui consentaneæ, æris alieni solutio, &c. Quamobrem restitui debet id quod lucri perceptum est ex ludo cum feminis sub virorum potestate viventibus, cum filiisfamilias, cum pupillis, cum minoribus, cum majoribus interdictis prodigalitatis causa, nisi eorum qui ejusmodi personis præsunt, in id consensus adsit; qui consensus præsumitur, cum percepti lucri summa admodum modica est; præter hanc tacti speciem, ludi contractus nullus est, & lucrantes utrinque perceptæ summæ restitutioni subsunt.

2. Lusores liberi sint, oportet; adeoque restitutioni subest, qui eum devicit, quem per vim, aut dolum, aut injurias, aut importunitatem ad ludum impulit, quive in ebrietatis statu erat. Ratio est, quia liber consensus ad omnium contractuum essentiam pertinet, ut nullus proinde contractus absque hoc consensu valeat; is autem consensus in enuntiatis casibus fere non reperitur; ex quo fit, ut lucrantes in iisdem casibus quoad jacturam passos injustitiam perpetrent, itaque, quod inde consequitur, summam injuste & non validi contractus vi perceptam reddere debeant.

3. Propemodum æqualis sit, necesse est, ludentium vis, & qui ludi socium magnopere superaret, eumdemque de sua ipsius præstantia celaret, si victor existeret, restitutioni subesset. Ratio est, quia contractus qui lucrum utrinque spectant, justi validique tum solum sunt, cum contrahentes æquale summæ de qua convenit, amittendæ periculum subeunt, cum ludentium unus industria in ludo alteri longe præstat, quoniam liquido constat eum multo minori periculo obnoxium esse, quam ludentem alterum qui vi quidem magnopere eidem concedit.

4. Ludendum servata fide, sine fallaciis & sine fraude; ex quo fit, ut qui malis artibus, causa exempli, socii ludum, aut chartas subtus spectans, &c. lucratus est, ludi pretium percipere nequeat, perceptumque reddere debeat. Præterea si appareat futurum fuisse, ut jacturam passus ludi pretium sine fraude quæ in eum est edita, lucraretur, tum fere fraudis auctor non summam solum quam fraudis adminiculo lucratus est, sed eam quoque ei reddere debet, quam, qui jacturam subiit, sine ea fraude lucratus esset, propterea quod quicumque est doli quoad quempiam reus, dolo illatum damnum sarcire debet. Idem de ludentis infidelitate dicendum, qui socium de oscitantia non monet, quæ in causa est, ut is pauciora quam habet, puncta numeret; ut exemplum afferam: is, in quem ludu operam do, cui vulgo *Trucco* nomen, in quo semper super oblongam mensam globulos incurvis clavis impellimus, loco punctorum decem quæ habet, octo tantum enumerat; equidem oscitantiam perspicio, nec moneo, adeoque lusionem lucror, quam ille lucratus esset, si sua decem puncta numerasset; ei reddere debeo non solum summam quam mihi solvit ob ludi pretium, sed eam quoque ei solvissem, si vicisset. Ceterum perspicienti ludi socium deceptionibus secum uti, non proinde par pari referre licet, vel annuente socio, quia ejusmodi conventio nulla esset, nullumque effectum obtinere, nec juris quicquam afferre posset.

§. IV.

De Ludo quoad ea spectat, quæ eum circumstant.

ADjuncta, seu circumstantiæ quæ ludum comitantur, redigi possunt ad finem quem ludentes sibi proponunt, ad personarum qualitatem, quæ ludunt, ad tempus quod eidem in ludo ponunt, ad dies & loca in quibus luditur.

1. Finis in ludo propositus, bonus honestusque, malus item inhonestusque esse potest. Ludere sine lucri animo, ad necessariam relaxationem sibi, vel aliis comparandam, obsequantiæ, urbanitatis & charitatis ergo, vel ad exercendum corpus, honesti totidem fines sunt, qui in ludo proponi possunt, eumque, quoad caput hoc, licitum reddunt. At lucri & cupiditatis causa, solumve ad fallendum tempus, tædiumque vitandum ludere, sunt inhonesti malique fines qui ludum legitimum reddere nequeunt. Avaritia, cupiditas, inordinatumque desiderium lucri damnantur ab Evangelio, pugnantque præterea cum charitate civilisque societatis principiis, quæ in eum solum finem commercia & contractus instituit, ut ejusdem membra sibi mutuo suppetias ferrent, nedum exitio sibi invicem essent, quemadmodum in gravis ludi contractibus sæpe contingit. Ludi porro qui ad lucrum non referuntur, sed id unum propositum habent, ut tempus teratur, tædiumque vitetur, naturali divinoque juribus adversantur, quæ temporis jacturam vetant, ejusque, tamquam rei qua nihil in universo terrarum orbe pretiosius, bonum usum præcipiunt.

2. Personarum quæ ludunt, qualitas nonnunquam in causa est, ut ludus qui alioquin licitus est ipse per se, desinat ejusmodi esse quoad personas quæ non possunt et se delare, quin sui status officia violent. Ejusmodi sunt, inter alios, indulteiæ quidam, ut pilæ & pugillatoriis follis ludi, qui ecclesiasticos non decent, iisdemque prohibiti sunt.

3. Æquo longius in ludo tempus insumere, sine peccato, nemo unus potest, quia temporis jacturam fecit, quam naturalis divinaque leges damnant.

4. Diutius ludere quam par est, dominicis festisque diebus, circumstantia est, quæ, pro majore aut minore eorumdem sanctorum dierum profanatione, lusorum peccatum auget.

5. Idem de loci circumstantia statuendum est, ut cum in sacro, aut publico loco, cum scandalo, luditur.

§. V.

De Ludo quoad restitutionem spectat.

ID agitur, ut constet, an adsit id restituendi obligatio, quod quispiam a ludo lucratus est; sive externi, sive interni fori ratio habeatur.

1. Certum est, in Gallia quidem, neminem, quod externum forum spectat, teneri lucrum ex ludo perceptum restituere, cum solutio facta est, aut solvere quod amisit, si minus solvit ipso jacturæ tempore, seu sortis, seu industriæ ludus fuerit. Ratio est, quia Ludovici Regis XIII. edictum diei 30. Maji an. 1611. & arrestum quo edictum idem in acta relatum fuit, *nulla* declarant omnia debita, promissa & obligationes ob ludum initas, ad pretii tamen restitutionem non adigunt, quod a ludo perceptum, statimque solutum fuit; ex quo fit, ut, prout statuit edictum hoc, quæque est præsens jurisprudentia quæ eidem edicto congruit, nemo teneatur in Gallia, quod ad externum forum attinet, id restituere, quod a ludo lucratus est, aut solvere quod in eodem amisit, etiamsi de meræ industriæ ludo ageretur, quia, licet ludorum interdictio non amplius hoc tempore, nisi quoad fortuitos ludos subsistat, tolerantur tamen potius ludi cæteri quam probantur, ut proinde quoad actionem ob ludum, quicumque fuerit, denegandam jurisprudentia persisterit.

2. Ad internum conscientiæ forum quod attinet, occurrit sententiarum varietas. Nonnulli, S. Thomam ducem secuti putant eos qui vetitis ludis vacantes jacturam passi sunt, amissam summam solvere non teneri, eosque qui pervicerunt, summam quæ iisdem soluta fuit, non ipsis quidem lusoribus qui eam solverunt, sed pauperibus restituere, vel in alia pia opera conferre debere; autumant alii oportere, ut, in hac facti specie

specie, perceptam summam victores victis restituant; denique non desunt, qui arbitrentur eos qui vel prohibitis ludis operam dantes lucrati sunt, restitutioni obnoxios non esse.

Qui summam pauperibus restituendam ajunt, id fundamenti loco ponunt, evictam summam sine causa, vel ob injustam causam quam leges damnant, acquisitam fuisse, itemque jacturam passos summæ quam amiserunt, recipiendæ ineptos, violanda legum prohibitione, ipsos se reddidisse.

Qui jacturam passis lucrantes restituere debere censent, eam priorum rationem suscipiunt, quæ restituendi obligationem probat, eamque rejiciunt, per quam iidem probare contendunt restitutionem pauperibus, non autem jacturam passis faciendam esse; quamvis enim, inquiunt, qui jacturam subierunt, interdictionem e legibus latam violaverint, non proinde tamen amissæ summæ recipiendæ ineptos se reddiderunt, quia leges quæ ludum interdixere, de quo sermo est, hanc in eos pœnam, si forte interdictionem violassent, non pronuntiarunt.

Qui tandem ne eos quidem lusores qui vetitis ludis operam dantes lucrati sunt, ita ratiocinantur. Distinguantur, oportet, causæ quæ intrinsece, quæque solum extrinsece malæ & injustæ sunt. Cum acquisitionis causa suapte natura, seu intrinsece mala & injusta est, ea sane ad restitutionem obligat; causa exempli, qui usurarii contractus vi lucrum percapit, illud restituere tenetur, quia usurarius contractus qui est ejusdem acquisitionis causa, intrinsece injusta causa est. At cum acquisitionis causa non nisi extrinsecum vitium continet, quin injusta sit ipsa per se, tunc ea quidem ad restitutionem non obligat; causa exempli, mercator qui festis dominicisque diebus, atque adeo divinorum officiorum tempora vendit, restituere non tenetur, quia suarum ab eo mercium, diebus festis & dominicis, facta venditio injusta non est ipsa per se, quamvis Ecclesiæ; civilisque regiminis legibus contraria sit. Eadem ludi per leges vetiti ratio est; ipse per se non est injustus; ei restitutionem ergo non obligat. Legis effectus, quæ contractum vetat, qui nullam ipse injustitiam continet, eo demum redigitur, ut eumdem contractum in foro externo executione privet, omnem actionem ad ejus executionem deneget, pœnasque in prohibitionis transgressores, tamquam mulctas & proscriptiones quasdam decernat; at contractus, tametsi contra legis interdictionem initus, subsistere non desinit; ac, si nullam in se ipso injustitiam continet, in conscientiæ foro obligat. Nimirum hac solum notione intelligi debet axioma illud: *Nullum pactum, nullum conventum, lege contrahere prohibente.*

At, subdunt qui summas ex vetitis ludis, qui fortuiti sunt, perceptas restituendi obligationem propugnant, fortuitus ludus rationi, naturali juri & justitiæ suapte natura contrarius est. Rationi quidam repugnat, quia contra rationem est, talorum casum in certam quamdam faciem, aut chartarum permixtionem ac partitionem efficere, ut pecuniæ summa ad Petrum potius quam ad Joannem pertinere debeat. Naturali autem juri justitiæque adversatur, quia naturale jus & justitia non sinunt alterius impensis, extremaque sæpe pernicie quempiam ditescere.

Qui restituendi obligationem negant, ad primum respondent, talorum in certam statamque faciem casum, alearumve divisionem nihil aliud quam conditionem esse, sub qua, qui jacturam subit, se certam summam lucranti daturum consensit, non autem causam, ob quam ea summa traditur, victi conventionem in causa esse; quamobrem victor eam summam acquirat; & hanc conventionem rationi non repugnare, quia integrum iis liberumque est, qui suorum bonorum domini sunt, ut ea vel absolute, & sine ulla conditione dent, vel quibusdam addictis conditionibus etiam fortuitis, & a pura putaque fortuna pendentibus, dummodo conditiones hæc nec supra constitutas naturæ leges positæ, seu impossibiles, nec bonis moribus contrariæ sint.

Ad secundum respondent nec contra naturale jus, nec contra justitiam esse, ut alieno sumptu quispiam ditescat, cum ita utrinque convenit, & utraque pars idem periculum subiit, quia periculum cui victor obnoxius fuit, ut victo, quam lucratus ex eo est, summam solveret, siquidem sors ei non favisset, quandoquidem periculum hoc est morale nescio quid & pretio æstimabile, quod æque ac physicæ res esse potest pretii loco. Exemplo res clara fiet: magno Petrus annuo ad vitæ tempus censu, Pauli hæreditatem emit; Paulus paucis post diebus moritur; Petrus licite Pauli hæreditatem retinere potest, quin eidem opponi possit non ei per justitiam licere Pauli hæredum impensis ditescere, quia Pauli hæreditatis pretium solvit per periculum quod subiit, ut, si diu Paulus in vivis fuisset, valoris duplum ac triplum eidem solveret. Cum *la Placette* tamen, in ejus de Fortuitis Ludis Tractatu, ubi probat fortuitos ludos suapte natura malos non esse, & neminem in conscientiæ interno foro ad lucri quod inde percepit, restitutionem obligari, consentiunt principium hoc exceptionem pati, quibus in locis viget civilis lex quæ id genus emolumenti restitui jubet; ex quo illud consequens fit, siquidem Justinianei lex quæ lucri ex ludo percepti restitutionem præcipit, in provinciis adhuc viget, quæ suum regimen ad Romanum jus exigunt, lusores qui in iisdem provinciis ex vetitis ludis lucrati sunt, iis restituere, qui jacturam passi sunt, etiam in conscientiæ foro debere.

Finem articulo huic imponemus Sanctionis compendium, quam singularibus laudibus dignam Hispaniarum Rex Octobri mense an. 1771. editam voluit. Sanctio hæc omnes fortuitos ludos vetat, mulctarum & corporalium punitionum, in relapsus specie, indicta pœna, tum quoad lusores, tum quoad eos qui apud se ludi sinent; summam quæ ad licitos ludos exponi poterit, ad Hispanicum nummum, vulgo realem, seu solidos quinque, ut summum, in calculos quinque singulos redigit; omnes operarios, artificesque ferialibus diebus ludere vetat; hujus denique sanctionis vi, quicumque fide, vel obstrictis bonis rebusque luserit, solutionis obligationi non suberit, nec ad eam a lucrante, seu victore adigi poterit.

LUXUS, LUXURIES, Impensæ supervacaneæ, sumptuositas immodica, seu in vestibus, seu in mobilibus bonis, seu supellectili, comitatu, mensa, &c. Vocabulum hoc, ut nonnulli sentiunt, ex eo derivatur, quod luxus, seu luxuries enervet corpus, eique suum robur adimit, *luxat membra.* Luxus in unoquoque Christiano homine plus minusve grave peccatum est, pro excessus aliarumque circumstantiarum ratione quæ eum comitantur; at idem est in ecclesiasticis gravius, quorum vitæ ratio, quam simplicium fidelium magis ad simplicitatem, ad modestiam, ad exemplum in re quaqua debet esse composita. Hinc tam multi canones qui quicquid luxum, vanitatem, licentioris vitæ oblectamenta sapit, ecclesiasticis interdicunt, iisdemque in mensa, supellectili, vestibus, &c. graviorem moderationem præscribunt.

Omnis jactantia & ornatura corporalis aliena est a sacrato ordine. Eos ergo Episcopos vel clericos qui se fulgidis & claris vestibus ornant, emendari oportet, similiter eos qui unguentis inunguntur. Quod si in hoc permanserint, epitimio tradantur. (II. Nicænum generale Concilium, an. 787. can. 16.)

Non sine superbia tumidi, (clerici) *non ebrietati servientes, non luxuria enervati.... non multum edaces... sobrie, juste & pie vivant.... jejunium ament, hospites colligant, pauperes recreent, nudos vestiant, infirmos visitent, mortuos sepeliant, in tribulatione positis opem ferant, dolentes consolentur; amori Christi nihil praeponant, charitatem non derelinquant.... vitam æternam spiritaliter concupiscant.... horas canonicas non negligenter, sed cum omni religione pariter celebrent; Ecclesiam non pompatice, sed reverenter ingrediantur.* (Concilium Aquisgranense, an. 816. cap. 145.)

Quoniam propter incompositum habitum quarumdam regularium personarum & sæcularium clericorum jam adeo laici scandalizantur, quorum frequenter nobis oblata sunt querelæ, quod non solum in reverentia viros ecclesiasticos habere contemnunt, verum etiam ipsos & Ecclesias aggravant multipliciter & molestant, non credentes his clericis magis deferendum esse quam laicis, qui non solum a laicis in habitu & alia conversatione non discrepant, verum in his & aliis se magis exhibent dissolutos; nos volentes prædictorum utilitatibus tam spiritualiter, quam temporaliter providere, in synodo præsenti statuimus, quin potius sequentes antiqua statuta canonica, districte jubemus, ut quilibet Archiepiscopus vel Episcopus talaribus vestimentis, & camisia linea super alios pannos extra domum suam, si pedes vadat, semper utatur; & idem observet in domo, cum curiam publice cum extraneis tenet. (Concilium Montis Pessulani, an. 1215. can. 1.)

Nullus canonicus cathedralis vel conventualis Ecclesiæ, vel alius clericus de beneficio ecclesiastico vivens, frenis vel calcaribus deauratis utatur. (Can. 2.)

Nullus clericus cathedralis vel conventualis Ecclesiæ, vel alius clericus de beneficio ecclesiastico vivens, indumentis, vel caligis rubeis, vel viridis coloris, vel manicis consutitiis, vel capillis fervatis, vel annulo, vel capa utatur manicata. (Can. 3.)

Clausa deferant desuper indumenta (clerici), *nimia brevitate, vel longitudine non notanda. Pannis rubeis aut viri-*

viridibus, nec manicis aut sotularibus consutitiis seu rostratis, frenis, sellis, pectoralibus & calcaribus deauratis, aut aliam superfluitatem gerentibus non utantur... fibulas omnino non ferant, nec corrigias auri vel argenti ornatum habentes; sed nec annulos, nisi quibus competit ex officio dignitatis. Pontifices autem in publico & in Ecclesia superindumentis lineis omnes utantur, nisi monachi fuerint, quos oportet deferre habitum monachalem. Palliis diffibulatis non utantur in publico, sed vel post collum, vel ante pectus hinc inde connexis. (Generale Concilium Lateranense IV, an. 1215. can. 16.)

Sicut in Carthaginensi Concilio legitur, & habetur, clericus professionem suam habitu & incessu probet; & ideo nec vestibus, nec calceamentis decorem quærat. Miramur sane quosdam monachos, abbates, priores, & alios etiam religiosos qui secundum suorum instituta majorum, capas clausas, & de panno nigro deferre tenentur, transfigurato habitu houcias & clochas, non de pannis nigris, sed coloratis, fulgidis & pretiosis, deferre præsumunt, non absque gravi scandalo, & regularis disciplinæ, & divinæ majestatis offensa. Quapropter talia de cætero fieri prohibemus; contrarium vero facientes gravi animadversione per locorum ordinarios mulctari præcipimus & puniri. Quære CLERICUS, HABITUS CLERICALIS.

MAC

MACEDONIANI, hæretici qui Spiritus sancti divinitatem negabant, & Macedonii Constantinopolitani Episcopi discipuli erant. Is perturbationum causa, quas Constantinopoli excitaverat, data opera, ut Constantini corpus ex Apostolorum Ecclesia in sancti Acacii Ecclesiam transferretur, Imperatoris Constantii jussu depositus, in Constantinopolis suburbium secessit, novamque hæresin excogitavit, ut de Arianis quibus Constantius favebat, & de Catholicis qui in eum conspiraverant, vindictam sumeret. Cum Verbi divinitatem quam Ariani negabant, profiteretur, Spiritus sancti divinitatem negavit, quam Catholici æqua ac divinam Verbi naturam profitebantur; contendens Spiritum sanctum Deum non esse, sed tantummodo creatum spiritum Angelis parem, ut Filii instrumentum esset. Macedoniani qui etiam nonnunquam *Marathoniani*, a Marathone, Nicomediensi Episcopo, eorum fautore, & sæpius *Pneumatomachi*, hoc est, Spiritus sancti divinitatis hostes appellabantur, in generali Constantinopolitano Concilio, an. 381. in Ephesino, an. 431. in Chalcedonensi, an. 451. in alio Constantinopolitano, an. 553. & in Lateranensi, an. 649.

Fidem non violandam (rescindendam) *Patrum trecentorum decem & octo, qui apud Nicæam Bithyniæ convenerunt; sed manere eam firmam & stabilem; anathematizandam omnem hæresim, & specialiter Eunomianorum, vel Anomianorum, & Macedonianorum, vel Spiritui sancto resistentium, & Sabellianorum, & Marcellianorum, & Photinianorum, & Apollinaristarum.* (Concilium Constantinopolitanum, an. 381. can. 1.)

Sancta & magna & universalis synodus.... decrevit ante omnia, fidem integram & intemeratam permanere trecentorum decem & octo sanctorum Patrum; & confirmat doctrinam quæ de substantia Spiritus sancti a Patribus centum quinquaginta postea congregatis in regia civitate, tradita est propter illos qui Spiritui sancto repugnabant; quam illi omnibus notam fecerunt, non quasi aliquid deesset prioribus, adjicientes, sed suum de sancto Spiritu intellectum, contra illos qui dominationem ejus respuere tentaverunt. (Concil. Chalcedonense, an. 451. Actione 5.)

Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Nestorium, Eutychem & Origenem, cum impiis eorum conscriptis.... talis anathema sit. (Concilium Lateranense, an. 649. Actione 4.)

S. Athanasius, Didymus Alexandrinus, S. Basilius, S. Ambrosius, S. Ephrem in Macedonianos scripserunt, quorum contra Spiritum sanctum errores a Socinianis renovati, & a Clarckio, Wisthonio, &c. adoptati fuere. (*Definitio sancta quintæ Synodi.*)

MACHINATIO, CONJURATIO, CONSPIRATIO. Generale Concilium Chalcedonense, an. 451. celebratum, ita super hoc negotio pronuntiat in 18. canone: *Conjurationis vel conspirationis crimen & a veteribus legibus est omnino prohibitum; multo magis hoc in Dei Ecclesia ne fiat, admonere convenit. Si qui ergo clerici vel monachi reperti fuerint conjurantes aut conspirantes, aut insidias ponentes Episcopis aut conclericis, gradu proprio penitus abscindantur.* Canonem hunc qui primus, ad hanc rem quod attinet, notus est, Chalcedonensi, posteriora Concilia sæpenumero renovarunt.

De clericis, si qui, rebellionis causa, sacramentis se aut Scriptura conjuratione constrinxerint, atque insidias Episcopo suo callida allegatione confecerint, ut, si admoniti emendare contempserint, gradu proprio omnino priventur. (Concil. Remense, an. 630. can. 2.)

De clericis ad invicem altercantibus, aut contra Episcopum suum agentibus, ut, sicut canones docent, ita omnimodis peragant. (Concil. Francofurtense, an. 794. can. 30.)

De conjurationibus & conspirationibus, ne fiant, & ubi sunt inventæ destruantur.

Concilium Wormatiense, an. 868. can. 74. Chalcedonensis Concilii canonem ad verbum repetit. Eumdem canonem instauravit, an. 1212. Parisiense Concilium, *part. 2. cap. 18.*

MAGIA. Magia, generatim, scientia est, quæ docet inusitata quædam, percellentia, mira facere. Duplicis generis magia distinguitur; scilicet magia naturalis, & magia cæremonialis seu superstitiosa.

Magia naturalis nihil est aliud quam activarum naturalium causarum ad passivas causas applicatio, quarum ope eduntur effecta quæ quidem percellunt & admirationem pariunt, at naturæ tamen vires minime prætergrediuntur.

Cæremonialis seu superstitiosa magia est ars faciendi quædam quæ naturæ vires superant, quæque fere res malæ sunt, expressi vel taciti cum dæmonibus pacti vi.

Qui vulgo fortium spirituum titulum sibi vindicant, in ea sunt sententia, Dæmones ad magorum opera nihil conferre, & hæc nihil esse aliud quam præstigia per quæ spectatorum oculos iidem perstringunt. At sacra Scriptura (Exodi cap. 7. & seqq.) nos dubitare non sinit ea esse dæmonis opera, dum Pharaonis magos ait in serpentes mutasse virgas quas manu tenebant; in sanguinem pariter aquam vertisse, & prope omnia miracula quæ Moses fecerat, edidisse; certum quippe est eos magos ejusmodi prodigia longe supra humanas vires posita patrare nisi dæmonis vi potuisse. Samuelis per Pythonissam avocatio, de qua in primi Regum Libri vicesimo octavo capite sermo est, omnem super hoc capite controversiam de medio funditus tollit.

Ecclesia adeo persuasum habet, olim magos & sortilegos extitisse, atque etiamnum existere posse, ut suis in Conciliis magnum canonum numerum in eos ediderit, eorum crimina in reservatorum casuum numero ponat, eosdemque suis in concionibus & Ritualibus excommunicatos declaret.

Quoniam non oportet ministros altaris aut clericos, magos & incantatores esse, aut facere quæ dicuntur philacteria quæ sunt magna obligamenta animarum; hos autem qui talibus rebus utuntur, projici ab Ecclesia jussimus. (Concilium Laodicenum, can. 36.)

Admoneant sacerdotes fideles populos, ut noverint magicas artes, incantationesque quibuslibet infirmitatibus hominum nihil posse remedii conferre; non animalibus languentibus claudicantibusve, vel etiam moribundis quidquam mederi; non ligaturas ossium, vel herbarum cuiquam mortalium adhibitas prodesse; sed hæc esse laqueos & insidias antiqui hostis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur. (Concilium Turonense, an. 813. can. 42.)

Quia pestiferas adhuc stirpes & reliquias artis magicæ in tantam vigere ad nos perlatum est, ut quædam maleficæ illicitum amorem aliorum mentibus, aliis vero odium immittere dicantur, quædam etiam ita veneficæ sint, ut quosdam præmisse multo populi rumore deferantur; hujusmodi diaboli ministras diligenti examinatione proditas, sub acerrima pœnitentia redigendas statuimus; & in ipso tantum exitu, si tamen prius digna pœnitentiæ opera fecerint, reconciliandas esse permittimus. (Concil. Papiense, seu Ticinense, an. 850. can. 35.)

Et cum secundum leges civiles, & sacrorum canonum censuras, sortilegia per invocationem dæmonum, incantationes ac divinationes superstitionesque prohibita sint, statuimus, decernimus & ordinamus, ut clerici qui in præmissis culpabiles inventi fuerint, arbitrio superiorum infamia notentur; si vero non destiterint, deponantur, atque in monasterium, ad tempus arbitrio superioris præfiniendum, detrudantur, beneficiisque & officiis ecclesiasticis priventur. Laici vero utriusque sexus excommunicationis & aliis pœnis juris tam civilis quam canonici subjaceant. (Concilium generale Lateranense, an. 1514. sess. 9.)

Qui sortilegi fuerint, tam clerici, quam laici, juxta sacros canones severe puniantur, ecclesiasticis denuntientur. Moneatur vero frequenter populus, ne hujusmodi

lis ar-

sit actione utetur, nullam ab his remedium requirat; falsisque Haruspicum divinationes consulat. (Concilium Tolosanum, an. 1590. cap. 12.)

Qui rerum futurarum, a Deo, liberaque hominis voluntate, magna ex parte pendentium prædictiones libris continent, atque quos almanachos Arabico vocabulo vocant, penitus prohibentur, ne forte pravam vitatione hujusmodi expungantur, eaque solum relinquantur, quæ pluviarum, ventorum, sterilitatis, fertilitatis, eclipsium, rerumque similium prognostica attingunt.

Gallicana Ecclesia, cum Melodunum, an. 1579. convenisset, pronuntiavit, e Conciliorum mente, divinos, bonam fortem dictitantes, veneficos, necromantes, pyromantes, chiromantes, & hydromantes exterminari oportere. (*Tit. de Magicis artibus.*)

Vulgo dicitur Parisiensi parlamentum nec magos, nec veneficos agnoscere, atque ex ejus decretis, quæ ob magiæ & veneficii crimina damnant, nullam unquam damnationem ob ea solum crimina ferri, sed ob alia quæ iis addita sunt, quæque ipsa per se pœnas per ejusmodi decreta inflictas merebant. Plures tamen auctores afferunt hujus parlamenti decreta quæ veneficos & magos ob veneficii & magiæ pura putaque crimine damnant.

Chenu refert (Centuria II. Q. 98.) per Parisiensis parlamenti decretum judicatum fuisse, eos qui veneficiorum, aut cum dæmone consuetudinis convicti fuerint, honorariam mulctam soluturos, patibulo deinde affigendos, eorumdemque corpora cremanda, & in cineres redigenda.

Joannes Chartier, Caroli VII. historicus, testatur *Guillelmum Edelinum*, doctorem Sorbonicum, pridie Natalis Domini, an. 1453. ob magiam damnatum fuisse, cum falsus esset se pluries magorum conventui qui sabbatum dicitur, interfuisse, & diabolo sub hirci forma adorationem exhibuisse.

Argentræus, in sua Britanniæ Historia, Lib. X. cap. 47. *Ægidium de Laval*, Regiensem Baronem, in Nannetensi urbe, an. 1440. ob magiam igni traditum refert.

Per *Factum contra pastores Bria Francica*, compertum fit, decreto Junii die 20. an. 1551. edito, Joannem *Marechal* ad patibulum & ad flammas ob sortilegii & maleficii crimina damnatum fuisse.

Bodinius, in sua *Dæmonomania*, loquitur de cujusdam Joannis Harvillier matre quæ an. 1548. damnata fuit tamquam venefica, ut vive combureretur; itemque de maga alia, *Barba Juanraca* nuncupata, tamquam ejusmodi, Januarii die 11. an. 1578. eidem supplicio addicta. Leguntur ejusmodi decreta alia bene multa in *Codice pœnali*; apud Becquetium, in *Tractatu de justitia Juribus*; apud P. Le Brun, in *Tractatu de Usibus superstitiosis*, &c. Atque hactenus quidem dicta faciunt, ut nihil magis rationi congruat quam inferri, statuique incedendum esse via media inter extremas opiniones duas, quarum una magos immanem in modum multiplicat, eosdemque altera ad nihilum redigit, quorum scilicet seu veterem, seu recentiorem existentiam negat. Media via hæc in eo est posita, ut dicatur negari jure non posse magos antiquis temporibus, & posterioribus sæculis extitisse, tametsi populorum credulitas persæpe, nulloque non tempore, eorum numerum resque gestas amplificaverit. Consuli super hoc negotio possunt, Dandinius in *Tractatu de Suspectis de Hæresi*, an. 1703. Romæ impresso; Camerarii super Magia Dissertatio; jurisconsultus Bodinius in sua *Dæmonomania*; D. Thiers, in *Tractatu de Superstitionibus*; P. Le Brun in *Tractatu de superstitiosis Usibus*; D. abbas Artignius in Operis Tomo I. cui titulus: *Historiarum & litteraturæ nova Monumenta*; Tractatusque *de Magia, Sortilegiis, Possessionibus, Obsessionibus & Maleficiis, in quo eorum veritas & soliditas, seu vulgo realitas demonstratur, tuta facilisque methodo, ad ea discernenda, certisque additis Regulis in hariolos, veneficos, magos*, &c. Parisiis, apud Petrum Prault, an. 1732.

MANDATUM APOSTOLICUM. *Quære* GRATIÆ EXPECTATIVÆ.

MANICHÆI, veteres heretici, ita dicti a Manete, seu Manichæo, natione Persa, divitisque Ctesiphontensis viduæ servo, quæ eum annos non amplius septem natum emit; admodum sedulo studiis imbuendum curavit, suumque filium adoptatum, moriens omnium bonorum heredem reliquit. Natus est Christiani nominis an. 240. & *Cubricus* origine nuncupatus. At hoc repudiato nomine, quod ei natalium humilitatem exprobrare videbatur, se *Manetem* dictum voluit, quod vocabulum Persica, seu Babylonensi lingua *vas* significat. Studium potissimum posuit in cujusdam Arabis, *Scythiani* nuncupati libris, quos in beneficæ dominæ bonis compererit; cumque esset ad eloquentiam a natura factus, quamprimum docti acutique philosophi famam adeptus est. Se dictitabat Apostolum, seu missum a Christo Domino, ut hactenus ignotas veritates doceret. Se miraculorum dono insignitum jactabat; at cum ægrotanti Saporis regis filio se, suæ tantum precis vi, pristinam valetudinem redditurum promisisset, & puer inter ejus brachia occubuisset, eum Rex in carcerem trudi, vivoque pellem detrahi jussit, sub tertii sæculi finem, cum in carceres e quibus evaserat, redactus esset.

Manichæorum primus error, omniumque cæterorum fons in eo versabatur, ut ponerent prima principia duo, boni unum quod *lumen*, mali alterum quod *tenebras* appellabant. Boni principium erat spiritalis naturæ, novæque legis auctor; mali principium omnia corporalia entia, & Mosaicam legem ediderat. 2. Admittebant in unoquoque homine animas duas, intellectualem & rationalem unam quæ a bono principio, malam alteram quæ e malo principio derivabatur, quod corpori vitam tribuebat, omniumque peccatorum causa erat. 3. Docebant carnem suapte natura malam esse, Christum Dominum non nisi phantasticum corpus sumpsisse, & imagines honore afficiendas non esse; asserebant hominum, belluarum, plantarumque animas Deo ipsi coæternas esse; 5. aquæ baptismum inutilem esse; 6. hominem non esse liberum; 7. solas animas resurrecturas; 8. Christum Dominum esse materialem solem qui mundum illuminabat, ex quo factum, ut ii solem adorarent; matrimonii usum, animalium carnem, & quicquid ex iis oritur, vinumque, utpote e malo principio ortum trahentia, impura & vetita esse; 10. ajebant etiam concupiscentiam non e primi hominis peccato, sed a naturarum duarum discrepantia profluere, & se in omne turpiorum libidinum genus dabant.

Singulos errores hos non universi promiscue Manichæi, sed eorum alios alii propugnabant. Ex eorumdem grege plures erant, qui arboribus & plantis, non secus ac belluis perceptiones cum voluptatis & doloris sensu tribuerent; ut eorum proinde judicio arbor, planta, herba, spina avelli aut amputari non posset, quin totidem cædes & homicidia perpetrarentur. Hinc agriculturam damnabant.

Divisi Manichæi erant in ordines duos, primus *electorum* erat, qui Catholicæ Ecclesiæ seu ecclesiasticis respondebant; *auditorum* alter, qui laici erant. Habebant iidem suos catechumenos quos antequam in coetum reciperent, diligenter probabant. Ex electorum numero duodecim erant, qui magistrorum nomen gerebant, ut se ad duodecim Apostolorum numerum conformarent; ex iisdemque præterea decimus tertius aderat, quem suum veluti Papam spectabant. Hi tredecim electi creabant sectæ Episcopos omnes qui septuaginta duo numero erant; Episcopi presbyteros diaconosque instituebant. Nec agriculturæ operam dare, ac ne fructum quidem carpere electis licebat, ne se homicidii reos facerent; et id cæteris permittebatur, qui certi fiebant homicidia quæ in ea exercitatione patrabant, sibi condonari per intercessionem particularum divinæ substantiæ, quæ se a fructibus quibus devinctæ erant, expediebant, cum eos electi comedebant. Manichæi præstigiis, ut seducerent, & ibernis, ne se celarent, utebantur. Eos detexit summus Pontifex S. Leo, propterea quod in Ecclesia nunquam Eucharistiam sumebant sub vini specie, a quo scilicet abhorrebant; cumque Imperator Valentinianus III. per grave edictum ea omnia quæ in hos infames hæreticos ab ejus decessoribus edita fuerant, confirmasset, ab hac peste Italia, in quam ex Africa migraverat, purgata fuit. Gallias, Angliam & Germaniam pervasit ingens Manichæorum numerus, qui degenerantes, decimo secundo & decimo tertio sæculis eam sectarum multitudinem protulere, quæ id sibi sumebant, ut Ecclesiæ religionem reformarent; ejusmodi fuere Albigenses, Petrobusiani, Henriciani, Tanchelini discipuli, Popelicani, Cathari. Ad Manichæos damnandos coacta Concilia plura.

Si quis nuptias in accusationem deduxerit, & mulierem fidelem ac religiosam, cum viro suo dormientem, abominandam crediderit, aut etiam accusandam, tamquam non posse conjugatos in regnum Dei ingredi, anathema sit. (Concilium Gangrense, can. 1.)

Si quis eum manducantem ex fide cum religione, præter sanguinem, & idolo immolatum & suffocatum, crediderit condemnandum, tamquam spem non habentem, qui eos manducat, anathema sit. (Can. 2.)

Leothericus, Archiepiscopus Senonensis, ejusque suffraganei, coram Rege Roberto, & Regina Constantia, an. 1017. ut Fleurius numerat, vel 1022. ut aliis videtur, Aurelianum Concilium contra Manichæos celebrarunt.

runt. In eo ad ignem damnati Manichæi tredecim recens detecti, quorum antesignani erant Stephanus seu Heribertus, & Lysoyus, ex Aurelianensium ecclesiasticorum cœtu.

Porro eos qui religionis speciem simulantes, Dominici corporis & sanguinis sacramentum, puerorum baptisma, sacerdotium, & cæteros ecclesiasticos ordines, & legitimarum damnant fœdera nuptiarum, tamquam hæreticos ab Ecclesia Dei pellimus, & damnamus, & per potestates exteras coerceri præcipimus. (Concilium Tolosanum, an. 1119. can. 3.)

Vide super Manichæis S. Epiphanium, Hæres. 66. S. Augustinum, Hæres. 46. S. Hilarium, Lib. VI. *de Trinitate*, D. Bossuetium, *in Historia Variat.* Lib. XI. D. de Beausobre, *in Historia critica Manichæi & Manichaismi*, impressa Amstelodami, an. 1734. in 4., D. Pluquetium, *in Hæreseon Dictionario*, typis edito Parisiis, an. 1762. pag. 26. & seqq.

MANIPULUS, Ecclesiæ ornamentum est, quod qui officium obeunt, presbyteri, diaconi & subdiaconi ad sinistrum brachium deferunt, quodque tæniæ tres circiter aut quatuor pollices lata, in parvæ stolæ modum, ex eodem panno confecta, e quo casulæ & tunicæ confectæ sunt, continetur. Erat id fere sudariolum, seu mappula, linteumve, quo ministri quos diximus, utebantur, ut se confricarent, sibique oculos, manus, os, faciem abstergerent. Illud hac de causa ad sinistrum brachium, ut etiamnum, ferebatur, quia nempe dextera manu sumptum commodius adhibebatur.

Subdiaconus, cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum; de manu vero Archidiaconi, urceolum, aquamanile, ac manutergium. (Concilium Carthaginense, an. 398. can. 5.)

MARTYR, est græca vox quæ proprie *testem* significet. Tribuitur per excellentiam id nominis iis omnibus qui mortem perferunt, ut Evangelii veritati testimonium exhibeant. Itaque proprie dicti martyres ii tantum sunt, qui reapse in tormentis, aut deinde per tormentorum vim hac mortali vita spoliantur, postquam ea patienter & libere pertulerunt, ut aliquam seu theoricam, cujusmodi fidei articuli sunt, aut practicam, cujusmodi sunt christianarum virtutum acta, christianæ religionis veritatem defenderent. Causa scilicet ob quam tormenta perferuntur, animique præparatio seu incitamentum cujus vi perferuntur, veros martyres efficiunt. Mortem pati tyranni manu, qui in religionis odium eam non inferret, ut eamdem pati ob humanam rationem, ut claritatis proprio nomini comparandæ animo, licet in religionis odium mora inferretur, martyrium non esset. Idem de iis judicium ferendum est, qui falsa pietatis studio, seu impetu quodam idola infringentes, sibi mortem conquirerent, aut eam ipsi sibi inferentes, carnifices antéverterent, nisi forte singulari Dei afflatu incitati impulsique fuerint, qui quidem afflatus sanctorum virorum aliquibus præsto fuit, & de quo tamen nemo sibi blandiri debet.

Si quis idola fregerit, & ibidem fuerit occisus, quatenus in Evangelio scriptum non est, neque invenitur sub (vel, *ab*) *Apostolis unquam factum; placuit in numero eum non recipi martyrum.* (Concilium Eliberitanum, can. 60.)

Si quis superbia usus affectu, conventus abominatur, qui ad confessiones martyrum celebrantur, & ministeria quæ in eis fiunt, simul eum eorum memoriis exsecratur, anathema sit. (Concilium Gangrense, can. 20.)

Martyrum dignitatem nemo profanus infamet, neque ad passiva (*promiscua, vulgaria*) *corpora, quæ sepultura tantum propter misericordiam ecclesiasticam commendari mandatum est, redigat.* (Concilium Carthaginense, an. 348. can. 2.)

Ut nulli novi Sancti colantur, aut invocentur, nec memoria eorum per vias erigantur; sed hi soli in Ecclesia venerandi sint, qui ex auctoritate passionum, & vitæ merito electi sunt. (Concilium Francofurtense, seu Francofordiense, an. 794. can. 42.)

MASSALIANI, seu MESSALIANI, veteres sectarii, ita dicti a græco vocabulo quod *precem* significat, quia preci semper vacandum putabant. S. Epiphanius duorum generum Messalianos distinguit, antiquos novosque. Antiqui, eo referente, pagani erant, nihilque commune seu cum Christianis, seu cum Judæis habebant. Agnoscebant deos plures, e quibus tamen non nisi unum adorabant, quem *Omnipotentem* vocabant.

Novi Messaliani ad annum 361, regnante Constan-

tio, e S. Epiphanio, vel rerum potiente Valentiniano, ex Theodoreto, prodire cœperunt. S. Epiphanius qui eorum originis, eorumdemque progressuum testis fuerit, eos e Mesopotamia deducit, atque eosdem illinc se *Antiochiam usque* disseminasse. Idem S. Pater animadvertit inter eos feminas extitisse, quod satis ad eorum evertendam opinionem est, qui eos omnes monachos fuisse contendunt.

Messalianorum errores eo redigebantur, ut dicerent, unumquemque suis a majoribus dæmonem trahere, qui a primo nativitatis momento ejus animum possidebat, eumdemque semper ad malum ferebat; baptismum inutilem esse, quia eum dæmonem expellere non poterat; precem unam & unicam posse eum trudere; cumque is extra animum esset, Spiritum sanctum in animum ipsum descendere, ut eum penitus a propensione ad malum, itemque corpus ab omnibus præposterarum cupiditatum motibus liberaret, ut proinde non amplius jejuniis, aliusve generis macerationibus opus esset; clare futura cognosci, & corporis oculis Trinitatem videri; pervenire hominem posse ad tam perfectam consummatamque virtutem, ut nullum amplius peccatum perpetret, divinitatemque quoad scientiæ & virtutis perfectionem æquare posse; manuum operam non solum inutilem, verum etiam malam esse, unamque & unicam precem ad salutem sufficere; sacramentorum usum nec boni nec mali quicquam efferre; crucem, ecclesias, altaria, sanctamque Virginem non nisi contemptum mereri; duas in unoquoque homine animas esse, stupidam & imbecillem unam, cælestem alteram, & quæ sanctam Trinitatem ipsis corporis oculis videre possit.

Messaliani damnati fuere in Sidensi Concilio, sub S. Amphilochio, in alio orientis Concilio, an. 427. celebrato, de quo Photius, quin illud nominet, in Bibliotheca, & in œcumenico Ephesino Concilio, an. 431. his verbis: *Venientes ad nos piissimi & religiosissimi Episcopi Valerianus, & Amphilochius, proposuerunt in communi considerandum de Messalianitis, hoc est, Euchetis, vel Enthusiastis, qui in Pamphilia versantur, vel quocumque nomine contaminatissima hæresis vocatur. Ac nobis considerantibus attulit piissimus & religiosissimus Episcopus Valerianus schedulam synodicam de illis compositam in magna Constantinopoli sub beatæ memoriæ Sisinnio; quæ ubi lecta, ab omnibus probata est, quod bene sit condita, robурque habeat. Et placuit nobis omnibus .... ut omnia quæ in synodica charta contenta, robur habeant... & quæ in Alexandria acta sunt, ita ut omnes, qui per universam provinciam hæretici Messaliani vel Enthusiastæ sunt, vel de ejus hæreseos morbo suspecti, sive clerici, sive laici sint, conveniantur; & siquidem anathematizaverint, juxta ea quæ in prædicta synodica scripto pronuntiata sunt, in scriptis; si clerici fuerint, maneant clerici; si laici, ad communionem admittantur. Quod si renuerint anathematizare, si presbyteri, vel diaconi fuerint, vel in alio quopiam gradu Ecclesiæ, excidant & a clero, & a gradu, & a communione; laici vero anathematizentur.* (Concilium Ephesinum, Act. 7.)

MATRIMONIUM. Agemus ad hoc verbum; 1. de nomine, de definitione & de essentia matrimonii; 2. de ejus institutione; 3. de ejus materia ejusdemque forma; 4. de ejus ministro; 5. de ejus efficienti causa; 6. de ejus effectis; 7. de ejus proprietatibus; 8. de ejus solemnitatibus; 9. de ejus cæremoniis; 10. de ejus impedimentis; 11. de Matrimonii impedimentorum dispensatione.

§. I.

De Nomine, Definitione, & de Essentia Matrimonii.

M*Atrimonii* nomen ex eo derivatur, quia femina eo potissimum animo nubere debet, ut mater evadat; vel matrimonium dicitur veluti *matris munium*, quia matrum onus in matrimonio gravius quam patrum est; pueri enim qui ejusdem fructus sunt, plus sollicitudinis matribus afferunt, majoremque ab his curam exposcunt, seu ante partum, seu in partu, seu post, & præsertim quoad in humili ætate sunt. Nuncupatur etiam matrimonium *conjugium*, a communi jugo quod personis conjugatis imponit, & *connubium*, *nuptiæ*, a verbo *nubere*, *velare*, quia, penes veteres, conjugatæ mulieres velum, in modestiæ, pudoris, suæque erga viros obsequii argumentum, super capite deferebant. Matrimonium quoque jurisconsulti *consortium* vocant, ob intimam conjunctionem quæ inter sponsos existit, & Græci *coronam* nominant, quia presbyteri qui inter eos matrimonia celebrant, novo-

rum conjugum capiti coronas imponunt. Usus hic apud Ethnicos, apud Hebræos, atque adeo apud primitivæ Ecclesiæ Catholicos locum habuit, ut evincunt Tertulliani, in libro *de Corona Militis*, verba hæc: *Coronant & nuptiæ sponsos* (Cap. 13.); atque e S. Joannis Chrysostomi in S. Pauli primam ad Corinthios Epistolam Homilia 9. itemque e summi Pontificis Nicolai I. ad Bulgaros responsione perspicuum fit.

Ut probe matrimonii definitio & essentia percipiatur, illud peculiaribus rationibus tribus spectari debet, quoad peculiares fines tres quos Deus in ejus institutione sibi proposuit; hi porro fines sunt humani generis, societatis, & Ecclesiæ perpetua propagatio. Quoad rationem primam, matrimonium est naturæ officium, seu debitum cui generatio est regulæ & finis loco; quoad alteram, ut finis est civilis societatis bonum, civilesque leges regula sunt; quoad rationem tertiam, quæ Ecclesiæ bonum spectat, matrimonium est sacramentum quod ecclesiasticis legibus subest, quodque matrimonio quoad priores duas rationes spectato nihil addit aliud, quam Christi Domini institutionem, & gratiæ promissionem, quæ necessaria est, ut matrimonii sollicitudines patienter ferantur, & filii, prout Christiana religio postulat, educentur.

Ergo matrimonium prima quam diximus, ratione spectatum naturalis contractus est, qui conjugibus mutuum in ipsorum corpora jus tribuit, quoad speciei multiplicationem, per filiorum procreationem, secundum naturæ votum, æquitatisque & decori leges, quas ratio inspirat.

Matrimonium, spectatum ratione altera, seu tamquam civilis contractus, viri & feminæ unio conjugalis est, quæ contrahitur inter personas quæ ejusdem capaces sunt, secundum leges, quæque eas obligat, ut inseparabiliter, & in perfecta invicem conjunctione vivant.

Tertia demum ratione inspectum matrimonium est conjugalis unio maris & feminæ, inter personas ex legibus idoneas insolubiliter inita, & a Christo instituta, ut sponsis gratiam tribuat, qua se sancte ament, se cum charitate ferant, suosque in christiana pietate filios educent; seu, matrimonium est novæ legis sacramentum quod insolubili vinculo ligat christianum virum cum christiana femina, qui quidem ad hanc unionem inter statuendam apti sint, quodque iis gratiam confert, quæ ad ipsorum sanctificationem, filiorumque, christianum in modum, educationem necessaria est.

Matrimonium igitur unio est, quia proprie & essentialiter conjugali vinculo continetur, quod per *unionis* vocem exprimitur.

Est unio *conjugalis*, ut a ceteris omnibus conventionibus distinguatur, cujusmodi sunt venditionis emptionisque contractus, per quos viri & feminæ se mutuo obligare possunt, sed quibus tamen nec idem finis, nec eadem officiorum ratio, nec idem objectum quod conjugali unioni est, videlicet, corporum, quoad prolis generationem, ejusdemque educationem, mutua traditio.

Est viri & feminæ conjugalis unio, singulari numero, ut excludatur polygamia, eodemque tempore significetur partes contrahentes alterius sexus esse debere.

Est unio inter personas quæ ejus ex legibus capaces sunt, ut palam fiat aliquas personas esse quæ huic unioni contrahendæ per naturalem, divinam humanamque legem ineptas se reddiderunt.

Denique, est unio quæ conjuges obligat, ut simul ad mortem usque inseparabiliter vivant, quia vinculum quod mutuo virum & feminam unit, suapte natura indissolubile est; atque in hoc nimirum perpetuo & insolubili vinculo quod ex mutuo contrahentium consensu oritur, matrimonii essentia continetur, quatenus tamquam firmus & permanens status spectatur.

Non ergo matrimonii vis & ratio seu reciproco sponsorum consensu qui cum momentaneus actus sit, permanentis status essentiam constituere non potest; seu corporum traditione, aut conjugalis reddendi debiti obligatione; seu jure quod sponsi duo alter in alterum obtinent, continetur; hæc enim tria nonnisi matrimonii consecutiones sunt, illudque jam initum putant; seu denique in carnali commercio posita est; Adam nimirum & Eva se carnaliter non cognoverunt, nisi postquam e terrestri paradiso expulsi fuerunt, quamvis antea conjugati essent; beata Virgo, sanctusque Joseph, qui semper virgines permanserunt, non proinde minus valide conjugati fuere; sponsique qui se simul consociantes, ad continentiam per mutuum consensum se se obligarent, non desinerent verum matrimonium inire, quod, S. Augustino docente (Lib. I. *de Nuptiis & Concupisc.* cap. 11.), animorum & voluntatum unione potissimum nititur; quod principium ab ethnicis ipsis jurisconsultis receptum fuit: *Nuptias consensus, non concubitus facit.* (Ulpianus, in leg. 30. ff. *de Regul. Juris.*)

§. II.

De Matrimonii Institutione.

Matrimonium, ut naturalis contractus spectatum, omnibus contractibus antiquitate præstat, quippe quod institutionem suam ipsi instinctui naturæ quo homines ad se in legitima societate multiplicandos fert, & Creatoris voluntati debet, qui sexus duos hac mente efformans simul univit in Adæ & Evæ personis, iisque benedixit, dixitque: *Crescite & multiplicamini.* (Geneseos cap. 1. v. 2.) Falsum proinde est Adæ & Evæ lapsu posteriorem matrimonii institutionem esse. Statim ac Deus de una ex Adæ costis hanc efformavit, eam sibi Adam conjugem sumpsit, inquiens: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*; & Eva vicissim sibi sumpsit Adam conjugis loco; ita quidem primus matrimonii contractus in terrestri paradiso, in ipsoque innocentiæ statu initus fuit.

Matrimonium, ut sacramentum, in nova tantum lege a Domino nostro Jesu Christo institutum fuit, qui naturalem & civilem contractum ad sacramenti, seu signi sacri quod gratiam parit, & per quod ipsius Christi cum Ecclesia per incarnationem quidem physica, per charitatem vero spiritalis unio exhibetur, dignitatem evexit. Est hoc fidei caput, cui fundamentum præbent sacræ Litteræ, Patres, Concilia.

Cum igitur matrimonium in lege evangelica veteribus connubiis per Christum gratia præstet; merito inter novæ legis sacramenta annumerandum sancti Patres nostri, concilia, universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt; adversus quam impii homines hujus sæculi insanientes, non solum perperam de hoc venerabili sacramento senserunt, sed de more suo, prætextu evangelii, libertatem carnis introducentes, multa ab Ecclesiæ Catholicæ sensu, & ab Apostolorum temporibus probata consuetudine aliena, scripto & verbo asseruerunt, non sine magna Christifidelium jactura; quorum temeritati sancta & universalis Synodus cupiens occurrere, insigniores prædictorum schismaticorum hæreses, & errores, ne plures ad se trahat perniciosa eorum contagio, exterminandos duxit, hos in ipsos hæreticos, eorumque errores decernens anathematismos. (Concilium Tridentinum, Sess. 24.)

Si quis dixerit, matrimonium non esse vere & proprie unum ex septem legis evangelicæ sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit. (Can. 1.)

Sane cum matrimonium a Deo rerum omnium conditore, in paradiso, & in statu innocentiæ institutum fuerit, sitque, teste Apostolo, sacramentum, proinde cum magna reverentia ac devotione suscipiendum, utpote in quo, sicut & in reliquis sacramentis, gratia confertur; prohibemus, ne in sponsalibus, aut nuptiali benedictione fiant risus, cachinnationes, aut alia ridicula verba enuntientur. Quin immo moneantur affidati, quatenus jejuni, contriti & confessi, ac cum multa reverentia ad hoc sacramentum accedant; illum quippe abusum qui invaluit in quibusdam partibus, ut benedictio nuptialis & Missa celebrentur statim post mediam noctem, tollimus & amputamus, statuentes, quod talia deinceps non fiant nisi post ortum solem, ac illucescentem diem. Siquidem exemplo perniciosa interdum compertum est, solemnitates hujusmodi nuptiales sic in latebris & in occulto factas clandestinis matrimoniis viam aperuisse, & occasionem dedisse contemnendi tam excellens sacramentum, & lascivias ac spurcitias quasdam committendi. (Concilium Senonense, an. 1528. can. 39. sub titulo: *Decreta Morum.*)

Cum constet matrimonium a Deo institutum, ut Christi ac Ecclesiæ sacram & inseparabilem adumbraret conjunctionem, & proinde honorabile esse connubium, teste Apostolo; summo ideo in pretio haberi debet, ac maximo cum honore contrahendum est ac celebrandum, sive primo, sive secundo, sive tertio aut quarto contrahatur, contra Montanistarum errorem. (Excerptum generalis super ecclesiastica disciplina Constitutionis quam edidit generalis cœtus Cleri Galliarum, an. 1579. Meloduni coactus, tit. 15. *de Matrimonio.*)

Matrimonium hac de causa divinitus institutum esse certum est, ut ex legitima viri & feminæ conjunctione, humanum genus ad Dei gloriam propagaretur, quo cælestis demum beatitudinis particeps fieret, ubi creatorem suum pie in hac vita & religiose coluisset. Ex quo quidem matrimonii dignitas eminet; sed ex eo maxime, quod sacramenti vim in evangelica lege accepit a Christo, ipsius

cum

tum Ecclesiam sanctissimam, firmissimamque conjunctionem designans. Qua causa est, ut conjugibus rite hoc sacramentum suscipientibus gratia Dei verissime conferatur, fiatque honorabile connubium, & torus immaculatus, dum alter in alterius mutua benevolentia & charitate conquiescit, atque alienos & illicitos amores penitus aversatur. Unde fit etiam, ut matrimonii fructus, liberorum procreatio consequatur, qui vera fidei & religionis cultores, atque parentum virtutis potius, quam fortunarum heredes existant. (Concilium Burdigalense, an. 1583. *De Matrimonio.*

Matrimonium a Deo institutum, unionem Christi & Ecclesiae perfecte significans, unde magnum sacramentum est appellatum, licet puritatem denotet, tamen propter insitivum, & immoderatos appetitus foedatur a permultis, dum quod Deus conjunxit, non sine sacrilegio separare tentant, & quod libere agendum est, vi aut metu fieri procurant.

§. III.

De Matrimonii Materia & Forma.

MAtrimonio, cum sacramentum sit, sua forma, sua item materia suppetit; et de neutra convenit inter theologos.

Sunt qui putent contrahentium internum consensum matrimonii materiam, & verba, externave signa quae hunc mutuum consensum exprimunt, formam esse.

Sunt alii qui, contra, sentiant interno ipso consensu matrimonii formam, verbisque ejusdem materiam confici.

Dominicus Soto, & Suarez contendunt materiam simul & formam per duorum contrahentium verba constitui, pro ut ea scilicet *traditionem & acceptationem corporum*, traditionem quidem tamquam materiam, acceptationem vero tamquam formam continent.

In ea Estius sententia est, materiam sacramenti matrimonii contineri contrahentium actis, reciproco scilicet consensu partium, quae sibi, ratione habita, viri & uxoris fidem obstringunt, qui quidem consensus per verba, seu per aliquod aliud sensibile signum exprimitur; formam autem Sacerdotis eos in matrimonium conjungantis verbis, quia verba haec determinant contrahentium acta, ut sacramentum sint, quemadmodum confessarii absolutio ad hanc ipsam sacramentalem rationem poenitentis acta determinant. Ita cogitant quicunque Sacerdotem esse sacramenti matrimonii ministrum putant.

§. IV.

De Ministro Sacramenti Matrimonii.

QUod ad sacramenti matrimonii ministrum attinet, contrariae stant opiniones duae. Ex prima quidem, contrahentes ipsi matrimonii sacramenti ministri sunt, seu illud uterque administret ipse sibi, seu ambo illud alter alteri mutuo administrent. Itaque, per hujus opinionis fautores, Sacerdos matrimonio solum ut praecipuus testis adsistit; & benedictio quam eidem tribuit, nihil est aliud quam simplex ecclesiastica caeremonia quae ad hujus sacramenti essentiam non pertinet. Opinio haec, antequam Melchior Canus contrariam sententiam propugnarat, adeo generatim recepta erat, ut novitatis & temeritatis nota eidem inusta fuerit, propterea quod non alium quam Sacerdotem matrimonii sacramenti ministrum, & verba haec, *ego vos in matrimonium conjungo*, &c. ejusdem formam esse docuisset, ut proinde matrimonia sine Sacerdotis ministerio celebrata, solum ut civiles & naturales contractus, minime vero ut sacramenta, valida essent.

Haec posterior opinio, quae nunc temporis communior videtur, probabilior quoque nostro sane judicio est; 1. quia non alii quam Sacerdotes aut Episcopi sacramentorum novae legis ordinarii ministri sunt, idemque, quod inde consequitur, de matrimonio sentiendum, quod veri nominis sacramentum est; 2. quia Parochi in Ritualibus bene multis, ut in Coloniensi, Ipreosi, Atrebatensi, Cameracensi, &c. *matrimonii sacramenti Ministri* nuncupentur; 3. quia primitivae Ecclesiae Christiani semper nuptialem benedictionem ex Episcoporum aut Sacerdotum manu susceperunt, persuasum habentes sacramenti gratiam eidem addictam esse, quemadmodum Patres & Concilia probant.

Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii quod Ecclesia conciliat (seu jungit & connectit), & confirmat oblatio (incrementi sacrificii), & obsignat benedictio; angeli renunciant, pater rato habet? (Tertullianus in secundo suam ad uxorem libro.)

Cum ipsum conjugium velamine sacerdotali & benedictione sanctificari oporteat, &c. (S. Ambrosius, *Epist.* 19. *alias* 32. *ad Vigilium*, n. 7.)

Illa benedictio quam nupturae Sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur. (Summus Pontifex S. Siricius, in Epist. *ad Himerium Tarracon.*)

Sponsus & Sponsa, cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus suis, vel paranymphis offerantur; qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant. (Concilium Carthaginense, an. 398. can. 15.)

Ad apostolicam audientiam frequenti relatione pervenit, quod quidam clerici pro exsequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, & similibus, pecuniam exigunt & extorquent .... (Concilium Lateranense, an. 1215. tit. 66.) *Quapropter & pravas exactiones super his fieri prohibemus, & pias consuetudines praecipimus observari*. Canon hic affertur in Gratiani decreto, additque Glossa super eodem canone: *Pro benedictionibus nubentium aliquid accipi prohibetur, quia per eas gratia confertur.* (Tit. de Sim. 9. *Cum in Ecclesia.*)

Quod sacramentum (matrimonii) *si quis, sicut decet, acceperit, accedente sacerdotali precatione, confert donum Spiritus, quo vir diligat uxorem amore casto, sicut Christus dilexit Ecclesiam.* (Concilium Coloniense, an. 1536. Part. VII. cap. 4.) Enchyridion, ex hujus Concilii mandato editum, de matrimonio verba faciens, ita habet: *Quanto magis putandum est; & in nova lege Sacerdotes, qui legatione pro eo funguntur, legitimos hujus sacramenti ministros esse?*

Quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiae procedatur; ubi Parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti; *vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque Provinciae ritum.*

§. V.

De Matrimonii efficienti Causa.

PEr matrimonii efficientem causam ea intelligitur quae conjugale vinculum parit, quod a nobis *matrimonium* appellatur; & haec causa non alia est, quam mutuus consensus quo contrahentes seu per signa, seu viva voce se simul nubere velle testantur. Liber & sine coactione debet esse consensus hic; reciprocus praeterea sit, oportet; denique externus; aliter quippe nec sacramenti quod necessario sensibile signum est, nec externi contractus pars esse, nec cognosci acceptarique a contrahentibus possit. Theologorum plerique putant consensum hunc internum sincerumque esse debere, adeoque matrimonium haud validum fore, si contrahentium unus diceret secum ipse: „ tibi nubere nolo“; dum ore tamen diceret: „ te mihi sponsum, aut sponsam sumo“. Peccaret is tamen contra justitiam, veritatemque, & ex animo consentire deberet.

§. VI.

De Matrimonii Effectis.

MAtrimonium, tamquam sacramentum, sanctificantem gratiam edit, quae Christi Domini suam erga Ecclesiam amorem exhibet, & conjuges permovet, casto ut amore, divinum illud exemplar secuti, se prosequantur; iisdemque efficax & praesens remedium affert, ut se contra mala per peccatum in matrimonium inducta roborent; cujusmodi sunt humana imbecillitas, pravae animi & corporis dispositiones, concupiscentia, tribulationes, timores, sollicitudines, impedimenta; omnia denique matrimonii onera quae facilius feruntur ope gratiae subsidiorumque quae huic sacramento addicta sunt, & per quae formantur conjuges ad animorum conjunctionem & concordiam, ut se christianum in modum diligant; ad patientiam & suavitatem, ut se mutuo perferent; ad castitatem, ut intra suorum officiorum fines consistant; ad vigilantiam, ut ea curent quibus eorum familia opus habet; ad religionem & pietatem, ut ipsi se suosque filios sanctificent.

Gratiam vero quae naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium sacramentorum institutor atque perfector, sua nobis passione promeruit. Quod Paulus Apostolus innuit, dicens: Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & se

ipsum tradidit pro ea; *mox subjungens:* Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico, in Christo & in Ecclesia. (Concilium Tridentinum, Sess. 24. *Doctrina de Sacramento Matrimonii.*)

§. VII.

De Matrimonii Proprietatibus.

PEr matrimonii proprietates intelliguntur ejus unitas, ejus indissolubilitas, ejusdemque necessitas.

Matrimonii Unitas.

Matrimonii unitas in eo est posita, ut eodem tempore unam tantum uxorem vir, & femina unum tantum virum habere possint. Everteretur hæc unitas per polygamiam quæ *simultanea* nuncupatur, quæque unius viri cum pluribus feminis, aut unius feminæ cum pluribus viris, uno eodemque tempore, matrimonio continetur.

Simultanea profecto mulieris polygamia, qua plures simul viros haberet, naturali jure vetita est, quippe quæ primo æque ac secundo matrimonii fini adversatur. Primo quidem matrimonii fini, qui in prolis generatione positus est, repugnat, quia experientia compertum est publicas feminas steriles esse; secundo pariter matrimonii fini, filiorum scilicet educationi contraria est, quia ejusmodi infantium patrem incertum reddit.

Quod spectat ad simultaneam viri polygamiam, qui nempe plures simul uxores habet, ea probabilior sententia est, hujusmodi polygamiam & naturali, sed quæ tamen dispensationem patitur, & divinæ legi contrariam esse: Deum hac in re cum veteribus Patriarchis dispensasse, quibus plures simul conjuges fuere, & Christum Dominum in novo Testamento dispensationem hanc revocasse.

Quod vero ad successivam polygamiam attinet, quæ in eo est posita, ut habeantur uxores plures, una post aliam, prout primæ moriuntur, & vice versa; hujus generis polygamia nec naturali, nec divino juri repugnat; namque nunquam universim Ecclesia proscripsit, quamvis semper in votis habuerit, suis eam vim filiis inesse, ut ab ea abstinerent, nec, post priorum conjugum mortem, ad secundas nuptias convolarent.

De his qui secundum ecclesiasticam regulam, ac legitime secundis nuptiis juncti sunt, nec occulte nuptiarum copulam fecerunt, oportet, ut e parvo tempore transacto, vacent orationibus & jejuniis; quibus etiam, juxta indulgentiam, communionem reddi decrevimus. (Concilium Laodicenum, can. 1.)

Nulli liceat uno tempore duas habere uxores, uxoremve & concubinam; quia cum domui non sit lucrum, animæ sit detrimentum. Nam sicut Christus castam observat Ecclesiam, ita castum debet custodire conjugium. (Concilium Romanum, an. 826. can. 37.)

Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit. (Concilium Tridentinum, Sess. 24. can. 2.)

Matrimonii Indissolubilitas.

Matrimonium, vel *quoad vinculum*, vel *quoad torum*, vel *quoad torum simul & habitationem*, dissolvi potest. Solutum est quoad vinculum, cum conjuges aliis nubere possunt; solutum est quoad torum, cum ipsi conjugale debitum mutuo reddere nequeunt, quamvis aliud matrimonium inire non possint; denique quoad torum simul & habitationem solutum est, cum conjuges ei legi non subsunt, ut invicem conjugale debitum reddant, & sub eodem tecto commorentur.

Omne matrimonium indissolubile est quoad vinculum, per naturale jus, ita scilicet, ut cujusque matrimonii indissolubilitas naturæ legibus conformis sit, tametsi naturæ leges absolute strictèque indissolubilitatem hanc non præcipiant.

Matrimonii indissolubilitas est naturæ legibus consentanea, quia matrimonii finis est vitæ, mentis animique perfectæ & perpetuæ inter conjuges duos societatis institutio, prolis generatio & educatio; itemque quia essentialiter a concubinatu differt; jam vero discrimen hoc, & cætera hæc omnia emolumenta dubio procul in matrimonio non aderunt, si, secundum naturæ leges, illud pro arbitratu infringi possit. Nihilominus hæ leges ipsæ non absolute strictèque matrimonii indissolubilitatem præcipiunt; si enim ita se res haberet, hæc dissolubilitas esset intrinsece mala, ex quo sequeretur Deum ipsum non posse eamdem permittere. Matrimonii indissolubilitas non minus Dei & Ecclesiæ quam naturæ legibus congruit.

Placuit, ut secundum evangelicam & apostolicam disciplinam, neque missus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri conjungantur; sed ita maneant, ut sibimet reconcilientur. (Concilium Milevitanum, an. 416. can. 17.)

Item placuit, ut, resoluto, fornicationis causa, jugali vinculo, non liceat viro, quamdiu adultera vivit, aliam uxorem ducere, licet sit illa adultera; sed nec adultera, quæ pœnas gravissimas, vel pœnitentiæ tormentum luere debet, alium accipere virum, nec vivente, nec mortuo, quem non erubuit defraudare, marito. Nam etsi legatur in sacris evangelicis paginis, sola fornicationis causa dixisse Dominum, dimittere uxorem suam; non tamen legitur concessisse aliam, vivente illa, in conjugio sibi sociare; prohibuisse quidem modis omnibus non ambigitur. Ait enim: Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimissam duxerit, mœchatur. *Qua de re ita diffinire prospeximus, ut juxta ejusdem Domini mellifluum vocem, nemo hæc interdicta violator incultare præsumat. Sed quoniam in medio ambiguus interponitur sermo, id est, nisi ob fornicationem, quæri nimirum potest, utrum ad solam licentiam dimittendi uxorem,* qui dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, *an etiam ad utrumque dictum referatur, hoc est, ad aliam, vivente illa, accipiendam, quasi dixerit:* Qui dimiserit uxorem suam, & aliam, nisi ob fornicationem, duxerit, mœchatur. *Et idcirco peritissimi viri beati Hieronymi libellum Commentariorum recenseri nobis studiose mandavimus, anxie utique cognoscere festinantes, qualiter idem famosissimus Doctor hæc sacrata Dominica verba, juxta capacioris ingenii sui subtilitatem, sensisse monstraretur. Cujus nimirum sensum sagaciter explorantes, in promptu nihilominus patuit ad solam dimittendi uxorem licentiam pertinere. Nam cum more suo vir sanctus hujus capituli summatim seriem expenendam transcurreret, inter cætera, & post pauca sic ait:* Et quis poterat (*inquit*) accidere, ut aliquis calumniam faceret innocenti, & ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret, sic priorem dimittere jubetur uxorem, ut secundam, prima vivente, non habeat. Non enim debet imitari malum adulteræ uxoris, etsi illa duo, immo unam carnem, per scissuras fornicationum, divisit in tres, dividat in quatuor. Unde patenter datur intelligi: quamdiu vivit adultera, non licet viro, nec potest impune secundas contrahere nuptias. (Concilium Forojuliense, an. 791. can. 10.)

Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens, divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. (Concilium Tridentinum, Sess. 24. *Doctrina de Sacr. Matrimonii.*)

Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari & conjungi, Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba, tamquam a Deo prolata referens dixit: Itaque jam non sunt duo, sed una caro; *statimque ejusdem nexus firmitatem, ab Adamo tanto ante pronuntiatam, his verbis confirmavit:* Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.

Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit. (Can. 5.)

Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit & docet, juxta evangelicam & apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, matrimonii vinculum non posse dissolvi; & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, & eam, quæ, dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit. (Can. 7.)

Matrimonii Necessitas.

Necessarium erat matrimonium in mundi exordio, quia tum quidem naturale quoad omnes homines nubendi præceptum aderat, ut multiplicaretur humanum genus, quandoquidem multiplicationem hanc dictat & præcipit ipsa natura. At statim atque homines satis multiplicati fuere, nubendi præceptum desiit, & cælibatus, tamquam conjugali perfectior status spectatus fuit.

Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cælibatus; & non esse melius ac beatius manere in virginitate, aut cælibatu, quam jungi matrimonio, anathema sit. (Can. 10.)

§. VIII.

§. VIII.

De Matrimonii Solemnitatibus.

E Matrimonii solemnitatibus, aliæ ejus celebrationem antevertunt, aliæ comitantur, aliæ subsequuntur.

Solemnitates quæ matrimonii celebrationem antevertunt, sunt sponsalia, bannorum proclamatio, seu futuri matrimonii enuntiatio, parentum consensus, &c. quæ vero matrimonii celebrationem aut comitantur, aut subsequuntur, partium quæ contrahunt, consensione, Sacerdotis & testium præsentia, nuptiali benedictione, &c. continentur.

De sponsalibus dicemus verbo SPONSALIA, quod consuli potest; de cæteris cæremoniis, itemque de contrahentium partium consensu, ac de Sacerdotis & testium præsentia in sequentibus paragraphis sermonem habebimus. agemus hoc statim loco de bannorum proclamatione, seu futuri matrimonii enuntiatione, deque parentum consensu.

Matrimonii Banna.

Bannum est germanica vox quæ *proclamationem*, *publicationem*, *publicam denuntiationem* significat; factum hinc, ut banni vocabulum usui fuerit ad plura significanda quæ ad publicum clamorem peragebantur, cujusmodi erat convocatio clientum, & translatitiorum clientum regis, ut eum ad bellum comitarentur, seu regis clientelarem nobilitatem ad bellum convocantis edictum, cui *Banni & Posterioris Banni* nomen tributum est. Quamobrem, quia matrimonia in Ecclesia enuntiabantur, adhibitum est *banni* vocabulum, ut, quæ fiebat, quæque etiamnum fit, futurorum matrimoniorum publicatio significaretur.

Matrimonii Bannorum antiquitas.

Matrimonii banna enuntiandi mos, in Galliarum Ecclesia, duodecimi saltem sæculi est. Odo Parisiensis Episcopus id, an. 1176. mandavit, mandatumve firmavit; & Lateranense quartum generale Concilium, an. 1215. sub Innocentio Papa III. celebratum toti Ecclesiæ idem præscripsit, in hæc verba; *Prædecessorum nostrorum inhærendo vestigiis, clandestina conjugia penitus inhibemus; prohibentes etiam, ne quis Sacerdos talibus interesse præsumat. Quare, specialem quorumdam locorum consuetudinem ad alia generaliter prorogando, statuimus, ut, cum matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesiis per presbyteros publice proponantur, competenti termino præfinito; ut infra illum, qui voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum opponat.* (Can. 51.) M. D. .... advocatus, deceptus ergo est, dum dixit, in Gallia, bannorum enuntiationem præcipiendi usum, decimo tertio ineunte sæculo, inductum fuisse. (Ephemer. ecclesiast. Aprilis an. 1773. pag. 57.)

Matrimonialium Bannorum necessitas, eorumque institutionis rationes.

Matrimonialium bannorum enuntiatio necessaria non est de sacramenti, quod ajunt, necessitate; ejusque proinde omissio matrimonium nullum non redderet; at necessaria est, ecclesiastici civilisque præcepti necessitate; adeoque qui eam sine justis rationum momentis omitteret, contra Ecclesiæ civilisque regiminis leges peccaret.

Tridentinum Concilium, ab iis omnibus quæ illud consecuta sunt, adoptatum, Lateranensis Concilii quarti, super hoc capite, sanctionem renovavit; atque huic Tridentini Concilii decreto cohærent Blesensis constitutio, art. 40. edictum Henrici IV. an. 1606. art. 12. & Ludovici XIII. mandatum an. 1639. Hæc sunt Tridentini Concilii verba: *Sacri Lateranensis Concilii, sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhærendo, præcipit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum. Quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur.* (Sess. 24. cap. 1. *de Reform.*)

Blesensis Constitutionis articulus 40. ita habet: „Ut „ abusibus & incommodis quæ ex clandestinis matri„ moniis adveniunt, occurreremus, mandavimus, sub„ ditos nostros matrimonium valide contrahere non „ posse, sine præcedentibus bannorum proclamationi„ bus, per distinctos tres festos dies, competenti cum „ intervallo, peractis, a quibus obtineri non poterit „ dispensatio, nisi post primam editam proclamatio„ nem, & quidem solum ob aliquam urgentem aut „ legitimam causam, &c.“

Verba hæc, *matrimonium valide contrahere non posse*, intelligi debent tantummodo de nullitate, quoad effecta civilia, in externo foro, non autem de nullitate intrinseca, & quoad substantiam, prout Ludov. XIII. a clero rogatus, an. 1639. declaravit. Quamobrem conjugia, sine proclamatione bannorum inita, quoad civilia solum effecta, & in foro externo, non item quoad substantiam, & in foro interno nulla & invalida sunt.

Porro matrimonii banna instituta fuere, ut clandestinis matrimoniis occurreretur; ut detegeretur, an qui contrahere voluissent, ab omni canonico impedimento liberi essent; utque fideles ad preces pro novis sponsis ad Deum fundandas permoverentur.

Matrimonii Bannorum publicationis Minister.

Matrimonialium bannorum publicationis minister est partium parochus, ejusve vicarius, aut aliquis alius a Parocho commissus presbyter. Recusante Parocho, ejus hac in re vices Episcopus, ejusdemve magni vicarii clerico demandare possunt; at parochus primitivus, seu ipse per se, seu per alios, itemque justitiæ officiarii hoc jure non gaudent. Ita judicatum per arestum parlamenti Tolosani, die 3. Februarii an. 1691. & a clero Gallicano, ann. 1625. 1635. & 1645.

Officia quibus Matrimonialium Bannorum enuntiationis Minister subest.

Matrimonialium bannorum enuntiationis minister, ea non nisi partibus quæ mutuo nubere volunt, requirentibus, iisque a quibus eædem pendent, consentientibus enuntiabit. Si partes egerint, ut unius duorumve bannorum dispensationem obtineant, id notum faciet, ut, qui aliquod impedimentum agnoverint, illud revelare festinent; nec in matrimonium conjunget ipso postrema bannorum enuntiationis die, absque ordinarii venia, nisi ultima denuntiatio in diem quæ proxime feriam quartam cinerum antevertit, aut in primam Adventus dominicam diem inciderit. Si contrahentes haud satis norit, exquiret, an ulla ratione affines sint; an fidei mysteria didicerint; an paschali officio satisfecerint; an servandæ castitatis, aut suscipiendæ religionis votum ediderint; an sint filii familias, ne eos matrimonio jungat sine parentum, tutorum aut curatorum consensu.

Matrimonialium enuntiationum forma.

Debet idem minister formam a diœceseos in qua denuntiationes eduntur, Rituali præscriptam sequi; elata & quæ possit intelligi, voce loqui, ut eum nemo non audiat; de contrahentium, deque eorumdem patris & matris nomine & cognomine, itemque de loco in quo nati sunt, & domicilium habent, mentionem facere; denique ad unamquamque denuntiationem seu publicationem monere, eam primæ, secundæ, aut tertiæ loco esse.

Earumdem enuntiationum locus.

Matrimonii bannorum enuntiatio peragi debet in parochiali, non autem regularium aut monialium Ecclesia, vel in capella seu sacello, nisi eo forte parochus, præcepto aliquo festo die, solemnem Missam celebraturus, sua cum populo se contulerit. Cum contrahentes ex aliis parœciis sunt, banna in utraque parœcia enuntiantur; quod si ex eadem quidem parœcia sint, et duplex habeant domicilium, unum hiberno tempore, æstivo aliud, enuntiatio in utroque domicilio fieri debet, propterea quod in eorum domiciliorum uno impedimentum contrahere potuerunt, quod in altero ignotum sit. Cum partes minores sunt, viduæ quoque, eorum banna indici debent non solum in eorum residentiæ loco, quod est domicilium *facti*, sed in eo etiam, in quo pater, mater, tutor aut curator deguet, ubi lex domicilium juris iisdem assignat. Puellæ majores in aliquo monasterio pensionariæ perficere debent, ut earum banna in ejusdem monasterii, itemque in earumdem patris, matris, aut curatorum parœcia enuntientur.

Cum partium una parœciam mutavit, quin diœcesim mutaret, si minus ab integris mensibus sex in nova parœcia degit, ejus banna & in hac nova parœcia, & in veteri quam deseruit, enuntiari debent. Cum autem

tem diœcesim mutavit, integro in nova diœcesi commorationis anno opus habet, ut matrimonialium in veteri diœcesi a qua discessit, enuntiationum dispensationem obtineat.

Cum partium una in succursalis Ecclesiæ, aut capellæ districtu degit, curare debet, ut ejus banna in parochiali Ecclesia enuntientur; et si degit in Ecclesiæ districtu, quæ alteri Ecclesiæ annexa est, in Ecclesiæ districtu scilicet, quæ ab eodem ac matricis Ecclesiæ parocho administratur, sed quæ suum tamen districtum ab eo matricis Ecclesiæ distinctum, suam peculiarem fabricam, suos baptismales fontes habet, & ad quam ejus districtus fideles, sacramenta suscepturi, se conferunt; tum quidem ea debet operam dare, ut matrimonium quod inire in animo habet, in eadem annexa enuntietur.

Quod ad eos spectat, qui ex urbe in urbem cursitantes, ut quidam artifices, vitam agunt, sua hi banna in præsentis domicilii, atque in natalium loco, itemque in regione, ubi recens versati sunt, enuntianda curare debent. Parochi nunquam debent ad ejusmodi hominum conjugia procedere, quin Episcopum consuluerint, suspensionis pœnam ipso facto, pluribus in diœcesibus, si secus egerint, subituri; quia sæpe contingit, quod Strasburgensis ritualis liber notat, ut errones hi, ad Ecclesiæ scandalum, contemptumque sacramenti matrimonii alias aliis in locis uxores ducant.

Matrimonialium enuntiationum tempus.

Bannorum publicatio peragi debet tribus diebus festis, non iis quidem proxime consequentibus, cujusmodi Paschatis & Pentecostes dies sunt, sed festis aut dominicis diebus tribus, qui nimium non distent, quique saltem per unius diei intervallum sejuncti sint. Alicubi, cum matrimonium duorum mensium spatio differri contingit, ejus enuntiatio repeti debet; alibi vero non nisi sex elapsis mensibus iteretur. Suæ quisque diœceseos usum sequatur, oportet.

Festi vox hoc loco stricte sumitur, pro festo scilicet, quod ibi saltem, ubi fit enuntiatio, præcepto subest; nec diœceses desunt, in quibus banna minoribus diebus festis, præceptis licet, banna enuntiari vetitum est, propterea quod iis diebus magnus fidelium numerus officiis deest. Barbosa tamen, a Van-Espenio laudatus putat (Jur. Eccl. univ. Tom. I. p. 560.) die qui ex pietate colitur, banna enuntiari posse, siquidem pietas eo die tam multos, quam majoribus diebus festis ad parœciam trahat.

Intra Missarum solemnia, scilicet, ad parochialis Missæ concionem, fieri debet bannorum enuntiatio; quæ sane abusui subesset, si ad vesperas, vel ad confraternitatis Missam, vel ad quamvis aliam fieret, quæ parochialis non esset, ea quoque obducta causa, populi concursum eo tempore majorem fore. Cum in eadem Ecclesia duæ tresve parochiales Missæ dicuntur, ad earum quamlibet banna promiscue enuntiari possunt, dummodo de industria non ea seligatur, cui certo constat eorum nullum quos futurum matrimonium afficit, interesse.

Quicunque aliquod dirimens aut solum prohibens impedimentum norunt, ad revelationem ire tenentur, sub mortalis peccati pœna, nisi huic legi eos gravissimæ causæ subtrahant; & id quidem matrimonialium enuntiationum vi, quæ Ecclesiæ civilisque regiminis auctoritate, ob summi ponderis fines, qui sunt sacramenti sanctitas, animarum salus, & familiarum tranquillitas, peraguntur.

A Matrimonialibus enuntiationibus dispensatio.

Penes Episcopos ab una, vel a duobus, vel a tribus enuntiationibus dispensandi potestas est, si legitimæ rationes urgeant, quæ ad præcipuas tres rediguntur, & sunt *utilitas*, *necessitas*, & *personarum prærogativa*. Dispensantur, utilitatis causa, qui ob nimium ætatis, conditionis, aut fortunæ discrimen, per futuri inter eos matrimonii enuntiationem ignominiæ suffunderentur. Dispensatur, necessitatis causa, cum aliter scandalum vitari non potest, ut tunc accidit, cum qui in concubinatu vivunt, pro conjugatis habentur, aut cum adest dirimens, sed occultum inter personas impedimentum, quæ publice contraxerunt, &c. Dispensatur ob personarum prærogativam, seu conditionem, cum magnæ conditionis persona ducit aliam cujus longe inferior humiliorque conditio est.

Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes, tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem parocho & duobus vel tribus testibus præsentibus, matrimonium celebretur; deinde, ante illius consummationem, denuntiationes in Ecclesia fiant, ut, si aliqua sunt impedimenta, facilius detegantur; nisi ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur; quod illius prudentiæ & judicio sancta Synodus relinquit. (Concilium Tridentinum, Sess. 24. cap. 1. *de Reform.*)

Ad bannorum enuntiationem oppositio.

Qui matrimonii cujus banna enuntiata sunt, impediendi jus sibi esse contendunt, oppositionem ita efformare possunt, ut eam parocho qui banna enuntiavit, apparitoris aut cursoris ministerio significandam curent. Oppositio annuntiare debet, talem talis viri, aut talis feminæ matrimonio opponentem esse. Parochus, in hac facti specie, ad matrimonii celebrationem progredi nequit, quantumvis ei videatur inepto fundamento nixa oppositio, quoad vel pars opponens ab incepto destiterit, vel judex rem expedierit. Parochus qui, ad oppositionis sibi significatæ contemptum, ad matrimonii celebrationem progressus esset, ad triennium suspensus ab officiali declarari deberet. Ejusmodi est canonici juris dispositio, cap. *Cum inhibitio, extr. de cland. Despons.* At matrimonium non est nullum, ob eam solum causam, quod in oppositionis contemptum celebratum fuerit; nulla enim est lex quæ ejus nullitatem pronuntiet.

Pars quæ oppositionem, matrimonii quod inire in animo habet, enuntiationibus interjectam de medio sublatam vult, apud judicem cujus est de ea cognoscere, in jus opponentem accire debet. Cum oppositio vinculum spectat, quod oritur e sponsalibus, aut ex matrimonio quod pars opponens se cum ea inisse contendit, cujus banna matrimonii cum parte alia enuntiata sunt, rei cognitio ad Ecclesiæ judicem pertinet, ad eumque in jus vocatio deferri debet; et is de lucro & damno statuere non potest; &, si id faceret, appellationi tamquam ab abusu locus esset. Reliquæ omnes oppositiones quæ vinculum non afficiunt, ad sæcularis judicis tribunal omnino pertinent.

Parentum, quoad filiorum Matrimonium Consensus.

Leges tum ecclesiasticæ, tum civiles filios-familias, eos videlicet qui sub alterius potestate sunt, matrimonium absque eorum e scripto consensu, quorum potestati subsunt, inire vetant. Itaque minores quorum pater & mater in vivis sunt, sine parentum, & orphani sine tutorum aut curatorum consensu licite nubere nequeunt; & majores ipsi, qui parentum consensu reapse præstito ad ineundum matrimonium non indigent, illud tamen inire non possunt, quin eumdem consensum per officiosas denuntiationes tres requisierint. Hac de re convenit inter omnes; id unum, quoad caput hoc, in quæstione est an minorum matrimonium, sine parentum, tutorum aut curatorum consensu initum, non solum in externo foro, & quoad effecta civilia, verum etiam coram Deo & in interno conscientiæ foro, nullum & invalidum sit.

Quæ fere a theologis propugnatur, quæque sola, nostro sane judicio, cum veritate congruit, sententia est, conjugia filiorum-familias, quæ sine parentum, tutorum aut curatorum consensu inita fuere, nulla & invalida apud Deum & in conscientiæ interno foro non esse. Id declarat Tridentina Synodus expressis & solemnibus verbis his: *Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non facit, & proinde jure damnandi sint illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant, matrimonia a filiis-familias, sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse; nihilominus sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit.* (Sess. 24. cap. 1. *de Reform.*)

Frustra diceretur, Tridentinum Concilium, per hoc Decretum, eos tantum e novatoribus damnare voluisse, qui matrimonia e filiis-familias, inscolis aut invitis parentibus, inita, naturali & divino jure nulla esse contendebant. Verborum quibus illud decretum conceptum est, vel levius examen persuadet æque per ipsum & fidei dogma, & disciplinæ caput exprimi; fidei quidem in eos dogma, qui matrimonia, insciis aut invitis parentibus, a filiis-familias inita, naturali divinoque jure nulla & invalida esse garriebant; uniformis autem & generalis disciplinæ caput, dum valida declaret ejusmodi matrimonia, quoad Ecclesia, defectum consensus parentum inter dirimentia impedimenta referens, ea nulla & invalida pronuntiaverit.

Frustra

Frustra quoque afferrentur in medium Gallorum Regum edicta quæ matrimonia a filiis-familias inita, repugnantibus, nec consentientibus parentibus, damnant, quorumque nonnulla eo usque progrediuntur, ut eadem nulla, aut non valida contracta declarent; ejusmodi potissimum Henrici II. an. 1556. Henrici III. an. 1579. Henrici IV. an. 1606. Ludovici XIII. an. 1629. & Ludovici XIV. an. 1697. edicta sunt.

Facilis enim est ad hæc & expedita responsio, nempe, cum Galli Reges, suis in edictis, nulla, aut non valida contracta declarant matrimonia filiorum-familias, insciis, aut reluctantibus, nec assensum præbentibus eorumdem parentibus, id non nisi de ejusmodi matrimoniorum nullitate, quoad effecta civilia, intelligendum esse, videlicet, cum pater & mater, tutores aut curatores obtinuere matrimoniorum abrogationem, quæ absque eorum consenso minores inierint, tum quidem filios qui ex his matrimoniis nascuntur, tamquam illegitimos quoad externum forum in Gallia spectari, nulliusque patrimonii, vel a parentibus, vel ab eorumdem hæredibus petendi jure gaudere. Ita sane intelligunt ejusmodi edicta Galli ipsi jurisconsulti, quorum testimonia profert Fevretius in Tractatu de Abusu, libro quinto, capite secundo.

§. IX.

De Matrimonii Cæremoniis.

CÆremoniæ quæ matrimonii celebrationem præcedunt, comitantur, aut subsequuntur, pro aliis temporibus & regionibus aliæ sunt.

Cæremoniæ quæ Matrimonium præcedunt.

Præter sponsalia, & futuri matrimonii denuntiationes, de quibus jam diximus, inter cæremonias quæ matrimonium antevertunt, personarum quæ nubere volunt, institutio, itemque pœnitentiæ & eucharistiæ sacramentorum susceptio referri debent.

Postremo sancta Synodus conjuges hortatur, ut, antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem, sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimum eucharistiæ sacramentum pie accedant. (Concilium Tridentinum, Sess. 24. cap. 1. *De Reform.*)

Moneantur curati conjuges, ut, antequam contrahant, *vel saltem triduo ante matrimonii consummationem, sua peccata diligenter proprio Sacerdoti confiteantur, & ad sanctissimum eucharistiæ sacramentum pie accedant; omnes vero ritus, actiones & verba quæ nullo modo deceant Christianos, caveri mandamus, & de his populum a curatis nostris admoneri & doceri. Sancta enim res est matrimonium, & sancte tractandum.* (Concilium Remense, an. 472. Statuto 5.)

Doceantur qui matrimonio conjunguntur, torum immaculatum in matrimonio custodire, & vas suum possidere in sanctificatione, & non in passione desiderii, & de cæteris officiis quæ ad matrimonii fidem custodiendam pertinent. (Concilium Bituricense, an. 1584. can. 9.)

Cæremoniæ quæ Matrimonium comitantur, & subsequuntur.

Cæremoniæ quæ matrimonium comitantur, aliquibus in regionibus, & peculiariter in Oriente, sunt, 1. florea corona quæ nubentis puellæ capiti imponitur; 2. annuli benedictio, quem sponsæ Sacerdos tradit, quemque deinde sponsus in quarto sinistræ manus sponsæ digito ponit, tamquam notam unionis eorum cordis, quæ sancte obsignatur per sigillum annuli benedicti, qui mutuo sponsos duos ad inviolatam fidem adstringit; 3. monetæ portio, quam a Sacerdote benedictam suæ vir sponsæ donat, ut certam faciat, ei suam se personam dantem, sua quoque bona largiri, ut iis ipse cum ea in commune fruatur; 4. perficit Sacerdos, ut sponsi manus dextera in dextera sponsæ manu ponatur, ad ostendendum oportere, ut sponsus qui feminæ caput est, ei primum obstrictam fidem servet, sponsamque sponso obedientiam debere; 5. celebratur Missæ sacrificium, ut Christi Domini gratiæ sponsis obtineantur; 6. cereum manu tenentes sponsi ad oblationem pergunt, ostendendi causa suam eos familiam per vitam quæ exemplo sit, ædificare debere; 7. velum, seu pallium super conjugum duorum capita extenditur, ut moneantur, pudorem iis agendi regulam in sancto quem nubentes eligunt, statu esse oportere; 8. Sacerdos iis pacem optat, & cohortationem adhibet. Denique, post matrimonii celebrationem, preces super personis edit, quæ, ante matrimonium, filios habuere, qui adhuc in vivis sunt, & mane ante nuptiarum convivium, nuptiali thalamo benedicit.

§. X.

De Matrimonii Impedimentis.

MAtrimonii impedimenta vocantur obstacula quæ in causa sunt, ut illud contrahi non possit. Si hæc obstacula matrimonium nullum reddunt, appellantur *impedimenta dirimentia*, seu *conditiones irritantes*; si solum efficiunt, ut illicitum sit, quin ejus validitatem impetant, *impedimenta prohibentia* nuncupantur. Impedimenta dirimentia matrimonium tunc tantummodo nullum reddunt, cum illud præcedunt; hoc enim valide semel initum semper subsistit; & quæcunque tandem impedimenta in conjugum altero post matrimonium contigerint, illud dissolvere omnino non possunt. Quamvis autem impedimenta simpliciter prohibentia matrimonium nullum non reddant, ad novas tamen nuptias, quin lethaliter peccetur, gradus fieri non potest, cum horum impedimentorum aliquod adesse constat. Agemus hoc loco de duplici hoc impedimentorum genere, deque eorumdem dispensationibus.

Matrimonii impedimenta dirimentia quindecim numerantur, quæ sequentibus versiculis continentur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Amens, affinis, si clandestinus, & impos;
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto;
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Inter Impedimenta hæc, alia absoluta, alia solum relata sunt.

Absoluta impedimenta sunt, quæ efficiunt, ut persona in qua reperiuntur, nullum matrimonium valide contrahere possit; ejusmodi sunt impedimenta quæ ex defectu rationis, ex pubertatis defectu, & ex religiosa professione, &c. derivantur.

Relata impedimenta sunt quæ personam in qua occurrunt, absolute non impediunt, ne ullum ineat matrimonium, sed eam solum impediunt, ne illud cum certis quibusdam personis ineat. Ejusmodi sunt impedimenta quæ ex consanguinitate, affinitate, &c. oriuntur.

Ex his impedimentis alia etiam ex matrimonii natura ipsa, alia ex naturali divinaque lege, alia denique ex sæcularium principum, aut Ecclesiæ legibus ortum trahunt. In primo genere sunt defectus rationis, defectus pubertatis, & impotentia; in altero sunt quæ in decimo octavo & vicesimo Levitici capite expressa leguntur, ut matrimonia cum patre aut matre, sorore, nepte, &c. in tertio sunt quædam impedimenta affinitatum, &c.

Erroris Impedimentum.

IN matrimonii negotio sunt errorum genera quatuor: error personæ; servilis conditionis error; error qualitatis; error fortunæ. Error personæ tum locum habet, cum quispiam aliam a se conjugem, quam quæ adest, duci putat; servilis conditionis error occurrit, cum persona præsens quæ libera creditur, captiva est; existit qualitatis error, cum præsens persona quæ nobilis putabatur, non est ejusmodi; error fortunæ contingit, cum ducitur tamquam dives, aut cui satis in bonis sit, persona quæ non ita se habet.

1. Personæ error matrimonium nullum reddit, quia consensum funditus tollit, qui ei perinde ac cæteris contractibus necessarius, seu, quod ajunt, essentialis est; qui enim contrahunt, consensum non præbent, cum in rei quam eorum conventio spectat, substantia ipsa falluntur. Non aliter se res haberet, cum error concomitans solum esset, cum scilicet qui Bertham ducit, Mariam a se ductam ratus, Bertham, etiamsi nosset, ducere paratus esset, quia reapse suum ei ducendæ assensum non præbuit, & quia discriminis multum interest inter hæc duo: *consensissem*, &, *consensi*. Secus esset de eo dicendum, cui inesset præsentis personæ ducendæ, quæcunque foret, actualis intentio, aut de eo qui non errans super persona, solum super nomine quod ea gerit, falleretur, quia nomen nihil efficit, cum de re convenitur. Cum persona decepta est, suo apparenti matrimonio novum consensum, ut illud firmet, validum reddat, vel, ut scholæ dicunt, rehabilitet, præbeat, oportet; cumque error occultus est, ad matrimonii, quam vocant, rehabilitationem occultus consensus sufficit, quin nova nuptialis benedictio intervenias, quia nuptialis benedictio quæ præcessit, ad ejusdem matrimonii publicitatem satis roboris habet, quamvis consensum qui illud firmat, seu rehabilitat, anteverterit.

Impedi-

Impedimentum erroris super persona, cum naturali jure nitatur, est absolute indispensabile. Quamobrem cum sponsorum alter ob aliam personam sibi traditam ejus loco, quam ducere in animo habebat, se deceptum perspicit, eum oportet per novum consensum matrimonio quod iniit, robur addere, suamve ad judicem querelam deferre, ut is juridice ipsius matrimonium nullum declaret; neque enim potest ipse per se ab eo qui eum fefellit, se separare, quamvis eidem debitum negare debeat.

2. Error qualitatis aut fortunæ, spectatis regulis, matrimonium nullum non reddit. Ita qui puellam docet pauperem depravatamque, quam divitem & prudentem putabat, perficere nequit, ut ejus matrimonium solvatur, prætexens se in errore fuisse; hic enim error non personam quæ una ad matrimonii affectiam pertinet, sed bona solum & qualitatem spectat, quæ ejusdem accidentaria sunt. Regulæ hæc patitur exceptiones tres. Prima est, cum persona eo animo est, ut non cum alia contrahat, nisi certe quædam qualitas eidam insit. Secunda est, cum qualitatis error personæ errorem secum trahit, quod contingit, cum persona per peculiarem qualitatem, aut per nobilitatis gradum, quæ ei propria est, quæque eam e quavis alia distinguit, designata est; ut exemplum afferam, Maria cujusdam marchionis filium natu majorem ducere vult; natu minor ejusdam familiæ, aut etiam fortunæ affectator rationem invenit, qua ei fucum faciat, persuadeatque se filium natu majorem esse, quem ipsa ducere vult; si eum Maria in hac persuasione reapse ducit, matrimonium nullum est, quia qualitatis error, in hac facti specie, secum personæ errorem trahit, eoque Maria jure gaudebit, ut dicat se nunquam eum quem præsentem habuit, sibi sponsum sumere voluisse. Tertia, regulæ quam diximus, exceptio est servilis conditio.

Servilis Conditionis Impedimentum.

Servilis conditio non alia quam eorum est, qui captivi, seu servi proprie dicti sunt, ii scilicet qui ita in domini potestate versantur, ut tamquam ejus bonorum partem conficientes spectantur, ac de iisdem dominus, pro ut ei visum fuerit, e legibus tamen, statuere possit.

1. Servitutis, seu civilis conditionis error tum solum inter impedimenta quæ matrimonium dirimunt, locum habet, cum persona libera eam ducit, quæ se liberam venditet, tametsi captiva sit, si enim persone libera cognoscit eam quam ducit, captivam esse, matrimonium validum est, quia ex Ecclesiæ præsenti disciplina, captivi possunt etiam cum persona libera valida matrimonium inire, modo hæ suum absque hallucinatione consensum præbeant. Non ergo servitus ipsa, sed super hac error matrimonium abrogat; ad quod proinde firmandum, si per servilis conditionis errorem initum esset, partes rursus contrahere, coram parocho & testibus, oporteret.

2. Cum dominus suum ipse servum in matrimonium liberæ personæ dat, quæ eum ut talem non cognoscit, hoc matrimonium communi jure validum est, quia communi jure dominus servum libertate donat, statim atque ab eo liberam personam quæ ipsius statum ignorat, in conjugem ductam vult.

3. Captivus matrimonium, sine domini consensu, valide inire potest, sed ei tamen, ut antea, servire debet. Ratio est, quia, cum matrimonii contractus ad naturale jus, servitus autem solum ad jus gentium spectet, matrimonii contractus præferatur servitutis juri, necesse est.

4. Dominus, regularum ratione habita, in servi matrimonium consentire debet, cumque assensum præbuit, eum vendere, ut in exteram regionem ducatur, sine gravissimis causis, non potest; at id facere, e converso, potest, cum servus, eo inconsulto, matrimonium init.

5. Quoad servilem conditionem, error, in Gallia, non est dirimens impedimentum, quia servitus ab ea penitus expulsa est, ut proinde eo pedem inferens omnis servus, natura Gallus, aut advena suam illico libertatem recuperet.

6. Qui ad perpetuas triremes relegati, seu damnati sunt, valide quoad sacramentum, iis quoque nubere possunt, qui de eorum status infamia ignorarent; quamvis enim civiliter mortui, actisque civilibus, cujusmodi communitatis participatio, & matrimoniales conditiones sunt, impares censeantur, matrimonii tamen sacramento apti sunt, a quo nulla eos lex arcet. Eadem est ejus ratio qui ad mortem per contumaciam damnatus esset, nec contumaciam purgasset.

Voti Impedimentum.

Votum aut simplex, aut solemne est. Simplex votum illud est, quod fit, quin ab Ecclesia approbatum sit. Solemne votum illud est, quod cum Ecclesiæ approbatione fit; hujus generis votum duplex distinguitur, *explicitum* & *implicitum*.

Explicitum solemne votum est illud quod in religioso ordine, ab Ecclesia approbato, per solemnem & publicam professionem, non sine quibusdam cæremoniis, editur.

Solemne *implicitum* votum est tacita in cælibatu vivendi promissio quam clerici præstant, cum subdiaconatus, diaconatus & presbyteratus sacros ordines suscipiunt.

1. Simplex castitatis votum efficit, ut matrimonium illicitum sit, non autem ut nullum sit. Fit hinc consequens, eum qui matrimonium post editum perpetuæ castitatis votum iniret, lethaliter peccaturum, nec matrimonii debitum sine crimine petere posse, non proinde tamen initum matrimonium non validum fore. Excipiunde ab hac regula Jesuitarum (quondam) vota prima quæ licet simplicia eos ineundo matrimonio post Gregorium Papam XIII. ineptos reddebant.

2. Solemne castitatis votum, seu explicitum, seu implicitum sit, dirimens impedimentum est, quod hoc tempore matrimonium nullum reddit; ut, quicunque horum votorum alterum ediderunt, ineundo matrimonio, quoad vixerint, inepti sint, illudque si forte inierint, tamquam nullum & irritum abrogetur, iidemque se mutuo sejungere jubeantur. Inter solemne tamen explicitum, pariterque solemne implicitum castitatis votum id discriminis intercedit, quod explicitum solemne votum quo se quispiam in religiosum ordinem ab Ecclesia approbatum ingrediens obstringit, non modo matrimonium quod deinde contrahi liberet, sed illud etiam quod jam contractum est, nullum reddit, cum ratum solummodo, nec consummatum est; quem affectum non parit solemne castitatis tacitum votum quod editur, cum sacrorum ordinum primus suscipitur. Ecclesia menses duos post initum matrimonium, antequam consummatum sit, sponsis concedit, intra quos uterque religionem ingredi potest.

Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit. (Concilium Tridentinum, Sess. 24. can. 6.)

Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares, castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto; & oppositum nihil aliud esse quam damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, anathema sit; cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus, tentari. (Can. 9.)

Dirimens impedimentum quod e solemni seu explicito, seu implicito voto derivatur, ecclesiastici tantummodo juris est, nec in Ecclesia semper extitit, quamvis ea personis per vota Deo sacris matrimonium semper prohibuerit, quia hæc prohibitio per plura secula non nisi impedimentum mere prohibens induxit.

Chalcedonense Concilium, an. 451. celebratum declarat illud quidem non licere personis per religionis votum Deo consecratis matrimonium contrahere; at harum tamen personarum matrimonium haud nullum pronuntiat, satis habens eas anathemati, & ad statum tempus, pœnitentiæ subdere, quin tamen separet: *Si qua virgo se dicaverit Deo, similiter monachus, non licet eis nuptiis jungi; si vero inventi fuerint hoc facientes, maneant excommunicati; statuimus vero eis posse fieri humanitatem, si ita probaverit Episcopus loci.* (Can. 16.)

Nonnulli monachorum egredientes a monasterio, non solum ad sæculum revertuntur, sed etiam uxores accipiunt; hi revocati in eodem monasterio a quo exierunt, pœnitentiæ deputentur. (Concilium Toletanum, an. 633. can. 52.)

Apparet ex hoc canone religiosam professionem, saltem in Hispania, sæculo septimo, dirimens matrimonii impedimentum fuisse, quamvis hæc probatio nonnullis non omnino certa inconcussaque videatur, quia laudatus canon, inquiunt, monachorum de quibus loquitur, matrimonii nullitatem haud pronuntiat, sed oportere solum ait eos in monasterio quod deseruerunt, pœnitentiæ subdi, quin declaret eosdem, elapso pœnitentiæ tempore, suis uxoribus reddi non posse.

Aucto-

Auctoritate ecclesiastica interdicimus, ut deinceps, sicut canones ecclesiastici prohibent, nullus Deo devotam virginem, nullus sub religionis habitu consistentem, sive viduitatis continentiam professam .... illicito connubio, aut vi, aut consensu accipiat conjugem; quia nec verum poterit esse conjugium, quod a meliori proposito deducitur ad deterius, & sub falsi nominis culpa, incestiva pollutione, & fornicationis immunditia perpetratur. (Concilium Troslejanum, seu Trosleense, an. 909. cap. 1.)

Probat canon hic religiosam professionem, ineunte sæculo decimo, tamquam dirimens impedimentum spectatam fuisse, quoniam matrimonium a religiosis contractum non verum matrimonium, sed incestuosam unionem & fornicationem esse pronuntiat.

Presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, & monachis concubinas habere, seu matrimonia contrahere interdicimus, contracta quoque matrimonia ab ejusmodi personis disjungi, & personas ad pœnitentiam debere redigi juxta sacrorum canonum definitionem judicamus. (Lateranense generale Concilium, an. 1123. can. 21.)

Statuimus, quatenus Episcopi.... regulares canonici, & monachi, atque conversi professi qui sanctum transgredientes propositum, uxores sibi copulare præsumpserant, separentur; hujusmodi namque copulationem quam contra ecclesiasticam regulam constat esse contractam, MATRIMONIUM NON ESSE CENSEMUS. (Lateranense gener. Concil. an. 1139. can. 7.)

Id ipsum quoque de sanctimonialibus feminis, si, quod absit, nubere attentaverint, observari decernimus. (Canon. 8.)

Huic posteriori Concilio addici oportet epocham generalis regulæ disciplinæ solemne castitatis votum in dirimentium matrimonii impedimentorum numero ponit, quæque deinde in universa Ecclesia semper servata fuit.

Cognationis impedimentum.

Cognatio est aut naturalis, aut spiritalis, aut legalis & civilis.

De naturali cognatione.

Naturalis cognatio, seu consanguinitas quam inter personas natura posuit, quarum una ab alia, seu quæ omnes a communi stipite, seu stirpe descendunt. Verba illa, *una ab alia*, lineæ directæ, hæc autem, *a communi stipite*, seu *stirpe*, lineæ collateralis dictæ consanguinitatem designant. Sunt ergo in naturali cognatione reputanda tria; stipes, linea & gradus. Stipitis nomine venit persona e qua suam cæteræ originem trahunt, quæque veluti centrum est, quod iis proximam conjunctionem tribuit, qua inter se continentur. Linea est personarum ordo seu series, quæ ex eodem sanguine cretæ sunt; & quoniam personæ plures ex eodem sanguine existere possunt, seu quia aliæ ex aliis natæ sunt, seu quia omnes e communi stipite derivantur, duplex proinde linea est, directa una, collateralis altera. Lineæ directa spectat ex una parte ascendentes, eos nempe qui nobis vitam dederunt, & ex alia descendentes, eos scilicet qui vitam e nobis tenent. Ita pater, avus, & retro seu supra cæteri in ascendentium ordine sunt; filius, nepos, & deinceps reliqui in descendentium ordine sunt. Indirecta, seu collateralis linea est personarum consecutio, quæ prodeunt e communi stipite, quin earum aliæ ab aliis prodeant; ejusmodi sunt fratres, consobrini, patrui, nepotes, &c. Linea hæc vel æqualis est, vel inæqualis, æqualis est, cum personæ duæ a communi stipite, seu capite æque remotæ sunt, ut frater & soror; inæqualis est seu mixta, cum personarum una quam alia longius abest e communi stipite, ut patruus & neptis. Gradus est distantia quæ inter duos consanguineos existit.

In linea directa tot gradus sunt, quot personæ quæ e communi stipite, quin hic idem stipes numeretur, e patre in filium descendunt. Ita Petrus & Joannes ejus filius in primo gradu sunt; Petrus & Jacobus Joannis filius, sunt in secundo, &c. quia dempto Petro qui communis stipes est, remanet in prima facti specie, persona una, & in altera, remanent personæ duæ. *Quære* GRADUS CONSANGUINITATIS.

In lineæ directa, matrimonium semper, in quocumque demum gradu initum esset, nullum fuit, quia matrimonii dirimens impedimentum, lineæ directæ consanguinitate nixum statuit ipsa natura. Hinc omnes populi semper in id conspirarunt, ut carnalem inter hujus lineæ consanguineos conjunctionem tamquam incestuosam & exsecrandam spectarent.

In linea collaterali, matrimonium olim ad sextum & septimum gradum usque nullum erat, atque adeo in Conciliorum nonnullis matrimonia inter illimitatæ rationis consanguineos vetita fuere.

Si quis consobrinam duxerit in conjugium, anathema sit. (Concilium Romanum, an. 721. can. 8.)

Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem, anathema sit. (Can. 9.)

Perstitit ad usque decimum tertium sæculum disciplina hæc, quoad eam scilicet abrogavit generale Lateranense Concilium, an. 1215. sub Innocentio III. celebratum, quod matrimoniorum inter consanguineos prohibitionem & nullitatem ad quartum inclusive gradum redegit.

Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum, statuta quandoque varientur humana, præsertim cum necessitas, aut evidens utilitas id exposcit: quoniam ipse Deus ex iis quæ in veteri Testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo .... prohibitio copulæ conjugalis quartum consanguinitatis & affinitatis gradum de cætero non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari. (Tit. 50. *de restricta Prohibitione Matrim.*)

Lateranensis Concilii statutum hoc quod matrimonii inter propinquos interdictionem in quarto gradu & hoc ipso stetuit, induxit novum jus quod in universa Latina Ecclesia semper deinde servatum fuit, & adhuc servatur. Idem de Gregorii IX. statuto dicendum, quod hanc rem ita moderatum est, ut matrimonium sit inter propinquos licitum, quorum unus in quarto gradu, & alter in quinto est: *Vir qui a stipite quarto gradu, & mulier quæ alio latere, distat quinto, secundum regulam approbatam quæ dicitur, quoto gradu remotior distat a stirpe, & a quolibet per aliam personam descendentium ex eadem (distare inter se intelligitur) licite possunt matrimonialiter copulari.* (*Extr. de Consanguinit.*)

Animadversione dignum est per illegitimam consanguinitatem quæ ex vetitis copulis oritur, æque ac per *legitimam* dirimens matrimonii impedimentum induci, quia quoad caput hoc, sanguinis proximitas tantum spectatur: *Nihil interest, ex justis nuptiis cognatio descendat, an vero non.* L. 14. ff. *de Rit. Nupt.*

Cum naturalis in omnibus directæ lineæ gradibus, & in collateralis lineæ primo consanguinitatis dirimens impedimentum naturalis juris sit, Ecclesia super eo dispensare non potest.

De cognatione, seu affinitate spiritali.

1. Spiritalis cognatio seu affinitas vinculum est, quod Baptismatis & Confirmationis sacramentorum occasione, inter utriusque ministrum ex una parte, puerumque, patrem & matrem ex alia, interque patrinum & matrinam ex una parte, puerumque, patrem & matrem ex alia contrahitur. Ecclesiam permovit æquitas, ut matrimonii dirimens impedimentum ex hac spiritali cognatione repeteret. Patrini scilicet & matrinæ, non secus ac duorum quæ diximus, sacramentorum ministri, cum tamquam baptizati aut confirmati pueri pater & mater spectentur, cum eo, eumque iis e quibus ipse, seu legitime, seu non, vitam accepit, cognationem contrahunt, ob quam dedeceret eos qui patris & matris loco sunt, sponsos evadere.

2. Cum infans domi lustralibus undis ablutus fuit, deinde vero patrinus & matrina sumuntur, qui baptismi publicis cæremoniis intersint, hi quidem seu cum eo, seu cum ejusdem parentibus nullam spiritalem affinitatem contrahunt, quia hæc tum solum contrahitur, cum infans ad sacros fontes tollitur, quod in hac facti specie non fit. Eadem est eorum ratio, qui extra solemnis baptismi casum, patrini aut matrinæ munus obirent, qui in hac pariter facti specie dici non posset ab iis puerum ad sacros fontes tolli; quod tamen requiritur, ut ejusmodi affinitas contrahatur. Pueri sub conditione baptizati patrinus & matrina spiritalem affinitatem contraxisse censendi sunt, quia, in dubio, tutior pars sumi debet.

3. Si rebaptizaretur infans qui baptismum jam valide suscepisset, nec minister, nec patrinus & matrina spiritalem ullam affinitatem contraherent, quia cum ejusmodi baptisma nullum sit, nullum effectum edere potest.

4. Cum quispiam infantem per procuratorem tenet, non procurator, sed qui per eum repræsentatur, spiritalem affinitatem contrahit, ex eo juris effato, quod quispiam per alterius ministerium facit, eum censeri per se ipsum facere: *Qui mandat ipse fecisse videtur.* L. 1. ff. *Mand.*

5. Solum qui baptizati & ipsi sunt, spiritalem affinitatem, seu baptismum administrantes, seu patrini

aut matrinæ munere in eodem fungentes, contrahere possint, quia baptisma spiritualis cognationis principium & necessarium fundamentum est.

6. Pater qui in extrema necessitate e suis legitimis filiis unum baptizaret, cum uxore posset, ut antea, vivere; et si absque necessitate eum baptizaret, non amplius conjugale debitum petere posset, quemvis illud reddere teneretur, si conjux peteret, quemadmodum semper id petendi jus penes eam est, nisi in culpam consenserit, qua vir se obstrinxit filium baptizans extra necessitatis casum, in quo scilicet nemo est qui baptizare possit.

7. Impedimentum quod e spirituali cognatione oritur, ecclesiasticæ solum institutionis est, nullumque nobis Concilium occurrit quod ante Constantinopolitanum, *in Trullo* dictum de eo loquatur, quod nempe an. 691. aut 692. habitum fuit, cujusque quinquagesimus tertius canon his verbis conceptus est: *Quoniam spiritualis necessitudo seu affinitas, corporum conjunctione major est; in nonnullis autem locis cognovimus quosdam, qui ex sancto & salutari baptismate infantes suscipiunt, postea quoque cum matribus illorum viduis matrimonium contrahere; statuimus, ut in posterum nihil fiat ejusmodi. Si qui autem post præsentem canonem hoc facere deprehensi fuerint, ii quidem primo ab hoc illicito matrimonio desistant, deinde & fornicatorum pœnis subjiciantur.*

Si quis commatrem spiritalem duxerit in conjugium, anathema sit. (Romanum Concilium, an. 721. canon. 14.)

Si homo incestum commiserit de istis causis, de Deo sacrata, aut commatre sua, aut cum matrina spiritali de fonte, & confirmatione Episcopi.... de his criminosus pecuniam suam perdat, si habet. (Concilium Metense, an. 753. can. 1.)

Nullus propriam filiam, vel filium de fonte baptismatis suscipiat; nec filiolam, nec commatrem ducat uxorem, nec illam cujus filium aut filiam ad confirmationem duxerit; ubi autem fuerit, separentur. (Concilium Moguntinum, an. 813. can. 55.)

Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum, multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque sancta synodus huic incommodo providere, & a cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit, ut unus tantum, sive vir, sive mulier, juxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus & una baptizatum de baptismo suscipiant; inter quos, ac baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantum, spiritualis cognatio contrahatur.... quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant; constitutionibus in contrarium facientibus, non obstantibus.... ea quoque cognatio quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiusque patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur; omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis. (Concilium Tridentinum, sess. XXIV, cap. 2. *Decret. de Reform.*)

Hanc constitutionem Concilia Tridentino posteriora adoptarunt.

De civili seu legali cognatione.

Oritur civilis seu legalis cognatio ex adoptione, quæ duplex distinguitur, perfecta una, imperfecta alia. Perfecta adoptio quæ & *adrogatio* nuncupatur, adoptatam personam sub adoptivi patris potestate ponit, ut ea quidem ejus nomen sumat, ipsiusque necessarius hæres evadat, cum is moritur, nullo edito testamento; ac si quod ediderit, ei quartam Antoninam, hoc est, quartam omnium bonorum partem debet. Imperfectæ adoptionis quæ etiam simplex adoptio dicitur, non alius effectus est, quam ut adoptatam personam adoptivi patris hæredem constituat, si forte hic ab intestato occubuerit.

Perfecta adoptio matrimonium dirimit; 1. inter patrem adoptivum, ejusque adoptivam filiam; 2. inter adoptivi patris naturales filios, & personam adoptatam; 3. inter eum qui adoptat, & ejus conjugem, qui adoptatur; & ob similium rerum rationem, inter eum qui adoptatur, & ejus conjugem, qui ipsum adoptat.

Quia jamdiu est, quod adoptio in Gallia cessavit, dirimens quoque impedimentum quod inde oriebatur, cum ea finem habuit; & quibus in locis adhuc subsistit, eo jure gaudet Ecclesia, ut ab eo perinde atque ab impedimento dispenset, quod e spirituali cognatione derivatur, quia ab humana solum institutione utrumque pendet.

Criminis impedimentum.

Criminis impedimentum est, quod ex adulterio & homicidio seorsim sumptis, vel ex utroque conjunctim prodit.

1. E civilis juris, a canonico jure veteri confirmatâ dispositione, non poterat is viduam ducere, qui cum ea, vivente viro, adulterium patraverat; at novum canonicum jus quod in Decretalibus continetur, titulo, *De eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium*, huic dispositioni modum adhibuit, impedimentum criminis adulterii ad eos solum casus redigens, in quibus partes matrimonii, cum liberæ essent, inter se contrahendi promissionem adulterio addiderunt, aut se ducere, attentatumque matrimonium consummare ausæ sunt, legitimo conjuge in vivis agente. Itaque nec solum adulterium sine matrimonii promissione, nec sola matrimonii promissio sine adulterio dirimens impedimentum constituunt. Id etiam requiritur, ut promissio acceptata, nec acceptatio ante criminis executionem revocata fuerit. Silentium solum non esset acceptationis satis firma probatio, complurium theologorum judicio; necesse præterea est, ut adulterium quod promissionem adjunctam habet, utrique parti innotescat. Quamobrem conjugatus si puellam quæ liberum eum putabat, obstricta matrimonii fide, corrumperet, eam post uxoris mortem ducere posset; itemque, si eam duxisset, vivente conjuge, siquidem eum puella conjugatum esse bona fide ignoraret. Consummatum quoque adulterium fuerit, oportet; at crimini additam promissionem, ut matrimonii nullitas inducatur, nec sinceram, nec puram absolutamque, nec honestam & possibilem esse necesse est, quia impedimentum de quo agitur, ab hujus promissionis valore non pendet, quippe quæ suapte natura, seu essentialiter nulla est; ac siquidem ficta fuerit, cum veri speciem præseferat, ad crimen maxime trahit, a quo Ecclesia, impedimentum statuens, de quo verba facimus, avertere voluit. Cæterum, promissio adulterium præcedatne, an sequatur, nihil refert, dummodo, matrimonio eodem constante, utrumque fiat. Si enim promissio, prima vivente conjuge, obstringeretur, & adulterium perpetraretur, vivente altera, non nisi dubium impedimentum esset. Juvat animadvertere mutuo præstitam a duabus personis fidem fore, ut post earum mortem quibuscum conjugatæ sunt, inter se matrimonium ineant, nullam & criminosam esse, tametsi jurejurando firmata, & ab omni adulterii consilio sejuncta esset.

2. Vir qui uxorem occidit, ut aliam ducat, cum hac contrahere non potest in duplici facti specie, 1. cum ad uxoris cædem ei sua & ipsa operam præstitit, & eo quidem animo, ut eumdem maritum haberet; 2. cum ea, quin ad occisionem conferret, cum ipso peccavit, & is ea mente uxorem occidit, ut hanc ejus loco duceret. Itaque, cum homicidium ab adulterio sejunctum est, ad illud pars utraque contulerit, oportet; cumque, e converso, adulterium homicidio conjunctum est, sufficit e duobus reis unum operam occisioni dedisse; at, in utraque facti specie, saltem alterutrum eo animo fuisse, ut alterum duceret, necesse est. Hinc illud consequens fit, adulterium & homicidium, seu conjunctim seu seorsim, non nisi certis quibusdam additis conditionibus, dirimenti impedimento causam præbere; videlicet 1. necesse semper est, ut consummatum homicidium sit. Itaque, non sufficit quempiam ejus vitæ insidias struxisse, quem perdere, & a quo se expedire volebat, eidemve vulnus inflixisse; quod si lethale non esset, ut persona, vel sua ipsius tantum, vel curantis chirurgi culpa occubuisset, tum quidem nullum dirimens impedimentum adesset. 2. Semper etiam necesse est, ut homicidium super unius e personis duabus quæ inter se matrimonium inire volunt, viro aut conjuge patratum fuerit. 3. Cum homicidium ab adulterio sejunctum est, ei se partes duæ per physicum aut moralem actum miscuerint, oportet, ita scilicet, ut illud executæ fuerint ipsæ per se, aliisve mandaverint, aut in ipsum consenserint, antequam patraretur; unius enim partis, quæ homicidium approbaret, quod, ea inscia, altera perpetrasset, ratihabitio non sufficeret; eadem esset mandati ratio, quod revocatum fuisset.

3. Non est necesse, ut homicidii, etiam ab adulterio sejuncti sociis duobus ea mens fuerit, ut inter se matrimonium inirent; sed satis est in alterutro id consilii exstitisse, quantumvis illud alteri socio non patefecerit.

4. In

4. In impedimentum quod oritur e crimine, tum quoque inciditur, cum illud ab Ecclesia institutum esse ignoratur, cumque e sceleris sociis unus tantum christianus est, quia licet Ecclesia nihil infidelibus præcipere possit, cum jurisdictionis nihil in eos obtineat, suis tamen filiis aliquid, quoad Infideles, prohibere potest.

Hæ peculiares decisiones præsenti Ecclesiæ disciplinæ nituntur, quam statuit decretalis Innocentii III. quæ extat in cap. *Significasti*, 6. extr. tit. *Significasti, quod cum P. civis Spoletanus quamdam mulierem duxisset legitime, ea relicta, cuidam meretrici adhæsit; verum cum uxor ipsius esset viam universæ carnis ingressa, meretricem cui adhæserat, desponsavit; respondemus, quod, nisi alter eorum in mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus, vel, ea vivente, sibi fidem dederit de matrimonio contrahendo, legitimum judices matrimonium.*

Ecclesia, cum criminis impedimentum ipsa statuerit, super eo dispensare potest.

Impedimentum diversitatis Religionis.

Bifariam personæ duæ quoad religionem differre possunt; vel cum una christiana est, infidelis altera; vel cum ambæ christianæ sunt, sed una catholica, & altera hæretica. Religionis, hac duplici ratione, discrimen, *cultus disparitas*, itane matrimonii impedimentum est, ut hoc nullum & invalidum sit, cum christianus catholicus infidelem aut hæreticam feminam ducit, aut e converso?

Certum est primo christiani cum infideli matrimonium nec naturali, nec divino jure nullum esse; nobis enim occurrunt in lege naturæ, in Mosis lege, prioribusque novæ legis sæculis, ejusmodi matrimoniorum exempla plura. Moses ipse Sephoram, Madianiterum sacerdotis filiam duxit; Joseph duxit Asenetham, ægyptii sacerdotis filiam, &c.

Certum est, secundo loco, tametsi christianorum cum Infidelibus matrimonia seu naturali, seu divino jure nulla non sint, & Ecclesia ad tempus ea toleraverit, eamdem tamen haud cunctatam hæc ipsa prohibuisse, nullaque declarasse, ob subversionis periculum, cum admodum facile fieri possit, ut tam arcta consociatio christianam partem pervertat.

Propter copiam puellarum, gentilibus minime in matrimonium dandæ sunt virgines christianæ, ne ætas in flore tumens, in adulterio animæ resolvatur. (Concilium Eliberitanum, an. 305. can. 15.)

De puellis fidelibus quæ gentilibus junguntur, placuit, ut aliquanto tempore a communione separentur. (Concilium Arelatense, an. 314. can. 11.)

Placuit, ut nullus christianus judæam, neque judæus christianam ducat uxorem; quare inter hujusmodi personas, illicitas nuptias esse censemus; qui si commoniti a consortio hoc se separare distulerint, a communionis gratia sunt sine dubio submovendi. (Concilium Aurelianense, an. 533. can. 19.)

Christianis quoque omnibus interdicimus, ne judæorum conjugiis misceantur; quod si fecerint, usque ad sequestrationem, quisquis ille est, communione pellatur. (Concilium Aurelianense, an. 538. can. 13.)

Quamquam christianorum qui matrimonium cum infidelibus inierunt, separationem hi canones mandant; iidem tamen intelligi possunt de habitationis solum separatione, per pœnitentiæ tempus, cui Ecclesia ejusmodi christianos subdebat, qui contra ejus interdictionem se ita matrimonio conjunxerant. Non ergo matrimoniorum hujusmodi nullitatem perspicue pronuntiant; ac dirimens impedimentum quod eadem abrogat, ex consuetudine potius, quæ legis locum hac in re tenet, quam ex aperta ulla expressaque lege derivatur. Ita sentiunt potiores theologi & canonistæ qui subdunt seu de loco, seu de tempore, quo consuetudo hæc orta fuerit, haud satis constare. Ut ut res habeat, christiani cum infideli matrimonium dubio procul in præsentia nullum est; idemque de matrimonio christianos inter & catechumenos inito sentiendum; quamvis enim catechumeni fidem habeant, baptismum tamen non habent, qui cæterorum omnium sacramentorum janua est. Si tamen ex infidelibus personis duabus inter se conjugatis unam christianæ religioni nomen dare contingeret, non esset necesse, ut hæc infidelem partem desereret, quæ cum ea pacifice, ac sine christianæ religionis scandalo degere consentiret. At si infidelis pars tranquille cum altera degere nollet, eamque, contra, pervertere & corrumpere niteretur; hæc posset, atque adeo deberet se ab ea sejungere, quoad torum tamen & habitationem solummodo, usque dum juridice segregaretur.

Infidelis qui christianam fidem amplecteretur, post ductas conjuges plures, omnes & singulas deserere teneretur, excepta prima.

Catholici cum hæretica femina matrimonium illicitum est non item nullum, dummodo tamen formis ab Ecclesiæ præscriptis contractum fuerit.

Illicitum quidem est hujusmodi matrimonium, quia illud Ecclesia gravissimis de causis vetat, quæ ad præcipuas tres rediguntur, & sunt; fidei subversionis in fideli parte periculum; filiorum mala educatio; discordia quæ inter alterius religionis personas, ut plurimum, dominatur.

Hæretici, si se transferre noluerint ad Ecclesiam Catholicam, nec ipsis catholicas dandas esse puellas, sed neque Judæis, neque hæreticis dare placuit. (Concilium Eliberitanum, an. 305. can. 16.)

Quoniam non oportet cum omnibus hæreticis miscere connubia, & vel filios, vel filias dare, sed potius accipere, si tamen profiteantur christianos futuros esse se, & catholicos. (Concilium Agathense, an. 506. can. 67.)

Moneantur quam sæpissime fideles christiani a suis parochis, ne hæreticis, & hominibus a fide & religione catholica alienis filios & filias suas in matrimonium collocent; talibus enim conjugiis (quod dolentes referimus) permulti naufragium fidei fecerunt. (Concilium Burdigalense, an. 1583. tit. 15. *de sacram. Matrimonii.*)

Catholici cum hæretica femina matrimonium, quamvis illicitum sit, validum tamen est, cum e formis ab Ecclesia præscriptis initum fuit. Ratio est, quia nulla est seu naturalis, seu divina, seu humana, seu ecclesiastica, seu civilis lex quæ ejusmodi matrimonium nullum declaret; e contra Tridentinum Concilium anathema in eos pronuntiat, qui dicunt matrimonium per hæresim solvi posse. *Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit.*

Opponi possunt huic decisioni, 1. Trullani Concilii 72. canon, his verbis conceptus: *Non licere virum orthodoxum cum muliere hæretica conjungi, neque vero orthodoxam cum viro hæretico copulari. Sed etsi quid ejusmodi ab ullo ex omnibus factum apparuerit, irritas nuptias existimari, & nefarium conjugium dissolvi*; 2. Ludovici Regis XIV. mandatum, mense Novembri an. 1680. editum quod catholicorum cum hæreticis matrimonia *non valide contracta, filiosque qui ea consequentur, illegitimos, & in parentum bona mobilia & immobilia successioni ineptos* declarat.

Hæc ad Trullanum Concilium responsio est, Latinam Ecclesiam non recepisse hujus Concilii 72. canonem, perinde ac plures alios quos suæ disciplinæ consentaneos non comperit. Constat Trullanum Concilium ex Episcopis quorum plerique e Monothelitarum numero erant, coaluisse; patres qui illud constituebant, catholicos aliosque, id sibi sumpsisse, ut totius Ecclesiæ disciplinam moderarentur, ad suosque mutandos usus Romanam Ecclesiam adigerent; Sergium Papam III. qui sanctam Sedem tunc occupabat, illud, Imperatoris Justiniani II. comminationibus, a quo coactum fuerat, nunquam suscipere voluisse; demum ejus canonibus, cum ipsi per se nulla prorsus auctoritate polleant, non aliud robur inesse posse, quam quod iis Latina Ecclesia, adoptans quos rectos detegit, concedere vult.

Ad Ludovici XIV. mandatum respondetur, per illud catholicorum cum hæreticis matrimonia non valide contracta quoad civiles solum effectus, non autem quoad vinculum, declarari.

Violentiæ impedimentum.

Violentiæ impedimentum nihil est aliud quam vis & coactio quæ in quempiam adhibetur, ut ad matrimonium suis ingratiis contrahendum adigatur.

Duplicis generis violentia distinguitur, *absoluta* una, conditione suspensa, seu *conditionata* altera.

Absoluta violentia est externa & physica impressio, per quam quispiam adigitur, ut consensus quem ejus animus respuit, improbatque, coacta signa præbeat. Is esset patris actus, qui, vi facta, flecteret filiæ caput, ad ostendendum eam matrimonio cum homine quem pati non potest, consensum præstare; is quoque actus esset, per quem ebrius, aut fatuus ad ducendam conjugem pertraheretur, quam ducere nollet, si rationis usu polleret. Violentiæ genus hoc abrogat matrimonium, quia penitus consensum & libertatem adimit, quibus ad matrimonii contractum, perinde atque ad omnes contractus cæteros opus est.

Conditione suspensa, seu imperfecta violentia non discrepat a metu, ab ea scilicet irrequieta animi emotione, quam excitat imminentis mali notio.

Metus porro levis aut gravis, justus aut injustus est; levis quidem, cum ad leve, aut, siquidem grave, magnique momenti est, parum verosimile malum refertur; gravis autem, cum ei propositum est magni ponderis malum, quodque prudentis firmique hominis animum frangere potest, diciturque *cadens in virum constantem*, ut carcer, mors, &c. Justus est, cum jure ac merito, injustus vero, cum immerito & injuria incutitur. His veluti fundamenti loco positis, hæc sane theologiæ super violentiæ impedimento doctrina est.

1. Levis timor matrimonium non abrogat, quia consensus libertatem non impedit. Ejusmodi esset ambiguarum in quempiam minarum timor, ut ad consensum matrimonio quod init, præbendum permoveratur, aut puellæ officiosus erga patrem timor, quæ, ne ei displiceret, matrimonio, contra atque animo comparata erat, assensa est, quod is ab ipsa ineuntum voluit. Hujus puellæ matrimonium ejusmodi metus haud nullum reddit, nisi forte pater serias gravesque, ut exhæredationis, acerbitatis, extremæque indignationis minas jussis addiderit.

2. Gravis timor quem parit aut naturalis causa, seu interna, ut morbus, seu externa, ut naufragium, aut causa libera, sed justa, ut judex qui juste, gravibusque propositis pœnis quempiam ad matrimonium ineundum damnat, ne hic quidem timor efficit, ut matrimonium nullum sit. Ratio est, quia timor tum solum abrogat matrimonium, cum personæ quam spectat, injuriosus est; jam vero cum quispiam matrimonium init, vel quia ad illud juste damnatur, vel quia morbum, naufragium, mortem timet, ei nulla affertur injuria; hinc illud consequens fit matrimonium validum esse, licet solum mortis metu, & ab homine mortis indicta pœna, ad puellam quam dedecoravit, ducendam damnato initum fuerit. Idem de eo dicendum qui ad mortem evitandam quam inimicus ei minitatur, hominis filiam ducit, qui eidem satis firmum præsidium esse potest.

3. Gravis metus, qui ex libera injustaque causa oritur, matrimonium abrogat, cum, qui eum incussit, perficere in animo habuit, ut matrimonium contraheretur. Ratio est, quia origine injuriosus, effectuque funestus is timor est. Ut autem ejusmodi timor matrimonium abroget, non est necesse, ut femina quæ expetitur, ejus vim, seu impressionem directe sentiat; malum cujus minæ patrem, matrem, cæterosque ascendentes, filios, horumque descendentes, fratres, sorores afficeret, ejus proprium & peculiare censeretur. Debet id accipi de gravi metu, quamvis firmatu per jusjurandum, & a matrimonio ipso quod ejusdem metus causa consummatum fuisset, & e quo filii suscepti essent. Ita judicatum per arestum diei 24. Aprilis an. 1651. quod in Ephemeridu Soefvius affert. Arestum hoc declarat nullum matrimonium metus causa, licet apud judicem conquerens pars non nisi post cohabitationis annos tres sibi jus petiisset, ex eaque unicus filii nati essent.

4. Gravis timor non abrogat matrimonium per ejusdem timoris impressionem initum, cum qui eum imprimunt, haud sibi finis loco matrimonium proponunt. Ut exemplum afferam, est quispiam in latronum manu qui ibi sunt, ut eum occidant; transit quidam cui ille se ejus filiam se daturum promittit, si per eum a latronibus liberatus fuerit; transiens eum liberat; liberatus sui liberatoris filiam sibi conjugem sumit; hoc matrimonium validum est.

5. Cohabitatio quæ coactum matrimonium consequitur, validum reddit matrimonium, his tribus additis conditionibus; ut voluntaria sit; ut ab errore immunis fuerit; & ut pars quæ libere consensit, suum primum consensum non revocaverit.

6. Domini temporales & magistratus qui eos in quos jurisdictione pollent, matrimonium suis ingratiis, & contra atque animo affecti sunt, inire cogunt, ipso facto excommunicationi subsunt: *ita plerumque temporalium dominorum ac magistratuum mentis oculos terreni affectus atque cupiditates excæcant, ut viros & mulieres sub eorum jurisdictione degentes, maxime divites, vel spem magnæ hæreditatis habentes, minis & pœnis adigant cum iis matrimonium contrahere, quos ipsi domini vel magistratus illis præscripserint. Quare cum maxime nefarium sit matrimonii libertatem violare, & ab eis injurias nasci, a quibus jura expectantur; præcipit sancta Synodus omnibus, cujuscumque gradus, dignitatis & conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo, directe vel indirecte, subditos suos, vel quoscumque alios cogant, quo minus libere matrimonia contrahant.* (Concil. Trident. sess. XXIV. cap. 9. *de Reform.*)

Per Blesensis constitutionis articulum 281. viri nobiles dominique vetantur subditos suos aliosque adigere, suas ut filias, neptes aut pupillas in matrimonium tradant contra libertatem voluntatemque quibus esse debet in ejusmodi contractibus locus; secus fore, ut nobilitatis jure punientur, & tamquam raptus rei puniantur.

A violentiæ impedimento Ecclesia dispensare non potest.

Ordinis impedimentum.

Ordines sacri qui sunt episcopatus, presbyteratus, diaconatus & subdiaconatus, matrimonii dirimens impedimentum pariunt, saltem post generale an. 1139. Lateranense Concilium, cujus canonem, *verb. Impedimentum Voti*, in medium attulimus.

Verum quidem est, multo ante & e primis Ecclesiæ seculis matrimonium presbyteris & diaconis interdictum fuisse; at ea sacris ordinibus addicta interdictio non nisi prohibens, non autem dirimens matrimonii impedimentum erat.

Si quis Episcoporum, presbyterorum, diaconorum & subdiaconorum, uxorem accepit, a sibi injuncto officio deponendus est, sicut in Concilio Carthaginensi tenetur.

Canon hic qui Augustani Concilii, an. 951. habiti primus est, probat, sæculo decimo, ordinis impedimentum nondum tamquam matrimonii dirimens impedimentum spectatum fuisse, quandoquidem Concilii Patres satis habent presbyteros, diaconos & subdiaconos, matrimonia contrahentes deponere, quin ea matrimonia invalida & nulla declarent.

Burchardus qui ab an. 1008. ad usque 1026. Wormatiensis Episcopus fuit, quique canonum Collectionem edidit, nullum inter eos affert, qui sacros ordines inter dirimentia matrimonii impedimenta retulerit; ex quo inferri potest, eo jam tempore nullum adhuc canonum extitisse, per quem id impedimenti statutum esset. Perspicitur hinc, cum continentiam sacris ordinibus non nisi ecclesiasticum jus addixerit, matrimonii quoque dirimens impedimentum, sacris ordinibus nixum ecclesiastici tantum juris esse, super quo Ecclesia dispensationem concedere potest.

Impedimentum vinculi, seu ligaminis.

Vinculi, seu ligaminis impedimentum ex priore, etiam non consummato matrimonio nascitur, efficitque, ut conjugati ad secundum matrimonium transire non possint, quavis obducta causa, nisi post primi matrimonii dissolutionem, per mortem alterius conjugum; ut proinde si vir, uxore vivante, & vice versa, aliam duceret, hoc posterius matrimonium absolute nullum esset: *Si quis dixerit, licere christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit.* (Concil. Trident. sess. XXIV. *de sacram. Matrimon.* can. 2.)

Liquet ex hoc canone, vinculi impedimentum in nova lege positivi saltem divini juris esse, quoniam Christus Dominus, in S. Matthæi Evangelio, cap. 19. v. 7. polygamiam damnavit, & matrimonium ad suam primam institutionem redegit, in qua Deus unam tantum conjugem viro dedit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

Ex veteris civilis juris dispositione, mulieres non tenebantur absentes viros, de quibus nullum nuntium accipiebant, nisi quatuor, aut quinque, aut decem annorum spatio expectare, quo elapso, nubere poterant; at Justinianus jus hoc abrogavit, (Novella 117. cap. 11. allata in Authentice, *Hodie*, Cod. *de Repud.*) declaravitque mulierem cujus vir castra sequitur, novum matrimonium inire non posse, nisi postquam ab officiariis sub quibus in militum album relatus erat, de ejus morte e scripto fidem acceperit, & ab hac recepta fide quæ jurejurando firmari, & in publicis actis deponi debet, integrum annum excurrere passa est.

In eumdem fere modum jus, in omnibus absentiæ casibus, seu de viro, seu de muliere sermo sit, rem moderatum est, ut proinde, quantumvis longa alterutrius absentia sit, neuter sine certis super absentis morte probationibus ad novas nuptias migrare possit. (Clemens III. cap. *In præsentia*, *de sponsalib. & matrim.*)

Hujus mortis probatio quæ nulla magis juri & an. 1667. constitutionis congruit, est excerptum registri funerum parœciæ, vel hospitalis, ubi is de quo agitur, mortuus est. Exceptum hoc, oportet, parochi, aut vicarii, ejusve qui in loco deservit, subscriptione firmatum sit; & siquidem ex alia diœcesi venerit, publica auctoritate firmatum, hoc est, a publica tituloque insignita persona quæ suum & nomen & sigillum

appo-

appofuetit, ad veritatem exactum fit, necesse est. Episcopus, magni vicarii, & judex regius, in negotio confirmationis per publicam auctoritatem, quam *legalizationem* vocant, fidem faciunt. Cum miles in regione moritur, in qua nullus extat sepulturæ codex, ducis, aut, si is desit, officiarii subalterni testimonium, vel per testes probatio sufficit.

Quod de secundi matrimonii ante primi dissolutionem initi nullitate diximus, locum habet, etiamsi posterius hoc matrimonium bona fide, ac non sine gravibus credendi causis primum matrimonium per alterius partis mortem solutum esse, contractum fuisset; ex quo sequitur, hoc alterum matrimonium, statim atque error detectus est, nullum declarari debere. Partium bona fides, quæ secundum matrimonium contraxerunt, id unum efficit, ut ex eo nati filii haud spurii censeantur, & in patris ac matris hæreditatem, prorsus ut legitimi filii, jus habeant.

Si mulier quæ ad secundas nuptias transiit, se bona fide liberam rata, forte de primi viri morte non temere dubitet, matrimonii debitum petere non possit; teneatur tamen illud reddere, si secundus vir eam ducens, liberam credidit. Hujus decisionis prima pars hoc axiomate nititur: *In dubiis tutior pars est eligenda*; & secunda hoc alio: *In dubiis melior est conditio possidentis.*

Publicæ honestatis impedimentum.

Publica honestas est apparens proximitas, quæ e sponsalibus, aut ex matrimonio non consummato derivatur.

Quamobrem publicæ honestatis impedimentum, quam *publicæ honestatis justitiam* nuncupant, ea proximitatis ratione nititur, ejusque instar, e sponsalibus, aut ex matrimonio non consummato originem ducit.

De impedimento, quod oritur e sponsalibus.

Impedimentum quod e sponsalibus oritur, nec naturalis, nec divini juris est. Illud induxit civile jus, cujus hac in re dispositionem Ecclesia, quia rationi apprime consonam comperit, adoptavit; sunt enim sponsalia ad matrimonium via veluti quædam, quasique matrimonium *in spe*, quod saltem apparentis inter desponsatarum partium unam, & alterius partis propinquos proximitatis genus efformat, & quod inde consequitur, quamdam inter easdem rationem, publica honestate nixam parit, quæ impedit, ne desponsarum partium una, vel post sponsalium dissolutionem, validum cum alterius partis propinquis matrimonium inire possit.

Per Ecclesiæ decem seu duodecim priora sæcula, publicæ honestatis impedimentum ad directæ lineæ consanguineos redigebatur. Productum deinceps fuit ad collateralis lineæ consanguinitatem æque longe, omninoque in iisdem gradibus, atque affinitatis impedimentum, quæ ex matrimonio ortum trahit; atque adeo Bonifacius VIII. ad ea ipsa sponsalia quæ haud valide contracta fuerant, id impedimenti protulerat, dummodo tamen nullitas non ex partium consensus defectu oriretur. At hanc disciplinam correxit Tridentina synodus, mandans; ut hujusmodi impedimentum collaterali lineæ primum gradum non excederet, nec nisi per sponsalia valide contracta constitueretur: *Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, sancta synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedat; quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.* Quæ ergo super publicæ honestatis impedimento præsens Ecclesiæ disciplina præscribit, hæc sunt:

1. Impedimentum hoc ad gradum primum tam in directa, quam in collaterali linea restrictum est; ut proinde qui sponsus est, sponsæ nec matrem, nec filiam, nec sororem, quæque sponsa est, sponsi nec patrem, nec filium, nec fratrem ducere valide possint; possint tamen cum cæteris propinquis omnibus libere matrimonium inire.

2. Publicæ honestatis impedimentum quoad consanguineos quidem seu legitimos seu illegitimos in primo gradu locum, quoad affines autem non item; quia in Ecclesiæ legibus quæ hoc impedimentum statuerunt, de consanguineis tantum, non de affinibus sermo est. Ita, licet sponsus sponsæ sororem ducere nequeat, eam tamen ducere potest, quam sponsæ frater viduam reliquit, quia vidua hæc sponsæ non consanguinea, sed solum affinis est.

3. Hoc impedimentum perpetuum est, adeoque subsistit etiam post alterutrius sponsorum mortem, & postquam sponsalia evanuerunt per mutuum partium consensum, quæ sibi reddiderunt obstrictam fidem, aut per judicis auctoritatem qui sponsalium dissolutionem pronuntiavit. Ratio est, quia hoc impedimentum non a partium, sed ab Ecclesiæ voluntate pendet, quæ impedimentum hoc semel contractum semper subsistere voluit. Ita pluries declaravit Cardinalium Congregatio; decisionem hanc approbavit Alexander VII. eamque, Fagnano teste super cap. *Ad Audientiam, de Sponsalibus & Matrim.* sequitur usus.

4. Ut hoc impedimentum pariant sponsalia, necesse est ea valida esse, & quod inde consequitur, utrinque libera; ad certum præterea statumque scopum referri, & absoluta esse debent; sponsalia enim quæ peculiarem nullam propositam rem haberent, quibusque addita esset, vel licita & honesta *de re futura*, conditio, publicæ honestatis impedimentum non offerrent, usque dum definitus scopus, suumque effectum sortita conditio esset. Ita, qui e proximi filiabus unam ducturum se recepisset, quin designaret, quam ducere voluisset, nec cum earum puellarum ulla, nec cum ullo ex earumdem consanguineis impedimentum de quo agetur, contraxisset; itemque qui puellam despondet ea conditione, ut hæc intra menses et tribuat scuta mille, valide sibi conjugem ejus sororem ducere potest, antequam illud temporis spatium elapsum fuerit.

5. Ut publicæ honestatis impedimentum pariant sponsalia, non est necesse, ut in facie Ecclesiæ facta sint in iis ipsis diœcesibus in quibus id moris obtinet, ut sponsalia in Ecclesia benedicantur. Ratio est, quia publicæ honestatis impedimentum non benedictio sponsalium, sed eorum contractus efficit ipse per se. Non ergo spectanda est benedictio nisi tamquam accessio quædam, sine qua sponsalium contractus validus esse, suaque omnino perfectione gaudere non desinit, cum solum domi peracta est, coram familia, aut apud notarium, vel inter partes, e duplici scripto, pro locorum usu. Quoniam ergo sponsalium contractus publicæ honestatis impedimentum gignit ipse per se, & hic contractus vere validus sit quamvis in Ecclesia benedictus non fuerit, in iis ipsis diœcesibus in quibus illud benedicendi mos viget; consequens evadenter fit non esse necesse sponsalia in Ecclesia benedici, ut publicæ honestatis impedimentum pariant, & hoc ubique ex iisdem oriri, simul ac valida sunt, quemadmodum eadem utrique parti actionem tribuunt, ut earum executionem, seu apud ecclesiasticum, seu apud sæcularem judicem persequatur.

6. Quamvis matrimonium quod consummatum non fuit, affinitatem non pariat, quia hæc ex carnali tantum copula oritur; publicæ tamen honestatis impedimentum affert, quod non patitur consanguineum aut consanguineam unius conjugum cum altero, si forte viduus evaserit aut vidua, matrimonium inire, seu matrimonium consummatum non fuerit, quia partium una mortem occubuit, seu quia religionem ingressa est, seu quia impotens erat. Hoc impedimentum quod affinitatis imagine, seu specie nititur, hoc quoque tempore ad quartum inclusive gradum extenditur; Tridentinum nempe Concilium super hac re nihil mutationis edidit, ut in Bulla *Ad Romanum*, an. 1568. die 1. Julii declaravit Pius Papa V.

7. Omne matrimonium, cujusvis impedimenti causa, nullum, ne clandestino quidem excepto, semper publicam honestatem affert, nisi forte e consensus defectu nullum sit. Ratio est, quia ejusmodi matrimonium afferebat publicæ honestatis impedimentum ex jure veteri, cui Tridentina synodus non derogavit, cum solum declaraverit sponsalia quæ nulla fuerint, id impedimenti non allatura, quin de matrimonio nullo quicquam diceret. Hoc publicæ honestatis impedimentum quod irrito nulloque matrimonio nititur, licet consummatum non sit, ad cognationis quartum inclusive gradum usque protenditur nonnullorum auctorum sententia, quæ magis cum Pii V. Bulla congruere videtur.

Dementia, seu defectus rationis impedimentum.

Insani, furiosi, itaque imbecilles, ut deliberationis & electionis impotes sint, naturali jure ad contrahendum matrimonium inhabiles sunt, quia liberum consensum præbere nequeunt, qui ad contractus matrimonii, perinde atque aliorum omnium contractuum essentiam pertinet. Si tamen insanus matrimonium in aliquo rationis intervallo contraheret, illud validum esset, tametsi periculosum ob insaniæ reditum; ex quo fit, ut parochus ejusmodi personas in matrimonium conjungere non debeat, quin Episcopum consulat.

Non eadem est surdorum & mutorum ratio; hi nempe ma-

pe matrimonio jungi possunt, cum satis experrecta mente sunt, ut obligationem cognoscant, quam contrahunt, cumque ita se habent, ut suum per signa consensum patefacere possint.

Nec magis in insanorum numero ponendi sunt, quibus imaginatio quoad unum solummodo caput læsa, liberum, quoad cætera omnia, rationis usum relinquit, Ejusmodi fanatici ineundo matrimonio pares sunt,

Affinitatis impedimentum.

Affinitas legitima & proprie dicta, vinculum, seu proximitatis ratio est, quæ inter conjugum unum, & alterius conjugis propinquos, inter virum & uxoris propinquos, interque uxorem & viri propinquos existit, definiturque universim: *necessitudo inter unum e conjugibus, & alterius conjugis cognatos.*

Ex hac definitione, omnes viri consanguinei sunt uxoris affines, omnesque uxoris consanguinei sunt affines viri, at vir quoque unus e sua familia cum uxoris consanguineis, itemque una uxor e sua familia cum viri consanguineis hanc ipsam affinitatem contrahunt. Hinc passim fit, ut pater & filius matrem & filiam ducant; fratres duo sorores duas; eorum unus matrem, filiam alter. Hinc etiam illud receptum principium: *Affinitas non parit affinitatem;* videlicet, qui feminam sibi conjugem sumit, ita ejus consanguineis affinis evadit, ut hi ipsi consanguinei non evadant illius consanguineis affines.

Matrimonii affinitatem statuit civile jus, (D. l. 4. §. III.) quin distinguat, an consummatum fuerit, necne; at eam canonicum jus non nisi ex matrimonii per carnale commercium, consummatione deducit, ut proinde affinitas a canonistis definiatur: *propinquitas in carnali copula procedens.* Ratio sumpta est ex Levitici lege quæ cum consanguinei nostri conjuge matrimonium vetat, quia facta est eadem caro cum eo per sanguinis mixtionem, & cognationis communicationem, quæ efficiunt, ut unius consanguinei evadant alterius affines: *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quia turpitudo fratris tui est* (Levit. cap. 18. v. 16.). Cum ergo matrimonium ante consummationem solutum fuit, nullum inter partium unam, & alterius consanguineos adest affinitatis impedimentum; at adest aliud quod publicæ honestatis dicitur, impedimentum, ea proximitatis ratione nixum, quæ inter personas quas diximus, reperitur.

Ut cognoscatur, quo gradu sint affines personæ duæ, distingui debent in affinitate prorsus ut in consanguinitate, stipes, linea & gradus. Stipes sunt personæ duæ, quæ per mutuum commercium una caro evaserunt; hæ quidem non tamquam affines, sed tamquam affinitatis fons & principium spectantur. Linea est personarum ordo & series, quæ invicem aliis, aliis affines sunt. Hæc linea vel directa, vel collateralis est, prout personarum quæ se cognoverunt, consanguinei in recta aut collaterali linea quoad eas sunt. Gradus est unius affinis ab alio distantia, quæ quidem ad consanguinitatis distantiam exigitur; adeoque tot adsunt affinitatis gradus Joannem inter eamque quæ ejus consanguineo nupsit, quot consanguinitatis gradus inter Joannem, eumque ipsum consanguineum intersunt.

Affinitas legitima & proprie dicta quæ ex consummato matrimonio derivatur, constituit matrimonii dirimens impedimentum ei prorsus simile quod consanguinitas efficit, quodque proinde in linea recta ad infinitum usque; & in linea collaterali ad quartum inclusive gradum extenditur.

Impedimentum hoc jam inde a primis Ecclesiæ sæculis notum erat, quemadmodum ex antiquis Conciliis compertum fit.

Si quis privignam, seu *privignam suam* (conjugis ex alio viro filiam) *duxerit uxorem, eo quod sit incestus, placuit nec in fine dandam esse ei communionem.* (Concilium Eliberitanum, an. 303. can. 66.)

Mulier, si duobus fratribus nupserit, abjiciatur usque ad mortem. (Concilium Neocæsareense, an. 314. can. 2.)

Incestis conjunctionibus nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint. Incestos vero nec ullo conjugii nomine prævalendos, præter illos quos vel nominare funestum est, hoc esse censemus. Si quis relictam fratris, quæ pene prius soror exstiterat, carnali conjunctione violaverit; si quis frater germanam uxoris acceperit; si quis novercam duxerit.... si quis relictæ avunculi misceatur, aut patrui, vel privignæ concubitu polluatur. (Concilium Epaonense, an. 517. canon. 30.)

Haud satis certo constat, quandonam instituta fuerit disciplina quæ matrimonium inter affines in iis omnibus gradibus prohibet, in quibus inter consanguineos vetitum est. Id abest ab omni dubitatione eam octavo sæculo locum habuisse, quemadmodum probat Romani Concilii, an. 721. habiti is nonus canon qui matrimonium inter affines, perinde atque inter consanguineos illimitatum in modum vetat: *Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem, anathema sit.*

Inconcussum aliud hujus disciplinæ monumentum nobis exhibet Compendiensis Concilii, sub Pipino Rege, in populi generali cœtu, an. 757. celebrati secundus canon in hæc verba: *Si duo in tertio loco sibi pertinent, sive vir, sive femina, aut unus in tertio, alter in quarto, uno mortuo, non licet accipere uxorem ejus, & si inventi fuerint, separentur; una lex est de viris & de feminis.*

Ab eo tempore, semper inter affines matrimonia quibus in gradibus inter consanguineos vetita, quibusque pariter in gradibus inter consanguineos permissa fuere. Lateranense Concilium, an. 1215. habitum, matrimoniorum, consanguinitatis causa, prohibitionem ad quartum gradum redegit, eam quoque eidem gradui ob affinitatem addixit; atque hæc Ecclesiæ præsens disciplina est. Idem quoque in affinitatis negotio de mixtis seu inæqualibus gradibus, ac dum de consanguinitate agitur dicendum est.

Præter legitimam & proprie dictam, criminosa affinitas est, quæ ex fornicatione, ex carnali scilicet illicitaque duarum personarum conjunctione oritur, quæque matrimonii dirimens impedimentum earumdem personarum unam, & alterius propinquos inducit.

Inter matrimonii impedimentum quod hæc criminosa affinitatis species, illudque quod legitima affinitas parit, id discriminis intercedit, quod posterius ad quartum inclusive gradum usque protenditur, at prius in secundo pariter inclusive gradu desinit, quemadmodum Tridentina synodus (sess. XXIV. cap. 4. *de Reformat. matrim.*) his verbis declarat: *Sancta synodus... gravissimis de causis adducta impedimentum quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum qui in primo & secundo gradu conjunguntur, restringit; in ulterioribus vero gradibus statuit hujusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere.*

Pronuntians Tridentina synodus se ad primum & secundum gradum criminosam affinitatem redigere, satis ostendit per eam antea in ulterioribus, iisdemque ac per proprie dictam affinitatem gradibus impedimentum inductum fuisse; se tamen illud ad primum & secundum gradum, ob gravissimas causas, restringere. Ex hac nova disciplina a Tridentino Concilio instituta, si Petrus Petronilla abusus est, Petronillæ nec matrem, nec filiam, nec sororem, nec amitam, nec neptem, nec consobrinam, itemque Petronilla Petri nec patrem, nec filium, nec fratrem, nec patruum, nec nepotem, nec consobrinum ducere possunt; at idem Petrus Petronillæ cæteras omnes ultra secundum gradum consanguineas valide & licite ducere potest, & vice versa. Ita Pius V. per Bullam, *Ad Romanum Pontificem*, die 19. Decembris an. 1566. editam declaravit, ut difficultatem tolleret, quam theologorum nonnulli excitaverant, ajentes Tridentin. Concilium nihil aliud egisse, quam dirimens impedimentum de quo agitur, in prohibens mutasse, ut proinde matrimonium in remotioribus eorumdem impedimentorum gradibus initum validum quidem, sed illicitum esset.

Affinitas quæ ex illicito commercio oritur, non inducit matrimonii dirimens impedimentum, nisi cum hoc commercium publicum est. Est hæc Alexandri III. decisio, cap. 4. *De eo qui cognovit consanguineam.* Nec magis affinitas quæ matrimonio jam contracto supervenit, dirimens impedimentum est quod illud dissolvere possit; at eadem, nisi forte ex vi cui obsisti non potuerit, aut ex invincibili ignorantia derivetur, ream partem petendi conjugalis debiti jure spoliat; quod jus non eadem pars, cum suo ipsius consanguineo, aut cum conjugis affinibus peccans amitteret, quia canones qui primum illud definierunt, super altero nihil statuerunt. Si conjuges ambo idem crimen seorsim patrassent, neuter absque Episcopi dispensatione, matrimonio uti posset.

Ab affinitatis impedimento in omnibus collateralis lineæ gradibus Ecclesia dispensare potest, quia impedimenti genus hoc ecclesiastici tantummodo juris est. Quoad directam lineam, sectæ sententiæ sunt. Sunt e theologis, jurisque consultis, qui propugnent affinitatis impedimentum in omnibus directæ lineæ gradibus ad naturale jus pertinere, & quod inde consequitur, Ecclesiam in horum graduum nullo dispensare posse.

Sunt

Sunt alii qui eam in omnibus ejusmodi gradibus dispensare posse putent, excepto primo; sunt denique qui ne primum quidem excipiant, quia, inquiunt, inter rectæ lineæ affines matrimonium non naturali, sed humano tantum, ecclesiastico aut civili jure vetitum est. Hinc, subdunt, summi Pontifices cum infidelibus fidem amplexis dispensant, qui matrimonia in primo affinitatis gradu, quæ ex recta linea deducitur, obstricti sunt, cum id facere per patrias leges potuerunt; hinc etiam Galliarum Concilia plura, dum affinium incestuosa conjugia damnant, eos separari nolunt, qui in primo ipso rectæ lineæ gradu matrimonium, ante eorum interdictionem, inierant. Id nimirum probant ex Aurelianensis Concilii, an. 538. habiti decimo canone qui, quicquid super incestuosis connubiis in præcedentibus Conciliis statutum fuerat, confirmat, hisque verbis conceptus est: *De incestis conjunctionibus, ita, quæ sunt, serventur, ut his qui aut modo ad baptismum veniunt, aut quibus Patrum statuta sacerdotali prædicatione in notitiam antea non venerunt, ita pro novitate conversionis ac fidei sua credidimus consulendum, ut contracta hucusque hujusmodi conjugia non solvantur, sed in futurum, quod de incestis conjunctionibus in anterioribus canonibus interdictum est, observetur, id est, ut ne quis sibi sub conjugii nomine sociare præsumat relictam patris, filiam uxoris, relictam fratris, sororem uxoris, consobrinam aut sobrinam relictam avunculi, vel patrui.*

His tamen rationibus nihil obstantibus, Papæ dispensationes ad matrimonium in primo affinitatis e recta linea prodeuntis gradu abusivæ aut subreptitiæ, quemadmodum Gallorum jurisconsultorum plerique putant, nunc temporis in Gallia declararentur; habetur enim ibi pro certo matrimonium inter affines in rectæ lineæ primo gradu, naturali jure vetitum esse, in eoque proinde gradu Papam dispensare non posse. Ratio est, quia qui in recta linea ascendendo affines sunt, iis parentum locum tenent, licet ejusmodi reapse non sint, ut iis qui descendendo affines sunt, observantiam debeant, quæ naturæ ipsa vi cum æqualitate constare non potest, quæ in matrimonii usu inter sponsos existit. Quamobrem id genus conjugia cum naturali pudore & honestate pugnant, quæ scilicet impedit, ne conjux, quæ matris aut filiæ locum tenuit, expetatur.

Ex hac sententia quam Galli sequi debent, in usu, inquiunt Andegavenses Collationes, super Matrimonio, p. 164. nemo privignam, seu puellam e primo conjugis matrimonio natam, suamve nurum, seu filii viduam ducere potest, cum utraque, naturali jure, matrimonio cum eo qui patris loco est, matris viro scilicet, aut viri patre, contrahendo, quemadmodum quoad proprium patrem filia se habet, inepta sit. Eodem pacto viri filius novercam, patris viduam, suamve socram, suæ conjugis matrem ducere nequit; is enim, naturali jure, matrimonio cum noverca, aut socro, prorsus ut cum propria matre filius, ineundo ineptus est.

Clandestinitatis impedimentum.

Clandestinum matrimonium dicitur, in universum, quod occulta ratione initum est, & in quo solemnes formæ quas leges postulant, omissæ fuerunt; at, ut a Tridentini Concilii sententia & mente loquemur, ea clandestina matrimonia sunt, quæ non præsente unius e partibus parocho, aliove sacerdote quem is, vel ordinarius designaverint, duobus item aut tribus haud præsentibus testibus, contrahuntur. Posita est hac inter clandestinitas quam laudatum Concilium inter dirimentia matrimonii impedimenta retulit, ut nullum proinde & invalidum matrimonium sit, quoties sine parochi, alteriusve ab eo vel ab ordinario designati sacerdotis, duorumque aut trium testium præsentia contractum fuerit, etiamsi partes contrahentes invicte Concilii decretum quod earum matrimonium irritat, ignorarent.

Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, & proinde jure damnandi sint illi, ut eos sancta synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant; quique falso affirmant matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse; nihilominus sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit.... Qui aliter quam præsente parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi, seu ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt; eos sancta synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat. (Concil. Trident. sess. XXIV. *de Reform. Matrimon.*)

Plura sunt super hoc Tridentini Concilii decreto, & generatim, super clandestinitatis impedimento, de quo hic agitur, animadvertenda veniant.

1. Ante Tridentinum Concilium, clandestina matrimonia illicita quidem erant, utpote ab Ecclesia prohibita, non tamen nulla & invalida, quia Ecclesia non declaraverat ea talia esse; immo vero Concilium pronuntiat eadem clandestina matrimonia *rata & vera* matrimonia fuisse, non solum tamquam civiles contractus, sed etiam tamquam sacramenta, complurium saltem theologorum & jurisconsultorum judicio.

2. Eadem clandestina matrimonia, quibus in regionibus Tridentinum Concilium promulgatum non fuit, hoc adhuc tempore valida sunt. Hæ regiones sunt quæ ante Concilii confirmationem quæ an. 1654. perfecta fuit, se a Romana Ecclesia segregarunt; ut Svecia, Saxonia, Borussia, Anglia, Scotia, Irlandia, Dania, Pomerania, & septentrionales regiones cæteræ; idemque de infidelibus regionibus, cujusmodi sunt Turcarum & Sinarum imperia dicendum est.

3. Catholicorum quoque inter se, aut catholicorum cum hæreticis, aut hæreticorum inter se clandestina matrimonia, ut in fœderati Belgii provinciis, & ipsa valida sunt; adeoque, cum catholici, aut hæretici dum matrimonium in iis regionibus inter se contraxerunt, non est necesse, suum ut matrimonium, & forma per Tridentinum Concilium præscripta, iidem iterent, siquidem hos ad Ecclesiæ sinum redire, eosque sibi domicilium in iis regionibus in quibus hoc Concilium receptum est, statuere contigerit. Quæstio, postquam magna animorum contentione agitata fuerat, tandem per Benedicti XIV. decretum sequens. die 4. Novembris an. 1741. datum finita solemnem in modum fuit: *Matrimonia quæ in locis Fæderatorum Ordinum dominio in Belgio subjectis iniri solent, sive inter Hæreticos ex utraque parte, sive inter Hæreticum ex una parte virum, & Catholicam feminam ex alia, aut viceversa, non servata forma a sacro Tridentino Concilio præscripta, utrum valida habenda sint, necne, diu multumque disceptatum est, animis hominum ac sententiis in diversa distractis.... Negotio mature perpenso, omnibusque rationum momentis hinc inde sedulo libratis, declaravit, statuitque matrimonia in dictis Fæderatis Belgii provinciis inter Hæreticos usque modo contracta, quæque in posterum contrahentur, etiamsi forma a Tridentino præscripta non fuerit in his celebrandis servata, dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum, pro validis habenda esse; adeoque si contingat utrumque conjugem ad Catholicæ Ecclesiæ sinum se recipere, eodem quo antea, conjugali vinculo ipsos omnino teneri, etiamsi mutuus consensus coram parocho catholico non renovetur; sin autem unus tantum ex conjugibus, sive masculus, sive femina convertatur, neutrum posse, quamdiu alter superstes erit, ad alias nuptias transire. Quod vero spectat ad ea conjugia quæ pariter in iisdem Fæderati Belgii provinciis, absque forma a Tridentino statuta, contrahuntur a Catholicis cum Hæreticis.... declarat Sua Sanctitas, ea, alio non concurrente* canonico impedimento, *valida habenda esse*, &c.

4. Ubicumque Tridentinum Concilium receptum est, matrimonia clandestina, hoc est, matrimonia quæ, quin parochus, duove aut tres testes præsentes sint, contrahuntur, nulla sunt & invalida.

5. Parochi & testium præsentia quam Concilium ad matrimonii validitatem requirit, non pura putaque corporea & physica præsentia est, sed humana & moralis quæ parochum scilicet ac testes comparet, ut matrimonii celebrationem certam exploratamque reddant; quod si personæ duæ, coram parocho ac testibus ebriis aut dormientibus, conjugalem sibi fidem obstringerent, nullum prorsus matrimonium existeret.

6. In theologorum sententia, qui sacerdotem putant matrimonii sacramenti ministrum esse, itemque prout Gallorum jurisconsultorum complures asserunt, parochi præsentia quæ requiritur, ut sacramentum validum sit, non simplex passiva præsentia est, sed actus & exercitatio ministerii parochi qui partium consensum recipit, iisque nuptialem benedictionem tribuit tamquam publicus sacramentorum minister; hinc fit, ut per arestum constitutionis diei 5. Septembris an. 1650. prohibeantur omnes notarii, interdictionis indicta pœna, ullum actum transigere, per quem vir & femina declaraverint se sibi mutuo matrimoniale vinculum sumere, propterea quod iis matrimonii sacramentum conferre Episcopi, magni vicarii & parochi recusarent; hinc etiam fit, ut in Parisiensi, pluribusque aliis diœcesibus locum habeat excommunicatio quam subeunt

Ipso

ipso facto, qui matrimonium contrahunt, quod Gallice dicitur *a la Gomine*, qui videlicet protestantur se sibi vicissim mariti & uxoris fidem præstare, præsente parocho qui renuit nuptialem benedictionem iisdem tribuere.

7. Quilibet sacerdos cui coloratus titulus suppetit, quique verus parochus publice habetur, licet ejusmodi reapse non sit, ob occultum aliquod impedimentum, cujusmodi est simonia, confidentia quæ ejus provisiones nullas reddit, hujusmodi tamen sacerdos matrimonia valide celebrat. Idem de interdicto, aut excommunicato denuntiato parocho dicendum esset, quia semper suam parochi qualitatem retineret, quoad per juridicam sententiam beneficio spoliaretur, quoniam contrahentium parochi præsentiam simpliciter Tridentinum Concilium postulat, quin eum excipiat, qui interdictus, aut excommunicatus denuntiatus esset. Ita definiit Congregatio, referente Fagnano, in cap. *Litteras* 1. *de Matrim.* &c. lib. 4. tit. 16.

„ Qui in ea, in qua ego, sententia sunt, inquit „ Colletius, parochum sacramenti ministrum esse, non „ ita decisionem hanc sequi possunt; eam quoque Gi- „ bertus falsam putabat, id ponens tamquam certum „ non nisi simplicem testem sacerdotem esse. “ (Compendium Pontasiani Dictionarii Casuum Conscientiæ, Tom. I. ad litteram, *Impedimentum Clandestinitatis*, Casu XI.)

Nos quidem in ipsa hypothesi, sacerdotem sacramenti matrimonii ministrum esse, decisionem hanc veram esse censemus, ob eam causam, quia excommunicati denuntiati, excepto pœnitentiæ sacramento quod jurisdictionem requirit, cætera omnia valide conferunt; alia enim sacramenta, ut valida conferantur, nihil aliud quam materiam, formam, & ministri intentionem postulent. Est sane matrimonii celebratio curiale munus, parochi actus; non proinde tamen proprie dictæ jurisdictionis actus est; ac siquidem interdictus, aut excommunicatus denuntiatus parochus matrimonium celebraverit, consequens profecto fit eum graviter peccare, dum id edit officii quod eidem interdictum est; illud vero non sequitur ullo modo, matrimonium quod celebrat, nullum & invalidum esse. Secus de parocho notorie intruso, & cui ne coloratus quidem titulus præsto foret, dicendum esset; cum id hominis nulla ratione parochus sit, quæ celebrare auderet, nulla prorsus & invalida matrimonia essent.

8. Ad matrimonii celebrationem competens est loci parochus, in quo partes, quæ una matrimonium inire volunt, degere consueverunt, & cum quispiam per anni partem in uno, & per aliam in alio loco versatur, ejus parochus est loci parochus, in quo ejus commoratio præcipua est, in quo Pascha sumit; in quo se *habitantem* in actis quæ transigit, dicere solet; ubi denique publicis oneribus subest. Si quis in urbe per menses sex, itemque per reliquos sex ruri degat, utrobique nubere potest, dummodo in utraque parœcia matrimonii denuntiationes edendas curet.

9. Ut domicilium acquiratur, quod ad matrimonium reapse contrahendum in Gallia sufficiat, edictum mensis Martii an. 1697. statuit quod sequitur: „ Omnibus „ parochis interdicimus, ne quem matrimonio jun- „ gant, quin eorum verus parochianus sit, saltem a „ mensibus sex in eorum parœciis reapse & publica „ commorans, cum de iis sermo est qui prius in alia „ ejusdem urbis parœcia degebant, & ab anno, cum „ de iis agitur, qui in alia diœcesi vitam agebant; nisi „ a partium quæ contrahunt, parocho, vel ab Archi- „ episcopo, vel ab Episcopo diœcesano peculiarem in „ id veniam obtinuerint. “

Andegavenses super matrimonio collationes ajunt usum qui post hoc edictum in Gallia servatus fuit, (pag. 244. & 245.) credendi locum præbere, Ludovicum XIV. ea solum mente fuisse, ut parochos vetaret eos in matrimonium conjungere, qui non a mensibus sex in eorum parœcia sibi domicilium posuissent, quique antea in eadem diœcesi versati essent, eosque post annum, qui in alia diœcesi commorabantur, quin eorum banna ibi denuntiata essent, unde egressi fuerant, aut quin in id dispensationem obtinuissent. Eædem addunt non esse certum statumque tempus, quo quispiam in peculiari parœcia domicilium habere censeatur, ut ibidem nuptialem benedictionem suscipere possit, & parochum posse tamquam suum verum parochianum matrimonio eum jungere, qui in ejus parœciam, bona fide & sine fraude, commorandi gratia venerit, & cui non alibi domicilium sit.

10. Cum est in duabus parœciis sita domus, ejus parochus est, qui sacramenta ibidem administrandi possessione gaudet, quod si inter parochos duos contentio fuerit, omnino necesse est, ut vel matrimonii denuntiationes in utraque parœcia peragantur, vel ad Episcopum, aut ad magistratum confugiatur, qui partium alteri, saltem provisionis in modum, controversam domum adjudicent.

11. Parochus nunquam debet transeuntibus vagisque hominibus quibus statum domicilium non est, matrimonii sacramentum administrare sine Episcopi venia, & parochi super eorum natalibus & parentibus a scripto fide quæ eos baptizatos & nequaquam conjugatos enuntiet: *Multi sunt qui vagantur, & incertas habent sedes; ut improbi sunt ingenii, prima uxore relicta, aliam, & plerumque plures, illa vivente, diversis in locis ducunt. Cui morbo cupiens sancta synodus occurrere, omnes ad quos spectat, paterne monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facile recipiant. Magistratus etiam sæculares hortatur, ut eos severe coerceant. Parochis autem præcipit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint; & re ad ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.* (Concil. Tridentinum, sess. XXIV. cap. 7. *de Reform. Matrim.*)

12. Qui majores, nec cum patre aut matre degunt, in ea parœcia matrimonium inire debent, in qua publicum domicilium tenent; minores autem in patris & matris, tutoris aut curatoris parœcia, quamvis iis domicilium quod *facti* dicitur, alibi esset, in quo reapse degerent, nisi quod, in hac facti specie, eorum matrimonii denuntiationes in ea quoque parœcia peragi debent, in qua hoc facti domicilium existit. Est hæc edicti mensis Martii an. 1697. dispositio.

13. Parœciæ vicarius, suo ipso vicarii titulo, competens est, ut parœciæ matrimonia celebret. Eadem est habituati presbyteri ratio, quem parochus in hunc finem proposuit. Presbyter cui, quin habituatus sit, a partium Episcopo aut parocho facultas suppetit, ut earum matrimonium celebret, ad illud celebrandum competens est. At quivis alius sacerdos qui nec ab Episcopo, nec a parocho partium hanc a scripto facultatem obtinuit, ad id incompetens est.

14. Qui parœciis, vacationis tempore, itemque qui succursalibus deserviunt, alios presbyteros committere possunt, ut matrimonia celebrent, quia quoad populum qui eorum regimini subest, parochi esse censentur, omnibusque parochorum facultatibus ad curiales functiones instructi sunt. Idem de simplicibus vicariis dicendum est, nisi forte jus hoc sibi parochus reservaverit. Ratio est, quia, licet qui ad peculiarem causam delegati sunt, subdelegare non possint, hæc tamen potestas ad eos pertinet, qui generatim & sine exceptione ad omnes causas delegati sunt, ut fere vicarii ad omnia curialia munia.

15. Qui clandestinum matrimonium ineunt, præter enorme peccatum quod perpetrant, matrimonii quoque nullitati, filiorum illegitimitati, pœnisque quas iis imponere Episcopo videbitur, obnoxii sunt. Sacerdotes porro, qui privilegium veteremque consuetudinem prætexentes, eos matrimonio jungere auderent, qui ipsorum parochiani non essent, suspensionem ipso facto subirent, a qua eos parochi tantum ad quem spectat partium matrimonium peragere, Episcopus solvere posset: *Qui aliter quam præsente parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi, seu ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat. Insuper parochum, vel alium sacerdotem qui cum minore testium numero, & testes qui sine parocho, vel sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes, graviter arbitrio ordinarii puniri præcipit... Quod si quis parochus, vel alius sacerdos, sive regularis sit sive sæcularis, etiamsi id sibi ex privilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos, sine illorum parochi licentia, matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab ordinario ejus parochi qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.* (Concil. Trid. sess. XXIV, cap. 1. *de Reform. Matrim.*)

16. Tridentinum Concilium duos tantum aut tres testes ad matrimonii validitatem postulat. Blesenses constitutiones ann. 1639. 1667. & 1697. quatuor saltem ejusmodi testes requirunt, atque huic numero, in Gallia quidem, standum est, ne appellationi tamquam ab abusu locus præbeatur. Hi testes debent in loco degere, fide digni esse, atque ita comparati, ut percipiant id quod agitur, assertumque testimonium reddere possint. Quamobrem in carcere detentus, apud judicem accusatus, aut capturæ decreto obnoxius, quia se adhuc purgaverit, admitti non debet, ut in matri-

monio se testem præbeat. Contrahentium partium propinqui, in matrimonii negotio, idonei testes sunt. Quamvis, quæ fere sententia obtinet, feminæ possint ad matrimonii celebrationem testes adesse, tutius tamen in usu est, ut viri tantum ad id vocentur, quia Imperrajus, in Tractatu de Matrimonii dispensationibus, cap. 41. Parisiensis senatus decretum affert, per quod judicatum fuit feminas in matrimoniis testes esse non posse.

Impotentiæ Impedimentum.

Nuncupatur *impotentia*, matrimonii consummandi incapacitas, & *impotentes* vocantur, qui illud consummare non possunt, *quia vas muliebre penetrare non possunt, aut intra ipsum effundere semen de se prolificum.*

Si quis præ senio ita decrepitus foret, ut non posset seminare intra vas, utique impotens censeri deberet; & is quoque impotens habetur, qui utroque testiculo caret, vel attritum habet utrumque; secus, experientia teste, si careat solum alterutro.

Impotentia est absoluta aut respectiva, seu relata, antecedens aut consequens, perpetua aut temporalis. Absoluta est, *si cum nulla diversi sexus persona haberi queat carnalis copula*; est relata, seu respectiva, *si non possit cum una, possit tamen cum alia*; est antecedens, cum matrimonii celebrationem præcedit; subsequens est, cum postea supervenit; est perpetua, cum nec per naturalia remedia, nec per consuetas Ecclesiæ preces adimi potest, ad eamque sanandam, aut miraculo, aut peccato opus est; ut si maleficium per aliud destrui oporteat, vel evidens mortis periculum subeundum esset; temporalis est, cum seu per tempus, seu per medicinæ consueta subsidia, seu per preces quas Ecclesia in hujusmodi occasionibus adhibet, cessare potest.

Impotentia quæ post contractum, licet non consummatum matrimonium supervenit, illud non abrogat, sed conjuges ei legi subdit, ut una tamquam frater & soror vivant. Si dubitetur, an impotentia matrimonium præcesserit, expendenda est ejus qualitas. Si naturalis est, ante matrimonium substitisse præsumitur; at tum quidem persona recipi potest, suam ut querelam proponat. Si accidentaria impotentia est, si, exempli gratia, ex morbo, ex operatione, vel ex alia ejusdem generis causa derivatur, valide conjunctæ præsumuntur personæ quæ reclamare diu distulerunt, nec audiuntur nisi quæ conqueri non cunctantur.

Temporalis impotentia non abrogat matrimonium nisi in iis qui illud ante pubertatis ætatem contrahunt; atque impuberum quidem matrimonium ipso jure nullum est; excipiuntur ii *in quibus malitia supplet ætatem*. Cum juniores personæ duæ matrimonio junguntur, statim ac pubertatis ætatem attigerunt, & una aliam impotentiæ accusat, conceduntur iis probationis seu experientiæ anni tres & hi quidem vulgo solum a die numerantur, quo eædem personæ ad plenam integramque pubertatem pervenerunt, quæ in maribus ad annum decimum octavum, & in feminis ad decimum quartum incipit.

Perpetua, absoluta & insanabilis impotentia quæ matrimonium præcedit, est dirimens & indispensabile impedimentum quod nullum reddit omne matrimonium cum eodem impedimento contractum, efficitque præterea, ut eæ personæ quæ huic impotentiæ subsunt, nullum unquam deinceps matrimonium contrahere possint. Ratio est, quia hujusmodi impedimentum non humani solum, tam ecclesiastici quam civilis, verum etiam naturalis juris est, utpote suapte vi, seu essentialiter fini contrarium, quem sibi natura in matrimonio proponit, quæ prolis generatio est. Per idem proinde judicium quod matrimonium, perpetuæ absolutæque impotentiæ causa, nullum declarat, persona quæ impotens judicata est, ad novas nuptias transire prohibetur, dum id altera facere sinitur.

Cum impotentia ex maleficio derivatur, sponsis concedit Ecclesia probationis annos tres, quibus elapsis ecclesiasticus judex eorum matrimonium dissolvere potest, iisque permittere, ut aliud contrahant, siquidem impedimentum ex maleficio derivatum non nisi relatum sit. Cum naturalis & certa impotentia est, partes, nulla interjecta mora, matrimonium quod inierunt, abrogandum curare, aut tamquam frater & soror vivere debent, quia criminosa est probatio, statim atque est & esse debet evidenter inutilis. Quod si dubia impotentia fuerit, probationis annos tres ob frigiditatem, ut ob maleficium Ecclesia concedit. *Vide* titulum *de Frigidis & Maleficiatis*, in Decretalibus Gregorii IX. *vide* etiam S. Antoninum, Part. III. tit. 1. cap. 12. § 3.

Hermaphroditi in matrimonium conjungi non possunt, *priusquam ecclesiasticus, ex expertorum inspectione, dijudicaverit, quis sexus prævaleat; & declarationem juramento firmatam exegerint, quo spondeant nunquam se usuros altero sexu, etiamsi æqualiter utriusque compotes essent, quod raro, aut nunquam contingere docent periciores medici.*

Impedimentum Raptus.

Distinguitur raptus duplex, violentiæ unus, seductionis alter.

Violentiæ raptus is est, quo persona e loco, ubi in tuto erat, per vim tollitur, ut in raptoris potestate ponatur qui eam sibi conjugem sumere, eademve solum abuti vult.

Seductionis raptus fit, cum persona per dolos, per blanditias, per munera adducitur, ut e paterna domo, vel ex ea in qua per auctoritatem collocata est, egrediatur, atque ita se raptoris potestati subdat, & cum eo matrimonium ineat.

Violentiæ raptus olim inter raptorem raptamque dirimens matrimonii impedimentum inducebat, quod perpetuum erat, efficiebatque, ut iis nunquam liceret inter se matrimonium inire, tum etiam cum persona rapta in raptoris potestate esse desinebat. Perspicitur id ex Caroli Magni Capitularibus quæ mandant, ut, qui puellam rapuit, (VI. 60.) *nunquam illam uxorem habeat*; idemque ex Conciliis compertum fit.

Qui vero deinceps rapere virgines, vel viduas præsumpserint, secundum synodalem beati Gregorii definitionem, ipsi & complices eorum anathematizentur, & raptores sine spe conjugii perpetuo maneant. (Concilium Meldense, an. 845. can. 66.)

De raptoribus vero, antiquorum patrum statuta sequentes, hoc tenendum censemus, ut, si eas rapuerint, quæ cum sponso pariter benedictione sacerdotali initiatæ sunt, licet easdem corruperint, abstrahantur tamen ab his, & propriis sponsis reddantur; quæ vero vel viduæ, vel adhuc sponsæ non fuerunt, & absque ipsarum & parentum voluntate rapiuntur, nihilominus parentibus vel propinquis restituantur, & aliis, si voluerint, nubant; nam ipsis a quibus raptæ sunt, legitimæ demum uxores nullatenus esse possunt. (Concilium Papiense, seu Ticinense, an. 850. cap. 10.)

Summus Pontifex Innocentius III. definiit personam raptam posse cum raptore matrimonium inire, siquidem libere in illud consentire statueret (Cap. 7. Extr. *de Raptoribus.*). At Tridentinum Concilium, media incedens via, declaravit personam raptam non posse raptori nubere, dum in ejus potestate esset, bene vero posse, cum libertati reddita, in id libere consentiret: *Decernit sancta Synodus inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium; Quod si rapta a raptore separata, & in loco tuto & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, & nihilominus raptor ipse, ac omnes, illi consilium, auxilium & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; &, si clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam in uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.* (Sess. 24. cap. 6. *De Reform. Matrimonii.*)

Hujus decreti vi, quod Decretalium jus corrigit, veteris juris asperitatem emolliens, Ecclesiæque præsentem disciplinam constituit, quicunque vel ipse per se, vel per alios personam rapit, eam sibi conjugem sumere nequit, quoad ea in pristinam libertatem restituta fuerit. Id tum quoque locum haberet, cum raptor non alio animo fuisset, quam ut ea persona quam rapuit, abuteretur, quin de matrimonio cogitaret, & rapta persona, quo tempore in raptoris potestate esset, ei nubere consentiret. Locum id etiam quoad raptorem habet, qui suam ipsius sponsam, invita ipsa, aut invitis ejusdem parentibus, sibi tolleret; id enim juris viro sponsalia non tribuunt, ut in ejusmodi circumstantiis puellam tollat. Eadem est puellæ minoris ratio, quam raptor consentientem eam quidem, at contra ejusdem patris, aut tutoris voluntatem tolleret; quia licet raptor vim puellæ non inferat, quæ rapi consentit, ejus tamen patri, aut tutori infert, qui ejusdem, dum minor est, voluntatis depositarii sunt. Idem etiam de minori puella dicendum, quæ cum patris quidem aut tutoris consensu, at suis ipsa ingratiis raperetur, quia pater & potiore jure tutor haud ejusmodi potestate in hujus puellæ personam & libertatem gaudent, siquidem de matrimonio eidem utili comparando ageretur. De femina quoque idem judicium ferendum est, quæ virum rapiendum curaret; quia a fe-

mina patratus raptus non minus est libertati noxius, quam qui a viro patratus est; & quia e juris principiis est, per virum, in rebus potissimum quæ relatæ sunt, cumque æque rationes utrinque stant, feminam etiam intelligi.

Id inter seductionis & violentiæ raptum convenit, quod adest in utroque veri nominis asportatio, iis injuriosa, sub quorum potestate asportata persona est. Id autem discriminis inter hunc duplicem raptum interest, quod nemo non violentiæ raptui subesse potest, cum seductionis raptui solum viginti quinque annorum minores obnoxii sint. Majores sui juris, & seductionis incapaces censentur. Seductionis raptus solum quoad personam locum habet, qui bona cæteroquin fama gaudet; tamquam licentia, non seductionis fructus spectaretur personæ asportatio, quæ honoris jacturam per crimen fecisset.

Seductionis æque ac violentiæ raptus matrimonii dirimens impedimentum est; ita quidem in Gallia theologorum & Jurisiatum plerique sentiunt; ratio est, quia 1. Tridentina Synodus inter dirimentia matrimonii impedimenta raptum generatim refert, quin inter violentiæ & seductionis raptum distinguat; ut proinde non sit inter hos raptus duos ponenda distinctio, præsertim in Gallia, ubi regni universim mos & civiles leges nulla declarant ejusmodi matrimonia; qua in re videri possunt Blesensis constitutio art. 42. & alia an. 1639. 2. quia seductionis non minus quam violentiæ raptus libertati nocet, cum seductio mentem animumque vehementer, atque adeo periculosius afficiat, propterea quod subita motio ad executionem promptior quam violentia est.

Seductionis raptus hæc ponit tamquam certa; 1. puellæ asportationem, matrimonii ineundi consilio editam, & in quam ipsa consenserit, aut ejus a patria domo recessum, cum raptore conditum; 2. seductæ puellæ minoritatem; quoad majores enim seductio non præsumitur, nisi ab eorumdem minoritate illicitum inter eos commercium inceperit, ut proinde in majoritate initum matrimonium seductionis consecutio esse possit; 3. puellæ, propinquis insciis, subornationem; iis enim consentientibus, non amplius seductioni locus esset.

Seductio de jure præsumitur, cum minores sine patris & matris, tutoris aut curatoris consensu matrimonium ineunt, &, quod inde consequitur, hæc matrimonia, dum ab iis pater, mater, tutor aut curator appellationem tamquam ab abusu interjiciunt, a parlamentis nulla & irrita declarantur.

Cum raptus actionem puella major in minorem intentat, ea ipsum seduxisse, ac se rapiendam curasse præsumitur. Si tamen hæc præsumptio in conscientiæ foro falsa comperiretur, matrimonium redintegratione, vel, ut cum scholis loquamur, rehabilitatione indigeret.

Impedimenta, Matrimonium prohibentia.

Prohibentia impedimenta quæ matrimonium illicitum reddunt, quin nullum efficiant, erant olim numero duodecim, inter quæ referebatur viri, aut conjugis, itemque Sacerdotis cædes, status publicæ pœnitentiæ per omne pœnitentiæ tempus, &c. in præsentia, prohibentia omnia matrimonii impedimenta rediguntur ad quatuor, quæ hoc versiculo continentur.

Ecclesiæ vetitum, tempus, sponsalia, votum,

Per hæc verba, *Ecclesiæ vetitum*, intelligitur prohibitio, ne ad matrimonii celebrationem procedatur, futuris conjugibus ab Episcopo, magno Vicario, Officiali, aut Parocho indicta, quoad examinatum fuerit, aliquod, necne, dirimens impedimentum, aliudve obstaculum adsit, quod eorum matrimonio opponatur; intelligitur etiam per eadem verba matrimonialium trium denuntiationum omissio, itemque excommunicatio, seu major, seu minor, atque interdictum, cujus tempore vetitam esse matrimonii celebrationem putant theologi plures.

Hæc vox, *tempus*, seu *tempus feriatum*, designat tempus illud quo matrimonium iniri vetitum est; videlicet, a prima Adventus dominica die ad Epiphaniæ diem usque, & a feria quarta Cinerum ad usque dominicam *in Albis*, namque ipsam. A matrimonii celebratione, per Adventum, abstinendi obligatio, a prima vesperis, at quæ Quadragesimale tempus spectat, a media nocte incipit, hoc est, a momento ipso, quo Cinerum dies inchoatur. *Vide* NUPTIÆ.

Per *Sponsalia* intelligitur duarum personarum quæ simul matrimonium inire possunt, ejus aliquando inter se ineundi, viva voce, aut aliter, mutua promissio, Impedimentum hoc justitia nititur, quæ fidem dandi fidem servari vult, prohibetque, ne quis, sine justis causis aliam sibi in matrimonium personam jungat quam eam ipsam quæ eidem desponsa est.

Per *Votum* intelligitur perpetuæ castitatis simplex votum, ad quod religionis, ordinum susceptionis, matrimonii non ineundi vota referuntur.

§. XI.

De Dispensatione Impedimentorum Matrimonii.

A Matrimonii impedimentis dispensare, est de medio tollere impedimenta hæc, seu dirimentia, seu prohibentia sint, & perficere, ut qui ante dispensationem per eadem impedimenta devincti erant, post dispensationem non amplius ita se habeant, adeoque valide & licite matrimonium inire possint.

Expendemus in hoc paragrapho, 1. an possibile permissumque cuipiam sit a matrimonii impedimentis dirimentibus dispensare; 2. ad quem pertineat super dirimentibus matrimonii impedimentis dispensandi facultas; 3. quæ causæ possint matrimonialium impedimentorum dispensationem legitimam reddere.

Estne possibile permissumque cuipiam a Matrimonii Impedimentis dirimentibus dispensare?

Respondetur nec possibile nec permissum cuipiam in terris esse a matrimonii impedimentis dirimentibus dispensare, quæ naturalis simul & divini juris sunt, cujusmodi sunt omnes consanguinitatis gradus in linea recta, violentia, error personæ; aut divini juris tantum, cujusmodi est matrimonium quod reapse subsistit, validumque cognitum fuit. At, quod ad dirimentia impedimenta pertinet, quæ humani tantum, ecclesiastici vel civilis juris sunt, possibilis permissaque est iis omnibus dispensatio, quibus in id facultas ob characterem statumque suppetit.

Ad quem pertinet super dirimentibus Matrimonii Impedimentis dispensandi Facultas?

Quicumque dirimentia matrimonii impedimenta statuendi facultate pollet, ab omnibus quoque impedimentis quæ statuere potuit, dispensandi facultatem obtinet, quandoquidem certum est superiorem posse a suis legibus dispensare, tum quia earum dominus est, tum quia eædem ab ejus voluntate pendent, tum quia ipse poterat eas non edere, tum quia potest, quas edidit, abrogare, quemadmodum libere easdem instituit. Ut ergo innotescat, ad quem spectet super dirimentibus matrimonii impedimentis dispensandi facultas, sciendum prius est, ad quem ejusmodi impedimenta statuendi facultas spectet; hæ nempe quæstiones duæ inter se intime devinctæ sunt; hujusque solutio solutionem alterius necessario secum trahit. Jam vero super controversia, ad quem dirimentia matrimonii impedimenta statuendi facultas pertineat, tres omnino sententiæ sunt. Prima Lutheranorum est, qui hanc potestatem Ecclesiæ denegant. Altera plurium theologorum, jurisconsultorumque catholicorum est, tam e Gallis quam ex aliis, qui hanc facultatem uni & unicæ ecclesiasticæ potestati tribuunt. Tertia denique aliorum complurium theologorum & jurisconsultorum est, qui sæculares quoque potestates hac ipsa facultate gaudere contendunt.

Lutheranorum sententia Tridentina Synodus anathemate perculit per sequentes canones duos: *Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis & affinitatis gradus qui in Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare; aut constituere, ut plures impediant, & dirimant, anathema sit.* (Sess. 24. *De Sacram. Matrimonii*, can. 3.)

Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit. (Can. 4.)

Est ergo fidei caput, Ecclesiam dirimentia matrimonii impedimenta statuendi facultate pollere. Et sane perspicimus hac eam facultate, ante sæcula bene multa, usam esse, quoniam eorum impedimentorum plura quæ nunc temporis vigent, a Conciliis statuta fuere; cujusmodi sunt, inter alia, religiosæ professionis & sacrorum ordinum impedimenta. Quicunque animo reputaverit, sapienter ad hominum salutem e Christo Domino institutam rempublicam Ecclesiam esse, haud ægre concedet eam ipsam a suo divino institutore leges condendi facultatem accepisse, ut eosdem ad eum supernaturalem finem ducerat, &, quod inde consequitur,

tur, ea quoque facultate ab eodem instructam esse, ut prohibentia & dirimentia impedimenta apponeret Christianorum matrimonio, quod, cum sacramentum sit, est simul etiam spiritalis, naturalis civilisque contractus, incolis uno eodemque tempore in cælum terramque per hominum procreationem & sanctificationem deducendis addictus. Non ergo a christianorum principum gratia hanc Ecclesia facultatem tenet. At hi Principes gaudentne & ipsi dirimentia matrimonii impedimenta statuendi facultate? Nimirum super hac controversia suscipimus afferenda rationum momenta, quibus nituntur inter Catholicos ipsos oppositæ partes duæ.

Rationum momenta ab iis proposita, qui dirimentia Matrimonii Impedimenta statuendi Facultatem sæcularibus Principibus adimunt.

I. Christianorum matrimonium sacramentum est a Christo Domino institutum, ad Christianum virum, indissolubili vinculo, cum christiana femina conjungendum, atque necessariam tribuendam gratiam, ut hoc in statu, ad filiorum sanctificationem incumbentes, se ipsi sanctificent. Christianorum ergo matrimonium est spiritale vinculum, spiritalisque contractus, qui quoad clausulas & conditiones quæ eumdem validum aut invalidum reddere possunt, a spiritali tantum potestate pendere debet.

II. Cum matrimonium sacramentum sit non pro peculiari Ditione, sed pro omnibus universi terrarum orbis nationibus institutum, satis, ad ejus validitatem, est, ut juri naturali, jurique gentium, omnium nationum communi consentaneum sit, nec omnino necesse est, ut cujusque nationis, & cujusque Ditionis civilibus legibus congruat; ex quo illud consequens fit, matrimonium juri gentium, omnibus nationibus communi consonum, quamvis civilibus peculiaris alicujus ditionis legibus contrarium, non proinde verum matrimonium, verumque sacramentum quod insolubile vinculum parit, esse desinere; ut proinde peculiares Ditiones, quarum civiles leges per ejusmodi matrimonium læduntur, illud quidem civilibus effectis spoliare possint, at illud ipsum quoad vinculum abrogare, & efficere, ut ne naturali jure, jure gentium, divino ecclesiasticoque jure verum & validum matrimonium sit, omnino non possint.

III. Facta hypothesi, principibus olim dirimentia matrimonii impedimenta statuendi facultatem fuisse, pronuntiari merito potest, Ecclesiam rite recteque jampridem sibi jus hoc reservasse, eique Principes ultro cessisse, quemadmodum probat ab iisdem servatus usus, ut dirimentium matrimonii impedimentorum dispensationem, cum in ejusmodi facti specie versantur, & matrimonium inire volunt, ipsi quoque ab Ecclesia petant.

IV. Admodum sane aperta & splendida nobis occurrit hujus Principum, & in primis Gallorum Regum cessionis probatio in agendi ratione cui Ludovicus XIII. matrimonii occasione institit, quod, contra ipsius interdictionem, Gasto, Aurelianensis Dux, unicus ejus frater cum Lotharingi Ducis sorore contraxerat. Cum enim rex, an. 1635. petendam curasset Episcoporum in Cleri generali cœtu sententiam super validitate matrimoniorum Principum sanguinis, eorumque potissimum, qui coronæ præsumptivi hæredes sunt, cum non modo sine ejus consensu, qui regium diadema possidet, verum etiam contra ipsius interdictionem inita fuere, cœtus respondit: „ Nos Archiepiscopi, Episcopi, cæ„ terique Ecclesiastici omnium hujus regni provincia„ rum deputati, Gallicani Cleri corpus repræsentantes, „ postquam quæstionem diligenter expendimus, quæ „ nobis Suæ Majestatis nomine proposita fuit; visis „ decisionibus & constitutionibus ecclesiasticis super „ facultate consuetudinum locorum, quod ad matri„ moniorum validitatem attinet; hæc quidem commu„ nis eorum sententia est, qui super hoc negotio scri„ pserunt.

„ Reputatis etiam consuetudine, praxi usuque Gal„ liæ, quoad matrimonia Principum Sanguinis; & pe„ culiariter eorum qui regi propiores, & coronæ præ„ sumptivi hæredes sunt; spectatis etiam Ecclesiæ „ consensu & approbatione super his consuetudine, „ praxi usuque Galliæ; postquam audivimus, quæ re„ tulere commissarii a nobis deputati, ut peculiariter, „ quicquid utrinque super hac re dici potest, expen„ derent; & postquam ab iis intelleximus, se quidem „ cum magno doctorum theologorum, tam sæcularium „ quam regularium numero collaturos, quorum opi„ niones, suis manibus signatas ad nos attulerunt:

„ E vera conscientiæ nostræ sententia, unanimi con„ sensu dicimus, Ditionum consuetudines efficere pos„ se, ut matrimonia sint nulla, & non valide contra„ cta, cum rationi consentaneæ, veteres, & per legi„ timam præscriptionem firmatæ sunt Ecclesiæque au„ ctoritate nituntur;

Ricard Concil. Tom. IV.

„ Consuetudinem Galliæ non sinere Principes regio „ sanguine cretos, & præsertim propinquiores, & qui „ coronæ præsumptivi hæredes sunt, matrimonium ini„ re sine regis consensu, multoque minus contra ejus „ voluntatem, prohibitionemque;

„ Ejusmodi matrimonia ita peracta esse illegitima, „ invalida, & nulla per conditionis defectum, sine „ qua dicti Principes legitime & valide contrahendi „ capaces non sunt; & hanc Galliæ consuetudinem es„ se rationi consonam, veterem, firmatamque per le„ gitimam præscriptionem, & Ecclesiæ auctoritate ni„ xam."

Si Ludovicus Rex XIII. credidisset dirimentia matrimonii impedimenta statuendi sibi jus esse, super matrimonii validitate, quod ejus frater, contra ipsius interdictionem, inierat, sui regni clerum non consuluisset; illud suo ipse plena auctoritate nullum declarasset; nec magis adoptasset sui cleri sententiam, qui Galliæ consuetudinem, quoad matrimoniorum invaliditatem, quæ regii sanguinis Principes, contra regum voluntatem, inivissent, non approbavit, nisi quatenus ea consuetudo per Ecclesiam confirmata & auctoritate donata esset. Ita ratiocinantur, qui dirimentia matrimonii impedimenta statuendi facultatem sæcularibus Principibus adimunt, quique eos eidem juri cessisse contendunt.

Eorum rationes, qui dirimentia Matrimonii Impedimenta statuendi Facultatem sæcularibus Principibus tribuunt.

I. Matrimonium, quamvis illud Christus Dominus ad sacramenti dignitatem extulerit, ut ejus cum Ecclesia dilecta ipsius sponsa unionis typus & imago sit, suapte natura tamen, & primo loco naturalis civilisque contractus est. Ad politicum proinde, ut ceteri contractus omnes, ordinem spectat, & sæcularis potestatis legibus subest, quam Deus instituit, ut, quicquid ad politicum ordinem, & ad civilis societatis regimen pertinet, moderaretur: ex quo fit, ut sæculares Principes suorum subditorum matrimoniis, ut aliis contractibus omnibus quos iidem inter se transigere volunt, irritantes clausulas apponendi jus habeant; secus, matrimonium naturalis & civilis contractus esse desineret, ut, suam pristinam prorsus naturam amittens, obligatio mere spiritalis evaderet; quod falsum absurdumque est, quoniam matrimonium, pro ut sacramentum est, necessario matrimonii, pro ut civilis contractus est, existentiam, tamquam basin, fundamentum, materiam, ut certam ponit.

II. Cum civilis contractus sit basis fundamentum, materia sacramenti matrimonii, matrimonii sacramentum adesse non potest, ubi nullus civilis contractus adest, quandoquidem sine materia sacramentum non existit; nullusque omnino est civili contractui locus, cum contra legis dispositionem contrahitur, quæ ejusmodi conventiones nullas declarat, secundum hanc omnibus, nullo prorsus excepto, contractibus communem regulam: *Nullum contractum, nullum conventum, lege contrahere prohibente.* Civilis ergo contractus nullitas secum ipsius contractus nullitatem trahit ex jure naturali & jure gentium, quod omnium nationum commune est, quia naturale jus omnem civem obligat, ut se suis in contractibus ad Ditionis cujus est subditus, & sub cujus imperio vivit, civilium legum dispositionem conformet. Ex quo sequitur, contractum qui per peculiaris Ditionis civilem legem nullus est, nullum quoque esse per naturale jus quod huic civili Ditionis legi obedientiam præcipit, &, quod inde consequens fit, matrimonii sacramento materiæ loco esse non posse, quin lex quæ contractum hunc nullum declarat, directe sacramentum attingat. Ea quidem in morali genere id unum efficit, quod in physico genere is faceret, qui naturalis aquæ substantiam mutaret; aqua scilicet ita mutata non amplius idonea esset, ut baptismi materies evaderet. Eadem ratione, contractus quem civilis lex nullum reddidit, non amplius is est, qui matrimonii sacramento materiam suppeditet.

III. Penes sæcularem potestatem id semper juris fuit, ut dirimentia matrimonii impedimenta statueret. Inter consobrinos matrimonium in nullitatis pœnam ab Imperatore Theodosio vetitum fuit. Justinianus spiritalem affinitatem in dirimentium impedimentorum numero posuit; cultusque disparitatis impedimentum Imperatores Valentinianus, Valens, Theodosius & Ar-

eadius instituerunt; & quod majus est, S. Ambrosius Theodosium Magnum rogavit, ut, nullitatis indicta poena, matrimonium inter consobrinos vetaret, enuntiatisque censurarum poenis, mandabat Ecclesia, ut Imperatorum super matrimonio leges quas diximus, servarentur; tantum abest, ut eas veluti quaedam saecularis potestatis in ecclesiasticam potestatem ausa spectarat.

IV. Eorum sententiam, qui dirimentia matrimonii impedimenta statuendi jus saecularibus Principibus tribuunt, theologiae & juris catholicae scholae omnes omnibus retro actis temporibus docuerunt, ut invicte probat Launojus in Tractatu, *de Regia in Matrimonium Potestate*, & D. Boileau in Tractatu de Matrimonii Impedimentis. Sanchez ipse profitetur hoc saecularium Principum jus in haec verba: *Absque dubio dicendum est posse Principem saecularem, ex genere & natura suae potestatis, matrimonii impedimenta dirimentia fidelibus sibi subditis ex justa causa indicere .... nec obstat Principis saecularis potestati matrimonium esse sacramentum, quia ejus materia est contractus civilis; qua ratione perinde potest ex justa causa illud irritare, ac si sacramentum non esset, reddendo personas inhabiles ad contrahendum, & sic invalidum contractum*, (*De Matrimonio*, lib. 7. disput. 3. n. 2.)

V. Cum Princeps matrimonii impedimentum dirimens statuit, sacramentum non attingit; nihil agit, nisi civilem contractum nullum reddit, atque ita impedit, ne is matrimonii sacramento esse possit materiae loco; quae in re nihil efficit, quod cum Christi Domini mente pugnet, qui contractum ad sacramenti dignitatem evehens, non id sibi voluit, ut eum saecularis potestatis auctoritati subduceret, quae semper ea ipse jura super eodem contractu servat, quibus antea gaudebat. Potest ea igitur, ut prius, ad hujus contractus validitatem aut invaliditatem leges condere; ac Christus quidem Dominus non alium quam pro aliis aliarum Ditionum civilibus legibus validum legitimumque contractum ad sacramenti dignitatem extollere voluit, quippe qui unus ad ejus divinam sanctamque cum casta sponsa Ecclesia unionem exhibendam aptus esset. Heu! quomodo illegitimum matrimonium reprobatum declaratumque nullum lege Principis, qui suam a Deo ipso potestatem tenet, & cui Deus obedientiam praestari jubet, quomodo, inquam, ejusmodi matrimonium sanctam eam caelestemque unionem exhibere posset?

VI. Dirimentia matrimonii impedimenta statuendi facultas vel spiritualis, vel temporalis facultas est, si primum, ea nunquam saeculares Principes gaudere potuerunt; si secundum, eam sibi Ecclesia tribuere non potuit, nec Principes ei cedere potuerunt, cum jura quae supremae potestati quam a Deo acceperunt, addicta ejusmodi jura sint, ut alienari non possint. Sunt haec rationum momenta quibus nituntur qui dirimentia matrimonii impedimenta statuendi facultatem saecularibus Principibus tribuunt; quae quidem momenta ipsa probare videntur eosdem proinde Principes super impedimentis quorum institutores sunt, dispensandi facultate pollere. Nos hac in re ita sentimus.

Censemus 1. saeculares Principes, per absolutam qua pollent, potestatem, dirimentia matrimonii impedimenta suis in Ditionibus, ob allata rationum momenta, statuere posse.

Censemus 2. saeculares Principes saepe hac facultate primis Ecclesiae saeculis usos esse, eaque, si omnino vellent, ob justas & legitimas causas, etiamnum uti posse.

Censemus 3. Catholicos Principes ex longo jam tempore nullum hujus facultatis usum fecisse, ejusque omnem exercitationem Ecclesiae reliquisse, quandoquidem se subdiderunt, ut ipsi dirimentium matrimonii impedimentorum dispensationem, sine ulla exceptione, ab Ecclesia peterent, cum in sui, vel suorum gratiam eadem indigent, patiunturque *de sola civilium effectorum nullitate* libera eas ex ipsorum legibus explicari, quae *nulla & non valide contracta* declarare videntur matrimonia quaedam, cujusmodi sunt, causa exempli, minorum matrimonia quae sine parentum, tutorum aut curatorum consensu contracta sunt. Id etiam hujus assertionis veritatem confirmat, quod catholici Principes per suos oratores Tridentinum Concilium primi sollicitarunt, ut clandestinitatem & raptum inter dirimentia impedimenta referret; quae sane prorsus indubitata probatio est, eos religiosos Principes pietate, & in matrimonii sacramentum observantia permotos jampridem matrimonialium impedimentorum dispositionem Ecclesiae reliquisse, ac si qua ipsi statuerunt, id non nisi cum ejus consensu & approbatione fecisse.

Potuerunt ergo Principes a juris exercitatione, quo pollent, ut dirimentia matrimonii impedimenta statuant, in Ecclesiae gratiam desistere; at Theologorum sententia, qui hanc reapse intermissionem cessionemve iisdem tribuunt, non ita absurda est, ut persuadere vellet doctus auctor Tractatus de contractu Matrimonii, typis editi Parisiis, apud seniorem Debure, an. 1768. Tom. I, pag. 27. & 28. Ac re sane ipsa, quaenam absurditas dicere Catholicos Principes prudentiae sapientiaeque Ecclesiae, suae matris, & sponsae Christi Domini qui ei nullo non momento temporis praesto est, reliquisse statuendi curam super contractus impedimentis, quem Christus ipse ad sacramenti dignitatem extollere dignatus est, eum dirigens ad supernaturalem prorsusque divinum finem, conjugum filiorumque aeternam salutem scilicet? Quid? majorum filiorum dulcis erga sanctam matrem amor, in ejus illustratione eorum fidentia, ad ejusdem regimen ipsorum obsequens conformatio, pro sacramentis observantia; haec acta tam publica, tamque authentica; haec acta nostris in fastis omnibus consignata, & per quotidianam experientiam confirmata; haec acta tam pietati jucunda, nostrorumque Principum religioni tam honorifica, iis citra omnium absurditatum maximam tribui non poterunt? (*Nihil absurdius*, inquit auctor, quem ex animo aestimamus, & sine acerbitate refellimus.)

Dabit initio statim nobis hanc veniam auctor, ut in ejus gratiam animadvertamus intimum esse discrimen inter haec duo, juris fundum substantiamque, & ejusdem simplicem usum cedere. Cedere juris fundum & substantiam, est juris radicem ipsam sibi amputare, est juris & radicalem potestatem & usum sibi prorsus adimere; jus vero quoad purum putumque exercitationem cedere, est ejus usum sibi interdicere, sine radicalis internaeque potestatis excidio, qua usus nititur, cujusque vi hic ipse reviviscere potest. His ita se habentibus, ut concederetur Principes non potuisse dirimentia matrimonii impedimenta statuendi radicale internumque jus abdicare, non inde tamen sequeretur eos ejusdem juris usu & exercitatione se spoliare non potuisse, ita quidem, ut sibi semper ejus substantiam, fundum, radicem, seu radicalem potestatem servarent; ac simplex hujus juris usus exercitationisque abdicatio, factis probata, ut reapse probatur, ad assertationem quae ejus existentiam testatur, firmandam sufficeret. At satisne veritati congruit, jus hoc etiam quoad fundum & substantiam spectatum alienari non posse, supremaeque potestati per insolubile vinculum addictum esse? Estne igitur inter supremam potestatem, & dirimentia matrimonii impedimenta statuendi jus tam intima, tamque necessaria conjunctio, ut unum sine alio nec concipi, nec existere possit? Rex non amplius erit supremus Princeps, aut is erit ex dimidia solum parte, propterea quod hoc se jure spoliavit, ut illud ad Ecclesiam transferret; an potius, ejus impotentes sacrilegique conatus id ei solum afferent ignominiae, qui inutiliter operam dederit, ut sacrum vinculum infringeret, quod supremae potestati quam e Deo accepit, dirimentia matrimonii impedimenta statuendi firmum prorsus & inalienabile jus addicit? Vah! Qui tandem probetur jus hoc esse attributum quoddam Dei ipsius manu supremae potestati addictum, quodque ab ea cujuspiam mortalium manu, quicunque fuerit, abstrahi non potest?

Hactenus dicta faciunt, ut nullus sit quoad potestates dubitandi locus, quae super matrimonii impedimentis dispensandi jure pollent. Saeculares Principes, cum dirimentia, multoque magis prohibentia matrimonii impedimenta statuendi absoluto jure gaudeant, id quoque juris obtinent, ut, si qua statuissent, sua quoad caput hoc absoluta potestate utentes, ab iisdem dispensent; at quia ex longissimo temporis spatio ab hujus juris usu abstinuerunt, illudque Ecclesiae reliquerunt, consequens fit, in praesentia unam & unicam Ecclesiam, Papam scilicet & Episcopos a matrimonii tam dirimentibus quam prohibentibus impedimentis dispensandi jura pollere.

Potest etiam Papa, si generatim loquimur, ab omnibus impedimentis quae solum ecclesiastici juris sunt, dispensare; Tridentinum enim Concilium (sess. XXIV. cap. 5. *de Reform. Matrim.*) vetat, ne qua dispensatio iis concedatur, qui secundo consanguinitatis gradu conjuncti sunt, praeter quam magnis principibus, cum de publico bono agitur: *In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos principes, & ob publicam causam*. Servatur in Gallia decretum hoc, ut apparet ex celebri aresto, quod Parisiense parlamentum super D. Advocati generalis Bignonii conclusionibus, die 11. Decembris an. 1664. edidit.

Dispensare potest Episcopus quilibet ab omnibus impedimentis, a quibus dispensandi possessio penes ejus sedem est; innotescit autem ex officialitatum registris possessionem

possessio hæc. Cum Episcopus merito dubitat, an quibusdam in casibus dispensandi facultata polleat, ut si de sacramento, ac de familiarum statu ageretur, qui per sæcularia tribunalia turbari posset, tutius consilium inire debat, et scilicet a summo Pontifice indultum, suarumve facultatum confirmationem obtineat.

Qui fere in Ecclesia viget usus, a dirimentibus impedimentis, cum hæc publica sunt, cumque matrimonium contractum non est, dispensandi jus uni Papæ tribueru videtur. Hoc fundamento nixa Tolosana synodus, an. 1590. (Parte II. capite 8.) parochus vetat inter eos qui in prohibitis gradibus versantur, matrimonium sine summi Pontificis dispensatione celebrare: *Quos cognationis gradus impedit, licet jam legibus solutos & dispensatos, nisi visa prius summi Pontificis dispensatione, in matrimonii conjunctionem parochi non recipiant.* Nihilominus, in matrimonialis, ut in cujusvis alterius dispensationis negotio, ea generatim regula obtinet, cujusque diœceseos consuetudini standum esse, quia consuetudo hæc vere legis & canonis locum tenet, ex doctrina capitis, *Cum consuetudinis*, & capitis, *Cum tanto, de consuetudine*. Oritur hinc discriminis multum, & consensionis parum super hac re passim in Galliarum diœcesibus. In harum aliquibus Episcopi super nullo unquam publico impedimento dispensant, ec ne super occultis quidem, nisi cum matrimonium celebratum fuit, & partes sine scandalo separari non possunt, aut iisdem haud facilis ad sanctam Sedem recursus est; quoad matrimonia vero nondum contracta, dispensare tum solum possunt, cum sponsalia bona fide peracta fuere, & postquam occultum impedimentum innotuit, super quo Papæ dispensatio, quin partes alicui scandalo exponantur, obtineri non potest. Sunt ibidem, a converso, diœceses aliæ, in quibus Episcopi ab impedimentis seu publicis, seu occultis, seu in contracto, seu in contrahendo matrimonio, &c. libere dispensant. At quivis Episcopus, peculiarium quarumdam circumstantiarum ratione habita, a matrimonii tam contracti, quam contrahendi impedimentis dispensare potest, quamvis non id possit seu ordinariæ potestatis, seu in diœcesi vigentis consuetudinis vi.

Circumstantiæ quæ Episcopo favent ad dirimentia jam initi matrimonii impedimenta tollenda, sunt: cum impedimentum occultum, & matrimonium publicum est; cum bona fide contractum fuit; cum idem consummatum est; cum conjuges sine scandalo sejungi nequeunt; cum iidem ad urbem Romam nec pergere, nec confugere possunt, ob gravem urgentemque necessitatem, in qua versantur.

Circumstantiæ, in quibus a dirimentibus impedimentis, antequam matrimonium initum fuerit, dispensare potest Episcopus, sunt: 1. cum, rebus omnibus ad matrimonium paratis, statuta die, accitis cognatis, persona quæ confessionem edit, forte detegit, dirimens impedimentum ipsam inter & futuram sponsam existere; 2. cum adest dubitandi locus, peculiare, necne, aliquod impedimentum futuri sponsi contraxerint; 3. cum id unum agitur, ut remedium dispensationi afferatur, quæ a Romana quidem curia jam impetrata, at, quia in expositione defectus extitit, nulla est; quod tamen locum non habet, nisi cum fuit in partibus quæ Romam confugerant, bona fides, cumque in hac facti specie dispensandi mos in diœcesibus viget; secus, ad Romanam sedem iterum confugiendum.

Cum contrahentes e diœcesibus duabus sunt, suum uterque Episcopus diœcesanum dispensare debet, alterutrius Episcopi dispensatio non sufficeret, quia dispensatio est jurisdictionis actus, & unius Diœcesis Episcopus nulla in alterius Diœcesis personas jurisdictione pollet; ex quo fit, ut, cum unius partis Episcopus concedendæ dispensationis facultate caret, Romam confugi necesse sit.

Cum ob commune impedimentum petitur dispensatio, hanc utraque pars, aut partium una, tum pro se ipsa, tum pro alia petat, oportet; hoc autem posterius consilium initur, cum contrahentium uni tantum innotescit impedimentum, nec alter ejus notitia opus habet.

Quod ad prohibentium matrimonii impedimentorum dispensationem attinet, *vide* BANNA MATRIMONII, & SPONSALIA. Id unum hoc loco animadvertemus, Episcopos eo jure gaudere, ut prohibitis temporibus, cujusmodi sunt Adventus & Quadragesima, conjugia celebrari sinant, tametsi per ea tempora nubendi prohibitio a generalibus Conciliis, summisque Pontificibus edita fuerit. Ratio est, quia Episcopi, cum primi suarum diœceseon ordinarii pastores sint, suos diœcesanos justis de causis ab ecclesiasticis legibus, per generalia licet Concilia, perque summos Pontifices qui Episcopis superiores sunt, editis, suapte ipsorum auctoritate, dispensare possunt, cum earumdem legum dispensatio non iis expresse interdicta, nec sanctæ Sedi reservata est. Glossa super capite, *Nuper*, id rotundis his verbis enuntiat: *Episcopi possunt dispensare, ubi specialiter dispensatio non est inhibita*. Sequitur hinc, etsi communis is usus obtineat, ut super simplici perpetuæ castitatis, itemque suscipiendæ religionis voto dispensatio a Papa petatur, Episcopos tamen hanc dispensationem concedere posse, cum ejusmodi mos in eorum diœcesibus viget, quia, cum hujus dispensationis in sanctæ Sedis favorem reservatio non canonibus, sed consuetudine tantum nitatur, consuetudo quæ hanc dispensationem in sanctæ Sedis favorem præscribere potuit, præscribere quoque potuit ejusdem dispensationis jus in Episcoporum favorem, quibus satis consilii fuit, ut illud sartum tectumque servarent. In comperto est, Episcopos olim has, aliorumque complurium ecclesiasticæ disciplinæ capitum dispensationes concedere consuevisse, harumque multiplicium dispensationum in sanctæ Sedis gratiam reservationes editas fuisse vel in Conciliis, vel per Episcoporum voluntariam cessionem, vel per Decretalium receptionem, in quibus sibi jus hoc summi Pontifices reservabant, vel denique præscriptionis vi, quam sancta Sedes acquisivit, quæque Episcoporum, qui dispensationes obtinendi causa sæpe ad eam confugiebant, agendi rationis consecutio est.

Huic articulo finem imponet Historiæ monumentum quod ei nequaquam extraneum est, Imperator Ludovicus V. qui Ludovici IV. nomen in diplomatibus sibi tribuebat, Ludovicum, Arnoldi filium, ut videtur, haud in Imperatorum numerum referens, quique an. 1314. ad imperium evectus fuit, super matrimonii dirimentibus impedimentis dispensationes concedendi jure utebatur. Unam, inter alias, Brandeburgensi Marchioni concessit, et cum Margarita, Carinthiæ Ducissa, & Tiroli comitissa, sibi in prohibito gradu propinqua, matrimonium iniret. Factum hoc, & hanc dispensationem *Eusebius Amort*, doctus inter Germanos theologus, refert pag. 418. & seq. Operis quod inscripsit: *Elementorum Juris canonici veteris & moderni Tomus III. ubi continentur vindiciæ jurisdictionis ecclesiasticæ intra moderatos limites*, &c. Ferrariæ, 1763. Idem auctor qui id facti refert, animadvertit contrahentes partes tuta se conscientia esse non credidisse, nisi postquam ab Episcopo Frisingensi dispensationem alteram obtinuissent; & ad id directe respondet, inquiens, Principes qui matrimonii impedimenta statuerant, ab iis ipsos dispensasse, antequam Ecclesia super hac re aliter per communes leges sanxisset, & antequam Romanorum Pontificum responsa & decretales epistolæ per solemnia Principum concordata in JUS PUBLICUM, ECCLESIASTICO-POLITICUM ACCESSENT; at, ab eo tempore, super hoc negotio contrarium omnino judicium ferendum esse. Ex quo concludit Imperatorem Ludovicum V. si hac tempestate vixisset, præsenti & ipsum usui instituturum fuisse.

Legitimæ Matrimonialium dispensationum causæ.

Maxime communes, maximeque legitimæ matrimonialium dispensationum causæ quatuordecim numero sunt.

Prima est *angustia loci*. Cum puella ex honesta familia tam constricto compressoque in loco nata est & degit, ut non nisi e consanguineis unum invenire possit, qui ei conveniat, ei datur venia, ut huic nubat, dummodo consanguinitatis inter eos gradus tertio propior non intercedat, nec foci tercentis plures ubi ea degit, existant.

Secunda causa est *angustia locorum*. Hæc locum habet, cum puellæ nec in nativitatis, nec in præsentis domicilii loco quempiam cui nubat, nancisci potest; jam vero ut puella neminem cui nuberet, nancisci potuisse censeatur, satis est, qui eam sibi conjugem peteret, fuisse neminem.

Tertia causa est dotis defectus, tenuitas, *incompetentia dotis*, quæ puellæ non sufficit, ut in domicilii loco virum suæ conditioni respondentem inveniat, quamvis ea satis eidem sit, ut finitimis in locis alium inveniat. Romanæ curiæ mos ejusmodi est.

Quarta causa est *bonum pacis*, quod scilicet litium extinctionem, inimicitiæ cessationem, scandali finem, concordiæ confirmationem continet.

Quinta causa est completorum viginti quatuor annorum ætas in puella quam exterorum nullus adhuc in matrimonium expetiit, *ætas puellæ annum vigesimum quar-*

quarum excedentis. Causa hæc extra tertium & quartum gradum pro puella sola non sufficit, nec unquam pro viduis locum habet.

Sexta est mortis discrimen, seu *periculum* vitæ; ut si qua femella se hominem morte dignum haud persecuturam confirmat, siquidem is suarum consanguinearum unam sibi conjugem sumat.

Septima est erroris & depravationis timor, *periculum seductionis*; ut cum aliqua in urbe tam multi hæretici sunt, ut puellam aut semper innuptam vivere, aut eorum alicui nubere necesse sit, nisi suorum consanguineorum cuipiam nubat.

Octava est *conservatio bonorum in eadem illustri familia*, ut ea scilicet suum veterem splendorem, suamque dignitatem per consanguineæ puellæ matrimonium servet.

Nona est servitium quod Ecclesiæ aliqua domus præstitit, aut præstare potest, *excellentia me iterum*.

Decima est viduæ status quæ opus habet consanguineo diviti nubere, qui ejus ex priore matrimonio filiorum educationis curam sumet: *vidua filiis gravata*.

Undecima est ea quæ dicitur *ex certis rationabilibus causis*, quamque nonnulli inepte ac perperam nuncupant *sine causa*. Id accidit, cum cuipiam, cui aliqua quidam, et minus gravia, quem oporteret, rationum momenta suppetunt, ut sibi consanguineam conjugem ducat, dispensatio conceditur, imposita eidem taxa quæ vel ad dotem pauperibus puellis suppeditandam, vel ad missionarios in Infidelium regionibus sustentandos confertur.

Duodecima causa, & trium prima quæ *infamantes* vocantur, est pravum duarum personarum commercium, quæ, ob aliquod impedimentum, inter se matrimonium inire non possunt: *Copula cum consanguinea, vel affine, vel alia impedimentum habente perpetrata*.

Decima tertia causa est, cum futuri conjuges, quin ad extremum quidem usque crimen devenirent, in familiaritate vixerunt, quæ eos dedecoret; ut proinde, si minus inter se matrimonium ineant, neminem puella, qui eidem congruat, invenire possit: *Nimia partium familiaritas, seu infamia sine copula*.

Decima quarta, eademque postrema causa spectat matrimonia quæ cum dirimente aliquo impedimento contracta sunt, quæque dissolvi non possunt, quin filiis qui ex iisdem nati sunt, injuria afferatur, & quin publicum scandalum excitetur.

MEDICUS is est qui ægrotos sanandi artem profitetur. Medici professio semper apud recte institutos populos in honore fuit. Medicum Sapiens ob necessitatem, & quia Deus medicinæ, perinde ac vi pollentium medicamentorum auctor est, honorari vult. At quo hæc ars honore dignior, quoque majoris ad humanitatis bonum momenti est, eo diligentius studiosiusque qui eam exercent, operam dare debent, ut animi dotes quas ea postulat, sibi comparent, & officia perficient, quæ eidem addicta sunt. Instructus sit, oportet, medicæ scientia, ut morbos & congrua remedia cognoscat; prudentia, ut apte hæc ipsa remedia applicet; attentione & vigilantia, ut, quos curat, ægrotantes, eorumdemque majorum progressus insequatur; charitate, ut pauperes ipsos visitet, a quibus ei nulla lucri spes; religione & pietate, tum ne vetita remedia, cujusmodi sunt, quæ ad abortum faciunt, adhibeat; tum ne, sine gravi causa, diebus abstinentiæ aut jejunio addictis, carnis usum aut jejunii dispensationem concedat; tum ut ægrotantes qui periculo subsunt, moneat, ut ad Ecclesiæ sacramenta confugiant. Peccant ergo medici, & restitutionis obligationi obnoxii sunt, cum suis infirmis nocent, seu per ignorantiam, seu per negligentiam, seu iis incerta remedia, pro tutioribus, adhibentes; seu eorum sanationem de industria protrahentes, seu immodicam mercedem ab iis exigentes, &c. Peccant etiam contra charitatem, cum pauperum curam sumere renuunt, aut morbos evulgent, qui infirmis quos curant, dedecus afferre possunt, &c.

Cum infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proveniat, dicente Domino languido quem sanaverat: vade, & amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat; decreto præsenti statuimus, & districte præcipimus medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant & inducant, quod medicos advocent animarum; ut, postquam infirmis fuerit de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur, cum, *causa cessante, cesset effectus*. (Concilium gener. Lateranense IV, an. 1215. can. 22.)

Si quis autem medicorum hujus nostræ constitutionis, postquam per prælatos locorum fuerit publicata, transgressor exstiterit; tamdiu ab ingressu Ecclesiæ arceatur, donec pro transgressione hujusmodi satisfecerit competenter.

Cæterum cum anima sit multo pretiosior corpore, sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis medicorum pro corporali salute aliquid ægroto suadeat, quod in periculum animæ convertatur.

Medicinalis artis magistri, licet juxta canonum statuta non debeant infirmis corporalem medicinam exhibere, nisi prius exhortatione facta per eos, quod sua peccata confiteantur; nihilominus iidem magistri tam sanctum & salutare statutum servare contemnunt in magnum præjudicium animarum; cum frequenter eveniat, quod, infirmitatibus crescentibus, & quam repente [illegible] ut, plures sine confessione moriantur; nos ideo [illegible] Episcopis injungimus, quatenus Decretalem circa [illegible] tuam, quæ incipit: Cum Infirmitas, *faciant inviolabiliter custodiri*. (Concilium Parisiense, an. 1429. canon. 29.)

Ita corporis valetudo curanda est, ut animæ salus non negligatur; quapropter medicis tum physicis, quam chirurgicis præcipimus, ut, cum primum ad ægrotos vocati fuerint, eis necessariam peccatorum confessionem faciendam esse persuadeant. Quoniam vero res ista magni est momenti; idcirco quæcunque constitutio Pii V. felicis recordationis circa medicorum munus decrevit & sancivit, hic commemoranda esse censuimus, ne cuiquam ignorantia suffragetur. (Concilium Avenionense, an. 1594. tit. *de Medicis*.)

Medici itaque tertio die ulterius ægrotos non visitent, nisi longius tempus ipsis confessor ob aliquam causam rationabilem, super quo ejus conscientia oneratur, concesserit; & illis per fidem confessoris in scriptis factam constiterit, quod infirmi, ut præmittitur, peccata sua confessi sunt.

Quod si qui medicorum præmissa non observaverint, ultra pœnas in constitutione Innocentii III. contentas quas incurrunt, perpetuo infames erunt, & gradu medicinæ quo insigniuntur, omnino priventur; ac pœna etiam pecuniaria, arbitrio ordinariorum, ubi deliquerint, mulctentur.

Ne quis medicorum pro corporali salute aliquid suadeat, vel permittat, quod in animæ periculum vergat.

Articulus 12. edicti Regis Ludovici XIV. mensis Aprilis an. 1695. medicis, horumque defectu, pharmacopolis & chirurgis qui ad infirmos visitandos acciti fuerint, injungit, ut de re moneant locorum parochos, in quibus infirmi degunt, statim ac morbum periculosum esse posse judicaverint.

Per Declarationem diei 8. Martii an. 1712. idem Princeps medicis mandat, ut moneant, aut per ægrotantium familiam monendos curent eos omnes quorum morbus, suapte natura, ad mortem vergere potest, ut confessionem edant; atque id altera die qua se ad ejusmodi ægrotos contulerint.

Regia declaratio, diei 14. Maji an. 1724. constitutiones quoad medicos, an. 1736. datæ, & aliæ quoad chirurgos enuntiant oportere, ut, cum ad infirmos visitandos vocati fuerint, parochos moneant, statim ac morbum periculosum esse posse judicaverint. Idem pharmacopolis, in eadem facti specie, mandatur.

MENSA. Super clericorum, & peculiariter Episcoporum mensa in Conciliis canones numero plures occurrunt. Iis nempe præcipitur, ut ab ea scurrilitates, argutias, instrumenta, musicen, concentus, copiam, redundantiam, mollitiem, quicquid denique modum excedit, arceant; commendaturque, ut in ea religiosæ temperantiæ & sobrietatis regulas servent, pauperes ad eam recipiant, ejus tempore sacram Scripturam legendam curent, &c. *Quære* CLERICUS, EPISCOPUS.

MENSÆ CONVENTUALES, quoad earum ad decimas impositionem. Servantur peculiares formæ duæ in abbatiarum impositione, ubi bona quæ conficiunt earumdem reditus, trifariam partiendi usus inductus fuit; in aliis Abbatis & conventualis mensæ taxa distinguitur. Cum abbatiæ tantum taxa adest, hæc omnino ab Abbate solvitur. Præsumitur conventualem mensam conventione non contineri. (Monum. Cleri, Tom. VIII. p. 1238.)

In abbatiis, ubi sua Abbati, sua item religiosis mensa sejunctim est, ad religiosos spectat suæ impositionis taxam solvendi obligatio, quin eam ex Abbate qui onerum portionem, seu tertia portione fruitur, repetere possint. (*Ibid.* Tom. VIII. p. 1225. & seq.)

MERCIMONIUM, MERX, MERCATUS, FORUM EMPTORIUM, NUNDINÆ. *Quære* CLERICI, FESTA, COMMERCIUM.

MERI-

MERITUM, *Quære* GRATIA, JUSTIFICATIO.

METROPOLITANUS. *Quære* ARCHIEPISCOPUS.

MIMUS. *Vide* SCURRÆ.

MIRACULUM. Venit miraculi nomine res seu effectus sensibus obvius qui creatarum omnium, seu visibilium, seu invisibilium rerum vires supergreditur, quique solum a Deo, secundum leges iis superiores, quæ mundi mechanicen moderantur, agente derivari potest. Occurrunt in Conciliis super miraculis statuta plura.

Item inhibemus omnibus presbyteris, & aliis personis ecclesiasticis, ne miracula quæ de novo dicunt evenire, in suis locis, vel ecclesiis solemnizent in publico, ordinario suo super hoc inconsulto. (Concilium Novioduense, an. 1344. can. 12.)

Ex multorum fida relatione didicimus, simplicem populum aliquando levi assertione miraculorum ad unum & alterum locum populariter concurrisse, candelas & alia vota obtulisse. Ut igitur credulæ simplicitati nobis commissæ plebis consulamus, & novis impudentibusque hominum mente corruptorum ad quæstum occasionibus obviemus; sacro approbante provinciali Concilio, districte prohibemus, ne quis posthac miraculum de novo factum prætendat; neve intra, aut extra Ecclesiam, circulum, capellam, aut altare, prætextu novi miraculi, erigat, aut populi concursum, in miraculi gratiam & venerationem, recipiat; nisi prius loci Episcopus de negotio quid sentiendum, tenendumque sit, causa cognita, decreverit. (Concilium Senonense, seu Parisiense, an. 1528. Decret. *Morum*, 40.)

Statuit sancta Synodus, nemini licere ullo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit; nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente & approbante Episcopo. (Concilium Tridentinum, Sess. 25. in Decret. *de Invocatione Sanctorum*.)

Si rumor incertus de miraculo vel ad reliquias, vel ad imagines Sanctorum edito in vulgus prodiret, diligenter rem totam explorabit Episcopus, ne falsa pro veris irrepant. (Concilium Avenionense, an. 1594. tit. 24.)

Perspicitur ex his canonibus nova miracula cognoscendi, probandi, firmandi & enuntiendi jus ad Episcopum præ quovis alio pertinere, aliumque, præter eum, neminem, seu exemptus, seu non exemptus sit, illud sibi tribuere posse. Qua in re sedulo animadvertendum, Episcopis a Conciliis tributum nova miracula approbandi jus quoad Sanctos tantum, canonizationis aut beatificationis titulo insignitos locum habere, non autem quoad viros virtute quidem eminentes, at nondum in canonem relatos, aut in beatorum numero positos, quia si Episcopis id juris esset, ut miracula quæ ejusmodi virorum intercessioni tribuuntur, approbarent, populisque proponerent, iidem eo quoque jure gauderent, ut populos ipsos ad religiosum cultum iis exhibendum adducerent, quæ sanctitatis per miracula comprobatæ consecutio est; quod ad apostolicam tantummodo sedem pertinet.

MISSA. Hujus vocabuli, *Missa*, etymologias alias tradunt auctores alii. Putant alii hanc mere hebraicam vocem esse, quæ *Oblationem* & *Sacrificium* significet. Censent alii vocem hanc e *Missione* derivari, quia, inquiunt, Sacerdos, quoad fideles, apud Deum cui sacrificium pro iis offert, eorumdem legati seu oratoris locum tenet. Quæ fere obtinet sententia Missæ nomen deducit a verbo *mittere*, quod significat *dimittere*, a quo *Missa*, ut dicatur dimissio, seu abeundi venia, facultas, mandatum, unde nobis extitit locutio hæc; *Ite, Missa est*. „ Abite, vobis datur recedendi facul„ tas; Missa, seu liturgia ad exitum perducta est. “

Ut ut res habeat, nos sane per Missæ vocabulum intelligimus incruentum Corporis & Sanguinis Christi Domini sacrificium, ab hoc ipso divino Servatore institutum, ut suam cruentam immolationem repræsentaret, ejus memoriam ad sæculorum finem usque perduceret, ejusdemque salutarem nobis vim applicaret. Missæ nomen, hac notione sumptum usui erat quarto sæculo, quemadmodum e S. Ambrosii ad sororem Marcellinam Epistola, e S. Isidoro, a S. Leone, in Epistola ad Dioscorum, a S. Cæsario Arelatensi, &c. compertum fit.

Missæ sacrificii proprie dictus minister non alius quam legitime ordinatus Sacerdos est. Omnis Sacerdos, bonus, malusve, excommunicatus licet, suspensus, interdictus, irregularis aut degradatus esset, Missæ sacrificium valide celebrare potest, quia non ei censuræ ordinis potestatem adimunt, per quam huic augusto sacrificio valide celebrando idoneus redditur; at illud Sacerdos valide simul & licite celebrare non potest, quin in gratiæ statu sit, omnesque cæremonias ad Missæ celebrationem ab Ecclesia institutas accurate servet. Edidere Concilia super hoc gravi capite canones, seu sanctiones plures, a quibus animadversione digniores subdimus.

Ut sacramenta altaris non nisi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario (quo cœna Domini celebratur). Nam si aliquorum, pomeridiano tempore defunctorum, sive Episcoporum, sive clericorum, sive cæterorum, commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi qui faciunt, jam pransi inveniantur. (Concilium Carthaginense, an. 397. can. 29.)

Jejunium Sacerdoti qui Missam celebrat, per hunc canonem, ut per cætera præscriptum, quæ eumdem secuta sunt, naturale jejunium est, in eo positum, ut nihil seu nutritionis, seu potionis, seu medicaminis in modum a mediæ noctis hora sumptum fuerit. Non frangitur jejunium hoc seu per id quod salivæ aut simplicis respirationis ratione in stomachum migrat, seu per ea quæ nec digerere ipsa, nec ullo pacto alere possunt. Itaque sacrum fieri, & communio sumi potest, postquam per oscitantiam sanguis qui e gengivis, aut cerebro diffluit, vini vel aquæ reliquiæ, quibus detersum os, carnis particulæ quæ intra dentes remanserunt, quæque cum saliva, quin ad id animus referatur, deglutiuntur, absorptæ sunt. Idem dicendum, si in eo consistatur, ut vinum, aut jus delibetur, fructus aut aliud ejusmodi mordeatur, quin aliquid, nisi forte in salivæ modum demittatur; at, si vel minima res, una licet, duæve guttulæ sorbeantur, hæ ipsæ jejunium frangerent. Potest etiam celebrare, & communionem sumere, qui respirationis in modum excepit deglutitque pulverem, pluviam, culices, tabaci aut carnis fumum, nisi hunc forte ad voluptatem, & per alicujus instrumenti adjumentum susceperit. Aurum, plumbum, ossicula quibus extrema durities, naturale jejunium non frangunt, nec item tritus nicotianus pulvis, aquæ & aromata cætera quæ per nares sumuntur, nisi hæc ipsa naribus sumpta voluntarie in stomachum demittantur. Quoad tabacum quod manditur, theologorum nonnulli naturale jejunium per illud frangi contendunt, quia vix ac ne vix quidem, inquiunt, fieri potest, ut ne plures a partibus quibus plus succi est, in stomachum transeant; negant alii, propterea quod tabaci foliorum succus ob acrimoniam non sorbetur, ac, siquidem sorberetur, id non nisi per oscitantiam, & in salivæ modum fieret. Non una tamen est facti species, in qua non jejunus celebrare, aut communionem sumere potest.

Prima est, cum Eucharistiæ sacramenti profanatio impediri non potest, quin quispiam, licet jejunus non sit, sanctam hostiam absumat; ut si eam hæreticus, impius, licentior quispiam profanare vellet; tum quidem quilibet unus, etsi comederit, sanctam hostiam in manus sumere & absumere potest, quia jejunii lex quæ erga altaris sacramentum observantiæ causa instituta fuit, non amplius subsistit, cum effectum omnino contrarium ederet.

Altera est, cum Sacerdos sacrificium quod inchoavit, jejunus absolvere nequit, ut si pro vino aquam in calice positam esse tum solum perspiceret, cum eam ad communionem delibasset, aut si post unius speciei consecrationem, meminisset se jejunum non esse. Si id ei ante consecrationem in mentem veniret, Missam prosequi & absolvere non deberet, nisi grave scandalum timendum esset.

Tertia est, cum Sacerdos, ablutione sumpta, aliquas, seu magnas seu parvas unius pluriumve hostiarum quas consecravit, particulas perspicit; has enim sumere debet, quamvis non amplius jejunus sit, quippe quæ ad idem sacrificium pertinent; atque adeo eas ipsas quæ ex alterius Sacerdotis Missa, qui eum præcessisset, remansissent, absumat, oportet, dum ad altare est, quia non nisi postquam inde recessit, ejus functio absoluta censetur; at cum semel ab altari discessit, non amplius, si quas perspiceret, fragmenta sumere, quamvis adhuc sacerdotalibus ornamentis indutus, potest, quia tunc ea nova communio esset, quæ eidem vetita est. Excipitur facti species, in qua ea pretiosa fragmenta cum dignitate servari non possent; tum enim deberet ea vel ipse sumere, vel aliis qui jejuni essent, & communioni apti, sumenda præbere.

Quarta est, cum Sacerdos, postquam consecravit, moritur, aut in deliquium incidit. Si nullus jejunus Sacerdos occurrit, Sacerdos non jejunus sacrificium absol-

absolvere debet, quia divinum jus quod mandat, ut inchoatum sacrificium ad finem perducant, præferri debet Ecclesiæ legi quæ non jejunum celebrare vetat.

Quinta est ægrotantis species, qui sine viatico moreretur, nisi Sacerdos qui jejunus non est, & cui nulla consecrata hostia suppetit, Missam diceret, ut hostiam consecraret, e qua posset huic homini morti proximo sacramentum administrare. Ita sentiunt probati lectique theologi plures, aliis itidem pluribus contra stantibus ob eam causam, quia divinum præceptum quod sanctum viaticum a moribundo susceptum, eique a Sacerdotibus allatum vult, nec eum, nec hos obligat in proposita facti specie, cum illud ea tantum ratione quam Ecclesia statuit, executioni mandari possit. Si hæc ratio pervinceret, sequeretur nec hominem morti proximum qui jejunus non esset, sanctum viaticum suscipere, nec item Sacerdotem haud jejunum, sacrificium absolvere posse, quod alter inchoasset, quandoquidem id esset violare generalem Ecclesiæ legem quæ non jejunum celebrare, aut communionem sumere vetat.

Sexta est facti species, in qua quispiam a sancta Sede legitimam dispensationem obtinuisset, ut, post ubi aliquid sumptum, celebraret, aut eucharistiam susciperet. Ex usu est in urbe Roma, ut Cardinalium unus, in Papæ capella, ante mediam noctem, trium Missarum primam absolvat, quæ Dominici natalis vigilia dicuntur; idem Venetiis in S. Marci Ecclesia servatur.

Non licet presbytero, aut diacono, aut subdiacono, post acceptum cibum, vel poculum, Missas tractare, aut in Ecclesia, dum Missæ dicuntur, stare. (Concilium Antissiodurense, an. 578. can. 19.)

Perspicitur ex hoc canone olim sacerdotes, diaconos, & subdiaconos jussos fuisse jejunos esse, ob eam solum causam, ut Missæ deservirent, aut eamdem audissent.

Consensus convenire, ut, cum a Sacerdotibus, Missarum tempore, sacra mysteria consecrantur, si ægritudinis accedat cujuslibet eventus, quo cœptum nequeant consecrationis expleri mysterium, sit liberum Episcopo, vel presbytero alteri consecrationem exsequi officii cœpti .... ne tamen, quod natura languoris causa consulitur, in præsumptionis perniciem convertatur, nullus post cibum potumve quamlibet minimum sumptum Missas facere .... præsumat. Si quis hæc temere præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit. (Concilium Toletanum, an. 646. cap. 2.)

Quicumque Sacerdotum deinceps divino altario sacrificium oblaturus accesserit, & se a communione suspenderit, ab ipsa qua se indecenter privabit, gratia communionis anno uno repulsum se noverit .... ergo hoc modis omnibus est tenendum, ut quotiescumque sacrificans, Corpus & Sanguinem Jesu Christi Domini nostri in altario immolat, toties perceptionis Corporis & Sanguinis Christi se participem præbeat. (Concilium Toletanum, an. 681. cap. 5.)

Canon hic presbyteros quosdam impetit, qui plures eadem die Missas dicebant, & ad ultimam tantum communicabant.

Ut nullus Episcopus, presbyter, aut diaconus ad celebrandum Missarum solemnia præsumat cum baculo introire, aut velato capite altario Dei assistere: quoniam & apostolus prohibet viro, velato capite orare in Ecclesia; & si temere præsumpserit, communione privetur. (Concilium Romanum, an. 743. can. 13.)

Ut Episcopus, aut presbyter, dum ingressus fuerit ad Missarum solemnia celebranda, nullo modo audeat, dicta oratione, recedere, ut ab alio Episcopo, seu presbytero suppleantur Missarum solemnia; sed qui initium posuit, suppleat usque ad finem. (Can. 14.)

Nullus presbyter, ut nobis videtur, solus Missam cantare valet recte. Quomodo enim dicet, Dominus vobiscum, *vel,* Sursum corda *admonebit habere, & alia multa his similia, cum ullus nemo cum eo sit.* (Concilium Moguntinum, an. 813. can. 43.)

Irrepsit in plerisque locis, partim incuria, partim avaritia, reprehensibilis usus, & congrua emendatione dignus, eo quod nonnulli presbyterorum sine ministris Missarum solemnia frequentent .... unde conveniendus, imo interrogandus nobis videtur hujusmodi Corporis & Sanguinis Domini solitarius consecrator, quibus dicit, Dominus vobiscum, *& a quo illi respondetur,* Et cum spiritu tuo; *vel pro quibus supplicando Domino inter cætera,* Memento, Domine, & omnium circumstantium, *cum nullus circumstet, dicit. Quæ consuetudo, quia apostolicæ & Ecclesiasticæ auctoritati refragatur, & tanto mysterio quamdam dehonorationem irrogare videtur, omnibus nobis in commune visum est, ut deinceps hujuscemodi usus inhibeatur; provideatque unusquisque Episcoporum, ut in sua parochia quisquam presbyterorum Missam solus celebrare .... & si hanc definitionem superbiendo transgressus fuerit, canonicæ correctioni subjaceat.* (Concilium Parisiense, an. 829. cap. 48.)

Hi canones, & ejusmodi alii probant Sacerdotem, spectatis regulis, lethaliter peccaturum, siquidem sine ministro, aut respondente sacrum faciat. Non desunt tamen casus, in quibus Sacerdoti licet absque ministro Missam dicere, causa exempli, ut ipse sibi, aut alteri viaticum comparet; ut impediat, ne parœcia, festo aut dominico die, Missa careat; ut sacrificium absolvat, quod inchoatum jam progressumque, ad canonem tamen nondum pervenit, cum forte fit, ut deserviens Sacerdotem ad altare relinquat. At nunquam feminæ ministerio Sacerdos ad sacrificium uti potest. *Vide* FEMINA. Nec solum feminæ, sed juniores etiam immodesti & male compti sordidique homines ab hoc sancto ministerio arceri deberent, ut ad illud non nisi graves, modesti, attenti, decenter induti, comparatique, prout huic magni ponderis officio congruit, admitterentur.

Neque vero Missam quispiam celebrare debet, quin Sacerdotalibus indumentis ornatus sit. *Quære* ORNAMENTA ECCLESIÆ.

Ut nullus Episcopus, presbyter, aut diaconus .... velato capite, altari Dei assistere, quoniam apostolus prohibet viros velato capite orare; & si temere præsumpserit, communione privetur. (Concilium Romanum, an. 743. can. 13.)

Extat canon hic in omnibus Collectionibus, & apud Gratianum, *de Consecr.* distinct. 1. c. 57. Eo nititur ad Sacerdotes prohibitio, ne capiti imposito pileolo, vulgo *calotte*, sacrum faciant; cujus prohibitionis dispensatio sanctæ Sedi reservata est, nec ab Abbatibus regularibus concedi religiosis potest, quibus iidem præsunt.

Is in Gallia mos obtinet, ut Episcopi sinant Sacerdotes ad secretas preces usque, & post communionem, pileolum deferant; ut Sacerdotibus non id juris est, ut super hoc articulo, præterquam in subitæ urgentisque necessitatis casu secum ipsi dispensent. Ubicunque humerale, seu capitis tegumentum, Gallice *domino*, usui est, ea Sacerdotibus venia datur, ut eo tecto capite Missam dicant ab exordio ad usque Offertorium, & alicubi, usque ad Præfationem, & post communionem ad Missæ finem usque. In Parisiensi diœcesi, ex rubrica quæ in ejusdem Missali legitur, Sacerdos hiberno tempore sacrum faciens amictum capiti impositum tenet.

Quod non oporteat in domibus oblationes celebrari ab Episcopis, vel presbyteris. (Concilium Aquisgranense, an. 816. can. 84.)

Deinde, ne irreverentia vitetur, singuli (Episcopi) *in suis diœcesibus interdicant, ne cui vago & ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat; neminem præterea, qui publice & notorie criminosus sit, aut sancto altari ministrare, aut sacris interesse permittant; neve patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem ordinariis designanda & visitanda, sanctum hoc sacrificium a sæcularibus aut regularibus quibuscumque peragi.* (Concilium Tridentinum, Sess. 22. *in Decreto de Observand. & Evit. in Celebr. Missa.*) *Quære* CAPELLA DOMESTICA.

Statuimus, ut non tantum dominicis diebus, & præcipuis festivitatibus Episcopi Missas celebrent; sed, cum possibile fuerit, quotidiana quoque sacrificia frequentent. (Concilium Papiense, seu Ticinense, an. 850. can. 2.)

Curet Episcopus, ut ii (presbyteri) *saltem diebus dominicis, et festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.* (Concilium Tridentinum, Sess. 23. cap. 14. *de Reform.*)

Sacerdotes vero non diebus tantum solemnibus, sed etiam dominicis, sæpiusque, si fieri potest, sacrificent. Concilium Rothomagense, an. 1581. tit. *de Sacrificio Missæ.*)

Non liceat presbytero bis in die celebrare, nisi necessitate urgente. (Concilium Londinense, an. 1250. can. 2.)

Nullus, absque causa necessitatis, excepto die Nativitatis Domini, præsumat nisi unam Missam celebrare in die. (Concilium Toletanum, an. 1324. can. 7.)

Hi canones & ejusmodi plures alii qui in medium afferri possent, evincunt Sacerdotem quemque debere sæpe sacrum facere, non posse tamen eadem die missas una plures dicere, præterquam Dominici Natalis die, ac si necessitas urgeat.

Quilibet Sacerdos, tametsi nec parochus, nec beneficiatus sit, ei legi subest, ut identidem Missam dicat,

quia

quia officium hoc ejus statui addictum est; & hanc obligationem, cum initiatus fuit, primam iniit, quandoquidem Christus omnes sacerdotes celebrare jussit, cum iisdem dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*. Ita scilicet accipienda esse divini Servatoris verba hæc censuere Concilia, & peculiariter Tridentinum (sess. XXII. cap. 2.) quod ita habet: *Is igitur Deus & Dominus noster* (Jesus Christus).... *in cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur; sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis quos tunc novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit, per hæc verba:* Hoc facite in meam commemorationem; *uti semper Ecclesia Catholica intellexit & docuit*. Hinc illud consequens fit, sacerdotem qui nunquam, aut prope nunquam Missam celebrat, in lethali peccati statu versari, quippe qui in divini ecclesiasticique præcepti habituali transgressione vivit. Idem tamen plures eadem die Missas celebrare non potest, id enim Ecclesia, extra necessitatis casum, eidem prohibet.

Porro necessitatis casus in quibus sacerdoti licet bis una eademque die sacrum facere, ex communi jure, & regionum usibus, sunt; 1. cum parochus unus duabus Ecclesiis deservit; 2. cum eum iterum celebrare necesse est, ut infirmo viaticum tribuat; 3. ut impediat, ne in populi ingenti concursu, ejus magna pars, obligationis die, Missam amittat; 4. cum, post dicit Missam, venit peragendum funus, aut suscipienda est persona in dignitate constituta quæ Missam audire vult; 5. cum usus præscripsit, ut plures eadem die Missæ celebrentur, quemadmodum, omnium Defunctorum die, in Aragonia, Catalaunia, & Valentiæ regione per Hispaniam fit, ubi regulares quidem ter, sæculares autem presbyteri solum bis sacrum faciunt.

Horum omnium casuum primus tantum in Gallia usui est; ibique non nisi cum ordinarii venia bis Missa dicitur.

En canones alios qui sacerdotes monent, qua demum animi atque intentionis puritate sanctum & formidandum Missæ sacrificium celebrare debeant.

Cum inter cætera Ecclesiæ sacramenta, hostia salutaris præeminens, tanto impensior circa eam debet existere devotio sacerdotum, ut cum humilitate conficiatur, cum timore sumatur, cum reverentia dispensetur. (Concilium Eboracense, an. 1195. can. 1.)

Prohibemus etiam, ne sacerdos laico ad pœnitentiam venienti, obtentu cupiditatis, injungat, ut Missas faciat celebrari; & illud etiam decrevimus prohibendum, ne sacerdos aliquis pro celebratione Missarum, pretio constituto, pactum ineat, sed hoc duntaxat, quod offertur in Missa, recipiat. (Can. 3.)

Multa mentis amaritudine constringimur, gravisque doloris aculeo perfodit mentem nostram, intelligentes, quod aliqui presbyteri detestanda & abominabili ambitione cæcati, pro Missis per eos celebrandis pecuniam exigunt; & super hoc, ac si vellent vendere rem profanam, impudenter mercantur.... Districtius prohibemus, ut aliquis presbyter pro Missis celebrandis pecuniam exigat, vel rem aliam temporalem; sed grate accipiat, si aliquid per fidelium Missas celebrari oblatum sibi charitative fuerit, absque pacto & conventione quacunque. Qui vero contrarium fecerit, a celebratione Missæ per annum noverit se suspensum, & alias pro tam gravi excessu ad arbitrium proprii Episcopi puniendum. (Concilium Toletanum, an. 1324. cap. 6.)

Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missæ sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit, maledictum in sacris litteris eum vocari, qui opus Dei facit negligenter.... Cum igitur multa jam, sive temporum vitio, sive hominum incuria & improbitate, irrepsisse videantur, quæ a tanti sacrificii dignitate aliena sunt; ut ei debitus honor & cultus ad Dei gloriam, & fidelis populi ædificationem restituantur, decernit sancta synodus, ut ordinarii locorum Episcopi ea omnia prohibere, atque e medio tollere sedulo curent, ac teneantur, quæ vel avaritia, idolorum servitus, vel irreverentia, quæ ab impietate vix sejuncta esse potest, vel superstitio, veræ pietatis falsa imitatrix, induxit. (Concilium Tridentinum, sess. XXII. Decret. *de Observand. & evitand. in celebr. Missæ*.)

Atque ut multa paucis comprehendantur, in primis, quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Missis novis celebrandis datur, nec non importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potius quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, omnino prohibeant.

Quæ pertinent ad celebrationem Missæ.

Præcepit sacra Tridentina synodus, ut, quæcunque in Missæ celebrationem irrepserunt a tanti sacrificii dignitate aliena, ea Episcopi tollere sedulo studeant. Quamobrem nos ejusdem Concilii decretum exequentes, ut sacrosanctum Missæ sacrificium, in quo Deo Patri placens hostia, Jesus Christus in odorem suavitatis offertur, singulari religione ac pietate & a sacerdotibus celebretur, & a populo colatur, hæc statuimus: Episcopus nosse studeat omnes qui in quavis Ecclesia Missam celebrare, vel sacerdotem qui celebret, exhibere debeant; cogatque sui officio satisfacere. (I. Mediolanense Concilium an. 1565. cap. 5.)

Nemo, clericus, vel laicus, in suis sæcularibus Ecclesiis, capellis, vel oratoriis, quamvis ab ordinario probatis, etiamsi juris patronatus sint, quemquam sæcularem, vel regularem sacerdotem celebrare patiatur, qui scriptam celebrandi facultatem, singulis ex mensibus renovandam, ab Episcopo non impetrarit.

Quod si quis onus receperit ad tempus vel perpetuo ibidem celebrandi, vel eisdem locis inserviendi, hunc non generatim, sed nominatim eorum locorum causa ejusmodi facultatem impetrare volumus. Qui contra præscriptam rationem vel celebrarit, vel, ut celebretur, permiserit, graviter puniatur.

Clericis alienæ diœcesis rei divinæ faciendæ facultatem ne permittat Episcopus, nisi ostendant litteras testimoniales, seu dimissorias ordinarii sui, duobus tantum mensibus ante, si in provincia, si extra provinciam in Italia, quatuor, sex vero, si extra Italiam, datas; vel, si eæ antiquiores sint, afferant etiam scriptam testimonium de vita & moribus, ab iis ordinariis, in quorum diœcesi post illud tempus aliquandiu permanserint.

Sacerdotes qui publice & notorie criminosi fuerint, a Missæ celebratione arceantur, nisi, emendata vita, sceleris maculam eluerint.

Facultates, cuicunque ab Episcopis ad hanc diem concessæ, plures Missas eadem die celebrandi, posthac irritæ ac nullæ sint.

Nemini sine facultate, ab ordinario scriptis impetrata, in oratoriis sodalitatum sæcularium, quas confraternitates vocant, aliisve Ecclesiis, capellis, aut oratoriis sæcularibus, quæ parochialis Ecclesiæ finibus continentur, Missam celebrare liceat dominicis & reliquis festis diebus, nisi absoluta concione, quæ inter Missam in parochiali Ecclesia habebitur.

Missa nec ante auroram, nec post meridiem, nisi ex causa jure permissa celebrentur.

In Ecclesiis, ubi plures Missæ celebrari solent, is ordo servetur, ut pro populi commoditate, prima diluculo, reliquæ deinceps debito intervallo distributis, postrema autem, quo tardius licet, celebretur. *Quod si eodem tempore pluribus locis* Missa celebranda *sit*, rationem ineant Episcopi, *ne sacerdotes inter se, alius ab alio, perturbentur*.

Nullus sacerdos, quemadmodum a Tridentina synodo statutum est, in privatis ædibus, & omnino extra Ecclesiam, & oratoria, quæ divino tantum cultui dicata, & a locorum Episcopis designata, ac visitata sint, Missam celebret.

Oratoriorum autem ædificationem, aut usum ne facile, sed magna de causa permittant iidem Episcopi.

In iis autem designandis, vel probandis hæc servent; *ut sint in interiorum ædium partibus, in quibus domini, vel familia frequentius versentur, sed commodo & honesto loco, a cubiculis, tricliniis, & ab aula separata, ad templi formam & regulam propius accedant*.

Nec ita angusta sint, ut, qui Missam audierint, ad ostium, aut fenestram stare cogantur, aut denique ibi sacris interesse, ubi promiscue profanum aliquod exerceatur; quod fieri omnino prohibemus.

Cui autem id permissum fuerit, is eo parcius utatur, ne distracti homines illa commoditate, Ecclesiam Dei minus frequentent; quod exemplo etiam noceat aliis.

Ornamenta & instrumenta altarium pro celebratione Missæ, pura ac munda sint, præsertim corporalia, ac purificatoria. Quamobrem etiam vino albo, ubi possit, tantummodo ad Missæ sacrificium sacerdotes utantur. Calices ex metalli genere, jure permisso adhibeantur, eoque pretiosiori, quantum per facultates licuerit.

Die sabbati semper Missa de Beata Virgine celebretur,

nisi dies solemnitas, vel Ecclesiæ institutum interdum obstiterit; quo casu ejus omnino commemoratio fiat, nisi & id Ecclesiæ instituto impediatur.

Ne plures tribus, vel ad summum quinque, orationes, seu, ut vocant, collectæ dici possint, nisi ubi Ecclesiæ institutum aliud postulet.

Tollant Episcopi sumptuosa convivia, ludos, choreas, & omne inanium oblectamentorum genus, cæterosque omnes abusus qui populi temeritate, aut sacerdotum avaritia in novæ, ut vocant, Missæ celebrationem irrepserunt; & in eos qui in hoc genere aliquid peccarint Episcopus graviter animadvertat.

Magister cæremoniarum cathedralis Ecclesiæ eos, quibus prima Missa celebranda sit, & qui præterea sacerdotes minus periti celebrant, Missæ ritibus ac cæremoniis instituat. Qui si huic muneri obeundo unus par esse non poterit, aliis idoneis sacerdotibus Episcopus eas officii partes deleget. Neque cuiquam primam Missam celebrare liceat, qui ab iis institutus non sit.

Præcipimus autem, ut sacerdotes in Missæ celebratione cæremonias a Romana Ecclesia institutas ad unguem servent, neque alias adhibeant.

Ut ab omni indecoro & absurdo capitis, oris, & reliqui corporis motu abstineant.

Ut, cum, elevatione peracta, sacra hostia movenda, vel sumenda erit, ita moveant, ne iterum sustolli videatur.

Ut præter institutum Ecclesiæ Romanæ, iis quæ secreto, vel palam dicantur, quidquam addi, vel detrahi non liceat.

Ut quæ palam pronuntianda sunt, distincte & clara voce dicant.

Ut secreta, quæ vocantur, secrete etiam pronuntient.

Ut neque tardius, neque celerius, quam par sit, verba proferant.

Ut propter erroris casum qui in omni parte Missæ gravis, in canone gravior, in ipsa vero consecratione gravissimus est, Missam legant; non memoriter dicant, aut cantent.

Ut aperto capite celebrare non audeant.

Ut, quo puriores ad divinam rem faciendam accedant, saltem singulis hebdomadis peccata sua confiteantur, nisi eos ob mortalis peccati culpam frequentius id facere oportuerit.

Ut, antequam celebrent, se colligant, & mentem in tanti mysterii cogitatione defigant. Quod ut commodius fieri possit, curent Episcopi, ut in singulis cathedralium, collegiatarum, & parochialium Ecclesiarum sacristiis singulæ cellulæ ad hunc sacerdotum orandi & meditandi usum instituantur.

Ut, antequam ad altare accedant, Missam perlegant, & singulas partes ita notatas & præparatas habeant, ut celebrantes neque errent, neque hæreant.

Ut sacris vestibus induti cum nemine colloquantur, neque loquentibus dent aures, mentemque & oculos ab omnibus amoveant, quibus distrahi possint, neque a sacristia exeant, nisi cum ad altare eundum erit, quod cum graviter & modeste fiat.

Ut pileum, birretum, aut subbirretum, chirothecas, sudariolum, aut quodcunque denique hujus generis in altari ne ponant.

Ut ibi ne in mora sint sacrificio, cujusvis expectandi gratia. Neve ob eamdem causam, Missa inchoata, subsistant, aut ejus initium repetant. Neve si parochi sint, cujusquam gratia maturent Missam anticipent, aut differant; sed illam ea potissimum hora celebrent, qua populo magis accommodata sit. Neve concionem quam in ea habere debent, ullo modo omittant. Quod si forte quispiam imperio quodam, aut contumelia, aut minis, aut vi contenderit, ut sacerdos quidquam, contra quam hoc decreto sancitum est, faciat; si clericus sit, & beneficium obtineat, eo privetur; si non habet beneficium, ut habere quidem ad quinquennium possit; si laicus, eo ipso jam tunc excommunicationis pœnam subeat; neque ad decennium, feudi aut emphyteusis nomine, quidquam ab Ecclesia consequi possit.

Ut, peracta Missa, pro summi beneficii munere Deo gratias agant.

Ne sacerdotes, cum in fine Missæ fuerint, vel eorum ministri recedant ab altari; neve vasa, aut linteolas sacros colligant; ne cuiquam rei tollendæ, vel movendæ causa, manus admoveant.

Ne candelas restinguant, nisi absoluto evangelio, quod post benedictionem dicitur.

Celebranti sacerdoti unus saltem minister adsistat, isque clericus, ubi possit, & talari veste & superpelliceo indutus.

Ministri candelas accendant, missale, & urceolos, & alia quæ ad Missæ ministerium requiruntur, prius in suis locis in altari collocent, quam eo sacerdos accedat; quem nisi his omnibus præparatis, confessionem ordiri omnino prohibemus.

Sacerdote rem divinam faciente, ministri per Ecclesiam ne vagentur; neve dent operam collectionibus, aut candelis venditandis, sed composito corpore, nullo gestu, modeste, ut debent, sacerdoti adsistentes inserviant.

Moneant parochi frequenter patresfamilias, ut filios & famulos, quos in bestiis pascendis occupant, saltem diebus festis Missæ jubeant interesse.

Viduæ ob maritorum mortem ad summum ne mense amplius sine sine Missæ auditione; quo in re nulla valeat excusatio cujusvis consuetudinis, quam irritam decernimus; eas item Episcopi, etiam censuris ecclesiasticis, id facere cogant.

Parochi populum frequenter hortentur, ut in sua parochia festis diebus Missam audire non omittant; moneantque eum diligenter, debere unumquemque, ut a sacra Tridentina synodo traditum est, in parochiam suam, ubi id fieri commode potest, convenire ad audiendum verbum Dei.

Fideles, cum Missæ intersunt, eodem vestitu sint, quo in publicum prodire solent, & ita se componant, ut corporis habitu animi religionem præ se ferant.

Ne in foribus Ecclesiæ, vel extra subsistant, nisi necessitatis causa.

Aperto capite sint; & quo tempore a sacerdote confessio dicitur, & graviora Missæ mysteria peraguntur, sint flexis genibus.

Ne ita prope ad altare accedant, ut indecorum sit, & sacerdos perturbetur.

Ne prius discedant, quam sacerdos evangelium quod post benedictionem dicitur, absolverit.

De iis quæ in sacrosancto Missæ sacrificio, divinisque Officiis vel observanda, vel cavenda sunt.

Sacrosanctum Missæ sacrificium, in quo memoriam fecit mirabilium suorum summus ille sacerdos in æternum Christus secundum ordinem Melchisedech, Deo solum acceptum est, nec ullum præterea, nisi quatenus istius similitudinem, speciemque gereret, ulla unquam ætate ipsi gratum fuit; & quamvis hoc sacrificii nomen latius interdum usurpetur pro omni ea re quæ ad Dei honorem & obsequium refertur; proprie tamen hic sumitur pro puro & simplici cultu qui Deo soli debetur, in quo verus ac integer actus religionis est, nec alteri adhiberi, nisi summo scelere & sacrilegio, potest. (Concilium Burdigalense, an. 1583. cap. 5.)

Idcirco illa semper non modo laudabilis, verum etiam necessaria cura erit sedulo providendi, ut singulari pietate ac religione tam augustum divinumque mysterium, quo immortalis Dei Filius, ex ipsius institutione, viva æterno Patri pro salute fidelium offertur hostia, tum a sacerdotibus sanctissime celebretur, tum a fidelibus populis honorificentissime colatur. Atque in hanc curam studiosius hac tempestate nobis incumbendum est, qua sinceræ pietatis & religionis ardor pene jam videtur extinctus; qui quidem ut iterum commoveri, accendique possit, hæc statuenda judicavimus.

Atque in primis, quæ ad Missarum celebrationem pertinent, ea cum debita reverentia pie sancteque administrentur, nec cuiquam vago, ignotoque sacerdoti Missam celebrare permittant Ecclesiarum rectores, nisi prius diligenter explorata ordinarii licentia & facultate.

Nullumque pariter alienæ diœcesis admittant, nisi acceptas ab ordinario suo litteras, sibi concessæ facultatis, & anteactæ vitæ, morumque ac religionis testes, exhibeat, quæ vetustiores non appareant, quam quæ intra annum scriptæ sunt.

Sacerdotes quoque, aut quoscunque alios, publice & notorie criminosos rem divinam facere, vel ad altare ministrare, sacris, vel Missæ interesse omnino prohibeant, nisi qui ad meliorem frugem redierint, & morum, vitæque pristinæ commutatione facta, præteritorum scelerum veniam meruerint, eamque ab ordinariis suis impetraverint.

Celebraturi sacerdotes conscientiam suam prius diligenter excutiant, atque examinent, & piam aliquam meditationem præmittant; peccatorum vero confessionem octavo quoque die, aut sæpius, faciant, quoties aliquo se peccato gravatos senserint. Sibi autem conscii mortalis peccati, quantumvis sibi contriti videantur, absque præmissa sacramentali Confessione ad sacrum altaris mysterium non accedant, etiamsi ex officio incumbat celebrare, modo non desit illis copia confessoris. Quod si, necessitate urgente, sacerdos aliquis, absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.

Quia vero sacerdotum, in quibusdam provinciæ locis, tanta paucitas & penuria est, ut quibusdam bis uno die sacram faciendi facultatem Episcopi concedere cogantur; ne,

ne, quod, necessitate urgente, ad populi christiani solatium salutemque permittitur, immoderata licentia errori locum det, atque in abusum convertatur; decernimus, ne hujusmodi facultatem Episcopi largiantur nisi sacerdoti spectatæ probitatis, idque gravissimis de causis. Quæ facultas brevi etiam tempore circumscribatur, nec ad plures dies, quam ad dominicos & festos in diversis tantum Ecclesiis protrahatur. Caveant autem illi, qui hic eodem die Missam celebrare debuerint, ne in prima Missa, postquam totam Eucharistiæ sacramentum sumpserint, vino manus perfundant; perfusione enim accepta, alium celebrationem noverint impediri.

Nullus item presbyter audeat in privatis ædibus, vel oratoriis aut sacellis, ab ordinario minime approbatis contra decretum sancti Concilii Tridentini, Missæ sacrificium, etiam infirmorum causa celebrare.

Dum publica & parochialis Missa celebratur, nullo modo in eadem Ecclesia sacrum aliud facere liceat; dentque operam diligenter, ut omnia altarium ornamenta, & sacra vasa ad celebrationem Missæ pertinentia munda sint ac nitida, nullaque nova prius in usus sacros conferantur, quam ab antistite aliquo fuerint benedicta, vel consecrata.

In celebratione vero omnes ritus ac cæremoniæ quæ in Missali Romano præscribuntur, exacte & religiose observentur, nullis prætermissis, nullisque omnino adjectis.

Quæ clara voce recitanda, ea distincte & intelligenter pronuntientur; quod fiet, si neque tardius, neque celerius quam par sit, verba proferantur.

Secreta pronuntianda, submissa voce recitentur, neque memoriter quidquam, sed in libro omnia legantur.

Curent autem Episcopi ea omnia e medio tollere, quæ in divinis officiis, & Missis avaritiam redolent, vel quæ ab irreverentia, aut superstitione introducta sunt.

Etiam veram quæ ad profanam ac sæcularem negociationem pertinent, proclamationes in Ecclesia fieri, dum Missa celebratur, prohibemus.

Deambulationes vero, strepitus, clamores, colloquia in Ecclesiis, mendicantium evagationes, omni quidem tempore, sed tum maxime, cum sacramenta administrantur, & divina officia explentur, vel sacra concio habetur, sic a nobis interdici omnes intelligant, ut, si nonnullorum importunitas & insolentia, qui sacris potius illudunt, quam intersunt, exegerit, auxilium etiam civile ac regium implorandum sit. Nam loco sacro adeo licenter, non fero abuti, cum omni homini turpe ac scelus est, tum Christiano, gravi cum scelere turpissimum.

Feminæ nec ad altare propius accedant, nec se clericis intermisceant, vel vacant eorum sedes (quod turpe & ignominiosum est) occupent; sed separatim, cum decore & reverentia sacris adsint.

Illa vero culpanda consuetudo, ab elevatione venerabilis sacramenti, vel ante peracta mysteria, recedendi. Quare omnes moneantur sedulo a parochis, illos Ecclesiæ præcepto de audienda Missa non satisfacere, nisi forte, quod raro accidit, talis necessitas sit, quæ moram non ferat. Nulli ergo ante datam a sacerdote benedictionem discedere liceat.

De Eucharistia, & Missæ sacrificio.

Sacrificium Missæ, cum sit augustissimum ac dignissimum, ideoque nonnisi dignissime ac honestissime loco tractari debeat, nulli presbytero sæculari, vel regulari in privatis domibus, nec etiam nobilium, aut aliorum potentum, juxta sacros canones, sub pœna suspensionis ipso jure incurrenda, celebrare liceat. (Concilium Turonense, an. 1583. cap. 8.)

Observandum est, ut mensa Christi, id est, altare, ubi corpus dominicum consecratur, ubi sanguis ejus hauritur, ubi Sanctorum reliquiæ recondantur, ubi preces & vota populi in conspectu Dei a sacerdote offeruntur, cum omni veneratione honoretur, & mundissimis linteis & pallis diligentissime cooperiatur, nihilque super eo ponatur, nisi capsa cum Sanctorum reliquiis, & missale.

Et ut, quod (proh dolor!) pluribus in locis, & a multis temporibus fit nimis licenter, sacerdotes populum sibi commissum a devotione potius revocent, quam ad sacrorum & tremendorum mysteriorum meditationem, contemplationem & debitam eis impendendam venerationem invitent, eisdem districtissime inhibemus, ne Missis celebrandis se immisceant, nisi prius a peritis & exercitatissimis sacerdotibus ritus & cæremonias, in tam celebri sacrificio summa cum reverentia necessario observandas, earumque vim, effectum & rationem didicerint; quas cæremonias innovare, aut aliis ab Ecclesia minime receptis & approbatis uti non permittimus.

Veterum Patrum sanctionibus inhærentes, districte prohibemus, ne sacris canonicis verbis, præsertim sacramentalibus, etiam prætextu orationis, quidquam addatur, aut detrahatur, aliave misceantur.

Missas, primam, majorem, parœciales, & in illis Ecclesiis quibus duæ Missæ debent aut consueverunt celebrari, hora convenienti, nempe sexta & nona ante meridiem, non prius aut tardius celebrent hi quibus incumbit, potentum quorumvis, etiam nobilium, aut aliarum personarum favore, precibus, minis seu comminationibus, in contrarium non prævaliturìs. Matutinæ vero & vespertinæ preces horis debitis & opportunis, pro loci consuetudine, & temporis commoditate, ut populus interesse possit, celebrentur; quod nostrum decretum archipresbyteri, archidiaconi & alii jus visitationis habentes, nullo modo permittant infringi, immo exactissime observari procurent.

At cum plerique sacerdotes, ut ventri potius aut avaritiæ inserviant, quam ut populi pietatem excitent, horis intempestivis, videlicet prima & majore Missis parœcialibus durantibus celebrent, eoque fiat, ut parœciani pronis, & christiana instructioni, post offertorium a rectoribus fieri solitis non intersint; prohibemus, Missis parœcialibus durantibus, ne in eadem Ecclesia alia Missa, alta aut submissa voce, cujusvis fundationis aut confraternitatis colore, celebrentur; contemptores arbitrio Episcoporum puniendos decernentes.

Cum sacri canones prius a Missæ sacrificio non esse recedendum doceant, quam fueris post communionem impertita benedictio, jussusque populus, Missa peracta, recedere: eorum constitutionibus inhærendo, ne quis ante benedictionem quæ postcommunionem sequitur, abscedat, volumus.

Missam non celebret nisi digne præparatus sacerdos; ab ejus celebratione prohibeantur hæretici, schismatici, confidentiarii, concubinarii, apostatæ, excommunicati, errones & vagi qui litteras commendatitias & formatas a suo pastore non habuerint, utque nomine etiam quamvis de causa irregularitatem incurrerint, aut notorii peccatores, si per sententiam declarati sint, vel eorum crimina ita innotescant, ut nulla tergiversatione celari possint. Si tamen contigerit ejusmodi sacerdotes Missam celebrare, non ideo minus existimant christiani sacramentum confici, quia non virtute sacerdotis, sed ipsa verborum Christi vi, accedente ad eum ministri intentione, conficitur sacramentum. (Concilium Bituricense, an. 1584. de Missa, tit. 23. can. 4.)

Missa neque in profanis locis, neque in privatis domibus celebretur. (Can. 5.)

Moneantur fideles a suis parochis & prædicatoribus, ut frequenter intersint solemnibus Ecclesiæ precibus & concionibus in suis Ecclesiis, saltem diebus dominicis & majoribus festis. (Can. 6.)

Interdicit hæc synodus omnibus parochis & presbyteris, ne res profanas, litteras & actus judiciales, aut quid simile inter Missarum solemnia, aut alio quovis tempore in Ecclesiis legant, sed id præconibus & lictoribus relinquant, qui per fores Ecclesiarum, res indicendas, si videbitur, publicabunt; non enim decet sacerdotem sæcularia negotia tractare. (Can. 7.)

Non celebretur Missa parœcialis ad nutum nobilium, aut laicorum, sed consueta & opportuna hora. (Can. 8.)

Provideant Episcopi & Ecclesiarum rectores, ne simul & tumultuarie plures Missæ privatæ, sed certo ordine, & variis horis, celebrentur. Quod si eodem tempore pluribus locis Missa celebranda sit, rationem ineant Episcopi aut superiores, ne sacerdotes inter se alius ab alio perturbentur. (Can. 9.)

Parochi per se aut per prædicatores idoneos, aliquam particulam mysteriorum Missæ & evangelii populo singulis diebus dominicis & festis solemnibus exponant. (Canon. 10.)

Ad elevationem corporis Christi accendatur lumen, & campana pulsetur. (Can. 11.)

Dum Missæ solemnes in Ecclesiis dicuntur, aut concio publica habetur, privatæ Missæ differantur. (Can. 12.)

In celebratione Missæ, omnes ritus & cæremoniæ quæ in missalibus præscribuntur, exacte & religiose observentur, nec quicquam addatur, aut detrahatur. (Can. 13.)

Sacerdotes non celebrent aperto capite, nisi infirmitas urgeat. (Can. 14.)

Non memoriter dicatur Missa, nec a cæcis. (Can. 15.)

Ut paratiores sacerdotes ad celebrationem Missæ accedant, confiteantur peccata sua, quoties celebraturi sunt, aut saltem singulis hebdomadis. Teneantur autem confiteri, quoties se in aliquo peccato mortali constitutos agnoverint. (Can. 16.)

Celebraturi super altare nihil reponant, nempe pileum, neque vestimentum, neque librum, præter missale. (Canon. 17.)

De celebratione Missæ.

Curent in sua Ecclesia nullum permittant celebrare, qui scriptis facultatem ab Episcopo impetratam non exhibuerit; & eam licentiam quam anno uno vetustiorem repererint, ne admittant. (Concilium Aquisextiense, an. 1585.)

Episcopi nulli sacerdoti facultatem celebrandi dent, quem prius examine non probarint, an exercitatus sit in cæremoniis suæ cathedralis Ecclesiæ, & quantum poterit, in cæremoniis Romani Missalis; quem ignorantem repererint, prius, ne instituatur, curent.

Ne Missam novam Episcopi celebrari permittant a quovis sacerdote, qui non fuerit peritus cæremoniarum Romani Missalis, illudque ex hujus synodi decreto quamprimum in suis diœcesibus introducant.

Qui vero primæ Missæ celebrandæ facultatem impetrarit, sedulo moneatur, ut, quo die primum celebraverit, eum totum in sanctis pietatis officiis, omni animi religiosi studio ponat, ac ne ludis, comessationibus, minus autem choreis, aut inanibus aliis spectaculis se immisceat, gravissimas alioquin pœnas arbitrio Episcopi daturus.

De cætero, quilibet sacerdos sacrum Missæ facturus, lotis prius manibus, & facta oratione, se sacris induat vestibus in sacristia, & ad unguem omnia servet, quæ rubricis Romani Missalis descripta sunt, tam de purificatorio, quam de bursa corporalium, & velis ad tegendum calicem; sudariolum præterea habeat pro abstergendis manibus ad Lavabo; *aliud item pro naribus emungendis. Albarum præterea manicæ ita astrictæ manibus hæreant, ut in cæremoniis Missæ rite perficiendis sacratissima hostia intacta sit, nec non etiam ne & aliis periculis occurratur.*

In posterum decernimus, in sacrificio Missæ adhiberi ab omnibus candelas duas cereas, ita ut quævis unciæ unius sit ad minimum, nec altra; ne quis Missæ sacrificium fine talibus candelis celebrare audeat, sub pœna aurei unius pro qualibet vice, applicandi pro medietate Seminario, & pro medietate Scholæ Sacratissimi Sacramenti, & aliis pœnis arbitrata Episcopi.

In celebratione Missæ sacerdos ne se conferat ad altare, nisi clericum in decenti habitu, & cum superpelliceo mundo cum manicis, sibi inservientem habuerit. Quibus vero in locis propter inopiam clericus ita commode haberi non poterit, caveat, ne celebret absque hujusmodi clerico, nisi facultatem ab Episcopo in scriptis impetraverit.

Habeat in celebratione tintinnabulum parvum, cujus sonitu moneantur fideles in elevatione sanctissimi Sacramenti.

In metropolitana, cathedrali, vel collegiata, aut parochiali Ecclesia, quando elevatur sanctissimi Domini nostri Corpus in Missa majori, vel parochiali, semper signo majoris campanæ moneatur populus, ut ille se Deo humiliet, & quamvis longe positus sanctissimum Sacramentum adoret.

Nec vero quis vel vir, vel mulier gradibus altaris hæreat, aut prope altare sit, dum sacrum fit; idem sacerdos celebraturus hærentes inde longius abscedere jubeat; quo celebrante, id ministrans clericus præstet.

Cum post offertorium in Missa oblatio a populo fit, sacerdos ne patenam deosculandam illi præbeat, sed tabellam aliquam pictam, vel aliam sacram imaginem ad hoc adhibeat.

Faces & intorticia quæ accenduntur ad elevationem sanctissimi sacramenti, in posterum ne extinguantur, donec sacerdos sumpserit sacratissimum Sacramentum, in Missis scilicet majoribus. Contingit sæpe in quibusdam Ecclesiis, vel tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum legatis impositum esse, ut illis pro singulis diebus, a testatoribus præscriptis nequeat satisfieri, vel eleemosynam pro iis celebrandis adeo tenuem esse, ut non facile inveniatur qui velit huic se muneri subjicere; unde deprimitur pia testantium voluntates, & eorum conscientias, ad quos prædicta spectant, onerandi occasio datur. Proptereа Episcopi ex sacrosancti Concilii Tridentini decreto, in synodo diœcesana, re diligenter inspecta pro sua conscientia, in Ecclesiis quas hac provisione indigere cognoverint, statuant circa hæc, quicquid magis ad Dei honorem & cultum, atque Ecclesiarum utilitatem viderint expedire, ita tamen, ut eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui, pro suarum animarum salute, legata ea ad pios usus reliquerunt. In posterum vero non facile recipiantur, nisi habita ratione temporum & locorum.

Curati ter in hebdomada sacrum faciant, aut etiam sæpius, si vel loci consuetudo, vel necessitas crebriorem divini sacrificii usum postulabit.

Cæteris etiam clericis præcipimus, ut singulis mensibus, diaconi quidem & subdiaconi bis saltem, qui vero in minoribus ordinibus, aut etiam clerici tantum sunt, semel sacram Eucharistiam sumant.

Qui autem sine necessaria causa id facere omiserint, parochus eos sui officii admoneat, & nisi paruerint, ad Episcopum deferat.

Quod de sacerdotibus Missam celebraturis, in sacristia induendis decretum est, idem intelligi volumus de celebrantibus vesperas, ne amplius in choro, & in conspectu populi cappam, seu pluviale induant, sed e sacristia induti ad vespertinum officium incipiendum procedant, quo finito, ad sacristiam, ut eamdem cappam dimittant, regrediantur.

XXII.

De Missæ Sacrificio.

Missæ sacrificium salutare quod a Domino Jesu Christo institutum est, ea dignitate tractare par est, qua tantum mysterium decet. Quapropter ut rite celebretur audiaturque Missa, hæc quæ sequuntur, diligenter observari synodus mandat. (Concilium Avenionense, an. 1594.)

Congregationem pro cæremoniis & ritibus Missæ erigant Episcopi in sua quisque Ecclesia; in qua semel in hebdomada diligenter de cunctis ad Missam & cætera divina officia spectantibus edisseratur, & ad rationem & usum receptum a sancta Romana Ecclesia cuncta examinentur, & recepta cæremonia probentur.

Capitula magistrum cæremoniarum instituant, qui probetur ab Episcopo, quique accurate a congregatione probata non modo edisceat, verum cæteros etiam edoceat.

In celebrandis Missis hæc observabuntur, Missa uniuscujusque diei propria, quoad fieri potest, celebretur; si qua Missa votiva cantanda sit, ante vel post Missam officio conformem canatur.

Quoniam vero plerasque audivimus ad libitum Collectas multiplicare; idcirco non plures septem, vel ad summum novem dicantur, In Missa fine non aliud evangelium quam consuetum sancti Joannis dicatur; nisi in quadragesima, diebus dominicis anni, & quatuor Temporibus caventes evangelium legendum sit.

In cathedralibus & collegiatis Ecclesiis, ubi certus est Missarum numerus, hic ordo servetur, ut pro populi commoditate, qui sæpe Missæ carere cogitur, non simul Missæ omnes celebrentur, sed ex intervallo, ita ut singulis horis Missa possint audiri.

Fiat tabula per præcentorem, in qua Missæ ordine suo disponantur.

Laicus, si fieri potest, nullo modo ministret altari; clericus vero diligenter instruatur circa ministerium suum.

Non admittatur sacerdos alterius diœcesis ad celebrandam Missam & alia divina officia, qui non habeat litteras dimissorias.

Ab omnibus diœcesanis audiatur integra Missa diebus dominicis & festis.

De Missæ Sacrificio,

CAPUT XIX.

Pignus redemptionis nostræ, & quotidianum humanæ reconciliationis instrumentum, ac sacrificium quanta debeat reverentia celebrari, & qua cordis puritate ad illud, accedere teneatur sacerdos, satis expresse notant, qui angelis superiores asserunt sacerdotes, dum sæpius agunt celebrando, quod semel in utero Virginis actum est; quod attentius considerabit sacerdos missam celebraturus, si adverterit se Pontificem prius pro se, deinde vero pro peccatis populi sacrum facturum. (Concilium Narbonense, an. 1609.)

Irrepsere tamen permulta quæ minus ad devotionem populum excitant, aut ad risum provocant, immo a frequentatione tanti sacrificii avocant, dum turpi quæstu, non satis parati, indecenter ad altare accedunt, & in eo minus modeste se gerunt.

*Nos itaque primum illum candorem videre cupientes in sacerdotibus, statuimus, ut celebraturi, purgata primum conscientia, se in sacrarium recipiant, ubi repertis his, & in Missali perlectis quæ in Missa sunt recitaturi, orationes ab ordinario Romano præscriptas, pro sua devotione fundent, & pronuntiabunt; cum parabunt calicem cum purificatorio, patellam cum hostia munda, sacris linteaminibus, & velo, si haberi possit, cooperient. Intra dictum sacrarium, & non alibi induent se vestibus sacris, & deinde pileo quadrato in capite gestando, calicem paratum deferendo, & præcedente ministro, ad altare accedent, coram quo profunde inclinati, detecto capite & facta reverentia, & super eodem sacris linteaminibus explicatis, & parato Missali in cornu epistolæ, introitum & reliqua in Missa recitabunt & facient, nihil addendo, vel diminuendo, nec

do, nec ullas adhibendo cæremonias, præter eas quæ in Missali Romano expresse notantur, ut unitas in fide & moribus, & actionibus inter fideles, sicut semper fuit, ubique earumdem reperiatur.

Pacta & conditiones sordidas quæ simoniam sapiunt, pro Missarum celebratione vitabunt; ne, ipsis ministrantibus, fiant certo & superstitioso candelarum numero utantur, aut alia agant quæ superstitionem denotant; ipsi vero Missam de officio recitent, nisi aliud necessitas exigat; nec vero per eos, sub pœna excommunicationis, addantur psalmi, aut alia quæcunque in Missa, præter certam orationem, quam quisque celebrans ad libitum recitare potest.

Non celebretur Missa pro defunctis, nisi corpore præsente, nec fiant publica mortuorum absolutiones, diebus dominicis & festis solemnibus post Missæ celebrationem; aliis vero diebus, non fiant dictæ absolutiones nisi deposita capsula. Nec celebretur Missa in domibus privatis, etiam magnatum & potentum, nisi esset sacellum ad hoc specialiter constructum, & per Episcopum, aut de ejus mandato benedictum; nisi etiam altare portatile consecratum.

Ministrantes celebrantibus induantur toga talari, nec ad id admittantur feminæ quibus nec est licitum parare altare, cum silere debeant in Ecclesia, & propter sacerdotes faciem velare; illis ideo prohibemus, ut ad altare propius accedant, dum divina peraguntur.

Infinitum tanti sacrificii meritum omnibus quidem prodest, sed his maxime, qui præsentes sunt, & modeste se gerunt; ideo curent sacerdotes, circumstantes omnes, ut invitentur, elevare corda, spiritum dimittere; quod exteriori corporis dispositione denotent; & idcirco stantes, irreverenter sedentes, aut capite aperto esse in Ecclesia, a consecratione sacri Corporis Christi usque ad communionem non permittant.

Dum celebrantur, ut vulgo dicitur, novæ Missæ, non fiant choreæ; & tot ducere cum sacerdoti primam Missam celebranti, quam aliis omnibus districte prohibemus; tunc vitentur sumptuosa convivia, & omnia alia quæ luxum sapiunt, abstineantur; sed in sacerdotibus sit omnis modestia, quæ audientes Missam ad devotionem commoveant; secus agentes arbitrio ordinarii puniantur.

Quod ex devotione pro Missarum celebratione per fideles sacerdoti in eleemosynam erogatur, ipse recipiat; a pluribus idem non petiturus, sub pœna excommunicationis.

Piæ defunctorum voluntates mandari executioni cum non possint propter modicitatem rerum legatarum, & sacerdotes non habeant ex his, ut vitæ necessaria recipiant; ideo juxta sacri Concilii Tridentini statuta, Sessione vigesima quinta, de Reformatione, decernimus, ut, re diligenter inspecta, in synodo Diœcesana, uniant diversa legata, aut beneficia, in quibusvis sint Ecclesiis; aut officia minuant, prout viderint expedire.

Sacerdotibus, quacunque dignitate fulgentibus, nisi fuerint Episcopi, aut abbates, usum mithræ habentes in fine Missæ, hac sola benedicendi forma uti mandamus: Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Amen. *Et hæc non admodum sonora, sed nihilominus intelligibili voce fiat.*

Ex canonibus quos hactenus in medium attulimus, deducendæ conclusiones in oculos incurrunt ipsæ per se. Lethalis peccati reus parochus, eique legi obnoxius, ut dominico aut festo die sacram faciat, id agere tum solum potest, cum confessionem edidit, cumque, si minus adsit confessarius, perfectæ contritionis actum confecit, & confessionem edere, ubi primum commode poterit, ex animo statuit. Accuratissime sacerdos quisque evitet, oportet, quicquid sapit avaritiam, sordidum lucrum, pacta, conventiones, mercaturamque quoad Missarum stipendium, quod non tamquam Missæ pretium aut mercedem, sed tamquam eleemosynam quæ ei ad sustentationem datur, spectare debet. Lethaliter, atque adeo contra justitiam, stipendiis pluribus pro una eademque Missa exigendis, peccaret. Rubricas servare debet, Missamque dicere aut canere e ritu, regula & ratione, quam diœceseos in qua degit, Missale præscribit, super hora, loco, ornamentis, &c. *Quære* ORNAMENTA ECCLESIÆ. *Quære etiam* ALTARE, CALIX, CEREUS, PARRICIA.

Debet præterea sacerdos omnis evitare ipse, & perficere, ut fideles evitent omnium generum superstitiones in dicenda, aut mandanda, aut audienda Missa; hæc sunt in superstitionum numero: naturalibus remedia quibus inanes usus ad quosdam curandos morbos adducitur, Missas admiscere. dictum velle certum quemdam Missarum numerum, aut Missam ad altare privilegiatum dicendam mandare, ea spe fore, ut certo aliqua anima a purgatorio liberetur; credere Missam de *Requiem* pollere ad purgatorii animarum subsidium majore vi, quam Missam diei officio respondentem, e mandantis mente celebratam; Missam de Spiritu Sancto, in certis quibusdam Ecclesiis, ad certa quædam altaria, cum certo quodam cereorum numero dictam velle, sciendi causa, an quispiam e vivis excesserit; an rediturus sit, quandonam moriturus; vel ut se corrigat, aut intra annum moriatur, &c.

Disciplinæ canonibus quos attulimus, sancti Tridentini Concilii (sess. XXIII.) super Missæ sacrificio canones addimus.

I.

Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium; aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit.

II.

Si quis dixerit, illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, *Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum; anathema sit.*

III.

Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.

IV.

Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto, per Missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari, anathema sit.

V.

Si quis dixerit, imposturam esse Missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda; anathema sit.

VI.

Si quis dixerit, canonem Missæ errores continere, ideoque abrogandum esse; anathema sit.

VII.

Si quis dixerit, cæremonias, vestes & externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis; anathema sit.

VIII.

Si quis dixerit, Missas in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas; anathema sit.

IX.

Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars canonis, & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere; aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem; anathema sit.

MISSALE, liber qui Missæ dicendæ inservit, quique peculiares Missas continet, quæ singulis anni diebus dicuntur. Unicuique diœcesi, & religioso cuique ordini suum Missale est, quo diœceseon & religiosorum ordinum membra uti debent. In itineribus Romanum Missale sumitur, illudve quod usui in diœcesi est, per quam transitur. At nullus unquam sacerdos, quantumvis de sua ipsius memoria certus tutusque sit, sine Missali celebrare debet; id enim si faceret, liturgiæ verba mutandi, eorumve plura omittendi periculo exponeret.

In celebratione vero, omnes ritus ac cæremoniæ quæ in Missali Romano præscribuntur, exacte & religiose observentur, nullis prætermissis, nullisque omnino adjectis.... quæ clara voce recitanda sunt, ea distincte & diligenter pronuntientur.... secreto pronuntianda, submissa voce emittantur, neque memoriter quidquam, sed in libro omnia legantur.

In Miss.

In Missa, sicut in reliquo officio, regulæ Pontificalis, Missalis & Breviarii exacte serventur.

Non memoriter dicatur Missa, nec a cæcis. (Concilium Bituricense, an. 1584. tit. 23. *de Missa*, can. 2. & 15.)

MISSIO, est concionum, catechismorum, collationum, precum aliarumque spiritalium exercitationum series, quas presbyterorum aut religiosorum bene multi in urbibus aut vicis, ad populorum institutionem, Episcopis mandantibus, locorumque parochis gratum habentibus, peragunt. Missio etiam de sacerdotum institutionibus aut exercitationibus dicitur, qui de animarum salute solliciti ad fidem infidelibus aut hæreticis nuntiandam se conferunt.

MISSIONARII sunt ecclesiastici sæculares aut regulares qui missionibus sededuntur, quosque summus Pontifex, aut Episcopi in provincias, aut in exteras regiones mittunt, vel ut catholicos erudiant, vel ut hæreticos & scismaticos ad Ecclesiæ sinum revocent, vel ut infideles ad fidem pertrahant. Episcopus in suæ diœceseos parœcia, Ecclesiisque cæteris missiones mandandi, eoque missionarios mittendi jure gaudet. Canonici per diœceses, Episcopi jussu, in prædicatione & missionibus occupati, suæ singuli Ecclesiæ præsentes habentur, suarumque præbendarum fructus percipiunt. Per Cleri, ann. 1579. 1602, 1603. 1614. &c. convocati generalium cœtuum deliberationes plures ita statutum.

MONACHI, seu RELIGIOSI. *Quære* RELIGIOSI.

MONASTERIUM, CŒNOBIUM, seu CONVENTUS. Monasterium, seu sit abbatia, seu prioratus, seu alterius generis conventus sit, domus est in eum finem extructa, ut in eam religiosi & religiosæ recipiantur, qui in communitate vivunt, quique unam eamdemque ab Ecclesia approbatam regulam profitentur. Olim, ut hoc tempore, monasteria sine ordinarii consensu in urbibus ruribusve construi non poterant, cumque constructa erant, ei subjecta tum quoad spiritalia, tum quoad temporalia remanebant. Eo mittebat Episcopus presbyterum qui sacramenta monachis præberet, œconomosque qui eorum temporalia bona administrarent, iisdemque ad vitam necessaria suppeditarent. Monachi nec sine Episcopi venia e claustris egredi, nec sine ejus mandato seu ecclesiasticis seu temporalibus negotiis se se immiscere, nec sua denique bona oppignerare vel alienare poterant, quin oppignerationis aut alienationis contractibus ipse subscriberet. Viguit disciplina hæc ad tempus usque, quod monasteriorum exemptionibus initium attulit. *Quære* EXEMPTIO, §. III.

In Gallia, nec monasterium, ac ne religiosorum quidem hospitium fundari potest sine antecedentibus solemnibus formis quatuor.

Prima est diœcesani Episcopi consensus, quippe qui, divino jure, suorum omnium diœcesanorum primus pastor est.

Secunda est partium consensus, quarum interest; harum porro partium nomine veniunt incolæ, parochi, monasteriorum superiores, quæ jam in loco instituta sunt, consules, ædiles, jurati, patroni & administri pauperum.

Tertia est Regis facultas per patentes litteras in causæ cognitione datas, & in parlamento verificatas, ex declaratione diei 21. Novembris an. 1629. & edicto mensis Decembris an. 1666.

Quarta est patentium litterarum in acta relatio apud parlamentum in cujus ditione novum ædificium erigitur, itemque patentium litterarum, arestique parlamenti, quod eas ad veritatem exegit, in ejus præturæ acta relatio, in cujus ditione locus in quo monasterium extrui lubet, situs est. In acta etiam referantur, oportet, hæc omnia monumenta apud urbis commune forum, in qua, vel in cujus proxime regione moles struenda est.

Domestici qui in exemptorum monasteriorum infimis atriis, aliisve externis locis degunt, non sunt eorumdem exemptionis participes, & ordinariis parochis subsunt, ut parochiani cæteri, quoad matrimonium, viaticum, extremam unctionem, sepulturam, &c. quia monasteriorum exemptio sæculares eos tantum, seu viros seu feminas complectitur, qui *intra septa monasterii*, hoc est: in regularium locorum internis partibus degunt, suntque e monachorum aut monialium familia, eorum commensales, sub eorum obedientia; ut in Bulla, *Superna*, loquitur Clemens X. *Qui ibi sunt vere de familia, & continui commensales.* *Quære* REFORMATIO & RELIGIOSI.

MONITIO CANONICA. Canonicæ monitionis nomine designatur ad clericum per ecclesiasticam auctoritatem significatio, monitum, admonitio, suos ut mores ad scandalum pravos corrigat, initamque agendi rationem reformet. Censuras *ab homine* dictas antevertere debent canonicæ monitiones tres, aut una tantum, quam secundæ & tertiæ locum tenere edicendum est. *Vide* CENSURA.

Ruzæus, in suo de Regalia Tractatu, pronuntiat canonicarum monitionum solemnes formas per canonicum jus novum inductas fuisse, & in veteri ignotas esse; earum auctorem nonnulli Innocentium Papam III. statuunt. At fallitur laudatus scriptor, quandoquidem certum est Ecclesiam canonicis monitionibus a primis sæculis usam esse, Christi Domini verba nixam, qui peccatorem, quicunque post monitiones seu correctiones tres Ecclesiam audire recusat, tamquam Ethnicum & Publicanum spectari sinit. (Monumenta Cleri, Tom. XI. pag. 812.)

Œcumenica Ephesina synodus quæ an. 431. habita fuit, postquam exposuit in sua ad Imperatorem Theodosium delatione Nestorium, semel & iterum in jus accitum renuisse ad Concilium venire, prosequitur in hæc verba: *Porro autem cum canones præscribant tertio quoque contumacem esse admonendum, missis iterum ad illum Episcopis, durum & immorigerum eumdem invenimus.*

In œcumenico quoque Concilio, an. 451. Chalcedone habito Dioscorus dicitur semel, iterum ac tertio accitus monitusque secundum canones, *ter vocatus secundum sacros canones*, antequam anathemate percelleretur.

Perspicitur œcumenica hæc Concilia duo, quinto ambo sæculo celebrata de canonicis monitionibus tribus, tamquam de usu per antecedentium Conciliorum sanctos canones præscripto loqui; ut inferri proinde merito possit eumdem usum ex Apostolorum traditione, Christi Domini verbis nixa ad nos venisse; & quod inde consequitur, multum abesse, ut per novum canonicum jus inductus, & in veteri ignotus fuerit.

Differt a monitorio monitio, propterea quod hæc est pure putaque ex charitate significatio quam alicujus pœnæ comminatio comitatur, siquidem se corrigere monitus nolit; at monitorium est ecclesiastici superioris ad omnes qui ejusdem jurisdictioni subsunt, fideles jussum, ut, quicquid super occulto aliquo crimine sciunt, sub excommunicationis pœna, patefaciant.

MONITORIUM. Venit monitorii nomine jussio, e scripto emanans ab Ecclesiæ judice qui, excommunicationis indicta pœna, omnibus suæ jurisdictionis fidelibus mandat, ut parochis & vicariis qui jussionem ipsam in suarum parochialium Ecclesiarum concionibus enuntiant, id detegant, quod de gesta re in monitorio exposita notum habent.

Cum monitorium non nisi excommunicationis minas in eos contineat, qui intra statum tempus non revelaverint, comminatorium tantummodo est; & qui designato tempore non revelarunt, excommunicationem non subeunt, nisi cum excommunicationis sententiam judex in eos enuntiatam vult. At si monitorium enuntiet eos qui intra certum quoddam tempus revelare neglexerint, excommunicationi, ipso facto, obnoxios fore, hi quidem excommunicationem subeunt, statim ac præscriptus terminus elapsus est, quin sententiæ quæ excommunicatos declaret, denuntiatione opus sit.

Quemadmodum autem monitoria quædam sunt, quæ ad extorquendam revelationem conceduntur, ita sunt & alia in id concessa, ut, qui furati sunt damnumve intulerunt, aut inventas res ipsi sibi veluti proprietatis titulo tribuerunt, ad restitutionem adigantur. At monitorium nullum seu infidelibus, seu hæreticis, seu excommunicatis denuntiatis conceditur, cum haud par sit iis Ecclesiam patrocinari, a quibus contemnitur, aut discinditur. Catholici ergo tantum monitoria pro se ipsis petendi jus obtinent; eadem nihilominus regis ministris, in hæreticorum gratiam requirentibus conceduntur.

§. I.

De iis qui monitoria concedendi jure pollent.

TRidentinum Concilium solis Episcopis monitoria concedendi facultatem reservat: *Excommunicationes illæ quæ monitionibus præmissis, ad finem revelationis, ut ajunt, aut pro deperditis, seu subtractis rebus fieri solent, a nemine prorsus, præterquam ab Episcopo decernantur; & tunc non alias quam ex re non vulgari causaque diligenter, ac magna maturitate per Episcopum examina-*

minata, quæ ejus animum movent: nec ad eas concedenda cujusvis sæcularis, etiam magistratus auctoritate adducatur, sed solum hoc in ejus arbitrio, & conscientia sit positum. (Concilium Tridentin. sess. XXV. cap. 3. *de Reform.*)

Decretum hoc Gallia non sequitur. Provincialium, quæ ibidem post Tridentinum habita sunt, Conciliorum pleraque statuerunt, ut monitoria ab Episcopis, & præterea ab eorum magnis vicariis, eorumdemque officialibus concederentur: *Excommunicationes vero quæ ob res deperditas, vel ad finem (ut dicitur) revelationis fieri solent, a nemine præterquam ab Episcopo, ejus vicario generali, auditore, vel officiali, si eis hæc facultas nominatim fuerit demandata, causa diligenter cognita, & mature examinata; ac de re non levi, concedantur.* (Concilium Burdigalense, an. 1583. tit. 31. *de Jurisd.*)

Concilia, Remense & Turonense, eodem anno habita in eumdem modum super hac re pronuntiant, itemque Narbonense, an. 1609. & aliud Burdigalense, an. 1624. Ergo generales vicarii tum solum monitoria concedendi facultate gaudent, cum eam Episcopi per peculiarem clausulam iisdem concedunt; generales concessiones nequaquam sufficiunt; sibique Episcopi facultatem hanc, præ suis generalibus vicariis reservare possunt. Non eadem est officialium, seu auditorum ratio; quoad eos reservationem hanc spectarent sæculares curiæ tanquam violationem articuli 2. tituli 7. Mandati criminalis an. 1670. qui, temporalium bonorum obsignationis indicta pœna, officiales jubet monitoria concedere, quæ judex obtineri permiserit; atque adeo diœceses sunt, ut Parisiensis, in quibus officialis solus, & non Episcopus, monitoria concedit. Contendunt præterea nonnulli usum hunc in Gallia communem esse atque universim vigere, & abusui obnoxiam monitorii impetrationem fore, quod non ab officiali, aliove ecclesiasticæ contentiosæ jurisdictionis judice concessum esset.

Monitoria concedendi jus ad eos etiam easque pertinet, qui jurisdictione quasi episcopali gaudent, cujusmodi sunt Cardinales, abbates & abbatissæ. Verum abbatissæ quidem nunquam nisi per suos officiarios, itemque capitula, episcopali sede vacante, non nisi per vicarios quos ad regendam diœcesim nominarunt, exercere possunt.

Qui monitoria concedendi jure pollent, eo licite uti non possunt nisi in extremo discrimine, cum scilicet id de quo agitur, aliter detegi nequit; nec magis possunt eodem uti, cum prævident monitoria inutilia fore, vel quia testes deficient, vel quia monitoria contemnentur, vel quia qui damnum intulerunt, illud reparare non poterunt, &c.

§. II.

De iis ad quos pertinet monitoriorum enuntiatio, ac de eorumdem obligationibus.

MOnitoriorum enuntiatio ita pertinet ad parochos & vicarios, ut hi quidem alius eam presbyteris demandare non possint, nisi in judicis ad eos mandato facta sit hac de re mentio, quia delegatus non potest delegare, parochi porro & vicarii quoad monitoriorum enuntiationem delegati tantummodo sunt: *Mandatam sibi jurisdictionem mandari alteri neminem posse manifestum est.* (ff. *de Officio ejus cui Mand.* l. 5.)

Qui in mandatis habent, ut monitoria enuntient, ea debent ad verbum legentes indicere, quin in iis quicquam mutent, ita quidem, ut nemo non percipiat id quod continent, in parochialis Missæ concione, servatisque intervallis quæ in iisdem notata sunt, fere scilicet in dominicos singulos dies. At ea solemnioribus diebus, cujusmodi sunt Natalis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, sancti Sacramenti, seu Corporis Christi dies, enuntiare non debent, nisi Episcopus aliter mandet.

Debent ob oculos ponere excommunicationis naturam effectaque formidanda; eorum injustitiam, qui monitoria, vindictæ animo, vel ob leves causas petunt; obligationem ad revelationem veniendi, quia ad excommunicationem subeundam designatus terminus expectatur; excommunicationis ad Episcopum reservationem, cum in eam incidit, qui intra tempus non revelavit, quod is, monitorium decernens præscripsit.

Si monitorii impetrationem obreptitiam esse perspexerint, officialem de re monebunt, quia ejus enuntiationem suapte auctoritate suspendant, etiamsi criminis auctor apud eos in pœnitentiæ tribunali rem fassus esset, reparationis obstricta fide; id eos facere vetant leges, temporalium bonorum obsignationis indicta pœna.

In depositionibus recipiendis impedient, ne quid aliud reveletur, quam quod in monitoriis continetur: revelationes sua manu scribent in peculiari codice, signabuntque ipsi, & ab unoquoque teste signandas curabunt, siquidem testes subscribere sciunt, aut, si nesciunt, eorumdem inscitiæ mentionem facient; easque ad judicis qui enuntiationem concesserit, ejusve apud quem lis pendet, tabularium obsignatas mittent.

Sedolo cavebunt, ne quem nominent, ulllove indicio prodant, cui pars ad monitoria esse posset, sucus, reparationibus, damno emergenti & lucro cessanti, quod inde contingeret, obnoxii futuri, graviterque ob imprudentiam puniendi. Si qua forte monitorii enuntiationi oppositio suborta fuerit, eam suspendent, in nullitatis pœnam, eamque præterea, ut, quicquid egerint, de suo revocandum curent.

Si officiales monitoria concedere, aut eadem parochi & vicarii enuntiare contra jus fasque renuerint, eos magistratus, ut jussa faciant, per temporalium bonorum obsignationem adigere potest, quia monitoria sunt spiritalia quædam subsidia quæ Ecclesia magistratui debet, quemadmodum magistratus, in eadem facti specie, suppetias feret, & præsto sit Ecclesiæ, necesse est: „ Injungimus officialibus, indicta eorumdem „ temporalium bonorum obsignationis pœna, ut mo„ nitoria concedant, quæ judex obtineri permiserit. “ (Mandatum criminale, art. 20. tit. 7.)

§. III.

De conditionibus ad monitoria necessariis.

PRima conditio ad monitorium obtinendum necessaria est judicis regii aut non regii, ecclesiastici aut laici permissio, vel requisitio. Potest etiam privata pars monitorium requirere, ratione habita prosecutionum apud officialis tribunal, qui & ipse solus, ac sine judicis requisitione monitoria concedere potest ob crimen quod ad ejus tribunal delatum fuit, cum in querela privilegiatus casus extiterit. Ita judicatum per arestum Consilii, die 12. Maji an. 1700.

Secunda est gravis, & magni momenti res, cujus probatio aliter haberi non possit: *Monitiones ad finem revelationis, & excommunicationis sententia a nullis præter quam a potestatem habentibus, nec nisi pro causa gravi concedantur.* (Concilium Remense, an. 1583. tit. *de Jurisdictiom.*)

Ex Fevretio, aliisque auctoribus pluribus Romæ non sinitur in civilibus instantiis monitoria concedi, nisi res de qua agitur, quinquaginta ducatorum valorem excedat.

Edicti mensis Aprilis an. 1695. articulus 26. monitoriorum enuntiationem licere non vult „ nisi ob cri„ mina & scandala publica, cumque eorum probatio „ aliter haberi non poterit. “

Galliarum tamen constans is usus est, ut monitoria, tam in civili quam in criminali negotio ob graves magnique ponderis res gestas obtineantur; ut cum de celatis mortuorum corporibus, aut mobilium hæreditatis bonorum asportationibus agitur, aut res in decoctionis, singularis certaminis, duelli vulgo, simoniæ, &c. specie versatur.

Tertia monitoriorum conditio est, ea non debere, in nullitatis pœnam, quicquam aliud continere, quam quod in requisitionis judicio enuntiatur.

Quarta est, oportere, ut monitorium vagis & generalibus verbis conceptum sit, sine personarum quæ accusatæ sunt, aut suspicioni subsunt, nomine, cognomine, aliave designatione, nisi hæc ad rem, quæ de agitur, significandam necessaria sit. (Mandatum criminale mensis Aprilis an. 1670. tit. 8. *de Monitoriis*, art. 3. & 4.)

§. IV.

De iis qui monitorii vi revelare debent, quique a revelatione immunes sunt.

QUicunque sub ecclesiastici superioris qui monitorium concessit, jurisdictione sunt, id revelare debent, quod sciunt super re quam illud propositam habet, nisi eos huic legi jus eximat, quia is superior ea potestate gaudet, ut ejusmodi revelationem iis omnibus præcipiat, qui ejusdem jurisdictioni subsunt, & quia reapse hanc omnibus præcipit, secundum hæc in monitoriis contenta verba: „ Et generatim in eos eas„ que omnes quibus rerum de quibus supra notitia „ est. “ Ex hoc principio quæ deducendæ veniunt consecutiones, ejusmodi sunt.

1. Infideles, Judæi, catechumeni, fatui, pueri qui non-

rendum possint rationis usu, revelationis legi non subsunt, quia in eorum alios quidem nulla est Ecclesiæ jurisdictio, alii vero precepti & obedientiæ impotes sunt.

4. Qui ex alia diœcesi sunt, quique reapse in ea non versantur, in qua monitorium indictum est, revelare non tenentur, itemque qui sunt e diœcesi, sed hanc ante monitorii enuntiationem deseruerunt. Eadem est eorum ratio qui sub Episcopi jurisdictione non sunt, quamvis in ejus territorio sint, ut viatores, quibus non aliud quam transeundi consilium est, nisi forte satis longo tempore ibidem morentur, ut in revelationem ire commode possint.

3. Qui e parœcia sunt ab ea alia, in qua monitorium indictum fuit, se ad revelationem conferre debent, modo ex eadem diœcesi sint, quia ex Episcopi auctoritate, qui in suos omnes diœcesanos jurisdictione gaudet, monitoria vim obtinent obligandi. Idem judicium de omnibus religiosis ferendum est, quippe qui, quoad censuras, Episcopis subsunt, ex hac Tridentinæ synodi (sess. XXV. cap. 12. *de Regularib.*) dispositione; *Censuræ & interdicta, nedum a sede Apostolica emanata, sed etiam ab ordinariis promulgata, mandante Episcopo, a regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, atque serventur.*

4. Cum monitoria religionem, aut reipublicæ commune bonum spectant, revelationi nemo unus eximitur, nisi criminis auctores & socii sint, quia hujus generis bona privato cuivis emolumento præferri debent, secundum proloquia hæc: *Salus populi suprema lex esto; contra publicos hostes, & majestatis reos omnis homo miles.* Ea est exceptionis ratio, quia cum propriæ personæ, propriorumque bonorum conservatio naturalis juris sit, nemo tenetur se ipsum accusare, & ad suam ipsius damnationem probationes suppeditare; id in causa fuit, ut parlamenta declararent abusive monitoria, quæ nec partem, seu reum, nec ejus consultores excipiunt, nisi de bonis inter cohæredes celatis, deque titulorum & monumentorum liti inservientium latitatione agatur; tunc enim revelationi nemo subducitur, nec celatores quidem, eorumque consultores, advocati, procuratores, ut diei 24. Aprilis an. 1540. diei 2. Martii an. 1544. diei 10. Decembris an. 1602. arresta pronuntiant, quæ Morxacius, lib. 1. *de Testibus*, in medium effert.

5. Cum monitoria nec religionem, nec commune reipublicæ bonum spectant, nemo revelare tenetur, cum id facere nequit, quin ipse sibi infamiam afferat, aut grave damnum subeat, aut naturale secretum violet, at cum revelatio sub mortalis peccati pœna mandari non potest; quia Ecclesia, monitoriis concedendis, non ea mente est, ut quempiam jubeat sibimet ipsi infamiam, aut grave detrimentum creare, aut naturale jus violare, vel ut excommunicationem ob veniale peccatum pronuntiat. Quamobrem consanguinei & affines, ad quartum usque & hunc ipsum gradum, in linea collaterali, & ad infinitum in linea recta, contra consanguineos aut affines, in civili vel criminali negotio, revelationis obligationi non subsunt. Eadem est viri quoad conjugem, & conjugis quoad virum ratio, quia non sunt nisi una caro. Perinde se habent compatres inter se, patrinus quoad filioli matrem, patrinus & filiolus inter se, quia patrinus est pater spiritalis, & filiolus est filius spiritalis. Eadem famulorum etiam quoad dominos & dominas ratio est, nisi de privilegiatis criminibus, cujusmodi sunt hæresis, Principis cædes, patriæ proditio, aut de delictis agatur, quæ non nisi e domesticis sciri possunt, ut, ex vir uxorem, aut uxor virum percusserit, mutilaverit, interfecerit; vel nisi domestici ipsi apud judicem in jus acciti sint; tunc enim debent interrogati respondere: nec magis domini dominæque suos in famulos, tutoresque suos in minores, & vicissim, revelare tenentur; nec item revelationis legi subest, qui grave, si id egerit, seu spiritale, seu temporale malum merito timet sibi suisve, qui sunt pater, mater, uxor, vir, generi, & fortasse consanguinei & affines quartum ad gradum usque. Perinde res habet quoad eos qui quempiam sciunt alterius bonis non nisi per compensationem, aut legitimam præscriptionem frui. Ferendum idem de iis judicium, qui revelare non possunt, quin secretum explicite, aut implicite violent; hoc in genere sunt advocati, notarii, procuratores, sollicitatores, ii e quibus captum consilium, medici, chirurgi, pharmacopolæ, obstetrices, intimi amici, ii quibus secretum in aurem concreditum. Excipitur facti species, in qua de matrimonii dirimente impedimento, aut de initio, & nondum ad executionem perducto contra seu publicum, seu privatum bonum consilio ageretur; tunc scilicet revelandum esset. Non est revelationi locus, cum inutilis futura est, ut cum is unus e quo percepta res, eam ipse revelavit, aut ejus notitiam non nisi vagus & publicus rumor attulit; aut cum, causa exempli, qui alienum bonum retinet, in physica vel morali restituendi impotentia versatur; aut cum quispiam solus homicidii testis oculatus fuit, quia *unus testis, nullus testis.*

Confessarii non tenentur id revelare quod solum ex confessione sciunt, quoniam quod hac ratione sciunt, revelare non possunt, quin naturalem, divinam humanamque, tam ecclesiasticam quam civilem quæ iis secretum præcipit, legem violent. Nec magis iidem, quoad suos pœnitentes revelationis obligationi subsunt, cum rem aliter quam per confessionem sciunt, seu eam pœnitentes apud eosdem confessi fuerint, seu non. Ratio est 1. quia confessarius est suorum omnium pœnitentium spiritalis pater; 2. quia dubio procul ejusmodi revelatio ei publice ignominiam afferret, cum publice, scilicet violati confessionis sigilli suspicioni obnoxium redderet; 3. quia hæc revelatio non solum confessario, sed etiam religioni & fidelibus, ut generatim loquamur, officeret, confessionem videlicet odiosam efficeret.

Quicunque in exemptionis casu non est, statim a prima monitione revelare debet, quia revelationis procrastinatio partibus quarum interest, detrimenti multum afferre potest, & quia fidelis quisque, cum primum potuit, parere debet Ecclesiæ, cum præcipit, ut ea reapse per primam monitionem facit. Justitiæ proinde & religione nititur officium hoc; justitiæ quidem, quia qui non revelat, damnum parit, quod impedire debuisset, adeoque restitutionis obligationi subest; religione vero, quia præcipientis Ecclesiæ imperium detrectat. Hæc rationum momenta probant eum qui tempore per monitorium præscripto revelare neglexit, id facere debere, dum revelatio utilis esse potest, quia terminus ad revelandum designatus non alio spectat, quam ut intra statum tempus ad revelationem obliget, non autem ut ab ea post elapsum tempus dispenset. Dubitatio, an adsit revelationis obligatio, quoad hanc adesse, vel non adesse certo constituit, propriorum negotiorum implicatio, quæ sine gravi damno differri non possent, justus proprii per inconsultam præcipitemque revelationem detrimenti timor, justa itidem spes fore, ut partes ad conventionem deveniant; hæc & ejusmodi alia rationum momenta ad revelationem protrahendam sufficiunt.

§. V.

De eorum pœnis qui non revelant.

EXcommunicatio major, Episcopo reservata, qui monitorium vel ipse per se, vel per officialis ministerium decrevit, est pœna in eos lata, qui non revelant, cum possunt, & debent. Ab eo igitur is unus, aut qui ejus in hanc rem facultatibus instructi sunt, absolvere possunt.

Sequitur hinc, 1. eum qui excommunicationem majorem subiit, monitorii a Blesensi Episcopo decreti vi, a Parisiensi Archiepiscopo absolvi non posse, præter quam in appellationis casu; quia latum in contentioso foro judicium finiri, ubi incepit, debet, nec ad aliud vel superius tribunal, nisi per appellationem, deferri potest.

Sequitur, 2. regulares, suorum privilegiorum vi, a censura per monitorium lata absolvere non posse, quia nullum adest in præsentia privilegium quod iis a censuris quas sibi Episcopi reservarunt, absolvendi potestatem tribuat.

Sequitur, 3. tametsi pars cujus interest, in id consentiret, ut, qui excommunicationem propterea subiit, quia monitorio non paruit, se a quo mallet Episcopo absolvendum curaret, non minus tamen necesse fore, ut reus Episcopum adeat, qui monitorium decrevit, quia partium consensus nemini potest necessariam jurisdictionem tribuere, ut censuras tollat iis a jure reservatas qui eas tulerunt.

Huic de monitoriis articulo, quæ sequuntur animadversiones finem imponent.

1. Monitoriorum origo, prout ut ea quidem se habent hoc tempore, ad primam antiquitatem non pertinet. Iis primus Alexander III. post medium duodecimum sæculum usus videtur in Prænestini Episcopi, & Sublacensis Abbatiæ causa. Innocentius III. qui an. 1198. summus Pontifex electus fuit, itemque Honorius III. qui an. 1216. sanctam sedem conscendit, Alexandri exemplum secuti sunt. In Extravagantibus Joannis XXII. qui an. 1316. pontificatum obtinuit, occurrit affabre expressa monitorii formula, quæ exemplaris loco iis omnibus fuit, quæ deinceps ab ineunte de-

te decimo quarto sæculo ad hoc usque expedita fuere.

2. Libertatum apud Gallos caput, eorumque jurisprudentiæ constans effatum est, non licere monitoria in Romana curia obtineri, aut perfici, ut eadem, *auctoritate apostolica*, executioni mandentur; ibi scilicet ejusmodi monitoria declarantur abusiva a sæcularibus curiis quæ in monitoriis obtinendis, ut in cæteris ecclesiasticis negotiis in quibus Papa proximæ jurisdictionis possessione non gaudet, jurisdictionum ordinem servari jubent. Idem dicendum de monitoriis quæ e legatis & vice-legatis Avenionensibus conceduntur, ut in Gallia promulgentur; ea nimirum solummodo ad Archiepiscoporum & Episcoporum recusationem, servato jurisdictionum ordine, permittuntur. (Monumenta Cleri, Tom. VII. p. 1030. & seq.)

3. Declarantur etiam eadem curiæ abusiva monitoria quæ dicuntur, *Significavit*, quia, Romanæ in qua obtinebantur, curiæ nomine, suspectæ parti significabantur. Declarata autem fuere abusiva ejusmodi monitoria ob rationes quæ sequuntur. Erant scandalo obnoxia & probrosa, quippe quæ eos indicabant, quibus aliqua in monitoriis pars erat, aut esse poterat; nocebant ordinariorum jurisdictioni, quibus scilicet formam quam servarent, perscribebant; lædebant Gallicanæ Ecclesiæ libertates, Gallicanum Concordatum, Gallorum Regum sanctiones, & parlamentorum aresta, quæ subditos extra regnum traduci vetant; duas tantum monitiones requirebant, auctoritatique officiabant laicorum judicum, sine quorum venia nullum in Gallis seu obtineri, seu enuntiari monitorium potest. Hallucinatus est Fevretius, dum monitoria, *Significavit* inducta dixit, Pio V. Ecclesiam regente, quandoquidem sanctus hic Pontifex an. tantum 1566. apostolicum solium conscendit, ac longe anteriora extant aresta quæ ejusmodi monitoria rejecerunt, unumque, inter alia, quod an. 1535. Nannetensi in urbe pronuntiatum fuit. (Havicius in Franium, pag. 155.)

4. Concilia super juribus ad expedienda & promulganda monitoria nihil statuerunt; at Constitutio anni 1670. articulo 7. titulo 7. vetat officiales sumere aut recipere pro quoque monitorio plus quam triginta solidos, eorum actuarios plus quam decem, in hanc summam relatis sigilli juribus; & parochos aut vicarios itidem plus quam solidos decem, in pœnam restitutionis quadrupli, quin tamen in regionibus, ubi minus tribuendi mos viget, jure augeri possint. *Vide* Eveillon in *Tractatu de Excommunicationibus & Monitoriis*, & D. Rouault, parochum sancti Perii in *Tractatu de Monitoriis*, impresso Parisiis an. 1740. apud Gissey, Bordelet in Ganeau.

MONOTHELITÆ, hæretici qui in Christo Domino unam tantum voluntatem, unamque tantum operationem ponebant; quod græca vox; *Monothelita*, significat. Non negabant, ut Eutychiani, duas in Christo naturas esse; nec magis facultates, voluntatem, & operationes humanas, ob naturas duas, in Christo ipso esse negabant; sed eas ad unam *theandricam*, seu *deivirilem* operationem redigebant, quam Verbo tamquam soli activo principio in Christo Domino tribuebant, quia humanitas, ajebant, ita eidem unita erat, ut non ageret ipsa per se, sed per Verbum, quod ei suum omnem motum tribuebat tamquam puro putoque organo & instrumento mere passivo sub artificis manu, qui illud movet, eique vim præbet, ut agat. Ponere in Christo activa principia duo; erat, eorum sententia, in eo profiteri personas duas, individua duo, quia non percipiebant humanam naturam, humanam animam Christi Domini activum principium esse, quod suas facultates, suasque operationes proprias haberet, quin humanam proinde personam conficeret. Causa exempli, cum Christus famem, sitim, dolorem patiebatur, humana ejus anima, seu humanitas vere harum sensationum principium erat; ea quidem reapse patiebatur: itemque cum Christus miracula per contactum patrabat, humanitas vere corpus tangebat, dum divinitas sanabat.

Theodorus, Episcopus Pharanitanus, Monothelismum, sub annum 630. primus docuit; Cyrus Phasensis, ac deinde Alexandrinus Episcopus, Sergius & Pyrrhus, Constantinopolitani Patriarchæ in eamdem sententiam descenderunt, iisque favit Heraclius Imperator, edita declaratione, cui titulus: *Ecthesis*, seu *Expositio Fidei*; quæ voluntatis unitatem in Christo statuebat. Monumentum hoc quod Sergius, Constantinopolitanus Patriarcha elaboraverat, quodque nonnulla ab eo in hanc rem coacta conciliabula approbaverant, Joanne Papa IV. & ab Africæ Episcopis damnatum fuit. Imperator Valens evulgari jussit, an. 648. edi-

Ricard Concil. Tom. IV.

ctum aliud seu formularium, *Typum* nuncupatum, quod super quæstione de voluntatum in Christo unitate aut multiplicitate silentium imponebat; at hujus Typi, quam Ecthesis haud melior sors fuit; num damnarunt summi Pontifices Theodorus & Martinus I. & hic quidem an. 649. Romæ super hoc negotio Concilium habuit. Sanctus monachus Sophronius, sanctusque Abbas Maximus acriter in Monothelitas invecti sunt. Eos Constantinopolitanum Concilium, an. 680. celebratum, quod œcumenicum sextum est, peremptorie damnavit; atque, ab eo tempore Monothelitæ evanuerunt, seu Eutychianis se consocistunt. Generalis Concilii sexti definitio solemnibus his verbis concepta est.

Sancta & œcumenica Synodus decernit Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum nostrum perfectum in divinitate & perfectum in humanitate, Deum vere, & hominem vere eumdem ex anima rationis compote & corpore ...., unum & eumdem Christum Dominum Unigenitum, qui in duabus naturis, inconfuse, immutabiliter, individue, inseparabiliter cognoscitur, naturarum differentia nequaquam sublata propter unionem, sed servata potius proprietate utriusque naturæ, & concurrente in unam personam, & unam hypostasim, nec divisa in duas personas .... & duas naturales voluntates in eodem, & duas naturales operationes individue, inseparabiliter, immutabiliter, inconfuse, secundum sanctorum Patrum doctrinam, similiter prædicamus, & duas quidem naturales voluntates non contrarias, absit, sicut impii dixerunt hæretici, sed humanam ejus voluntatem sequentem & non resistentem, aut reluctantem, immo vere ejus divinæ & omnipotenti subjectam voluntati .... duas autem naturales operationes .... nempe divinam operationem, & humanam operationem .... non enim utique unam dabimus naturalem operationem Dei & rei creatæ; ut neque quod est creatum, ad divinam reducamus essentiam, neque quod est divinæ naturæ eximium, deducamus ad locum qui convenit genitis .... inconfusum ergo & individuum omni ex parte conservantes, vocis compendio universum enuntiamus; unum sanctæ Trinitatis Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum nostrum esse credentes, dicimus duas ejus naturas resplendere in una hypostasi, in qua miracula & passiones, per totam œcumenicam ejus conversationem, non secundum phantasiam, vere ostendit; naturali in ipsa una hypostasi differentia cognita, quod cum alterutrius societate utraque natura velit & operetur propria. Qua quidem ratione duas quoque naturales voluntates & operationes convenienter concurrere opinamur ad salutem humani generis. His igitur cum omni cura & diligentia a nobis definitis, statuimus nulli licere aliam fidem proferre, seu conscribere, aut componere, aut aliter docere.

MONTES PIETATIS. Ita nuncupantur magni quidam pecuniæ vel mercium, ut farinæ, frumenti, &c. acervi cumulique in eum finem coacti, ut indigentibus, aliquo dato pignore, quæque sequuntur, conditionibus, suppeditentur.

1. Mutuum quo de loquimur, pauperibus tantum, & quidem ad certum tempus, exempli causa, ad annum datur. 2. Qui mutuantur, pignus exhibent, quod venditur, cum mutuam stato tempore summam non reddunt, cujusque quod superest, seu residuum iisdem traditur, cum pignoris pretium eam summam excedit. 3. Seu pignus vendatur, seu sors reddatur, pietatis montium ministris præbetur aliquid ultra summam quam mutuam dant, tum ut ipsi sustententur, tum ut domibus quas conducunt, censibus quos solvunt, aliisque necessariis sumptibus fiat satis; quamobrem hoc aliquid ultra summam omnino usurarium non est, & pietatis montes a generali Lateranensi Concilio, sub Leone X. itemque a Tridentino approbati fuere.

Nos, sacro approbante Concilio, declaramus & definimus, montes pietatis per respublicas institutos, & auctoritate Sedis apostolicæ hactenus probatos & confirmatos, in quibus pro eorum impensis & indemnitate aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas, & aliarum rerum, ad illorum sustentationem, ut præfertur, pertinentium, pro eorum indemnitate duntaxat, ultra sortem absque lucro eorumdem montium accipitur, neque speciem mali præferre, nec peccandi incentivum præstare; neque ullo pacto improbari, quinimmo meritorium esse, ac laudari & probari debere tale mutuum, & minime usurarium putari, licereque illorum pietatem & misericordiam populis prædicare, etiam cum indulgentiis a sancta Sede apostolica eam ob causam concessis; ac deinceps alios etiam similes montes cum apostolicæ Sedis approbatione erigi posse. (Leo X. in generalis Lateranensis Concilii sessione decima, habita die 4. Maji an. 1514.)

Eleemosynas montis pietatis, sive charitatis, & pia

loca omnia, quomodocunque nuncupentur, etiamsi prædictorum locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita; ac omnia quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo juxta sacrorum canonum statuta cognoscant, & exequantur (Episcopi). (Concilium Tridentinum, Sess. 22. cap. 8. *de Reform.*)

Pietatis montes in piorum locorum numero non poneret Tridentina Synodus, eosdemque perinde ac pia loca cætera Episcoporum visitationi non subderet, si ipsos per se malos & usurarios crederet. Cæterum, pietatis montium genera prorsus tria distinguuntur; sunt alii e fidelium eleemosynis constituti, quæ hanc ob causam congestæ sunt; & hi quidem appellantur *Italici*, quia Perusiæ, in Italia, an. 1450. initium habuere; sunt alii e pecunia ad censum sumpta instituti, & *Belgici* nuncupantur, quia in Belgio, an. 1619. erecti fuere; denique sunt alii mixti, seu ex eleemosynis & pecunia ad censum sumpta conflati.

MORS, animæ a corpore separatio. Per dæmonis invidiam intravit in mundum mors; hæc peccati pœna est; ejusque tristem sibi suæque posteritati legem propterea subiit hominum primus, quia vetitum fructum comedit. Si Dei prohibitionem, ne eo vesceretur, non violasset, mortuus non esset, ejusque fructus arboris vitæ constantem ei valetudinem per longæ & felicis vitæ tranquillum cursum servasset, post quem in immortalitatis sedem eumdem, ut Enoch & Eliam, quin morti subderet, transtulisset; quæ Conciliorum sane doctrina est.

Placuit ergo omnibus Episcopis qui fuerunt in hac sancta Synodo, constituere hæc quæ in præsenti Concilio definita sunt, ut, quicunque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit. (Concilium Milevitanum, an. 416. can. 1.)

Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & justitiam in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi iram & indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli; totumque Adam per illam prævaricationis offensam, secundum corpus & animam in deterius commutatum fuisse; anathema sit. (Concilium Tridentinum Sess. 5. Decret. *de Peccato Originali.*)

MORTUI. Hebræi de animæ immortalitate, deque futura resurrectione certi magnam mortuorum rationem habebant. Suum esse putabant religionis vi eos funebri pompa prosequi, ac tamquam extremam calamitatem spectabant sepultura privari. Christiani quoque, ita & ipsi persuasum habentes, magnopere de suis defunctis solliciti sunt; eos cum cura sepeliunt; iis cum pietate invigilant, psalmos recitantes; eos cum observantia humo tradunt. Occurrunt in Conciliis super mortuis statuta plura; en eorum nonnulla, quæ animadversione digniora sunt.

Item placuit, ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur .... Cavendum est etiam, ne mortuos etiam baptizari posse fratrum infirmitas credat. (Concilium Carthaginense, an. 397. can. 6.)

Non licet mortuis nec Eucharistiam, nec osculum tradi, nec velo, vel pallis corpora eorum involvi. (Concilium Antissiodorense, an. 578. can. 12.)

Mortuos Ecclesiæ, pœnitentes afferant, & sepeliant. (Concilium Carthaginense, an. 398. can. 81.)

Religiosorum omnium corpora, qui divina vocatione ab hac vita recedunt, cum psalmis tantummodo, psallentium vocibus debere ad sepulcra deferri. Nam funebre carmen quod vulgo defunctis cantari solet, vel pectoribus se, proximos, aut familias cædere omnino prohibemus. Sufficiat autem, quod in spe resurrectionis Christianorum corporis, famulatus divinorum impenditur canticorum; prohibet enim nos apostolus lugere defunctos, dicens: De dormientibus autem nolo vos contristari, sicut & cæteri qui spem non habent; *& Dominus non flevit Lazarum mortuum, sed ad hujus vitæ ærumnas ploravit resuscitandum.* (Concilium Toletanum, an. 589. cap. 22.)

Plerique Sacerdotum .... non solum hominibus fallaciter loqui minime pertimescunt, sed & in sanctis basilicis supra altare Domini coram Deo idem nequaquam perpetrare horrescunt. Nam Missam pro requie defunctorum promulgatam fallaci voto pro vivis student celebrare hominibus; non ob aliud, nisi ut is pro quo id ipsum offertur sacrificium, ipsius sacrosancti libaminis interventu, mortis ac perditionis incurrat periculum; & quod cunctis datum est in salutis remedium, illi hoc perverso instinctu quibusdam esse optetur in interitum. Obinde nostra elegit unanimitate conventus, ut, si quis Sacerdotum deinceps talia perpetrasse fuerit detectus, a proprio deponatur gradu. (Concilium Toletanum, an. 694. cap. 5.)

Ut pallia quæ super mortuorum corpora posita sunt, non ponantur super altare. (Concilium Bituricense, an. 1031. can. 14.)

Quod etiam idem statuit in choreis, & cantilenis, secularibus ludis, & aliis turpibus & fatuis declinandis, in vigiliis quæ fiunt circa corpora mortuorum, præcipimus inviolabiliter observari; nec ad dictas vigilias aliqui veniant, nisi causa devotionis, & quæ ab hujusmodi .... voluerint abstinere. *Quære* PURGATORIUM, SEPULTURA.

MULCTA. Venit hoc nomine pœna a lege vel a judice imposita ad legum transgressionem aliquam puniendam; Galli vocant *amende* a latino verbo *emendare*, quod significat corrigere, punire. Distinguitur mulcta duplex, *honoraria* & *pecuniaria*. Honoraria est honoris quoad quempiam peculiariter, vel universim quoad Rempublicam reparatio; pecuniaria est pœna in eo posita, ut pecuniæ certa quædam summa solvatur. Mulcta pecuniaria penes omnes populos usui fuit, eamdemque Concilia in plurium delictorum punitionem passim præscribunt.

Laici qui contempserint archipresbyterorum monita mulctam edicto Principis statutam solvent: *Si quis ex secularibus institutionem, aut admonitionem Archipresbyteri sui, contumacia faciente, audire distulerit .... mulctam quam .... rex præcepto suo instituit, sustineat.* (Concilium Antissiodorense, an. 578. can. 44.)

Si presbyter vulneratus superstes fuerit, mulcta ad quam percussor damnabitur, eidem presbytero tota cedet; ut si ex vulneribus occubuerit, mulcta tribuetur in partes tres, quarum una tradetur ejus Ecclesiæ, altera ejusdem Episcopo, consanguineis tertia; *Si quis presbyter vulneratus evaserit, & supervixerit, tota compositio persolvatur presbytero. Si autem articulo mortis præventus obierit, pretium weregeldi tripartita patiatur divisione; id est, altari cui ordinatus fuerat, pars una; Episcopo in cujus diœcesi erat, altera; tertia parentibus.* (Concilium Triburiense, an. 895. can. 4.)

Qui dominica die vendiderit, mercem amittet, solvetque præterea mulctæ triginta solidos: *Die autem dominica nemo mercaturam faciat; id quod si quis egerit, & ipsa merce, & triginta præterea solidis mulctator.* (Concilium Gratelense, an. 928. can. 6.)

Caput, *Licet de Pœnis*, tit. *de Offic. Judic.* Decretalium, Ecclesiæ judicem vetat in clericos mulctas decernere, & caput *Dilectus*, ejusdem tituli, id ei permittit, ut sit eorum criminibus pœnæ loco. Hostiensis ad cap. *Ut clericorum*, *de vita & honest. Cleric.* & Fagnanus super cap. *Licet*, & cap. *Irrefragabili*, §. *Cæterum de pœnis* hos canones ita conciliant, ut mulctæ sint nullæ & irritæ, cum pronuntiatæ sunt ad Episcopi vel Archidiaconi emolumentum, quia hæc quoad eos avaritiæ nota est, & quia ex alia parte nullum Ecclesia fiscum habet; ut si Ecclesiasticus judex clericum ad mulctam damnans, ejus usum pio operi adicit, mulcta ipsa recte pronuntiata sit ex Ecclesiæ mente. Ex hac distinctione, Concilia plura, &, inter alia, Tridentinum mandarunt, ut mulctæ ab Ecclesiæ judice pronuntiatæ non ejus emolumento addicerentur, sed in pia opera conferrentur: *Quod si a superioribus moniti (clerici concubinarii) ab iis se non abstinuerint, tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum beneficiorum suorum quorumcumque & pensionum, ipso facto, sint privati; quæ fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco, arbitrio Episcopi, applicetur.*

Distinctionem hanc sequuntur Galli; apud eos Ecclesiæ judex pecuniarias mulctas clericis imponere potest, ut eleemosynæ solum titulo, expressisque verbis designato ad certum aliquod pium opus earumdem usu, & quin directe vel indirecte ad Episcopi emolumentum vergere possint; mulctæ tamen nomen seu titulus non præberet nullitati aut abusui locum, si facta esset & notata in sententia ad pia opera ejusdem mulctæ applicatio. Quod laicos spectat, non potest Ecclesiæ judex iis pecuniarias mulctas imponere, nisi in casu promissionis matrimonii, quam injuste exequi renuunt, & in aliis similibus. (Chopinius, lib. 2. *De Sacra Politia*, tit. 3. n. 9. Fevretius, lib. 8. cap. 4. n. 5. Ducasse, in Tractatu de Ecclesiastica Jurisdictione, part. 1. cap. 9. Fleurius, Instit. Part. III. cap. 18. *Vide* JURISDICTIO ECCLESIASTICA.

Ad honorariam mulctam quod attinet, Fevretius, lib. 8. cap. 4. n. 6. post Chopinium asserit Ecclesiæ judicem

dicem posse clericum ad honorarium mulctam damnare, dummodo intra sui prætorii ambitum eam executioni mandare jubeat. Castellus qui ab eadem sententia stat, Tom. II. dist. 4. sect. 3. per hanc pœnam ait irregularitatem non importari, quia in ea nec mutilatio adest, nec sanguinis effusio, nec eam ulla functio ullumve decretum ecclesiastico judici prohibent. At Decesse, quamvis Officialis, declarat Ecclesiæ judicem non debere hanc pœnam decernere, quia honori clerici irreparabilem notam inurit; ut proinde recentiorum ad Fevretium Adnotationum auctor sentiat Ecclesiæ judicem non posse ejusmodi damnationes pronuntiare, solumque mandare posse, ut accusatus veniam, ad ipsius prætorii audientiam, nonnullis præsentibus, petat. (Monumenta Cleri, tom. 7. p. 1286. & seq.)

MULIER. Mulieris nomine omnes feminini sexus personæ, seu nuptæ seu non, generatim intelliguntur. Civili jure, mulieres nullum publicum munus obire possunt; easdemque canonicum jus ab omnibus pariter vere ecclesiasticis & spiritalibus officiis arcet. Non possunt ipsæ vel e suggestu divinum verbum nuntiare, vel publice docere, vel absolvere, vel excommunicationi subdere, vel benedictionem, thusve ad altare tribuere, vel Missæ inservire, vel sacra vasa tangere, &c. *Quod non oporteat mulieres ingredi ad altare, nec ea contingere, quæ virorum officiis deputata sunt.* Laodicenum Concilium, habitum quarto sæculo, ita tamen, ut, quo potissimum anno, in incerto sit.

Mulier, quamvis docta & sancta, viros in conventu docere non præsumat. (Concil. Carthaginense, an. 398. can. 99.)

Mulier baptizare non præsumat. (Can. 100.)

Non liceat mulieribus in divini sacrificii tempore loqui, sed, ut vox est apostoli Pauli, sileant; non enim eis loqui permissum est, sed subjici, sicut dicit lex. (Concilium in Trullo, an. 692. can. 70.)

Prohibendum, & modis omnibus interminandum est, ut nullus Sacerdos aut personas feminarum, sicut & in canone insertum continetur, de quibus suspicio esse potest, in domo sua habeat, *sed neque illas quas canones concedunt, (quia, instigante diabolo, etiam in illis scelus frequenter perpetratum reperitur, aut etiam in pedisequis illarum) scilicet matrem, amitam, sororem. Sed si quis de his habuerit talem necessitatem patientem, cui sit necessaria sustentatio presbyteri; habeat in vico, aut villa domum longe a presbyteri conversatione, & ibi ei subministret quæ necessaria sunt. Sed & hoc, secundum auctoritatem canonum, modis omnibus prohibendum, ut nulla femina ad altare præsumat accedere, aut presbytero ministrare, aut infra cancellos stare, aut sedere.* (Concilium Nannetense, an. 660. can. 3.)

Innumeri præterea canones suppetunt, qui ecclesiasticis mandant, ut *feminarum societatem* fugiant, quique ipsis vetant, ne eas hospitio recipiant, aut familiaritatem cum iisdem ineant.

MUSICA, sonorum tum vocis quam instrumentorum mixtio, ad aures jucunde detinendas & titillandas accommodata.

In terrarum orbe musices antiquitas summa est, ea quidem nota erat ante diluvium; eademque in suis religionis cæremoniis Hebræi utebantur. Musices cujus usus in tabernaculo, sub Davide, & in templo, sub Salomone, Asaph, Heman & Idithum præcipui magistri erant. Non est ergo mala musice ipsa per se, sed mala solum evadit ob adjuncta plura temporum, locorum, cantionum, argumentorum, personarumque quæ in ejus executione intervenire possunt, atque hinc nimirum, quod ad musicen attinet, opinionum varietas. Eam alii afferunt ad cælum usque, testanturque ut nihil esse ad temperandos mores, regendasque cupiditates aptius, quippe quæ sonorum harmonia illectum raptumque animum suaviter æque ac grate afficit. Contendunt, e converso, alii musicen, saltem prout se habet in præsentia, ea solum vi pollere posse, ut mores enervet, molliat, corrumpat, mentemque & cor vitiet; ex quo inferunt eam, nisi prorsus ad conciliorum mentem & regulas reformetur, acerrime durissimeque e christianis societatibus Ecclesiisque extrudendam esse.

Ab omnibus, quæcunque ad aurium & ad oculorum pertinent illecebras, unde vigor animi emolliri posse credatur, (quod de nonnullis generibus musicorum, aliisque nonnullis rebus sentiri potest) Dei Sacerdotes abstinere debent, quia per aurium, oculorumque illecebras, vitiorum turba ad animam ingredi solet. (Concilium Turonense, an. 813. can. 7.)

Prohibemus, ne histriones, aut mimi intrent Ecclesiam, ad pulsandum tympano, cithara, aut alio instrumento musicali; neque in Ecclesia, aut juxta Ecclesiam suis pulsent instrumentis. (Concilium Senonense, an. 1528. Decret. *Morum* 16.)

Et cum in Ecclesiis Dei psalmodia cantanda præcipiatur, ut fidelium devotio excitetur, in hoc nocturnum diurnumque officium, & Missarum celebrationes assidue clero & populo sub maturo tenore distinctaque gradatione cantentur, ut eadem distinctione collibeant, & maturitate delectent; propterea præcipimus, ut in Ecclesiis sive musici cantus distincti ac discreti, moventes cor ad devotionem compunctionemque. Porro in Ecclesiis, prætextu musici cantus non sunt audienda publica cantilena & lasciva .... nam ut cantor minister Deum moribus stimulat, cum populum vocibus delectat; ita lascivus animus, dum lascivioribus delectatus modis, eos sæpe audiens, emollitur & frangitur. Curent ergo Sacerdotes & clerici sic suos cantus instituere, ut modesta honestaque psallendi gravitate, placidaque & grata modulatione sic audientium aures deliniant, ut provocent excitentque ad devotionem compunctionemque, non ad lasciviam, cordisve aut animi titillationem. (17.)

Organorum usum Ecclesia a Patribus ad cultum servitiumque divinum recepit. Nolumus itaque, quod organicis instrumentis resonet in Ecclesia impudica aut lasciva melodia, sed sonus omnino dulcis, qui nihil præter hymnos divinos & cantica spiritualia repræsentet.

Ab Ecclesiis vero musicas eas, ubi sive organo, sive cantu lascivum aut impurum aliquid miscetur, item sæculares omnes actiones, vana atque adeo profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant, ut domus orationis esse videatur, & dici possit. (Concilium Tridentinum, Sess. 22. Decret. *de observandis & evitandis in Celebratione Missæ.*)

In missis quæ in choro canuntur, sive sint solemnes, sive dominica, aut feriales, sic canatur a choro, ac presbytero, & reliquis, ut non tantum aures voluptatem, sed mentes utilitatem capiant. Quoniam vero in his quædam ad doctrinam pertinent, & eruditionem fidelium, ut epistola, evangelium, symbolum, quædam ad laudes, quædam vero ad preces; statuit sancta synodus, ut quæ ad eruditionem leguntur, aut canuntur, ita legantur, & canantur, ut præsentes distincte exaudire singula verba possint. Quare in symbolo canendo placet nec organa, nec musicam adhiberi, nisi sit simplex, ac talis, ut singula verba sine repetitione possint intelligi. Quæ vero ad laudes pertinent, ut sunt hymni, Gloria in excelsis, Sanctus, *in his musica locum habeat, sed nec lasciva, nec theatris potius quam choro congruens, sed gravis, ac movens pios affectus. Quæ vero in Missis ad preces referuntur, ea, sive legantur, sive canantur, sic fiant, ut affectus deprecantis potius, quam exultantis lætitia demonstretur. Id autem curent Episcopi in sua quisque Ecclesia, aut diœcesi.* (Concilium Cameracense, an. 1665. tit. 6. cap. 3.)

Organorum usum in Missis sic servari statuit sancta Synodus, uti Concilio Tridentino mandatum est, id est, ne modulatione lascivas cantiones imitentur. Cæterum quæ in choro cani debent ad instructionem, ea canantur voce, ut intelligantur mente, non autem organis, quæ sic adificare nequeunt, ut viva vox, pia mentis interpres, & nuntia. Tamen ad ornatum cultus divini licent his modulis organicis uti in prosis, Offertorio, Sanctus & Agnus. (Cap. 4.)

Cum ea quæ in Ecclesiis canuntur, ad Dei laudem celebrandam, eo debeant cantari modo, quo populi intelligentia, quantum fieri possit, erudiri valeat, & religiosa pietatis ac devotionis moderatione (modulatione) piorum auditorum mentes ad divinæ majestatis cultum & cælestia desideria excitari queant; caveant Episcopi, ne dum in chorum musicorum modulos vocum omnis generis discrimine confusos admittunt, psalmorum & aliorum quæ cantari solent, verba obscurentur, ac simul strepitu inconditio sensus sepeliatur; sic denique musicum quæ organica dicitur, retineant, ut eorum quæ cantantur verba & intelligi possint, & potius pronuntiatione, quam curiosis modulis audientium animi divinis laudibus afficiantur. Sed & illud maxime cavendum erit, ne ipsius musica sonus quid theatrale, aut impudicos amorum, bellorumve classicos modulos referat, in Dei laudibus decantandis imitetur. (Concilium Toletanum, an. 1566. cap. 11.)

Cohibeant Episcopi cantores, organistas, campanarios, & alios quoscunque a lascivis, militari, & quavis indecora musica in cantu, organis & campanis, sub pœna decem stuferorum (id est, solidorum) ad pios usus arbitrio Episcopi. Et, si semel puniti non abstinuerint, pœna carceris, aut alia arbitraria plectantur. (Concilium Mechliniense, an. 1570. tit. *de Officio & Cultu divino*, c. 10.)

Gravis tantum, & quæ pios motus moveat, musica officio divino adhibeatur, non etiam lasciva, vel sæcularis. Simi-

similiter & organa, & quæcunque instrumenta musica, tam in processionibus, quam in Ecclesiis, modulatione sua lascivas cantiones non imitentur; nec præfationem, aut orationem dominicam in Missa absumant,

Ex allatis peculiaribus canonibus consequens fit, gravem, simplicem, religiosamque musicen, ad animum ad Deum extollendum, & pietatis sensus in auditoribus excitanda comparatam in Ecclesiis retinari posse, at illinc arcendam omnino esse profanam musican omnem & secularem, lascivam & inhonestam, quæ nostrorum templorum majestate & sanctitate tantopere indigna est, & effectu parere potest cultus puritati prorsus contraria, quem ter sanctus Deus exigit, qui a nobis ibidem adoratur. De musices genere hoc celebres auctores duo loquuntur in hæc verba.

Musicos plurimos esse dignissimos, ut de choro ejiciantur, cum propter impudicos amorum, aut indignos bellorum modulos sacris Dei laudibus inspersos, cum theatricam magis sonorum confusionem, quam religiosam pietatis ac devotionis moderationem, quam piorum animis passim gignere noscuntur. Non enim nunc suo cantu musici auditorum animos tam ad pietatis cultum, cælestiaque excitant desideria, quam avocant, avertunt, alienant, (Lindanus, *Panoplia Evangelica*, lib. 4. cap. 78.)

Ad quid, rogo, terribilis ille follium flatus, tonitrui potius fragorem, quam vocis exprimens suavitatem? Ad quid illa vocis contractio & infractio? Hic succinit, ille discinit, alter supercinit, alter medias quasdam notas dividit & incidit. Nunc vox stringitur, nunc frangitur, nunc impingitur, nunc diffusiori sonitu dilatatur. Aliquando, quod pudet dicere, in equinos hinnitus cogitur, aliquando virili vigore deposito, in feminæ vocis gracilitates acuitur, nonnunquam artificiosa quadam circumvolutione torquetur & retorquetur. Videas aliquando hominem aperto ore, quasi intercluso halitu expirare, non cantare, ac ridiculosa quadam vocis interceptione, quasi minitari silentium, nunc agonem morientium, vel extasim patientium imitari. Interim histrionicis quibusdam gestibus totum corpus agitatur, torquentur labia, rotant oculi, ludunt humeri, & ad singulas quasque notas digitorum flexus respondet. Et hæc ridiculosa dissolutio vocatur religio; & ubi hæc frequentius agitantur, ibi Deo honorabilius serviri clamatur. (Beatus Aelredus, Abbas Rhievallii in Anglia, S. Bernardo coævus, *Specul. char*, lib. 2. cap. 23.)

MUTUUM. Per id vocabuli designatur contractus, quo gratis in alium transfertur rei dominium, quæ usu consumitur, cujusmodi sunt pecunia, grana, vinum, &c. ea lege, eoque onere, ut persona ad quam ejus rei dominium transfertur, ejusdem valorem reddat in ipsius qualitatis ipsiusque naturæ re, intra tempus de quo convenit. *Quære* USURA.

N A V

NAVIGIA REMIS ACTA, vulgo *Galere*, designant hoc loco pœnam, ad quam damnantur rei, qui licet de capitalibus criminibus accusati, morte tamen digni non sunt. Hi fere damnantur ita, ut super ejusmodi navibus, biremibus, triremibus, quadriremibus, &c. ad statum tempus, vel ad perpetuitatem, tamquam condicti deserviant. Ad hæc navigia per certum temporis spatium damnatio, quamvis infamiam adjunctam habeat, bonorum tamen proscriptionem, aut civilem mortem secum non trahit; verum ad triremes in omne vitæ tempus damnatio civilem mortem affert, quam consequitur bonorum proscriptio, quibus in provinciis hæc locum habet. Quamobrem qui ad triremes in perpetuum damnatus est, cum civiliter mortuus sit, suis de bonis statuere non potest, quippe quæ non amplius ad eum pertinent. Idem nequit succedere, seu hæreditatem consequi; valide, quoad civilia saltem effecta, matrimonium inire; ordines item suscipere, quia irregularis est, etiamsi, quoad in vivis foret, ad triremes damnatus non esset, propterea quod publicæ infamiæ nota, quæ ad ordinationem est impedimentorum unum, ei quoque damnationi quæ solum ad certum tempus protenditur, addicta est.

In Hispaniis, ut suus clero stet honos, seu laici, seu ecclesiastici judices non sinuntur clericos ad triremes damnare.

In Italia, clerici ut plurimum ab Ecclesiæ judicibus ad triremes damnantur.

In Galliis, laici tantum judices ad triremes damnare clericos possunt. Id minime possunt Ecclesiæ judices, & hujusmodi omnia judicia, ab Ecclesiæ judicibus edita semper seculares curiæ abusiva declararunt. Chopinius affert in id exempla. (Monum. Cleri, Tom. VII. pag. 1241.)

Ad triremes in definitum tempus damnatio nullam pleni juris privationem inducit. Itaque, quamvis damnatus, ob infamiæ notam quam subiit, ulli deinceps obtinendo beneficio ineptus sit, simplicia tamen beneficia quæ, cum ejus damnatio contigit, possidebat, retinere potest, & canonice iisdem frui. Ad beneficia vero quod attinet, quæ animarum curæ, aut residentiæ obnoxia sunt, si quæ damnatus haberet, ne ea quidem ut abdicet, externo in foro adigi potest, licet in conscientiæ foro id facere teneatur, cum eadem, sine quodam scandalo, post ejusmodi damnationem, exercere non possit,

NECROMANTIA, seu MAGIA NIGRA, quam vocant, superstitionis genus, quæ in evocandis defunctorum manibus posita est. Rabbini putant necromantes, seu necyomantes usos esse potissimum mortuorum cranio, suas ut evocationes aderent, nec destitisse evocare manes, usque eo dum mortuus iis appareret, esseve dæmon, sumpta mortui forma, alloqueretur; verum alii crediderunt in necromantium arte nihil nisi fraudem extitisse, nunquamque per eos factum esse, ut defuncti apparerent. *Quære* MAGIA.

NEGOTIA SÆCULARIA clericis & monachis vetita. *Vide* CLERICI, MONACHI.

NEGOTIUM. *Quære* COMMERCIUM.

NEMORA. Cum nemora conficiantia beneficiorum partem, partem quoque conficiant bonorum Ecclesiæ, continentur & ipsa generali lege quæ ejusmodi bona alienari vetat. Hæc ergo beneficiarii alienare non possunt; nec magis iisdem licet, in Gallia, suas cædere adultas arbores, aut sylvas cæduas seu quercus ad propagationem relictas, absque patentibus litteris rite in acta relatis, ex articulo 4. Constitutionis de Aquis & Sylvis, an. 1669. qui pronuntiat ecclesiasticos, communitates, commendas seu Melitensium equitum beneficia, rectores & administratores non posse ullam proceram arborem aut sylvas cæduas amputare, aut quartam in reservatione positam partem attingere, aut quicquam ultra consuetas statutasque sectiones aggredi, nisi patentium litterarum vi quæ rite ac recte registratæ fuerint, in pœnam mulctæ arbitrariæ quoad Regem, & restitutionis quadrupli valoris amputatarum aut venditorum arborum; quæ, si quingentas libras excesserit, a beneficiario, collegio, commenda aliave communitate conferetur in fundos quorum reditus addicatur hospitali loci, quoad beneficiarii, commendatarii, rectores seu administratores delinquentes in vivis aut in possessione fuerint; si vero quingentis libris minor fuerit restitutio, omnino ad hospitale pertinebit.

Parochi, tamquam incolarum præcipui, jus obtinent in nemora quæ ad parœciarum communitates spectant, & in quibus incolæ ligna ad ignem cædendi, seu lignationis jure gaudent; ita decisum per plura judicia, tam de peculiaribus dominationibus, quam de magnis dominis aquarum sylvarumque, & per ms... ta duo D. Inspectoris Divionensis, edita, unum quidem an. 1722. alterum vero an. 1739.

NEOPHYTUS. Derivatur id nominis a græco vocabulo quod *recens natum*, seu *recens plantatum*, *fœtum* significat; &, quia baptismus, quoad eum a quo suscipitur, spiritalis nativitas est, quæ christianum & Dei filium efficit; usu proinde receptum fuit, ut nuper baptizati *neophytorum* nomine designarentur, quasi recens plantati in Ecclesiæ agro, seu *novæ plantæ* dicerentur. S. Paulus, & post eum Concilia neophytos ad episcopatum evehi vetant, ne iidem superbiæ tentationi exponantur.

Eum qui ex vita gentili accesserit, & baptizatus fuerit, vel ex improba vivendi ratione, non est æquum protinus Episcopum fieri. Iniquum est enim, ut, qui ... dum experientiam ostenderit, sit aliorum magister, nisi forte hoc divina gratia fiat. (Can. Apost. 79. seu 80.) *Quære* IRREGULARITAS. §. V.

NESTORIANI, hæretici ita dicti a Nestorio, eorum capite, Constantinopolitano Patriarcha. Ir...rmaniciæ, quæ Syriæ urbs, natus, & in sancte Euprepiæ monasterio, quod in Antiochiæ suburbio positum erat, altus educatusque. Scientia, virtus & eloquentia quibus pollebat, in causa fuere, ut eum Impe...tor T...eodosius junior seligeret, quem, an. 428. in Constantinopolitana Sede, post Sisinnium, collocaret. Suæ m...

genii dotes, suaque in omnes hæreticos, & peculiariter in Arianos quos Constantinopoli expulit, sollicitudo ei quidem initio statim Principis gratiam, ejusque observantiam & populi amorem conciliarunt. At eum Anastasius, Antiochenus presbyter quem secum duxerat, ausus esset pro concione dicere sanctam Virginem non debere *Dei Matrem* appellari; Nestorius nedum ejus concionatoris temeritatem impudentiamque repressit, eumdem potius publicis laudibus extulit, asseruitque, in Christo Domino, quemadmodum sunt naturæ duæ, ita duas quoque personas esse, divinam humanamque, &, quod inde consequitur, esse Filios duos, Deum unum, Hominem alterum; quod efficit, ut Maria non *Dei Mater*, *theotocos*, sed solum *Christi Mater*, *christotocos* vocanda sit. Addebat Christum Verbo unitum esse non unione hypostatica seu personali, sed unione morali & mystica, unione habitationis Verbi in humanitate, tamquam in templo, & per societatem, perque potentiæ, dignitatis, actionis communicationem, quæ efficit, ut Verbum elevet humanitatem, seu potius hominem cui se unit; eumque dirigat, ducat, animet; sed ita nihilominus, ut hæ personæ duæ simul agant, conspirentque, una tamquam præcipuum, seu principale agens, nempe divina persona, Dei Filius, æternum Verbum; altera vero tamquam agens subordinatum, seu secundarium, tamquam instrumentum, scilicet humana persona, Jesus, Mariæ Filius. In eo igitur est positus Nestorianismus, ut dicatur in Christo esse personas duas, divinam unam, humanam alteram; Verbum Dei Filium non hominem factum esse per humanam e sancta Virgine sumptam naturam, sed in hominem ex ea natum descendisse; eam genuisse Dei templum, non eum qui in templo habitat; eamdem proinde non Dei matrem esse, sed Christi matrem; & unionem Verbi cum humana natura non nisi moralem unionem esse, unionem benevolentiæ, dignitatis, communicationis potestatis & actionis, unionem associationis & inhabitationis tamquam in templo.

S. Cyrillus Alexandriæ Episcopus Nestorium damnavit in Conciliis duobus quæ hac in urbe, an. 430. celebravit. Coacta fuit, sequenti an. 431. generalis Ephesina Synodus quæ Nestorium & ipse damnavit, damnatumque deposuit. Eumdem subinde Imperator Theodosius junior exulem in Oasin Ægypti urbem ejecit; at, hac urbe a Blemmieis diruta, Nestorius hac illac erravit, & aliquanto post e vivis excessit. Ejus discipuli qui a magistro Nestoriani, *Chaldæi* quoque & *Christiani orientales* dicti, Mesopotamiam, in Assyriorum regno, atque adeo Indos, extremasque Asiæ regiones pervaserunt.

Richardus Simonius, aliique docti viri contendunt Nestorianos, seu Nestorianorum hæresin non amplius existere, & Orientis Christianos qui Nestoriani nuncupantur, haud sibi nomen ab hæresiarcha Nestorio mutuatos esse, & hunc quidem non alia de causa ob iisdem agnosci, nisi quod Europæos de eo loquentes audierint. At D. Renaudotius eos Orientales Christianos ait in Nestorii, super incarnatione, placitis adhuc persistere, tametsi se plures Romanæ Ecclesiæ redintegrarint, quia multiplex ea redintegratio vel sincera non fuit, vel haud diu substitit.

Sancta Synodus dixit: cum præter cætera impiissimus Nestorius neque nostræ citationi parere, neque sanctissimos religiosissimosque Episcopos a nobis destinatos admittere voluerit, non potuimus ad eorum quæ impie docuit, examinationem animum non adjungere. Deprehendentes itaque partim ex litteris commentariisque ipsius, partim e sermonibus quos nuperrime in hac Ephesiorum metropoli habuit, quique testimoniis comprobati sunt, illum impie sentire & prædicare, coacti per sacros canones & epistolam sanctissimi patris nostri & comministri Cælestini, Romanæ Ecclesiæ Episcopi, lacrymis subinde perfusi, ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessario venimus. Igitur Dominus noster Jesus Christus quem suis ille blasphemis vocibus impetivit, per sanctissimam hanc Synodum eumdem Nestorium episcopali dignitate privatum, & ab universo Sacerdotum consortio & cœtu alienum esse definit.

Primo itaque nefariam sectam quam auctor male sibi conscius, ac a vivo sancta fidei catholica fonte discedens quondam condidit Eutyches, vel si qua a veneficio similiter impio sunt probata Nestorii, quas etiam sedlas Sedes apostolica sancta condemnat, similiter & nos easdem cum suis auctoribus & sectatoribus exsecrantes, præsentis Conflictus nis vigore anathematizamus, atque damnamus, rectum atque apostolicum, in Christi nomine, fidei ordinem prædicantes, (Concilium Ephesinum, an. 431. act. 1.)

NOMINATIO, in re beneficiaria, de præsentatione ad aliquod ecclesiasticum beneficium jure, deque actu dicitur, per quem quispiam ad ejusmodi beneficium nominatur. Regiæ porro nominationis nomine intelligitur ejus generis nominatio, per quam Rex ad sui regni prælaturas nominat, cujusque vi, Bullas obtinendi causa, nominati Romanam curiam adeunt.

Galliarum regibus semper in eorum delectu, qui ad tenendas Ecclesiæ prælaturas designati erant, pars magna fuit, tum quoque, cum cleri populique electio & suffragia eosdem ad has evehebant. Aurelianense Concilium, an. 549. habitum, postquam mandavit, ut ad prælaturas electiones a clero populoque de more fierent, addit nihil officii sine regis consensu debere; *Ut nulli episcopatum præmiis aut comparatione liceat adipisci; sed, (cum voluntate Regis) juxta electionem cleri ac plebis, sicut in antiquis canonibus tenetur scriptum, a metropolitano, vel quem in vice sua præmiserit, cum comprovincialibus Pontifex consecretur* (Can. 10.). Scitum est, quæ fuerit Imperatoribus Arcadio & Valentiniano, ei quidem in S. Joannis Chrysostomi ad Constantinopolitanam, huic vero in S. Ambrosii ad Mediolanensem Ecclesias delectu pars. In comperto & illud est primæ stirpis Gallos Reges eam sibi deinde possessionem sumpsisse, ut de Episcopatibus absolute statuerent, ex eorumque manibus hoc accipere se posse ecclesiasticos sanctitate præcipuos viros credidisse. Ita quidem, referente S. Gregorio Turonensi, S. Domnolius ad Cenomanensem a Clotario III. S. Gallus ad Claromontianiem a Theodorico, S. Nizerius ad Lugdunensem episcopatus a Childeberto, &c. nominati fuere. Vere tamen dici potest Episcopos hac in re nonnunquam Principibus obstitisse. sartam scilicet tectamque electionum libertatem servere voluisse, quemadmodum constat ex Parisiensis Concilii, an. 557. habiti canone octavo, qui his verbis conceptus est: *Et quia in aliquibus rebus consuetudo prisca negligitur, ac decreta canonum violantur; placuit, ut juxta antiquam consuetudinem, canonum decreta serventur. Nullus, civibus invitis, ordinetur Episcopus, nisi quem populi & clericorum electio plenissima quæsierit voluntate; non Principis imperio, neque per quamlibet conditionem, contra metropolis voluntatem, vel Episcoporum comprovincialium, ingeratur. Quod si per ordinationem regiam honoris istius culmen pervadere aliquis nimia temeritate præsumpserit, a comprovincialibus loci ipsius Episcopis recipi nullatenus mereatur, quem indebite ordinatum agnoscunt*.

Carolus Magnus, per Capitulara quod an. 803. edidit, Galliarum clero suam veterem libertatem quoad Episcoporum electiones reddidit; quod ab ejus successorum plerisque, & peculiariter ab ipsius filio Ludovico Pio, & a Carolo Calvo confirmatum fuit.

Cathedralium Ecclesiarum capitula, cum sensim, quod cleri populique reliquum erat, ad Episcoporum electionem suffragii jure spoliassent, propemodum ipsa tantum illud omnino sub decimum tertium sæculum tenuerunt; quo sane tempore vicissim eo se quoque spoliata viderunt per reservationum usum, quas paulatim Romani Pontifices induxerunt. Basileense Concilium, an. 1433. celebratum reservationes penitus abolevit, capitulis in electionis jus restitutis; ejusque decretum adoptavit Pragmatica Sanctio quæ in urbe Bituricensi, coram rege Carolo VII. e cleri & procerum regni sententia, edita fuit; tandemque Franciscus I. Bononiæ an. 1516. cum Leone Papa X. celebre illud Concordatum iniit, quod eorum nomen præfert, quodque electiones ad prælaturas abrogavit, ut earum nominationem Regi tribueret. *Quære* CONCORDATUM, ABBATIÆ, COLLATIO, COLLATOR, ELECTIO, PATRONUS, BENEFICIUM.

NOTARIUS. Id nominis ex eo ductum, quod qui acta olim edebant, suas iis sigilla, characteres, signa, notas, seu nomina summatim apponebant; seu quod olim per notas seu scripturas compendiarias notarii scribebant.

Hoc tempore notarius est publicus officiarius qui recipit scribitque acta quæ transiguntur, seu in re mere civili & profana, seu in re spirituali & beneficiaria. Hinc orta notariorum distinctio, ut alii notarii regii sint, notarii ecclesiastici alii.

Regius notarius est publicus officiarius qui recipit scribitque civiles contractus quos partes apud eum transigunt; qui eorum primores tabulas, hoc est, exemplaria custodit, quique eorumdem exscriptiones, seu exempla & expeditiones authenticas & obligatorias edit.

Ecclesiasticus notarius is est, qui suam ab Ecclesia institutionem tenet, cujusque officium ad spiritalia & beneficialia negotia refertur. Hic autem vel apostolicus est, vel episcopalis.

Nota-

Notarius apostolicus est cui suppetit Papæ commissio, a diœcesano Episcopo approbata, ad acta in re spiritali & beneficiaria, ut beneficiorum resignationes, permutationis concordata, &c. expedienda.

Notarius episcopalis est qui institutionem recipit ab Episcopo ob ejus diœcesim tantum. Ejusmodi notarii episcopales prope non amplius in præsentia agnoscuntur, & notarii apostolici notariis regiis additi sunt. Post hanc conjunctionem, notarii non amplius Episcoporum examini & inspectioni subsunt, ut antea, saltem ex Tridentini Concilii dispositione: *Cum ex notariorum imperitia plurima damna, & multarum occasio litium oriatur, possit Episcopus quoscunque notarios, etiamsi Apostolica, imperiali, aut regia auctoritate creati fuerint, etiam tamquam delegatus Sedis apostolicæ, examinatione adhibita, eorum sufficientiam scrutari; illisque non idoneis repertis, aut quandocunque in officio delinquentibus, officii ejus, in negotiis, litibus & causis ecclesiasticis & spiritualibus exercendi usum perpetuo aut ad tempus prohibere; neque eorum appellatio interdictionem ordinarii suspendat.* (Sess. 22. cap. 10. *de Reform.*)

Articulus 5. edicti mensis Decembris an. 1691. mandat, ut regii & apostolici notarii expediant ecclesiasticorum laicorumque patronorum præsentationes, repræsentationes provisionesque ab Abbatibus, Abbatissis, aliisque beneficiariis datas; eas item quas collatores laici concedunt, archidiaconorum commissiones, collationes ab indulti executoribus, pariterque e Parisiensis Ecclesiæ cancellariis concessas; & generatim omnes denuntiationes, oppositiones, interpellationes quibus ad sua jura servanda quispiam quoad regni patronos, eligentes, collatores & collatrices uti voluerit.

Notarii apostolici, quibus in locis non sunt additi notariis regiis, nulla facultate gaudent instrumenta conficiendi super iis rebus omnibus quæ sæcularia negotia directe spectant, cujusmodi sunt venditionis contractus, testamenta, &c. In iis solum rebus quæ ad Romanæ curiæ expeditiones pertinent, immiscere possunt.

Notarii nullum unquam actum recipere seu transigere possunt, qui Religioni, aut bonis moribus contrarius sit, aut legibus vetitus, cujusmodi sunt simoniaci & usurarii contractus, in iis ipsis casibus, in quibus mutuans finitur fœnore sumere. Eorum proinde est satis nosse, quicquid ipsorum officium afficit, ut omnibus quæ edunt, actis formam & conditiones congruas tribuant; nec minus eorumdem est secretum servare in iis rebus omnibus quæ illud postulant, ita quidem, ut nec super suorum munerum negotio apud judicem deponere, nec suos codices, libros, prototypa communicare, nec ulla actorum quæ transigunt, exempla tradere nisi partibus contrahentibus, aut eorum hæredibus, aliisve possint, ad quos id juris notorie pertinet, nisi forte a judice jussi fuerint. Videri possunt, *Perfectus Notarius apostolicus*, &c. auctore Joanne Ludovico Brunetio, Parisiis, apud Claudium Rubustelium, an. 1728. in 4. vol. 2. *Perfecta Scientia Notariorum*, &c. auctore Claudio Josepho *de Ferriere*, Parisiis, apud Carolum Osmontium, an. 1728. in 4. vol. 2. *Novus & perfectus Notarius reformatus secundum novas Constitutiones*, auctore Joanne Cassano, &c. Parisiis, apud Theodorum *le Gras*, an. 1749. in 4.

NOTHUS. Nothus simplex, pro ut ab adulterino & incestuoso differt, is est qui per illicitam conjunctionem ex duabus personis liberis natus est. Numero plures in Conciliis & in jure canonico quod ad nothos attinet, constitutiones occurrunt.

Concilium Bituricense, an. 1031. habitum, can. 8. suam ita mentem quoad nothos aperit: *Ut filii presbyterorum, sive diaconorum, sive subdiaconorum, in sacerdotio, vel diaconatu, vel subdiaconatu nati, nullo modo ulterius ad clericatum suscipiantur, quia tales, & omnes alii qui non de legitimo conjugio sunt nati, semen maledictum in scripturis divinis, atque apud sæculares leges hæreditare possunt; neque in testimonium suscipi; & qui de talibus clericis nati sunt, sacros ordines non accipiant; sed in quocunque gradu nunc sunt, in eo tantum permaneant, & ultra non promoveantur.*

Pictaviense Concilium, an. 1078. celebratum, can. 8. ita statuit: *Ut filii presbyterorum & cæteri in fornicatione nati, ad sacros gradus non provehantur, nisi aut monachi fiant, aut in congregatione canonica regulariter vivant; prælationes vero nullatenus habeant.* Claromontanum Concilium, an. 1095. habitum, can. 15. Pictaviensi concinit, & utrique Lateranense generale secundum, an. 1139. celebratum, can. 21.

Concilium Salmuriense, habitum an. 1253. can. 11. vetat, ne quis inter canonicos recipiatur, qui non in legitimo matrimonio natus fuerit.

Concilium Turonense, an. 1239. can. 7. Coloniense, an. 1260. & Lingonense, an. 1278. can. 1. ecclesiasticos vetant suis concubinis, suisve illegitimis filiis testamento quicquam relinquere.

Concilium Vaurense, an. 1368. can. 83. presbyteros vetat suis filiis spuriis ad Missæ servitium uti.

Concilium Narbonense, an. 1551. can. 6. ita de spuriis loquitur: *Cum verum matrimonium numero sacramentorum adscribatur, idque Deo semper afferendum sit, quod perfectius præstantiusque cognoscitur, qui ex sanctissimo hujusmodi matrimonio nati non fuerint, negat Concilium ad sacros ordines promovendos esse.* Eadem est constitutio Concilii Burdigalensis, an. 1583. tit. 14. *de sacramento Ordinis*; eadem Concilii Aquisextiensis, an. 1585. titulo, *quæ ad sacramenti Ordinis administrationem pertinent*; eadem Concilii Narbonensis, an. 1609. can. 21. *de sacramento Ordinis*, ubi dicitur: *Spurii aut illegitimi ad primam clericalem tonsuram, absque Episcopi dispensatione, non admittantur.*

Natalium ergo defectum Ecclesia impedimento esse voluit, quominus ad ecclesiasticum statum aditus pateat, & ad beneficia perveniatur, ex eo textu Deuteronomii, cap. 23. v. 2. *Non ingredietur mamzer, hoc est, de scorto natus in Ecclesiam Domini, usque ad decimam generationem.* Impedimentum tamen hoc, nono tantum sæculo, institutum fuit. Cœpit in Gallicana Ecclesia, e qua in cæteras Occidentis Ecclesias inductum fuit. Illud Græca Ecclesia non recepit. (Monumenta Cleri, tom. II. p. 972. & 973.)

Quoniam positivum tantummodo jus & canonicæ constitutiones ab ordinibus & beneficiis nothos arcent, cum illa proinde Papa & Episcopi super nativitatis vitio dispensare, eosdemque ad ordines suscipiendos & beneficia possidenda, pro ordinum & beneficiorum qualitate, habiles reddere possunt. Cum spurio dispensare potest Episcopus quoad minores ordines, & ut beneficium simplex, aut etiam præbendam in collegiata Ecclesia possideat; at, quoad majores ordines, itemque quoad prælaturas, beneficia quibus adjuncta est animarum cura, canonicatus & dignitates in cathedralibus Ecclesiis, in Ecclesiæ disciplina statutum est dispensationes illegitimis necessarias a sancta Sede obtineri debere. Est hæc juris canonici dispositio, inquit redactor Monumentorum Cleri (*Tom. 12. pag. 697. & 698.*), qui laudat cap. *Is qui, De filiis presbyt.* quod Gregorii IX. decretum est, in hanc rem ad Turonensem Archiepiscopum missum, ubi Papa hic ita loquitur: *In tua provincia, Ecclesiæ deformatur honestas, ex eo quod filii Sacerdotum, & alii non legitime nati, ad dignitates & personatus, & alia beneficia curam animarum habentia, sine dispensatione Sedis apostolicæ promoventur; quocirca mandamus, quatenus prædictis a personatibus & dignitatibus, & hujusmodi beneficiis penitus amotis, ea personis idoneis conferri facias per illos ad quos collationem ipsorum de jure noveris pertinere, &, ne id de cætero præsumatur, districtius inhibemus.*

Graves tamen canonistæ non desunt qui canonicatus, nos quoque qui cathedralium Ecclesiarum sunt, ex beneficiorum numero esse propugnent, super quibus Episcopus dispensare potest, quoniam beneficia sunt iis inferiora de quibus loquitur caput *Nimis*. Et sane, abest a veri similitudine Turonensis provinciæ Episcopus qui dignitates, personatus & beneficia quæ animarum curam adjunctam habebant, illegitimis, sine sanctæ Sedis dispensatione conferebat, non iisdem alia quoque iis inferiora beneficia, atque adeo cathedralium Ecclesiarum canonicatus contulisse; & tamen Gregorius Papa IX. de inferiorum hujusmodi beneficiorum collatione, absque sanctæ Sedis dispensatione, ab Episcopis facta non queritur; adeoque agnoscit id Episcopo juris esse, ut quoad ejusmodi beneficia dispensare possit ipse per se.

Est hæc Giberti ratiocinatio, tom. 1. pag. 285. Institutionum ecclesiasticarum & beneficialium; cui addi & illud potest, in capite *Is, qui, de filiis presbyt. & aliis illegit. nat.*, *in 6.* majores tantum ordines & parochialia beneficia ab Episcoporum dispensatione, quoad nothos, excludi: *Ad ordines quoque majores, vel beneficia curam animarum habentia, super quibus nequit Episcopus dispensare, sine dispensatione Sedis apostolicæ promoveri non potest.*

Ad dispensationum validitatem, quas spurii a Papa obtinent, luculenter expresserint, necesse est, cujusmodi vitium sit, quo laborant eorum natalia, ut, an nati sint *ex soluto & soluta*, *vel conjugato*; an vero e presbytero, e religioso aut e religiosa. Continent etiam, oportet, dispensatio peculiariter beneficiorum qualitates singulas super quibus concessa est. Qui enim dispensationem ad possidendas parœcias obtinet, non continuo ad canonicatum aut cathedralis Ecclesiæ digni-

tatem

tatem aptus evadit; atque adeo plures censent dispensationem ad dignitates concessam non complecti dignitates majores post pontificalem in cathedralibus, aut præcipuas in collegiatis Ecclesiis, omninoque oportere, ut dispensatio, quod caput hoc, distinctam mentionem contineat. Non ergo satis esset generalem dispensationem e spurio obtineri, ut omnium generum beneficiis obtinendis idoneus esset. (Monumenta Cleri, tom. 12. pag 699. 700. 703)

Nothis concessæ dispensationes in cathedralibus aut collegiatis Ecclesiis minime reciperentur, siquidem eos fundationis titulus, aut aliquod statutum patentibus litteris rite registratis firmatum excluderet. Ita judicatum in Parisiensi parlamento, in favorem capituli S. Hilarii Pictaviensis, per arestum diei 9. Julii an. 1693. & a parlamento Normanniæ, quoad capitulum Bajocense, per arestum diei 22. Martii an. 1708. Eodem privilegio ad spuriorum exclusionem gaudent Galliarum capitula plura; atque adeo Tullensi Ecclesiæ veteri statuta suppetunt, quæ deformes excludunt. Verum tamen est simplici statuto quod nihil esset amplius quam capitularis deliberatio, haud satis momenti fore, ut nothum canonica dispensatione munitum excluderet, Per fundationem, aut per statutum ab Ecclesia approbatum, confirmatumque patentibus litteris, non sine requisitis formis, late sit exclusio, necesse est. (Monumenta Cleri, tom. 2. pag. 946.)

Spuriis, ex jure canonico, religiosa professio dispensationis loco est. (Concilium Pictaviense, an. 1078. can. 8.)

Ea quoque est juris canonici dispositio, ut filii illegitimi paterna beneficia, ne cum dispensatione quidem, possidere possint. Ita statuit Lateranense quartum generale Concilium, an. 1215. sub Innocentio Papa III. celebratum, can. 31. itemque Tridentinum, sess. 23. cap. 15. *de Reform.* (Concilium Claromontanum, seu Clermontiense, an. 1195. can. 25. Lateranense, an. 1139. can. 21.)

Confirmat constitutionem hanc Clementis VII. Bulla, an. 1533. & Rothomagense parlamentum ita judicavit per arestum diei 23. Novembris an. 1536. itemque Parisiense per arestum pro Abbate Sancti Amabilis Rochebaroniensis, super prioratu Ambierlensi, contra Nicolaum de Chabannes, spurium. Dispositionem hanc etiam ad nepotes, quoad eorumdem avos Tolosani parlamenti arestum, an. 1534. editum retulit. Ac ne pensione quidem spurii frui possunt super fructibus beneficii quod eorum pater reapse possidet, aut possedit.

Collationes in regalia, spuriis factæ, quibuscum Ecclesia super hac irregularitate dispensavit, validæ sunt, nulla licet hujus defectus, hujusve dispensationis in iisdem sit facta mentio. Ita judicatum per arestum diei 4. Junii an. 1389. pro quadam præbenda Bellovacensi. Ratio est, inquit Royæus, in suo Regaliæ quinquagesimo privilegio, quia, cum Papæ dispensatio tollat legis impedimentum quod eos a beneficiis arcet, qui in legitimo matrimonio nati non sunt, hoc impedimentum opponi non potest.

Cum ad tenenda & possidenda beneficia concessa est spurio dispensatio, etiam ad pensiones concessa est. Is est ejusmodi dispensationum stilus. (Brillonius, in arestorum Dictionario, pag. 529.)

Beneficia per dispensationem tenentes spurii possunt alteri idoneo & legitimo resignare. Ita judicatum in Parlamento Parisiensi, per arestum diei 23. Novembris an. 1549. pro Trecensis Ecclesiæ præbenda, ex opinione Guymeril, super Pragmatica, tit. *de pacific. Possess.* At qui e presbytero est, spurius, quamcunque tandem dispensationem obtineat, non potest, tamquam titularis, beneficio deservire, quod suus ei pater, vel oblique ac deinceps, resignaverit, quemadmodum a Normanniæ parlamento, per arestum diei 23. Novembris an. 1536. decisum fuit.

Conceptus natusque ante matrimonium puer, per subsequens matrimonium legitimus fit. Hæc jurisprudentia, non nisi per Decretalium positivum jus inducta, locum habet in Gallia, adulterinis tamen & incestuosis filiis tantum exceptis quibus nempe, conceptionis eorumdem tempore, matrimonii fictio accommodari non potest, quia *lex fingere non potest fuisse matrimonium cum iis cum quibus nuptiæ esse non potuere per leges*. Horum legitimationis clausula quæ in Romanæ curiæ dispensationibus legitur, tamquam abusiva spectatur, & Tridentini Concilii, sess. 24. cap. 5. *de forma Matrim.* dispositioni contraria. Hæc igitur legitimationis clausula nihil est aliud quam stili in Romana curia usitati locutio quæ in omnibus dispensationibus ponitur, quæque nihil aliud quam simplicem dispensationem *quoad spiritualia* operari potest, in eum tantum finem, ut Ecclesiæ ministeriis aptos ejusmodi filios reddat. Est hæc dispositio celebris aresti, die 11. Decembris an. 1664. in Parisiensi Parlamento editi quod dispensationem in Romana curia impetratam & executioni mandatam, in qua matrimonii in secundo consanguinitatis & in primo spiritualis cognationis gradu contrahendi facultas, cum filiorum ante matrimonium procreatorum legitimatione, continebatur, nullam & abusivam, quoad hanc ipsam filiorum legitimationem, declarat. (Monumenta Cleri, Tom. V. pag. 848. & seq.)

NOVALES, NOVALIA. Veniunt hoc nomine terræ omnes recens excultæ satæque. Inter omnes canonistas convenit, novalium decimas ad parochos, aut vicarios perpetuos, præ grossis decimatoribus, sine congruæ portionis diminutione, communi jure pertinere. Id ita Innocentius III. in *cap. 29. de Decimis*, & Alexander IV. in *cap. 2. §. fin. de Decimis in Sexto* definierunt. Huic definitioni usus, Regis declarationes, & parlamentorum aresta concinunt. *Vide* declarationes an. 1686. & 1731. arestum parlamenti Parisiensis, diei 2. Julii, an. 1669. aliud ejusdem parlamenti, diei 23. Augusti an. ejusdem 1669. illud parlamenti Divionensis, diei 12. Januarii an. 1742. Certum ergo est novalia ad parochos pertinere, nisi titulus aliquis contra stet, ac si quis alius iis nonnunquam fruitur, ut religiosorum ordinum nonnullis accidit, cujusmodi sunt Cluniacensis, Carthusiensis, Benedictini alicubi, id non nisi expressi privilegii vi fieri.

NOVITIUS, est religiosus aut religiosa, qui sua nondum vota pronuntiarunt, quique sunt in probationis anno qui *Novitiatus* appellatur, cujus spatio eorumdem vocatio probatur. Quoad novitiatus, seu tyrocinii tempus varietas occurrit; quod fere viguit, & adhuc viget, anni spatium est. Ætas requisita, ut quispiam ad novitiatum admittatur, ætas est pubertatis, hoc est, annorum quatuordecim quoad mares, & quoad puellas annorum duodecim; verum ut quispiam ad novitiatum admittatur, ætas non sufficit; adsit præterea, oportet, quicquid ad status qui expetitur, obeunda officia necessarium est, ut prospera valetudo, scientia, virtus, &c.

Novitii, per novitiatus annum, regulam servare debent, tametsi nec vota servare, nec breviarium recitare teneantur, nec ordinis censuris subsint. Novitiatus, seu probationis annus hic a sumpti habitus die ipsa incipit, & omnino absque intermissione compleri debet, adeoque invalida professio esset, cum vel horæ quarta pars probationis anno deesset, itemque quæ bissextili anno fieret, non expectato post secundum bissextum die, quia bissexti dies duo non spectantur nisi tamquam unus idemque dies. At ad novitiatus annum non est absolute necessaria physica continuatio, moralis sufficit. Itaque novitius qui injuste expulsus fuit, ac deinde receptus, eo jure gaudet, ut tempus numeret, quod ante expulsionem in monasterio transegit, quia ex aliorum injustitia damnum pati non debet. Eadem est ejus ratio, qui suum statum non omnino deseruit; ut contingeret, si, secularibus vestibus sponte, aut vi sumptis, quin a monasterio recederet, rursus ad novitiatum admitteretur. Idem de novitio sentiendum, qui per duos tresve menses ægrotat, aut duorum pariter aut trium mensium spatio extra monasterium superioribus annuentibus degit, quin habitum tamen deponat. De eo quoque novitio eadem ratione statuendum est, qui partim in uno, partim in alio monasterio novitiatum conficit, itemque de eo qui, transacto integro probationis anno, ante professionem egrederetur, non sine superiorum venia, et pristinam valetudinem recuperaret, etiamsi religiosum habitum derelinqueret, dummodo professionis emittendæ voluntatem semper servaret; is enim, rediens, novitiatum repetere non teneretur, quamvis eum per annos plures intermisisset. Ita decidit Cardinalium Congregatio, ad explicandas difficultates designata, quæ Tridentini Concilii occasione suboriuntur, referente Fagnano, *in 2. part. 3. Decretal. de Regularibus C. D. Apostolicam.*

Ex jure usuque plurium regularium ordinum, novitiorum examen ad superiores, vel ad eos pertinet, quos iidem in hunc finem deputant; eorumque receptio ad monasterii religiosorum majorem partem spectat; nec desunt ordines, in quibus ad novitiorum receptionem necessaria est Provincialis facultas. Ad Sanctimonialium, etiam exemptarum novitias quod attinet, hæ quidem extra clausuram, & regularia loca examinandæ sunt ab Episcopo diœcesano, vel ab ejus Vicario, quem mense circiter ante novitiæ professionem

rem antistita monendum curare debat. Hoc tamen novitiæ per Episcopum, ejusve Vicarium examen ad ejusdem professionis validitatem necessarium non est. Possunt novitiæ ante professionem de suis bonis per testamentum statuere, at, in Gallia, seu in monasterii, in quo habitum suscipiunt, seu in ordinis generatim, aut etiam in aliorum ordinum favorem, tam directe, quam indirecte, de iis statuere prohibentur.

In quacunque religione, tam virorum, quam mulierum, professio non fiat ante decimum sextum annum expletum; nec qui minore tempore, quam per annum, post susceptum habitum, in probatione steterit, ad professionem admittatur; professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus regulæ, vel religionis, vel ordinis observationem, aut ad alios quoscunque effectus. (Concilium Tridentinum, Sess. 25. cap. 15. *de Reform.*)

Libertati professionis virginum Deo dicandarum prospiciens sancta Synodus, statuit atque decernit, ut, si puella quæ habitum regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit, non ante suscipiat, nec postea ipsa, vel alia professionem emittat, quam exploraverit Episcopus, vel, eo absente vel impedito, ejus vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat, quid agat; & , si voluntas ejus pia ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requisitas juxta monasterii illius & ordinis regulam, nec non monasterium fuerit idoneum, libere ei profiteri liceat. Cujus professionis tempus ne Episcopus ignoret, teneatur præfecta monasterii eum ante mensem certiorem facere. Quod si præfecta certiorem Episcopum non fecerit, quamdiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit. (Cap. 17.)

Anathemati sancta Synodus subjicit omnes & singulas personas, cujuscunque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam clericos, quam laicos, sæculares vel regulares, *si quomodocunque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcunque mulierem, invitam, præterquam in casibus in jure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscunque religionis, vel ad emittendam professionem; quique consilium, auxilium, vel favorem dederint, quique eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. Simili quoque anathemati subjicit eos, qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo sine justa causa impedierint.* (Cap. 18.)

Tridentino posteriora Concilia renovarunt statuta hæc. Ejusmodi sunt, inter alia, Rothomagense, an. 1581. Aquisextiense, an. 1585. Burdigalense, an. 1624. Mediolanense, an. 1565. Concilia porro Rothomagense an. 1581. & Remensa an. 1583. mandant præterea, ut novitiis qui recedere voluerint, quicquid monasterio dederint, aut attulerint, *deductis alimentis & vestimentis, reddatur.* Hoc ipsum Remense Concilium vetat etiam, ne iidem donis, aut blanditiis trahantur: *Non munusculis, vel blanditiis alliciantur, sed prædicentur potius eis dura & aspera.*

Parisiense Concilium, an. 829. celebratum reservat Episcopis veli viduis & virginibus quæ Deo se consecrant, tradendi jus, damnatque abusus tres qui eo tempore irrepserant; nonnullorum Sacerdotum ausum, qui propria auctoritate velum viduis & virginibus tribuebant; quarumdam præterea fœminarum quæ illud ipsæ sibi imponebant; abbatissarum denique & monialium quæ id sibi juris arrogabant quoad viduas & virgines quæ in earum monasteria se recipiebant.

Quod vero presbyteri, inconsultis Episcopis suis, velum viduarum consecrare non præsumant, prorsus interdicimus. (Can. 40.)

Quod si forte aliquis presbyterorum id facere præsumpserit, (virginum consecrationem), utpote canonicæ auctoritatis transgressor, irretractabiliter feriatur. (Can. 41.)

Talis vero velatio (mulierum quæ se ipsas velant) ac ulterius indiscrete fiat, inhibeatur. (Can. 42.)

Si forte aut abbatissa, aut alia qualibet sanctimonialis post hanc definitionem in tantam audaciam proruperit, ut viduam aut puellam virginem velare præsumat, congrua ab Episcopo suo correctione coerceatur. (Can. 43.)

Declarationis Ludovici Regis XV. die 10. Februarii an. 1741. editæ articulus primus vetat, „ne qua puel„la aut vidua, vel in exemptis monasteriis, ad pro„fessionem, & solemnium votorum emissionem ad„mittantur, quin eas prius diœcesani Episcopi, aliive „quos ipsi designaverint, examini super vocatione „subdiderint.“ *Quære* RELIGIOSI, & RELIGIOSÆ.

NUNDINÆ, *Quære* FESTUM.

NUNTIUS ad catholicum Principem, vel ad catholicam Rempublicam summi Pontificis orator est. Nuntii ex ordine, & extra ordinem, seu, quod ajunt, ordinarii & extraordinarii distinguuntur. Ordinarii porro nuntii ad peculiaria solum negotia mittuntur. At neutris ulla in Galliis seu voluntaria, seu contentiosa jurisdictio est; ex quo fit, ut iidem nec beneficia conferre, nulliusque generis dispensationes, benedictiones, indulgentias, neque vero in appellationum causis commissiones seu mandata tribuere possint. Id unum ibi toleratur, ut de eorum vita, moribus, doctrina & capacitate inquirant, qui ad consistorialia beneficia nominati sunt. *Vide* LEGATUS.

NUPTIÆ. Non matrimonium solummodo, verum etiam quæcunque solemnia illud festa & convivia comitantur, nuptiarum nomine veniunt. Super nuptiis utraque notione sumptis magnus in Conciliis occurrit canonum numerus. Eorum plures attulimus verbo MATRIMONIUM; reliquorum nonnullos hoc loco dabimus.

De his qui frequenter uxores ducunt, & de his quæ sæpius nubunt, tempus quidem pœnitentiæ, quod his constitutum, observabunt, sed conversatio & fides eorum tempus abbreviabit. (Concilium Neocæsareense, can. 3.)

Presbyterum conviviis secundarum nuptiarum interesse non debere, maxime cum præcipiatur secundis nuptiis pœnitentiam tribuere. Quis ergo erit presbyter qui propter convivium illis consentiat nuptiis. (Can. 7.)

Non oportet in Quadragesima aut nuptias, aut quælibet natalitia celebrare. (Concil. Laodicenum, can. 52.)

Non oportet christianos ad nuptias euntes vel ballare, vel saltare, sed caste cœnare, vel prandere, sicut competit Christianis (Ibid. can. 53.)

Sponsus & Sponsa, cum benedicendi sunt a Sacerdote, a parentibus suis, vel paranymphis offerantur; qui, cum benedictionem acceperint, eadem nocte, pro reverentia ipsius benedictionis, in virginitate permaneant. (Concilium Carthaginense, an. 398. can. 13.)

Presbyteri, diaconi, atque subdiaconi, vel deinceps quibus ducendi uxores licentia non est, etiam alienarum nuptiarum evitent convivia, nec iis cœtibus admisceantur, ubi amatoria cantantur & turpia, aut obscœni motus corporum choris & saltibus efferuntur; ne auditus & obtutus sacris mysteriis deputatus, turpium spectaculorum atque verborum contagio polluatur. (Concilium Venetense, an. 465. can. 11.)

Jejunium diebus dominicis tenere, & canonica interdicit auctoritas, & resurrectionis dominica tanta solemnitas. Et ideo placita illis diebus, neque nuptias, pro reverentia tanto solemnitatis, celebrari visum est. (Concilium Aquisgranense, an. 836. can. 18.)

Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab Ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones & alias ceremonias quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit, anathema sit.

O B E

OBEDIENTIA, CELLA, PRÆPOSITURA, GRANGIA, PRIORATUS FORENSIS, parvum monasterium est, quod a majore pendet, & ad quod Abbas religiosos ad nutum revocabiles mittit, qui hanc ob causam *obedientiarii* nuncupantur. Hi religiosi, ita missi semper duo aut tres erant, e quibus unus superioris officio fungabatur: hæc obedientiis prioratibusque ruralibus origo fuit. Ejusmodi obedientiæ initio quidem non nisi grangiæ quædam, coloniæ seu villæ scilicet magnorum monasteriorum erant, a quibus pendebant. Abbates eo mittebant monachos, ut fructus colligerent, censusque reciperent, quos ad monasterium congruis temporibus afferebant. Hi religiosi, ita missi, parva sensim monasteria parvasque Ecclesias construxerunt, obi officium obibant, vivebantque, tamquam in monasteriis, sub claustralis prioris obedientia. Hujus generis parva monasteria gravi abusui occasionem præbuere, ut suis es monachis per simoniacos contractus abbates locarent; id causæ fuit tam multis canonibus qui monachos vetant ad annuum censum Ecclesias, monasteria, aut quodvis aliud prædium sumere: *Ut neque presbyteri, neque diaconi, neque monachi villici fiant.* (Concilium Cabillonense, an. 813. can. 2.)

Nec sub prætextu obedientiæ diutius villicationibus inserviant (monachi), sed regulariter obedientiam in vicissitudine sua peragentes, secum, ut de sancto Benedicto legitur, in monasterio habitent, atque se ipsos recolligant. Hac autem transgredientes, sive prælati in faciendo, sive

subdi-

subdiri in obtinendo, excommunicentur. (Concilium Meldense, an. 845. can. 57.). *Vide* RELIGIOSI & RELIGIOSÆ.

OBLATI, seu MONACHI LAICI sunt, quibus id juris est, ut in abbatiis & prioratibus in Regia nominatione positis locum, sedem, seu pensionem obtineant. Henrici III. constitutio, die 4. Martii an. 1578. edita prohibet, ne in oblatorum sedes alii admittantur, quam milites in Regis servitio mutilati, utpote quod hujus generis personis dictæ sedes addictæ sint. Alia quam idem Princeps Februario mense an. 1585. edidit, sanctio superiorem confirmat, & oblatorum sedes ad milites in regis servitio mutilatos, eosdemque senes & caducos redigit, vetitis omnibus plures quam unam, in privationis pœnam, tenere. (Monum. Cleri, Tom. IV. p. 1964. & seq.)

Ludovicus XIII. per constitutionem Januarii an. 1629. æstimat statuitque monachorum laicorum, seu oblatorum pensiones, quoad eos qui intra cœnobia eas sumere & recipere noluerint, ad annuarum centum librarum summam.

OBLATIO. Sumitur id nominis, 1. pro pacis osculo quod usui est ad altare, solemnia Missæ tempore: 2. pro ea Missæ parte, in qua suum populus ad altare munus exhibet, se ad pacis osculum conferens; 3. pro rebus ipsis quas pacem osculatus inter sacra populus donat; 4. pro voluntariis oblationibus, seu donariis quæ ad Deum, Sanctosque, in altaria ministrorum persona fideles afferunt. Ejusmodi oblationibus summæ antiquitatis origo est, quippe quæ naturali divinoque jure nituntur, quod homines docet supremo Enti, grati animi ergo, bonorum partem reddere, quæ ex ejus liberalitate tenent. Ita perspicimus ejusmodi oblationes semper apud Ethnicos, Judæos & Christianos in usu positas fuisse.

Ad parœciarum rectores, seu parochos id, communi jure, spectat, donaria & oblationes quæ per eorum, quam late patent, parœcias, non in matrici tantum Ecclesia, verum etiam in capellis succursalibus, si quæ sunt, atque adeo in quibusque privatis capellis fiunt, ipsi soli, præ quovis alio, percipiant colligantque. Suas tamen exceptiones patitur hæc generalis regula, quandoquidem Conciliorum canones, Regum sanctiones, parlamentorum aresta non desunt, quæ personis aliis quam parochis oblationum partem adjudicant, quæ in parochialibus, cæterisque Ecclesiis eduntur, quin de legitimis usibus, deque fidelium donatorum mente loquantur, a quibus generali regulæ exceptio aliqua apponi potest.

Quamquam auctoritas canonica doceat, ut quarta pars decimarum & redituum ex oblationibus fidelium in usus Episcoporum cedat; ubicunque tamen Episcopus sua habet, suis contentus sit; ubi autem nihil rerum Ecclesia sua habet, accipiat de memorata quarta parte sibi quisque, non quod avaritia, quod absit, suaserit, sed potius quod necessitas compulerit. Cæterum si accipiendi nulla necessitas ursferit, nihil de memorata quarta parte accipiat, sed usibus Ecclesiarum, & pauperibus Christi impartiendum secundum suam dispositionem relinquat. (Concilium Parisiense, an. 829. can. 31.)

Primitias, decimas, oblationes, & cœmeteria, domos etiam & bona cætera deficientis Episcopi, & clericorum, a principibus, vel quibuslibet laicis diripi & teneri, penitus interdicimus. (Concilium Tolosanum, an. 1119. can. 4.)

Oblationum partem ad Episcopum pertinentem nullus auferre præsumat. (Can. 7.)

Oblationes solitas offerri in Ecclesiis non laici, patroni nomine, sed pastores soli recipiant; est enim hoc prorsus indecorum. Earum autem oblationum partem quæ patrono cedere debeat, iidem pastores fideliter reddant . . . . nec liceat pastoribus eas oblationes ullo pacto elocare. (Concilium Cameracense, an. 1565. tit. 16. *de Decimis, Oblationibus.*)

Oblationes omnes quæ in Ecclesiis parœcialibus & capellis intra metas earumdem existentibus efferuntur, saltem pro tertia parte, (nisi majorem portionem percipere consuevissent) ad eosdem parœciarum rectores spectare declaramus, ab hujusmodi oblationum perceptione laicos omnes excludentes, non obstante quacunque in contrarium consuetudine quæ potius corruptela censenda est. (Concil. Turonense, an. 1583. tit. 14. *de Parœciis.*)

Gallica, super hoc oblationum negotio, jurisprudentia ad hæc capita redigi potest.

1. Oblationes, inquit Turnetius, quæ ad altare fiunt, ad parœciæ rectorem spectant: quod autem extra altare, at in Ecclesia tribuitur, ad parœciæ fabricam pertinet. Interdum tamen, seu alicujus privilegii, seu consuetudinis vi fit, ut oblationes ipsæ quæ ad partem majus altare exhibentur, aut fabricæ,

Ricard Concil. Tom. IV.

ent canonicis, aut parochis primitivis ex parte cedant.

2. Oblationes quæ in oratoriis non consecratis fiunt, ad parochorum emolumentum omnino vergant; earum vero quæ in consecratis oratoriis erogantur, tertiam tantum partem iidem percipiunt.

3. Oblationes quæ ad confraternitatum subsellia, seu capellas peraguntur, ad has ipsas sodalitates pertinent; itemque quæ conferuntur inter Missarum solemnia, quæ pro sodalitatibus decantantur, cum legitime præscriptus usus ejusmodi est.

4. Oblationes quæ in illis cogendis cippis ponuntur, in designatum usum conferri debent.

5. Oblationes quæ ad aliquas imagines, aut reliquias fiunt, ad capellam pertinent, in qua fiunt, quia imagini aut reliquiæ factæ censentur.

6. Ex declarationibus diei 30. Junii an. 1690. diei 19. Julii ejusdem anni, & diei 15. Januarii an. 1731. parochi primitivi, siquidem iis titulus, aut verbalis possessio suppetat, in divino servitio solemnibus quatuor per annum diebus & patroni die obeundo persistere possunt, & oblationum donorumque, quæ seu ex pecunia, seu ex cera diebus quos diximus, congeruntur, dimidium percipere modo tamen ipsi per se servitium peragant, & non aliter. Dispositionibus quæ in his declarationibus continentur, Parisiensis parlamenti aresta duo, unum die 12. Martii an. 1644. alterum die 5. Maji an. 1687 edita congruunt.

7. Eorum clara &, ut vocant, formalis voluntas qui oblationes largiuntur, omnibus juris dispositionibus, omnibus titulis, omnibusque possessionibus supra omnem licet memoriam positis prævalere debet, quia suas liberalitates in quemcunque voluerit, usum conferre prorsus integrum cuique est.

8. Si clara & formalis offerentium voluntas desit, voluntas recte præsumpta & ipsa certa regula est, ut, cui potissimum usui eorum oblationes addicendæ sint, judicetur.

Hinc illud consequens fit domesticorum sacellorum capellanos posse sibi oblationes tribuere, quas qui circum degunt, ad eadem sacella conferunt, peregrini, aliique, propterea quod hi de parochis re conantur quidem, dum offerunt, eorumque probe præsumpta mens ea demum est, oblationes quas edunt, ad capellanorum lucrum vergere, qui in eorum gratiam sacrum faciunt. Videri in hanc rem potest Cardinalis da Luca, *Discursu 19. de Decimis*; Van-Espen, Jur. Eccles. Univ. T. II. cap. 10. *de Oblationibus*, p. 59. & seq. Collectio Jurisprudentiæ canonicæ, verb. *Oblatio*; Dictionarium Canonicum, ad idem verbum; & Monumenta Cleri, Tom. III. p. 234. & seq. Tom. XI. p. 888. Animadvertitur in hoc Cleri Monumentorum posteriore loco, Regalis fructibus oblationes non addi. Alia quæ facit ad rem, animadversio est, tametsi canones a fructuum perceptione laicos arceant, per eosdem tamen unam & unicam proprietatem quæ nimirum afficeret, ut his oblationibus laici tamquam proprio bono fruerentur, non autem administrationem prohiberi; ut proinde bonorum ad parœcias, fabricas, capellas & confraternitates spectantium temporalem & œconomicam administrationem, itemque sanctarum imaginum & reliquiarum custodiam æditui seu fabricienses obtineant.

OBSERVANS. Conciliorum nonnulla *observantium* nomen clericis tribuerunt, qui certæ alicui Ecclesiæ deserviunt. Ejusmodi est Aurelianense Concilium tertium, an. 538. habitum, can. 5. *Si quæ oblationes in cujuslibet rebus atque corporibus collatæ fuerint basilicis in civitatibus constitutis, ad potestatem Episcopi redigantur; & in ejus sit arbitrio, quid ad reparationem basilicæ, aut observantum ibi substantiam deputetur.*

ODIUM. Odium est animi affectio, seu passio, quæ quoad aliquid alienationem & aversionem in nobis excitat. Quempiam, vel ipsum per se, vel quia nobis nocet, vel ob ejus pravas qualitates odisse possumus. Odio aliquem habere ob eum ipsum, lethale peccatum est, quia id charitatis præcepto contrarium est, quo vetamur odisse quempiam, eosque ipsos jubemur amore prosequi, qui maxime nobis inimici sunt. Aliquem odisse, qui injuria nos afficit, id quoque peccatum est magis aut minus grave, quia personam odisse non licet, quæ nobis nocet, quam injuriam quæ ab ea nobis infertur, odisse possimus. Idem de defectuum, vitiorum, pravarum qualitatum odio dicendum est. Hæc omnia quæ culpam sapiunt, odio haberi possunt, non item is in quo sunt. Possumus etiam alicui temporale malum velle, & de eo gaudere, quod patitur, non quidem prout ei malum est, sed prout ejus mali occasione, majora sint animi bona, ut resipiscentia, &

O ater-

æterna falus, derivari possunt, vel prout illud impedire potest aliorum malum, qui nobis potiore titulo diligendi sunt. Ita possumus morbos aliasque calamitates peccatoribus, ut ad mentem redeant, expetere, hæresiarchæ, aut flagitiosi hominis mortem optare, de hostilium copiarum incommodis damnisque gaudere, &c. non autem lætari de alieno malo, nec prout ejus malum est a quo fertur, ac ne prout quidem alterius minus bonum impedit. Plures in Conciliis canones seu constitutiones occurrunt; mandantibus aliis, ut eorum oblationes, qui odium fovent, rejiciantur, aliis, ut iidem ex Ecclesia pellantur, aliis denique, ut excommunicationi subdantur.

Oblationes dissidentium fratrum neque in sacrario, neque in gazophilacio recipiantur. (Concilium Carthaginense, an. 398. can. 93.)

Placuit etiam, ut, sicut plerumque fit, quicunque odio, aut longinqua inter se lite dissenserint, & ad pacem revocari diutina intentione nequiverint, a civitatis primitus sacerdotibus arguantur; qui si inimicitias deponere perniciosa intentione noluerint, de Ecclesiæ cœtu justissima excommunicatione pellantur. (Concilium Agathense, an. 506. can. 31.)

Ut dominicis & festis diebus presbyteri, antequam Missas celebrent, plebem interrogent.... si aliqui discordantes sint, qui inter se litem implacabilem habeant; & si inventi fuerint, statim reconcilientur. Quod si renuerint pacem suscipere, ab Ecclesia ejiciantur, usquequo ad charitatem redeant. Non enim possumus munus vel oblationem ad altare offerre, donec prius fratri reconciliemur. (Concil. Nannetense, an. 660. can. 1.)

ŒCONOMUS SPIRITALIS. Ita olim nuncupabatur ecclesiasticus ad eorum regendas Ecclesias præpositus, qui ad consistorialia beneficia nominati fuerant, quoad provisiones a Romana curia obtinuissent. Pro spiritalium œconomorum creatione nobis nec Conciliorum decreta, nec summorum Pontificum constitutiones, nec regum edicta, patentes litteræ seu declarationes suppetunt. Hi quidem anno tantum 1590. per arestum magni consilii, diei 5. Septembris, dissidiorum occasione Romam inter & Galliam. Cum ii scilicet quos Rex ad consistorialia beneficia nominaverat, non amplius Bullas obtinere possent, magnum consilium horum œconomorum institutionem mandavit ad eorumdem beneficiorum spiritale regimen, quoad a sua Majestate nominati provisiones haberent. Gallicanus clerus æque ac Parisiense parlamentum hos spiritales œconomos non agnoverunt. (Monumenta Cleri, Tom. X. pag. 739. & seq.)

ŒCONOMUS TEMPORALIS. Tribuebatur olim id nominis ecclesiastico cui demandata erat bonorum ad totam aliquam Ecclesiam spectantium administratio. Penes Græcos, œconomo non temporalium solum rerum cura, sed alia quoque erant ejus officio addicta munia. Is Episcopo, dum pontificalem in modum celebrabat, ad dexterum latus aderat, tunica indutus, & flabellum veluti quoddam manu tenens, pro Græcæ Ecclesiæ usu; eos etiam Episcopo præsentabat qui in presbyteros ordinandi erant. In Latina Ecclesia, non erant œconomi nisi archidiaconorum nomine, seu potius archidiaconi erant qui œconomorum functiones edebant, pendentes ab Episcopis quibus debebant suæ administrationis rationem reddere. De œconomis Concilia sæpe loquuntur.

Quoniam in quibusdam Ecclesiis (ut rumore comperimus), præter œconomos, Episcopi facultates ecclesiasticas tractant; placuit omnem Ecclesiam habentem Episcopum habere œconomum de clero proprio, qui dispenset res ecclesiasticas secundum sententiam Episcopi proprii, ita ut Ecclesiæ dispensatio præter testimonium non sit, & ex hoc dispergantur ecclesiasticæ facultates, & sacerdotio maledictionis contumelia procuretur. Quod si hoc minime fecerit, divinis constitutionibus subjacebit. (Concilium Chalcedonense, an. 451. can. 26.)

Œconomi de quibus hoc in canone sermo est, in aliquibus quidem Ecclesiis a toto clero, ut in Alexandrina, in aliis vero, ut in Antiochena, ab Episcopo tantum eligebantur. Id magnis Ecclesiis, ut Alexandrina & Constantinopolitana. œconomi plures aderant, atque in hac posteriore Ecclesia œconomus prima secundum Patriarcham dignitas erat.

Cum simus debitores omnes sacras litteras custodire, & eam qua in unaquaque Ecclesia œconomos esse, modis omnibus inviolabilem conservare debemus. Et si quidem unusquisque metropolitanus in sua Ecclesia constituerit œconomum, bene utique; sin autem, ex auctoritate propria (in Græco *speciali*) *Constantinopoleos Episcopo licentia est præponendi œconomum in ejus Ecclesia; similiter & metropolitanis, si Episcopi qui sub ipsis sunt, non fecerint œconomos statuere in suis Ecclesiis. Id ipsum autem servandum est etiam in monasteriis.* (II. Concil. gener. Nicænum, an. 787. can. 11.)

Haud probe constat, quandonam œconomos nominandi mos in Ecclesia desierit; at fit admodum vero simile eum sensim abrogatum esse, prout ecclesiasticorum bonorum administratio ad unumquemque beneficiarium devoluta fuit. Dispositionem vicesimi sexti canonis Concilii Chalcedonensis instauravit S. Carolus Borromæus in suo Mediolanensi Concilio quinto, part. 3. cap. 11. Renovavit etiam Tridentina synodus ejusdem Chalcedonensis Concilii vicesimum quintum canonem qui mandat, ut vacantis Ecclesiæ reditus ab œconomo in id nominato custodiantur: *Capitulum, sede vacante, œconomum unum vel plures fideles ac diligentes decernat, qui rerum ecclesiasticarum & proventuum curam gerant, quorum rationem ei ad quem pertinebit, sint reddituri.* (Concilium Tridentinum, sess. 24. cap. 16. *de Reform.*)

Testatur Van-Espenius (*Jur. Eccles. univ.* Tom. II. p. 105.) decretum hoc a Belgii Conciliis receptum fuisse; at receptum non fuit in Gallia cujus Reges olim concedebant œconomatus litteras nominatis ad archiepiscopatus, episcopatus, abbatias, prioratus aliaque beneficia quorum nominatio ad eos pertinebat. Henricus III. per edictum mensis Maji an. 1578. crexit in officii titulum œconomos in quaque parœcia ad ejusmodi beneficiorum administrationem, vacationis tempore. Hoc Henrici III. edictum suppressum fuit per articulum 12. edicti Melodunensis mensis Februarii an. 1580. Gallique deinceps Reges œconomatus litteras per commissionem dederunt. Ludovicus XIV. per edictum mensis Decembris an. 1691. œconomos sequentes in officii titulum rursus creavit; ut per edictum aliud mensis Decembris an. 1714. sequestrium quoque œconomorum officia suppressa fuerunt, eorumque munia in præsentia ab iis exercentur quos Rex proponit.

OFFICIALIS, minister qui ecclesiasticam contentiosam Episcopi jurisdictionem exercet. Ea vulgo obtinet opinio solum sub decimi tertii sæculi finem innotescere officiales cœpisse, quin Collectione Decretalium Gregorii IX. quæ ad an. 1230. prodiit, nulla occurrit eorumdem mentio. Nihilo tamen secius e Petri Blesensis qui an. 1200. supremum diem obiit, Epistola 25. itemque a Conciliis pluribus apparet, diu ante laudatum Pontificem qui an. 1241. ex hac mortali vita migravit, officiales in Galliis institutos fuisse.

Officium Officialium, quorum te numero aggregasti, hodie est, jura confundere, suscitare lites, transactiones rescindere.... jura interpretantur ad libitum.... rumpunt fœdera, nutriunt simultates, fornicationes dissimulant, matrimonia destruunt, adulteria fovent, &c. (Petrus Blesensis, Bathoniensis in Angliæ Ecclesia archidiaconus, & Cantuariensis Archiepiscopi cancellarius, in Epistola ad Carnutensis Episcopi officialem data quæ inter centum octuaginta tres quarum is auctor, vicesimum quintum locum tenet.)

Quoniam in quibusdam episcopatibus decani quidam, vel archipresbyteri ad agendas vices Episcoporum, seu archidiaconorum, & terminandas causas ecclesiasticas constituuntur sub annuo pretio, quod ad sacerdotum gravamen, & subversionem judiciorum non est dubium redundare, id ulterius fieri districtius prohibemus (Concilium Turonense, an. 1163. can. 7.). Canon hic aperte refertur ad rationem, qua Episcoporum nonnulli suos officiales instituebant, & ad incommoda quæ eorumdem institutionem consequebantur.

Ne archidiaconi, archipresbyteri, & alii jurisdictionem ecclesiasticam habentes, extra civitatem officiales habeant, sed extra civitatem in personis propriis officium suum fideliter expleant; & si aliquis processus fuerit coram talibus officialibus habitus, quod fieri prohibemus, illum decernimus non tenere (Concilium Castri Gonterii, an. 1231. can. 12.). Canon hic id ut certum ponit officiales in urbibus extitisse, prohibetque ejusmodi ministros alibi institui.

§. I.

De variis Officialium generibus.

Distinguuntur 1. duorum generum officiales in una eademque diœcesi: Officialis princeps, & Officiales foranei.

Officialis princeps is est, qui ordinariam jurisdictionem per universam diœcesin exercet, suamque vulgo in episcopali urbe sedem tenet.

Officiales foranei, ita dicti, quia jurisdictionem quam obtinent, foris & extra civitatem exercent, in varis

variis diœceseos vicis disseminati sunt. Hi sunt meri delegati, nec nisi de levibus causis primum judicium ferunt, a quo ad officialem præcipuum appellari potest.

Distinguuntur 2. officiales quos Episcoporum nonnulli in diœceseos aliis ab episcopali non vulgaribus urbibus habent, quique cum officialibus foraneis confundi non debent.

Distinguuntur 3. archidiaconorum officiales qui olim communes erant, his autem temporibus perrari sunt.

Distinguuntur 4. officiales metropolitani & primatiales, qui metropolis & primatiæ Episcopos, in correctionis & disciplinæ ecclesiasticæ, atque adeo forensium actorum negotio, suæ ipsorum jurisdictioni subdere contenderunt. Hæc arrogata jura Gallicanæ Ecclesiæ effatis contraria e parlamentis abusiva declarata fuere, quoties officiales hi iis uti ausi sunt. Videri possunt, inter alia, arestum in hanc rem editum, an. 1550. in favorem Episcopi Nivernensis; alterum, an. 1553. pro Episcopo Trecensi, contra officialem Senonensem; tertium editum an. 1557. super appellatione tamquam ab abusu a Carnutensi & Meldensi Episcopis interposita, super ejusmodi Senonensis officialis molimine.

§. II.

De Officialium institutione & destitutione.

COmmuni jure, Episcopus instituere & destituere, prout ei libuerit, officiales potest; atque etiamnum, in Italia, suam officialitatem Episcopi in omnibus suarum diœceseon locis exercendam curare possunt.

Super officialium institutione & destitutione varietatis multum subiit Gallica jurisprudentia. Luetius in suis arestis memoriæ prodit officiales regios aliosque, ante Constitutionem quam edidit Rex Carolus V. Sapiens dictus, qui Aprilis die 8. an. 1364. solium conscendit, & per mortem quæ 16. Septembr. die an. 1380. contigit, ex eo descendit, ad nutum destitui potuisse. Addit auctor hic memoratam Constitutionem nihil mutasse quoad officiales qui nihilominus paulo post declarari fuere perpetui. Plura deinde parlamenta veterem jurisprudentiam receperunt, instaurerunt que, quæ eos destitutioni obnoxios reddebat. Eam Ludovicus XIII. per declarationem diei 28. Septembris an. 1637. & Ludovicus XIV. per declarationem diei 17. Augusti an. 1700. confirmarunt. Quamobrem nunc temporis in Gallia Episcopus suum officialem, suæque officialitatis ceteros officiarios omnes, cum ei placuerit, destituere potest, sive eos ipse, sive ejus antecessor nominaverit, sive iis ad onerosum titulum, salva refusione, provisum fuerit. At hæc destitutio injuriosum in modum fieri non debet; ei tribuatur, oportet, urbanæ dimissionis qualitas; alioquin appellationi tamquam ab abusu esset hac in re locus. Eamdem, ex edicto mensis Decembris an. 1691. Episcopi subscriptione firmari, ac in ecclesiasticarum diœceseos insinuationum tabulario insinuari necesse est.

Potest etiam officialis ab Episcopo institutus a capitulo destitui, sede vacante; & re sane ipsa capitulum ut plurimum, dum regalia patet, officialem committit; adeoque officialitates in regalia non vacant. Denique pronuntiari potest, cum officialis munus pura tantum putaque commissio sit, eum, ipso jure, omnis jurisdictionis jacturam subire, statim atque Episcopus a quo eam tenet, sua & ipse, seu per mortem, seu aliter spoliatur. (Ita Hericurtius, in suis ecclesiasticis Legibus, Part. I. cap. 2. n. 34.) Cum Episcopi potestas per aliquam censuram suspensa est, addit ibidem laudatus auctor, officialis quoque potestas suspensa remanere debet.

Articulus 31. edicti mensis Aprilis an. 1695. enuntiat Archiepiscopos & Episcopos non debere vicarios generales instituere, sed officiales tantum, qui contentiosam jurisdictionem in eorumdem diœceseos seu provinciæ locis quæ in parlamenti ditione existunt, quod est ab eo aliud in quo eorum officialitatis ordinariæ sedes instituta est. At cum diœceseos pars quæ in alterius parlamenti ditione est, non satis late patet, ut ibidem officialitas statuatur, Episcopi a Rege patentes litteras obtinent, quæ officiali in episcopali urbe instituto auctoritatem tribuunt, ut de ejus regionis causis cognoscant, sine distinctione ditionis parlamenti, in qua sita est.

Ea ergo est in Gallia nunc temporis universim regula, officialem in unaquaque diœcesi uno amplius esse non posse, nisi ad parlamenta plura diœcesis spectet. Aliquas tamen exceptiones patitur regula hæc quoad quasdam diœceses quæ, quia plura magni momenti oppida continent, officiales plures habent, quamvis ad parlamenta alia non spectent; ejusmodi sunt, inter alias, diœceses, Bajocensis quæ duas, & Constantiensis, Augustæ Romanduorum scilicet, quæ tres officialitates habent.

§. III.

De Officialium qualitatibus.

1. OFficiales esse debent ecclesiastici, atque adeo sacerdotes: *Indecorum est laicum esse vicarium Episcopi, & seculares in Ecclesia judicare.* (Concilium Hispalense, an. 619. can. 9.)

Perpetuo ordinamus edicto, vicarios generales, aut principales officiales diœcesanorum, seu ordinariorum ecclesiasticorum esse debere in sacris ordinibus constitutos; decernentes omnes actus vicarii, aut principalis non constituti in sacris ordinibus, si quos contigerit de cætero exercitari, nullius esse roboris, vel valoris. (Concil. Dertosanum, an. 1429. can. 10.)

Officiales Episcoporum, cum sint in foro contentioso, juris dispositione, ipsorum vicarii, eorumque vices supplere debent, præcipue in criminum per subditos commissorum emendatione; eos esse presbyteros volumus, juris potissimum canonici, seu pontificii peritos, & boni nominis, ut major in coercendis delinquentium criminibus eorum sit auctoritas. (Concil. Turonense, an. 813. tit. 19. *de Jurisdictione*, &c.)

Confirmatus fuit canon hic per statutum, an. 1605. super officialitatibus a Cleri cœtu editum; per articulum quintum spiritalis statuti ecclesiasticæ Ordinum cameræ, an. 1614. per Blesensis Constitutionis artic. 45. per arestum parlamenti Parisiensis diei 9. Januarii an. 1603. contra officialem Andegavensem; & per aliud parlamenti Tulusani, diei 15. Maji an. 1608. contra officialem Carcassonensem. Nihilominus, si forte contigerit sacerdotum, atque adeo ecclesiasticorum nullum obeundo officialis, seu promotoris muneri parem esse, poterunt Episcopi laicos ad ejusmodi officia committere, excepta censurarum. cæterarumque mere ecclesiasticarum functionum potestate, quam clericis tantum concredere possunt.

2. Officiales esse debent licentiati in jure canonico, vel in theologia: *Statuimus, quod nulli statuantur officiales, nisi per quinquennium jura audierint, vel per causarum exercitium judicandi officio sint merito approbati.* (Concilium Turonense, an. 1235. seu 1236. can. 4.)

Capitulum, sede vacante.... officialem, seu vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in jure canonico sit doctor, vel licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus. (Concil. Tridentin. sess. XXIV. cap. 16. *de Reform.*)

Blesensis Constitutionis articulus 45. statuit vicarium generalem, seu officialem esse neminem posse, quin graduatus sit; & declarationes dierum 27. Februarii an. 1680. & 22. Maji ejusdem anni enuntiant ecclesiasticos in posterum ad officialium obeunda munia admitti non posse, nisi in jure canonico doctores aut licentiati, vel in theologia doctores in aliqua regni Facultate fuerint.

3. Officiales esse debent docti, solliciti, actuosi, vigilantes, pacifici, prudentes, a proprii lucri studio liberi.

4. Ante Tridentinum Concilium, Rotæ definitores in ea erant sententia regulares professos Episcoporum officiales esse non posse; at id iis hæc synodus, superioribus annuentibus, licere voluit: *Prohibet sancta Synodus, ne quis regularis, sine sui superioris licentia, prædicationis, vel lectionis, aut cujusvis pii operis prætextu, subjiciat se obsequio alicujus prælati, Principis, vel universitatis, vel communitatis.* (Sess. XXV. cap. 4.)

Super controversia, an officialium munus regulares obire possint, inter Gallos auctores non convenit; ajunt alii, negant alii de regularibus omnibus generatim sumptis. Id Rebuffus de omnibus regularibus, mendicantibus exceptis, affirmat; Hericurtius ita hos quidem posteriores excipit, statuitque effati veluti loco: (Leges Ecclesiast. Pars I. cap. 2. n. 23.) „ Nullo „ canone, nulla sanctione vetantur Episcopi sibi regulares officiales sumere; regulares ergo contentiosam jurisdictionem exercere possunt, dummodo qualitatibus præditi sint, quas edicta requirunt, suorumque iis superiorum venia suppetat. “

Bordenave, Lescariæ canonicus, in Libro quem concinnavit, animadvertit, cum se quæstio pro Lescariensi & Oleronensi diœcesibus obtulisset, an Franciscanus sui Episcopi vicarius generalis, seu officialis esse pos-

se posset, dicissum fuisse esse possit *cum superioris licentia*.

In præsenti usu, religiosi quibus territorium & contentiosa jurisdictio est, hanc super sui territorii regularibus & sæcularibus exercendam suorum religiosorum uni demandant, qui ad hunc finem debet in aliqua regni universitate gradus sumere. Hanc Benedictini, licet reformati, in territorio Abbatiæ S. Martini Sagiensis, abbatiæ Corbiensis, S. Dionysii, & alibi exercent.

5. In Gallia officiales natalibus Galli, aut saltem in civitatem adoptati sint, oportet. Uno eodemque tempore officiales & magni vicarii esse possunt; at necesse habent munia per qualitates distinguere, se nempe in contentiosa jurisdictione officiales, & in voluntaria magnos vicarios dicere.

6. Officiales nec episcopalis sigilli conductores esse, nec temporale officium possidere, nec in sæculari ulla curia officiarios agere possunt; ita statuunt Constitutiones, Molinensis, artic. 19. Aurelianensis, an. 1560. art. 44. & Blesensis, art. 43. 112. 269.

§. IV.

De Officialium potestate.

1. Officialis, cum ordinariam contentiosam jurisdictionem obtineat, hujus proinde, quam late ipsius territorium patet, super personis quæ ejus jurisdictioni subsunt, superque rebus de quibus cognoscere potest, exercendæ potestate gaudet; sunt enim plura, quorum ad eum cognitio non pertinet.

2. In universum, officiales de negotiis mere personalibus cognoscunt, cum ecclesiasticus defensor est; ejusmodi sunt quæ divinum servitium & sacramentorum administrationem afficiunt, quæque publicum scandalum adjunctum non habent: secus, si agatur de actorum sub regio sigillo editorum quæ sæcularem jurisdictionem occupant, executione, de actionibus realibus, ut in evictionem, petitionem hæreditatis, de possessoriis, in retractionem, de hypothecariis, aut de actionibus mixtis, aut quæ immobilia bona spectant, aut de actionibus in contractuum & transactionum consecutionem excitatis, aut cum de mobilis rei repetitione agitur. (Fevretius, lib. 4. cap. 10. n. 2.)

3. Officialis ad lucra & damna personam quæ suapte natura ejus jurisdictioni non subest, sed solum ratione materiæ, vel criminis, ut laicum damnare non potest; potest autem ecclesiasticum, quippe qui ipse per se eidem obnoxius est. (Diar. Aud. Arestum mensis Februarii an. 1690.)

4. Quod attinet ad pœnas cæteras, distinguendæ sunt pœnæ quæ ad publicam vindictam in sæcularibus tribunalibus imponuntur, & pœnæ *canonicæ* dictæ, quæ salutares pœnitentiæ sunt ad sontium correctionem & emendationem, ut preces, jejunia, eleemosynæ, &c. Posterioris quidem generis pœnas officiales imponere possunt, prioris vero non possunt; & quod inde fit consequens, damnare non possunt ad flagellum, ad palum, ad scalam, ad collare ferreum, ad candentis ferri notam, ad torturam, ad quæstionem, ad perpetuum carcerem, ad triremes, ad exilium, ac ne ad pecuniariam quidem mulctam, etsi hæc piis operibus addici possit, nec magis ad honorificam mulctam damnare possunt, præterquam in audientia prætorii, solum scilicet reos damnare, ut in eorum prætorii audientia veniam petant, coram aliquibus; possunt etiam eos officio & beneficio privare.

5. Cognoscunt officiales de matrimonii validitate aut invaliditate, & de oppositionibus ad matrimonium, cum hæ ab iis proponuntur, quibus matrimonii obstricta promissio fuit, aut quibuscum sponsalia aliæque obligationes initæ fuere. De cæteris quoque sacramentis, rebusque omnibus mere spiritalibus iidem cognoscunt.

6. Regulares, etiam exemptos puniendi jus obtinent, qui sine Episcopi venia concionantur, aut malam doctrinam venditant.

7. Officiales in Gallia non alibi quam in suo auditorio inquirere & judicare possunt, quia ad eum locum eorum territorium redactum est. (Du Casse, P. II. c. 2. n. 4. Gibertus in Cabassutium, l. 1. c. 2, n. 2.)

8. Ne in suo quidem prætorio ullum decretum in laicum edere possunt, etiamsi scandalum in Ecclesia excitatum prætexeretur; id enim est de laici judicis competentia. Cum semel justas pœnas per arestum definitivum & judiciariis rationibus initis decreverunt, eas non amplius vel ipsi, vel Episcopi quorum officiales sunt, remittere possunt; has pœnas remittere solum superior judex potest; ac proinde officiales qui clausulam, *salva misericordia Domini*, suis sententiis apponere voluerunt, ut pœnas quas ipsi decreverant, remittendi vel imminuendi libertatem sibi tribuerent, reformati fuere. (Arestum diei 3. Martii an. 1456.)

9. Quamvis officiales nec ad exilium, nec ad ullam cum infamia conjunctam pœnam damnare possint, extero tamen ecclesiastico mandare possunt, ut e diœcesi recedat, indicta, ni paruerit, juris actorum pœna. Ita judicatum Parisiis die 15. Julii an. 1631. ex canonibus & Blesensi constitutione, a quibus clerici suis in diœcesibus servire jubentur.

10. Quamvis officiales metropolitani nulla in Episcopos jurisdictione polleant, eorumque judices esse non possint, ut paulo ante dictum est; appellationis tamen a metropolis Episcoporum mandatis, absque ullo episcopalis dignitatis præjudicio, judices esse possunt, quia longe aliud omnino est, accusati Episcopi judicem esse, & esse appellationis judicem a sententiis mandatisque ab Episcopo hoc ipso editis. Quamobrem in Provincia, & in Belgio, ubi quidem, ex earum provinciarum usu, Episcopi suarum officialitatum sedem tenere possunt, officiales metropolitani appellationis a sententiis in contentiosa jurisdictione per suffraganeos Episcopos pronuntiatis judices sunt. (Monum. Cleri, T. VII. p. 1485. & seq.)

Consuli potest Opus inscriptum: *Character Officiariorum Episcopi*, cum latinis Tractatibus duobus, uno *de Jurisdictione*, *de Usura* altero, per D. Ludovicum de la Ballide, presbyterum, doctorem aggregatum Facultatis juris Parisiorum, haud ita pridem promotorem generalem Eminentissimi D. Cardinalis de Bonzi, in 12. Parisiis, apud Joannem Guignard, & Ludovicum Ronceand, an. 1692. Episcopi officiarii tres quorum origo, character, munia & obligationes in hoc opere exponuntur, sunt Vicarius generalis, Officialis & Promotor. Videri præterea potest Tomus primus *Institutionum ecclesiasticarum & beneficialium* Giberti, a pag. 132. ad 142. edit. in 4. an. 1750.

OFFICIARII CURIARUM ECCLESIÆ. Occurrunt in Conciliis numero plures canones qui Episcopis, abbatibus, totique generatim clero commendant, ut eos tantum officiarios adhibeant, qui qualitatibus muneri congruentibus præditi sint, cujusmodi sunt competens scientia, boni mores, probitas, religio, pietas, suavitas, solicitudo, prudentia, activitas, vigilantia, privati lucri neglectus, æquitas, &c. *Omnibus igitur Episcopis, abbatibus, cunctoque clero omnino præcipimus vicedomines, præpositos, advocatos, sive defensores bonos habere, non malos, non crudeles, non cupidos, non perjuros, non falsitatem amantes, sed Deum timentes, & in omnibus justitiam diligentes.* (Concilium Moguntinum, an. 813. can. 50.)

Oportet Ecclesiæ prælatos, ut de congregatione sibi commissa tales eligant boni testimonii fratres, in quibus onera regiminis secure possint partiri. Quibus etiam talem conferant potestatem, *ut vice illorum fungentes, & inobedientes canonica censura corripere, & obedientes hortando ad meliora valeant provocare. Non enim constituendi sunt personaliter, aut eo ordine quo in collegio fratrum admissi sunt; sed secundum vitæ meritum, & spiritalium donorum prærogativam, qui & in congregatione assidui sint, & fratrum curam pervigili studio gerant; & sicut alios præcedunt magisterio, ita nimirum innocentia vitæ informent exemplo, ut, juxta Apostolum, exemplo sint cæteris in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate.* (Conciliom Aquisgranense, an. 816. canon. 138.)

Quoniam quidam in quibusdam partibus sub pretio statuuntur, qui decani vocantur, & pro certa pecuniæ quantitate episcopalem jurisdictionem exercent; præsenti decreto statuimus, ut, qui de cætero id præsumpserit, officio suo privetur, & Episcopus conferendi hoc officium potestatem amittat. (Concil. generale Lateranense, an. 1179. can. 15.)

Curare debet qui diœcesi præest, ut, qui legitime absunt, virum habeant, qui eorum vice fungatur, litteratum & idoneum; nempe qui sciat scribere, cujus vita neminem offendat, qui exemplo clarus alios ad recte agendum impellat, qui denique ea sufficientia & moribus sit præditus, quales locus & persona quibus præerit, poscere videbuntur. (Concilium Narbonense, an. 1551. can. 23.)

Quod si præstare per se nequeant (omnia munia episcopalia Episcopi), viros doctrina & vita insignes substituant, qui vicariam illis præstent operam.... præterea probos ac doctos habeant officiarios, maxime officiales & promotores. (Concilium Remense, an. 1583. tit. *de Episcopis*.)

OFFICIUM DIVINUM, seu **OFFICIUM BREVIARII**. Divinum officium de quo nobis hoc loco dicendum proponimus, publicis quibusdam precibus continetur, quas ecclesiastici sacris ordinibus initiati, aut beneficiarii, aut religiosi professi, diebus singulis, statis horis, seu in choro, seu privatim, recitare tenentur: hæc ipsa divini officii designatis horis recitandi obligatio in causa fuit, ut *horarum canonicarum* nomen ei tribueretur; *horarum* scilicet, quia diei, aut noctis, pro locorum usu, certis quibusdam horis recitandum est; *horarum canonicarum* præterea, quia per canones institutum fuit, & quia recitari ab ecclesiasticis personis debet, quæ canonice, seu regulariter, nempe secundum canones, seu regulas vivunt.

Horæ canonicæ sunt numero septem; videlicet, Matutinum & Laudes, quæ unam tantum horam conficiunt, propterea quod per unam tantum collectam finiuntur; Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ & Completorium. Si Horæ canonicæ quoad substantiam, seu rem ipsam spectentur, non minus antiquæ sunt quam Ecclesia, quandoquidem certum est veteres Christifideles, ipso Apostolorum tempore, consuevisse psalmos, hymnos, spiritalia cantica suis in cœtibus canere & recitare. At si forma inspiciatur, ad quam nostris in Breviariis Horæ canonicæ redactæ sunt, hæc non altius quam ad decimi tertii sæculi initium assurgit. Ante id temporis, clerici & monachi psalmos memoriter canebant aut recitabant, sacræ deinde Scripturæ libros ad unumquodque tempus designatos legebant, reliquis cæremoniis, a majorum usu, servatis.

§. I.

De iis qui divini Officii recitationis obligationi subsunt.

OMnes & singuli clerici in sacris ordinibus constituti, licet beneficiarii non sint, divini officii, etiam extra chorum, recitandi obligationi, sub mortalis peccati pœna, subjiciuntur. Idem judicium de clericis beneficiariis, tametsi sacris ordinibus insigniti non sint, deque omnibus regularibus, itemque de omnibus Sanctimonialibus, e quibus est emissa professio, ferendum est.

Hæc obligatio generali Orientis & Occidentis consuetudine quæ legis vim habet, unanimi præterea Patrum & Theologorum sententia, denique Conciliorum canonibus nititur.

Precationes facite, mane, tertia hora, ac sexta, & nona, & vespere, atque ad galli cantum.

Hoc statis horis orandi præceptum quod in octavi apostolicarum Constitutionum libri tricesimo quarto capite occurrit, fideles spectat ad unum omnes, & potiore quidem ratione, sæculares & regulares clericos quos adigit status ipse, ut non modo pro se ipsis orent, verum etiam pro populo, & populi nomine.

Quod in conventu fidelium nequaquam psalmos continuare conveniat; sed per intervallum, id est, per psalmos singulos recenseri debeant lectiones. (Concilium Laodicenum, can. 17.)

Canon hic qui nos docet in ea consuetudine fideles fuisse, ut in suis publicis cœtibus psalmos concinerent, eodem tempore certos facit jam tum lectiones psalmis intermisceri cœpisse, ut choro solatium afferretur, negligentiaque & tædium anteverteretur.

Clericus qui absque corpusculi sui inæqualitate vigiliis deest, stipendiis privetur. (Concilium Carthaginense, an. 398. can. 49.)

Hæc igitur & similia (collocutiones in choro), sub pœna suspensionis, penitus inhibemus, districte præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum officium, diurnum pariter & nocturnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter & devote. (Concil. gener. Lateranense, an. 1215.) Canon hic, tamquam a supradicto Concilio editus affertur in Decretalibus Gregorii IX. lib. 3. *de Celebratione Missarum*, cap. 9. *Dolentes*.

Statuimus, quod omnes clerici in sacris ordinibus constituti, & beneficium ecclesiasticum, maxime cum cura, obtinentes, & omnes religiosi clerici ad omnes septem horas canonicas omni die dicendas vigilent diligenter; nam ad eas dicendas sunt ex debito obligati, nisi eos infirmitatis gravitas excusaret; & quam frequentius ad eas dicendas ad Ecclesias conveniant horis & temporibus consuetis. (Concil. Marciacense, an. 1326. cap. 19. *de Horis dicendis*.)

Quisquis beneficium aliquod ecclesiasticum adeptus est, sive cum cura, sive sine cura, & quisquis sacris ordinibus est initiatus, sciat se ad preces quotidianas quæ Breviario continentur, recitandas obligari; quas si omiserit, legitima cessante impedimento, fructus beneficii pro rata parte omissionis amittat; & si eos receperit, restitutioni se sciat obnoxium. (Concil. Remense, an. 1583. tit. *de Breviario*.)

Ad hæc autem præstanda, & sacrificium istud (laudis & precum horariarum), cum suo, tum universi populi christiani nomine, Deo faciendum, ii omnes ipso jure obligantur, quicumque vel beneficiis ecclesiasticis potiuntur, vel sacris initiati sunt. Quocirca pœnas in eos qui preces horarias & quotidianas prætermiserint, sacris Conciliorum atque Pontificum decretis constitutas, in præsentia duximus esse renovandas. Sunt autem hujusmodi: ut quisquis beneficium aliquod ecclesiasticum adeptus fuerit, sive sit ab omni cura liberum, sive non sit, si postquam illud obtinuerit, sex mensibus exactis, divinum officium, & statas solemnesque preces, legitimo cessante impedimento, non recitaverit, nullos ex beneficiis fructus, pro rata portione omissionis officii, temporisque, faciat; sed eos, tamquam injuste perceptos in fabricas Ecclesiarum, unde fructus ipsi præbentur, impendere, vel in pauperum usus, eleemosynæ nomine, erogare teneatur. Si vero ultra dictum tempus in simili negligentia pertinaciter permanserit, legitima monitione præcedente, beneficiis ipsis privetur. Intelliguntur autem officium omittere, quoad hoc, ut beneficiis privari possint, qui per quindecim dies illud bis saltem non dixerint, nisi ob majus aliquod impedimentum, legitimam excusationem habuerint; ideoque præterea de dicta omissione rationem se reddituros esse intelligant. Qui autem pensionem ex iis fructibus, aut res alias ecclesiasticas, ut clericus, percipit, is pari modo, & prædictis conditionibus se ad Officium Beatæ Mariæ Virginis obligatum esse sciat. (Concil. Burdigalense, an. 1583. tit. 3. *de Ecclesiasticis Precationibus*.)

Quicumque aut curatum, aut quodvis aliud ecclesiasticum beneficium obtinens, nullis legitimis impedimentis distractus, divinum officium non dixerit, ejus fructus non capiat, perceptosque aut Ecclesiæ instructionibus, aut pauperum eleemosynis impendat. (Concilium Tolosanum, an. 1590. Part. I. cap. 14. *de Presbyteris, & Clericis*.) Ex hac porro divini officii recitandi obligatione ducendæ consecutiones ejusmodi sunt.

1. Omnis clericus beneficiarius, aut in sacris ordinibus constitutus, mortale peccatum perpetrat, omittens, sine justa causa, divini Officii vel parvam Horam unam, ut Primam, aut Tertiam. Eadem est religiosorum & religiosarum ratio, quamvis choro non intersint, & apud consanguineos aut amicos degant, seu libere, seu coacte & ob necessitatem, ut contingeret, si forte eorum monasteria igne absumerentur. Ratio est, quia religiosi & religiosæ ad divini Officii recitationem haud præcise prorsusque obligati sunt vi existentiæ in monasteriis, aut communis vitæ quam ibi, dum sunt, ducunt, aut denique peculiarium regularum constitutionumque, sed vi religiosi status quem profitentur; ut proinde quoad eos, ad divini Officii recitandi obligationem quod attinet, emissa professio id demum sit, quod ecclesiasticis sacri ordines sunt. Quoniam ergo religiosus non desinit religiosus esse (idem de religiosa dicendum), quia in monasterio non existit, aut quia hoc dirutum est, necessaria consecutione fit, eum non minus ad divini Officii recitationem adstringi. Eadem est canonicissarum sæcularium ratio, quæ præterea, perinde ac canonici, cæterique beneficiarii, pro omissionis rata, restituere tenentur. *Quære* CANONICI & CANONICISSÆ.

2. Officii recitandi, quoad ecclesiasticos, obligatio a subdiaconatu incipit, & ordinationis tempori respondet; adeoque clericus qui sub matutinas horas novem ordinatus est, non nisi ad Tertiam & sequentes Horas tenetur, quia Ecclesiæ lex quæ certis quibusdam diei partibus officii recitationem addicit, retroactivam, quam vocant, vim non obtinet. Idem de religiosis, seu viris, seu feminis, quoad editam professionem, deque beneficiariis, quoad beneficiorum initam possessionem. Beneficiarius ad Officium non obligatur, nisi cum beneficii possessionem iniit, nisi vigeat contrarius usus, aut is differat, culpa sua, se in beneficii possessione ponere, aut non percipiat beneficii fructus, vel omnino, vel ex parte, ut in quibusdam beneficiis contingit. Ratio est, quia ante initam possessionem beneficiarius nullo beneficii jure fruitur, nec plene illud obtinuisse censetur. Si duo ecclesiastici de beneficio contenderent, & vere dubium esset eorumdem jus, neuter ad officium teneretur, quia certum onus ex incerto jure derivari non potest; at si eorum unus de suo jure certus fuerit, is profecto ad Officium obligatur. Eadem est eorum ratio, quibus per *interim* adjudicata est beneficii possessio, quippe qui eorum fructus percipiunt. Si litigiosi beneficii fructus ad futurum beneficiarium a vacationis die pertinerent, is a contendentibus, cui adjudicata lis esset, iis frui non posset, qui ante victam causam elapsi essent, sed eos,

prout

prout ipsius Ecclesiæ, aut pauperibus opus esset, impendere deberet, si officium minime recitasset. Quantumvis modica beneficii reditus sit, qui illud acceptavit, non minus officii recitationi subest, quia beneficii, nec reditus, nec quantitas, sed unus & unicus titulus divini Officii recitandi obligationem parit, & Concilia omnes universim beneficiarios illud recitare jubent, quin inter magnos & parvos beneficiarios omnino distinguant.

Idem quoque de beneficiariis dicendum, qui nullum e suis beneficiis fructum percipiunt, seu ad tempus, ut sterilitatis anno, seu in perpetuum, ut cum domus qua ejus reditus continebatur, forte fortuna perit, quia unus titulus quem libere servant, ad hanc statuendam obligationem sufficit. Idem dicendum de perpetuis præstimoniis de quibus in Pii V. Bulla, *Ex proximo*, sermo est. Venit *præstimonii* nomine redituum portio e quibusdam beneficiis ducta, & allecta junioribus clericis, quibus ad studia, vel ad Ecclesiæ servitium subsidio sit. Dicuntur ergo, communi jure, qui perpetuis præstimoniis gaudent, divini Officii recitationi, ut cæteros beneficiarios, subesse, tum quia S. Pius in Bulla *Ex proximo*, ita mandavit, tum quia ejusmodi perpetua præstimonia omnes beneficiorum notas obtinent; ea scilicet ecclesiasticorum beneficiorum locum tenent, & ab Episcopo clericis tantum, ac sine ullo pacto tribuuntur. Qui porro clericales super beneficiis pensiones possident, ad B. Virginis tantum Officii recitationem tenentur, ut Pii V. 135. Bulla mandat, quæ ubique super hoc articulo recepta est. Animadvertendum Gallos Episcopos ea possessione gaudere, ut magni Officii recitationem in parvi B. Virginis Officii recitationem commutent, cum beneficii reditus ad clericalis tituli valorem per diœceseos statuta designatum non pervenit; ex quo inferendum iis idem jus quoad perpetua præstimonia in eadem facti specie suppetere.

3. Clerici suspensi, excommunicati, degradati, aut depositi a divini Officii recitationis obligatione soluti non sunt, quia nemo potest a sua ipsius pravitate commodum trahere; nec magis sunt ab eadem liberi ad triremes damnati clerici, cum satis ei facere possunt, quin se ictibus, aut dedecori exponant. Eadem est eorum ratio, qui in carcere detinentur, qui captivi sunt, quique ad matrimonium contrahendum dispensationem obtinuissent, quin aliam super officii recitatione obtinerent. Secus dicendum de clerico suis ingratiis ordinato, deque beneficiario per gravem metum coacto beneficium suscipere; hi quippe recitandi officii obligationi non subsunt, nisi prior quidem deinde in ordinationem, posterior vero in beneficii acceptationem consentiat, ejusve fructus percipiat, quia nemini invito id oneris imponi potest. Ubi timor desierit, beneficiarius se beneficio abdicare debet.

§. II.

De divini Officii recitandi ratione.

Divini Officii recitandi ratio continetur conditionibus quatuor, quæ sunt: *distinctio*, *integritas*, *devotio & attentio*.

1. Divinum Officium distincte recitandum est, ita scilicet, ut qui illud recitat, ipse se audiat, nisi surdus sit, ut extra rumor fiat. Haud satis prorsus est mente & oculis Officium legi.

2. Divinum Officium integre recitandum, quin horarum canonicarum ulla omittatur. Integræ horæ omissio lethale peccatum conficeret, omnium casuistarum judicio; ac S. Antoninus eum lethaliter peccaturum ait, qui parvæ horæ tertiam partem omitteret. Integritati quæ divini Officii recitationem comitari debet, æque satisfacit qui illud solus, quique alterius, per versiculos, una cum alio, clerico laicove, recitat; at non satisfieret, si unus psalmos omnino solus, lectiones alter, aut psalmorum unum prior, alterum posterior, aut si a personis quatuor, versiculorum unum prima, alium secunda, alium tertia, &c. recitarent, quia id repugnat consuetudini quæ in Ecclesia universim viget. Nec satius fit; cum socius anticipatur, inchoato versiculo, antequam ille suum finierit, aut cum is non auditur surditatis causa, nisi Officium una cum choro recitetur, aut cum inchoatum officium sine legitima causa interrumpitur. Officium ergo sine legitima causa interrumpi semper peccatum est, illudque aut mortale, aut veniale, prout interruptio majoris minorisve momenti est, & prout interruptionis causa plus minusve mala, aut plus minusve frivola est. At cum interruptionis causa rationi congruit, non peccat qui inchoatum officium intermittit, nec illud repetere necesse habet, nisi per horam aut amplius intermissio perstiterit. Brevius intermissionis tempus ad lethale peccatum sufficere possit, si intermissio solum ex levitate, curiositate, aliisve æque frivolis causis derivaretur. Intermittendi officii legitimæ causæ sunt, ut aliquod exemplum afferam, cum aliquid faciendum occurrit, quod moram non patitur, cum advenit, salutanda ergo, persona superior, quæque honeste ad expectandum adigi nequit, &c.

3. Officium cum devotione recitetur, oportet, & hæc devotio ad officii recitationem necessaria in corporis ad reverentiam habitudine, & in pia cordis affectione posita est. Hæc pia cordis affectio præparationem, intentionis puritatem, explendique præcepti actualem aut virtualem, quam vocant, explicitam aut implicitam voluntatem supponit, atque hæc sane voluntas adest, quoties officium recitatur, prout usu receptum est; qui enim illud ita recitat, ea voluntate esse censetur, ut faciat præcepto satis, quod ejus obligationem imponit. At si quis officium ex pura putaque devotione, cumque expressa ejus iterandi, & præcepto satis haud faciendi voluntate diceret, illud iterare deberet. Ad corporis habitum quod spectat, potest officium recitans sedere, aut deambulare, tametsi præstet, ut stans, aut flexis genibus illud recitet.

4. Officium cum attentione recitandum est. Triplicis porro generis, quoad divinum officium attentio distinguitur: videlicet, attentio ad verba quæ recitantur, ad horum verborum sensum, ad Deum qui precum est finis. Attentio ad divini officii verba, quæ appellatur externa, in eo est posita, ut omnia officii verba distincte pronuntiantur, quin eorum ullum omittatur. Ad verborum sensum attentio ea est, ut ad res per verba significatas animus eleveratur. Ad Deum attentio in eo continetur, ut per desiderium & gemitum cordis Deus menti obversetur, nec præcise in verborum quæ pronuntiantur, sensu & significatione cogitatio detineatur. Primi generis attentio ad orandum, ut oportet, explendamque divini officii recitandi obligationem non sufficit, quia non aliam vim obtinet, quam ut oretur ore, cum orandum sit etiam corde. Est ergo necessaria secundi generis attentio, vel tertia, & hæc quidem cæterarum perfectissima est. At non est necesse alterutram semper actualem esse; eas virtuales esse satis est, ac tum quoque tales sunt, cum, per humanæ fragilitatis effectum, contingit eum qui officium recitat, sæpe etiam ac diu, distrahi, dummodo tamen hæ distractiones, seu mentis avocationes nec in se ipsis, nec suis in causis voluntariæ sint. Sunt in se ipsis voluntariæ, cum libere consultoque in iisdem consistitur; sunt in sua causa voluntariæ, cum iis vetitæ quædam adhæsiones, & vitiosi quidam habitus qui libere foventur, originem præbent, aut cum voluntarie iisdem allata occasio est, acta re non necessaria, & ad eas excitandas accommodata, quamvis iis, quo tempore existunt, non addatur consensus, viresque intendantur ad easdem rejiciendas, ut, si, causa exempli, quispiam ad officii recitationem obligatus, vanis & frivolis rebus, antequam illud inciperet, distineretur, vel illud in loco distractionibus exposito recitaret, cujusmodi sunt mercatus, via, vectio, aut deambulatio publica, &c. Putant theologorum plures eum divino officio satis non facere, qui illud recitat Missæ tempore, quam audire tenetur, quia licet ad officium, & ad Missam attentio conjungi possit, pugnat id tamen cum Ecclesiæ mente, quæ peculiaria onera duo imponere voluit, dum fideles jussit festis & dominicis diebus Missam audire, ecclesiasticisque officii recitationem præscripsit.

Si quis principem sæculi rogaturus, habitu honesto, gestu decenti, prolatione non præcipiti, sed distincta, attenta quoque mente se ipsum ac verba studet componere; quanto diligentius in hoc sacro loco omnipotentem rogaturus Deum hæc omnia facere curabit? (Concilium Basileense, sess. XXI. art. 3.)

Statuit igitur hæc sancta synodus, ut in cunctis cathedralibus ac collegiatis Ecclesiis, horis debitis, signis congrua pulsatione præmissis, laudes divinæ per singulas horas, non cursim ac festinanter, sed tractim ac tractim, & cum pausa decenti, præsertim in medio cujuslibet versiculi psalmorum, debitam faciendo inter solemne ac feriale officium differentiam, reverenter ab omnibus persolvantur . . . . qui cum in choro fuerint, gravitatem servent, quam & locus & officium exigunt, non in simul, aut cum aliis confabulantes, seu colloquentes, aut litteras, seu scripturas aliàs legentes. Et cum psallendi gratia ibidem conveniant, juncta ac clausa labia habere non debent; sed omnes, præsertim qui majori funguntur honore, in psalmis, hymnis & canticis Deo alacriter modulentur. Cum dicitur Gloria Patri, & Filio, & Spiritui San-

Sancto, omnes consurgant. Cum nominatur gloriosum illud nomen Jesus, in quo omne genu flectitur, cælestium, terrestrium, & infernorum, omnes caput inclinent. Nemo ibidem, dum hora in communi publico canuntur, legat, vel dicat privatim officium; nam non solum obsequium, quo obnoxius est, choro subtrahit, sed alios psallentes perturbat.

Quoscunque etiam alibi beneficiatos, seu in sacris constitutos, cum ad horas canonicas teneantur, admonet hæc sancta synodus, si orationes suas Deo acceptas fore cupiant, ut non in gutture, vel inter dentes, seu deglutiendo, aut syncopando dictiones, nec colloquia, vel risus intermiscendo, sed sive soli, sive associati, diurnum nocturnumque officium reverenter, verbisque distinctis peragant, ac tali in loco, unde a devotione non retrahantur, ad quam se disponere & præparare debent, juxta id quod scriptum est: Ante orationem præpara animam tuam, ne sis quasi qui tentat Deum. (Art. 5.)

Omnes in choro divina officia, ut temporis ratio postulavit, alternis vocibus canant, recitent, attenteque audiant. Id non cursim, non perturbate, non oscitanter, sed leniter, distincte ac studiose faciant. In choro, pro temporis & officii ratione, ex instituto & more Ecclesiæ, sedeant, stent, flectant genua, caput aperiant, & submittant, cæteraque ejus generis adhibeant; omnes vero æque idem faciant.... facescant somnus, risus, joci, colloquia. Ne vagentur in choro, vel Ecclesia; neve locum mutent, ne occasione quidem genua flectendi. Ne in choro, ubi communi officia opera datur, privatim officium dicant; neve litteras, libros, aliave scripta legant. Ne exeant nisi divino officio confecto, ne causa quidem de communi re agendi, si necessitas non coegerit, eamque a præfecto venia petita. (I. Mediolanense Concilium, an. 1565. Part. 2. tit. 53.). *Quære* CANONICUS.

§. III.

De tempore quo divinum Officium recitandum est, ac de ordine, secundum quem illud recitari debet.

RÉcitabatur olim Matutinum ad mediam noctem; Prima, inter solis ortum & horas novem; Tertia, inter horas novem & meridiem; Sexta ad meridiem aut circiter; Nona, sub horas tres; Vesperæ, ad solis occasum, Completorium, ad diei finem. Nulla adest, hoc tempore, officii his peculiaribus horis recitandi obligatio; atque adeo sequentis diei matutinum & laudes, brevioribus quidem diebus, paulo post pomeridianas horas duas, diebus autem longioribus, pomeridiana hora quarta recitari possunt. Quoad reliquum officium, primam, tertiam, sextam, nonam, ante meridiem, vesperas, aliquanto post meridiem, & completorium, aliquanto post vesperas, dicere licet, denique; non nisi veniale suapte natura peccatum est, totum diei officium, sine justa causa, mane aut vespere recitare, modo ante mediam noctem dicatur, quia ita quidem satis fit præcepti substantiæ, quod hebdomadæ quaque die, divini officii recitationem mandat; at hoc peccatum, suapte natura solum veniale potest mortale fieri, ratione scandali, vel contemptus. Sequentis diei parvas horas pridie recitari non licet; qui prævidet se postridie eas recitare non posse, ad id non tenetur.

Divini officii recitationis ordo in eo est positus, ut deinceps, seu prout se habent, horæ canonicæ recitantur, scilicet, matutinum & laudes ante Missam & ante primam, tertia post primam, & sic porro hunc ordinem sine causa mutare, recitando, causa exempli, tertiam ante primam, non nisi veniale suapte natura peccatum est, quia talis mutatio haud gravis est, nec impedit, quominus divini officii recitandi præceptum, quoad substantiam, servetur; atque nullum omnino peccatum hujus ordinis inversio secum trahit, cum ei legitima aliqua causa subest; exemplo res clara fiat; qui choro interesse debet, & ob aliquam justam causam matutinum non dixit, primam cum choro recitare, ac deinde matutinum dicere potest; perinde res habet, si sextam recitans, meminit se tertiam non dixisse; aut si chorum ingreditur, ut nonam dicat, antequam sextam dixerit; aut si breviario carens, e quo matutinum dicat, parvas horas, quas scit, ante matutinum dicit; aut si ante præsentis diei completorium, sequentis diei matutinum dicit, charitate ductus, exempli gratia, ut illud dicat cum infirmo, aut cum aliu quem ab eo recusari non sinit æquitas.

Separari licite potest matutinum a laudibus, ita scilicet, ut vespere matutinum, & sequentis diei mane laudes dicantur, quia officia hæc olim sejuncta erant, modo tamen dicatur ante matutinum oratio, & ante laudes *Pater*. Possunt etiam separari ob eamdem causam matutini nocturna, dummodo horarum non amplius trium intervallum inter singula relinquatur, ex usu veteri. Potest etiam ante matutini & laudum recitationem licite sacrum fieri, cum justæ subsunt in id causæ, ut cum Missa citius dicenda est, ne populus æquo diutius expectet, aut ne infirmo viaticum desit; at cum graves causæ non adsunt, cur ita fiat, ita fieri mortale peccatum est, aliquorum theologorum judicio, aut saltem veniale, ut docent auctores plures, quia matutini & laudum ante Missam recitatio communi Ecclesiæ consuetudine, Innocentii IV. an. 1254. edita bulla, Romani Missalis rubricis, & complurium diœceseon statutis præscripta est.

§. IV.

De divini Officii recitationis forma.

FOrma recitationis officii refertur ad hæc duo, ad breviarium quod adhibendum, & ad officii qualitatem, quod diebus singulis recitandum. Ad breviarium quod attinet, eo ecclesiastici utantur, oportet, quod diœceseon peculiare & proprium est, quibus ipsi per beneficia, vel aliter addicti sunt. Si nulli diœcesi sunt addicti, nec choro interesse tenentur, ut simplices beneficiarii, Romano breviario uti possunt, nisi diœceseos, in qua degunt, Episcopus diœcesani breviarii legem iis quoque imposuerit, qui privatim officium recitant. Ecclesiastici ergo qui diutius extra proprias diœceses versantur, absoluta suarum diœceseon breviario, vel Romano uti possunt, at rectius tamen se gesserint, si diœceseos breviario, in qua jampridem existunt, utantur.

Ecclesiasticus qui in aliena parœcia aut diœcesi est, ad breve tempus, vel aliqua justa de causa, ut, servitii alicui parocho exhibendi gratia, suæ parœciæ, suave diœceseos officium privatim recitare non tenetur, cum parœciæ, seu diœceseos in qua versatur, officium publice recitavit. Idem de sanctimonialium moderatoribus, seu sæculares, seu regulares sint, statuendum, cum conventualem Missam dicunt. Possunt religiosarum officium dicere, quibus deserviunt; & illud quidem ab iis dici præstat, quia officium debet esse, quoad fieri potest, Missæ conforme, & quia regulares haud mediocri temporis spatio sæcularibus Ecclesiis deservientes, eorumdem officium dicere possunt, aut etiam debent.

Ecclesiastici qui Romano breviario utuntur, non ei legi subsunt, ut pœnitentiales, aut graduales psalmos, aut defunctorum, aut B. Virginis officium recitent, quod ab eodem breviario statis diebus præscribitur, cum illud extra chorum dicunt, quia id Pius V. in sua 64. Constitutione disertis verbis declarat; at iidem tenentur ad defunctorum officium, secunda Novembris die, itemque ad litanias, S. Marci & Rogationum diebus, cum processioni non intersunt, quia scilicet illud officium, & hæ litaniæ veniunt in eorum dierum officii partem, nec a Pio V. excipiuntur.

Etsi regulares quidam sub peccati pœna constitutionibus non adigantur, non minus tamen Defunctorum & Virginis officium recitare debent, cum illud eorum Breviarii rubricæ præscribunt, ob eam nempe causam, quia divini officii recitandi obligatio cui subsunt, non eorum solum constitutionibus, sed Ecclesiæ præcepto nititur. Constitutiones designant certas quasdam, & certa quadam ratione, dicendas preces, efficiuntque, ut eædem preces ad ordinarium & canonicum officium pertineant; & Ecclesia mandat, indicta lethalis peccati pœna, ut dicatur, quicquid ex ordinarii & canonici officii substantia est. *Quære* BREVIARIUM.

Quod ad officii diebus singulis recitandi qualitatem spectat, hæc in usu servanda veniunt.

1. Qui Sancti officium feriali die, aut unius Sancti officium pro alterius Sancti officio dedita opera recitat, graviter peccat, quia Ecclesiæ præceptum ne quoad substantiam quidem perficit, quandoquidem Ecclesia non generatim solum jubet officium dici, sed tale officium, quoque peculiariter die, dictum vult. At si idem, quin animadvertat, & quin ita ejus culpa fiat, unum pro alio officium recitet, repetere non tenetur, si post solum, quam totum recitavit, errorem perspicit. Id si, matutino dicto, perspexerit, potest etiam illud non iterare, & prosequi debet ad finem usque, quod diurni officii reliquum est; ita tamen, ut, si officium quod dicit, multo brevius diurno est, hanc brevitatem compensare debeat, psalmos recitans, idque præterea in quo officium quod recitavit, amplius ab eo differt, quod recitare debebat, ut hymnos, lectiones, responsoria, capitula.

2. Qui hodie officium in crastinam diem incidens

reci-

recitat, idem officium die crastina repetere debet; quia præcedens error id juris non ei tribuit, ut Breviarii ordinem invertat. Nec magis igitur, ob eamdem causam, in diem quæ prima vacaverit, remitti debet Sapcti officium, cujus recitatio, die propria, omissa fuerit, quoniam officia, ut jejunia, statis diebus respondent.

§. V.

De eorum Obligationibus, qui culpa sua divini Officii recitationi desunt.

BEneficiarii qui culpa sua divini officii recitationi desunt, suorum beneficiorum fructus, *pro rata* omissionis, etiam ante judicis sententiam, restituere tenentur; ut proinde, si totum diei officium omiserunt, omnes fructus restituere debeant, qui toti ei diei responderent, si per dies singulos distribuerentur; si matutinum omiserunt, diei fructuum dimidium; si reliquas omnes horas, fructuum dimidium alterum; si minorum horarum unam tantum, sextam fructuum partem reddere tenentur. Hæc obligatio non modo tum locum habet, cum officii recitatio prætermittitur, sed tum quoque, cum illud male recitatur; ei pariter locus est per priores sex initæ beneficii possessionis menses, quippe quæ naturali divinoque jure nititur. Ergo Pii V. Bulla quæ solum post sex possessionis menses, beneficiarios qui officium omittunt, ad restitutionem obligat, de nxtarno foro & de coactione intelligi debet, interno & conscientiæ foro salvo & integro remanente.

Beneficiarius cui animarum cura est, quique totum officium uno aut pluribus diebus omisit, at qui tamen, per id temporis, obiit cætera ejus statui addicta munia, scilicet conciones habere, confessiones audire, & sacramenta cætera administrare non destitit, ejusmodi beneficiarius fructus his functionibus respondentes, si unum tantummodo naturale jus consulatur retinere potest.

§. VI.

De causis quæ a divini Officii recitatione dispensant.

PRima causa quæ ab officii divini recitatione dispensat, impotentia est, seu physica, seu moralis. Physica divini officii recitandi impotentia laborat is qui Breviario caret, nec illud habere potest; is autem in morali impotentia versatur, qui sine gravi periculo, aut sine gravi incommodo officium dicere nequit. Hoc periculum in infidelium aut hæreticorum regionibus haud rarum est; & hoc incommodum locum habet in magni momenti morbis, qui ægrotantibus ad id oneris haud satis virium relinquunt. At sedulo animadvertendum est, ægrotum qui sine gravi incommodo potest officii partem dicere, ad hanc partem teneri; & cum prævidet fore, ut postridie matutinum dicere nequeat, illud pridie recitare debet. Est & illud animadversione dignum eos qui Breviario, prout diximus, carent, vocales preces dicere debere, quæ eorum officio respondeant.

Altera dispensationis causa est urgentis charitatis opus, cujusmodi sunt, tumultus sedare, inimicos conciliare, morientium, atque adeo bene valentium, in quibusdam, ut Jubilæi, aut insignis diei festi circumstantiis, confessiones audire; concionari, quo die populus auditurus adest, cum oratoris sermo, absque ejus culpa, percipi nequit, quin ipse officio desit. Ratio est, quia cum satis officiis duobus fieri non potest, præcipuum, quod, in hac multiplici facti specie, charitatis officium est, præferri debet.

Dispensationis causa tertia est Papæ venia, qui, cum satis graves eum causæ permovent, super iis rebus omnibus dispensare potest, quæ positivi tantummodo juris sunt, Episcopi dispensatio, spectatis regulis, haud sufficit.

OPERA (bona). *Quære* GRATIA, JUSTIFICATIO.

ORARIUM. Tributum olim fuit id nominis certæ cuidam sacrorum indumentorum parti quam nos quidem *stolam* dicimus, sed cui tamen in Conciliis ac liturgiis non eadem semper significatio est. Illud interdum pro linteo, quod circum collum deferebatur, tergendoque oris & vultus sudori, ne veteris stolæ oram inficeret, inserviebat; interdum pro stola ipsa; interdum pro suppare, vulgo *rocchetto*; interdum denique pro alba sumitur. Hac postrema notione, vox *orarium*, in his Laodiceni Concilii canonibus duobus accipitur.

Quod non oporteat subdiaconum uti orario. (Can. 22.)

Quod non oporteat lectores aut cantores orariis uti, & ita legere, vel psallere. (Can. 23.)

Hoc idem indumentum in Carthaginensis Conciliis an. 398. habiti canone 41. appellatur alba: *Ut diaconus, tempore oblationis tantum, vel lectionis, alba utatur. Vide* STOLA.

ORATORIUM, SACELLUM, CELLULA SACRA. Oratorium propria peculiaris preci addictus locus est. *Oratoria* nuncupari cœpere parvæ capellæ monasteriis addictæ, in quibus suas monachi preces edebant, antequam Ecclesias haberent; deinde vero vocabulum hoc ad altaria, seu capellas transiit, seu domesticæ essent, seu rurales, quibus parœciæ jus deerat; de hujusmodi oratoriis sæpe fit in Conciliis mentio.

Nonnulli ex fratribus & coepiscopis nostris, residentibus nobis in sancta synodo in querimoniam detulerunt, quod oratoria per villas potentum jam longo constructa tempore, & facultates ibidem collatas, ipsi quorum villa sunt, Episcopos contradicant; & jam nec ipsos clericos, qui ad ipsa oratoria deserviunt, ab archidiacono coerceri permittant; quod convenit emendare; ita dumtaxat, ut in potestate sit Episcopi, & de ordinatione clericorum, & de faculrate ibidem collata, qualiter ad ipsa oratoria & officium divinum possit impleri, & sacra libamina consecrari. (Concilium Cabillonense, an. 650. can. 14.)

De monasterio, ubi corpora Sanctorum sunt, ut habeat oratorium intra claustrum, ubi peculiare officium, & diuturnum fiat. (Concilium Francofurtense, seu Francofordiense, an. 794. can. 15.)

Quam sit inhonestum, & reverentia divina contrarium, in privatis oratoriis vel capellis, aut domibus minime consecratis sacrarum Missarum celebrare mysteria, non tantum veteris Testamenti pagina, & sanctiones canonica, verum etiam traditiones principum sæcularium, considerationis judicio prospexerunt .... Nos de fratrum nostrorum Concilii assensu & consilio decernimus quemquam in oratoria, vel capellis, aut domibus hujusmodi, sive in loco minime dedicato (seu delibato) Missarum solemnia, diœcesani non obtenta licentia, contra canonum prohibitionem, de cætero celebrantem, suspensionem a divinorum celebratione per mensem incurrere ipso facto. (Concil. Londinense, an. 1343. cap. 1.)

Oratoria, peregrinorum sustentationi religionique in viis, quam fieri poterit, commode exstruantur; suusque illis honos cultusque, non secus ac reliquis Ecclesiis conservetur.

Altaria extra urbem, ne aliqua subsit mysterii solemnitas, quocunque sepulcrorum mortuorum, aut alterius privata pietatis prætextu, nemo erigat. Quo vero sacra imagines in oratoriis effingantur, ex cancellis interiori sacrarii parte vestiantur, qua tum nam angustiori loco constituta majorem transeuntibus religionem afferant. (Concil. Tolosanum, an. 1590. Part. III. cap. 2.). *Quære* CAPELLA.

ORDINARIUS. In canonici juris stilo, *Ordinarii* nomen pro Archiepiscopo, Episcopo, & quovis alio prælato ac superiore sumitur, qui ecclesiastica jurisdictio in peculiari territorio propterea suppetit, quia is ibidem institutus est, judicatque, prout communi & ordinario juri congruit. Ei quoque tribuitur *ordinarii* nomen, qui beneficii collationem obtinet communi jure; appellaturque summus Pontifex *ordinariorum ordinarius*, ex quo beneficiorum, supra omnes collatores ordinarios, collationem, per præventionem, ipse sibi tribuit.

ORDO. Quamquam *Ordinis* vox aptius personarum statum ac distinctionem, quam actionem significat, per quam eædem ad hunc statum ducantur, prorsus ut dicitur *ordo senatorius*, *ordo equestris*, &c. eam tamen vocem ipsam ecclesiasticus stilus determinavit, ut ordinationem, seu consecratoriam actionem significaret, per quam Ecclesiæ ministri consecrantur, e laicorum statu scilicet extrahuntur, ut ad sacerdotii, pluriumve graduum statum evehantur, qui ad illud seu longius, seu propius referuntur.

§. I.

De existentia sacramenti Ordinis.

ORdo, hac significatione sumptus, novæ legis sacramentum est, a Christo Domino institutum quod Christianis a quibus suscipitur, sanctificantis gratiæ augmentum tribuit, cum ea potestate, ut ejus Corpus & Sanguinem consecrent, obeantque ecclesiastica munia cætera quæ Dei servitium, & animarum salu-

tem

tem spectant; educti e laicorum numero, ut ad dignitatem qua sacri altarium Ecclesiæque ministri insigniti sunt, extollantur.

Cum Scriptura testimonio, apostolica traditione, & patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem quæ verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitare nemo debet Ordinem esse vere & proprie unum ex septem sanctæ Ecclesiæ sacramentis. (Concilium Tridentinum, Sess. 23. cap. 3.)

Si quis dixerit, ordinem, seu sacram ordinationem non esse vere & proprie sacramentum, a Christo Domino institutum, vel esse figmentum, quoddam humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei, & sacramentorum, anathema sit.

§. II.

De Ordinum Numero & Divisione.

Ordines dividuntur in *ordines sacros*, seu *majores*, & in *ordines non sacros*, seu *minores*. Appellantur *ordines sacri*, seu *majores* qui proxime supra consecratam rem operantur; &, hac notione, sacri ordines tres tantum sunt, videlicet, presbyteratus, seu sacerdotium, quod episcopatum complectitur, diaconatus & subdiaconatus; presbyteratus quidem & diaconatus, quia presbyter Christi Domini Corpus consecrat, & diaconus vasa tangit, in quibus illud conquiescit; subdiaconatus vero, quia subdiaconus id juris obtinet, ut sacra vasa contrectet; ex quo fit, ut continentia, seu cælibatus, majoris puritatis ergo, his tribus ordinibus addictus sit.

Appellantur *ordines non sacri*, seu *minores* qui supra rem consecratam proxime non operantur, quique ad continentiam non obligant; & hi quidem sunt ordines acolythi, lectoris, exorcistæ & ostiarii.

Acolythi officium est diaconos & subdiaconos sequi, iisque servire in altaris ministerio. Debet is vinum & aquam in urceolis ad sacrificium parare, thus ferre, cereos accendere, eosque deferre tum potissimum, cum diaconus evangelium canit. Acolythi olim ubique Episcopos sequebantur, seu ut iis deservirent, seu ut eorum agendi rationis testes adessent; eorum nuntia gerebant, eulogias præterea, atque adeo eucharistiam deferebant. *Acolythus* est græcum nomen quod *sequacem*, seu *prosequum significat*.

Lectoribus id juris est, ut sacros libros in Ecclesia legant; eosque reapse antiquis temporibus, elata voce, ad noctis officium legebant; eosdem etiam, grassantibus persecutionibus, custodiebant. Cum Episcopi pro concione dicturi erant, lectores populo sacrarum litterarum textum legebant, quem Episcopi explicare volebant. Iidem episcopis & presbyteris a secretis erant, panemque & fructus novos benedicebant.

Exorcistæ eo jure gaudent, ut dæmones ex eorum corporibus expellant, qui ab iis possidentur. *Quære* EXORCISMUS.

Ad ostiarios spectat in eo positum jus, ut Ecclesiæ januas aperiant & claudant, ut æra campana pulsent, ut populum, ne ad loca presbyteris reservata accedat, impediant, eumdemque in obsequio, silentio, & modestia contineant, quæ nostrarum Ecclesiarum, mysteriorumque quæ in iis celebrantur, sanctitas postulat.

Certum est, in Latina Ecclesia septem saltem ordines esse; id est expressis verbis Tridentinæ Synodus in Calvinistas qui solum ordines tres, Episcopatum scilicet, presbyteratum & diaconatum admittunt; at eadem Synodus non definit seu plures quam septem in Latina Ecclesia, ordines non existere, seu Græcam Ecclesiam cum Latina super ordinum numero consentire, atque hinc orta quoad caput hoc theologorum dissensio. Putant eorum alii episcopatum, cantoratum, nempe cantoris officium, & tonsuram inter ordines proprie dictos referri oportere, & quod inde consequitur, ordines decem apud Latinos occurrere; ajunt alii solum ordines quatuor apud Græcos esse, nempe presbyteratum, diaconatum, subdiaconatum, lectoratumque; his alii addunt episcopatum; alii officium acolythi, exorcistæ, ostiarii, cantoris, fossorum, confessariorum, &c. Carthaginense Concilium quartum quod admodum accurate ritus notat, quibus ordinum quisque conferri debet, novem ordines numerat.

Episcopus cum ordinatur, duo Episcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem super caput & cervicem ejus, & uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant. (Concilium Carthaginense, an. 398. can. 2.)

Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum super caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant. (Can. 3.)

Diaconus cum ordinatur, solus Episcopus qui eum benedicit, manum super caput illius ponat, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur. (Can. 4.)

Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum; de manu vero archidiaconi, urceolum, aquimanile, ac manutergium. (Can. 5.)

Acolythus cum ordinatur, ab Episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat; sed ab archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari; accipiat & urceolum vacuum ad suggerendum vinum in Eucharistiam sanguinis Christi. (Can. 6.)

Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi Episcopo: Accipe & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manum super energumenum, sive baptizatum, sive catechumenum. (Can. 7.)

Lector cum ordinatur, faciat de illo verbum Episcopus ad plebem, indicans ejus fidem, ac vitam, atque ingenium. Post hæc, spectante plebe, tradat ei codicem, de quo lecturus est, dicens ad eum: Accipe, & esto lector verbi Dei, habiturus, si fideliter & utiliter impleveris officium, partem cum iis qui verbum Dei ministraverint. (Can. 9.)

Ostiarius cum ordinatur, postquam ab Archidiacono instructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat conversari, ad suggestionem Archidiaconi, tradat ei Episcopus claves Ecclesiæ de altario dicens: Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus quæ his clavibus recluduntur. (Can. 10.)

Psalmista, id est, cantor potest absque scientia Episcopi, sola jussione presbyteri, officium suscipere cantandi, dicente sibi presbytero: Vide, ut, quod ore cantas, corde credas; & quod corde credis, operibus comprobes. (Can. 10.)

Cum autem divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius & majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesia ordinatissima dispositione plures & diversi essent ministrorum ordines qui sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. Nam non solum de Sacerdotibus, sed & de diaconis sacræ litteræ apertam mentionem faciunt, & quæ maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent, & ipso Ecclesiæ initio sequentium ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acolythi, exorcistæ, lectoris, & ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam subdiaconatus ad majores ordines a patribus & sacris Conciliis refertur; in quibus & de aliis inferioribus frequentissime legimus. (Concilium Tridentinum, Sess. 23. cap. 2.)

Si quis dixerit, præter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios ordines, & majores & minores, per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur, anathema sit. (Can. 2.)

Sane Tridentinum Concilium tamquam fidei articulum statuit presbyteratum, seu sacerdotium sacramentum esse, quandoquidem statuit ut fidei articulum existere ordinis sacramentum, & sacerdotium inter ordines primum gradum tenere. Statuit præterea tamquam fidei articulum, præter sacerdotium, adesse in Catholica Ecclesia varios ordines, tam majores quam minores; & non definit hos plures & peculiares ordines esse totidem veri nominis sacramenta. Id contendunt theologi bene multi, negantibus aliis. At, cum etiam omnes & singuli ordines proprie dicte sacramenta essent, unum tamen & unicum esset ordinis sacramentum, scilicet, sacerdotium quod omnem sacramenti ordinis plenitudinem continet; & ad quod, tamquam ad unitatis & perfectionis centrum cæteri omnes ordines referuntur. Ex quo fit, ut omnes conjunctim ordines unum tantummodo sacramentum conficiant.

§. III.

De Ordinis Materia & Forma.

Catholicos inter theologos & canonistas super materia sacramenti ordinis sunt præcipuæ sententiæ tres. Volunt alii solam impositionem manuum Episcopi essentialem hujus sacramenti materiam esse. Contendunt alii solam instrumentorum traditionem, quæ cujusque ordinis propria sunt, hanc essentialem materiam esse, asserunt denum alii manuum impositionem, & instrumentorum traditionem æque ordinationi essentiales & necessarias materias esse. Qui primam senten-

tiam tuentur, peculieriter concilliis nituntur, quæ dum de ordinatione loquantur, unius manuum impositionis mentionem faciunt.

Si qui sine examinatione promoti presbyteri sunt, & postea examinati, confessi sunt peccata sua; & cum confessi fuissent, contra regulam vonicates homines manus eis temere imposuerunt, hos ecclesiasticus ordo non recipit. Vide Carthaginensis Concilii canones quos paullo ente protulimus, & generalis Nicæni Concilii, an. 787. habiti decimum quartum canonem qui ita habet: *Et quoniam videmus sine manus impositione a parvula ætate tonsuram clerici quosdam accipientes, nondum ab Episcopo manus impositione percepta, super ambonem irregulariter in collecta legentes, præcipimus amodo id minime fieri.* (Concilium Nicænum, an. 325. can. 9.)

Non minus theologi & canonistæ super ordinis forma quam super ejusdem materia secti sunt. Quibus una & unica manuum impositio est essentialis materia, iisdem non paritar & unica oratio quæ manuum impositionem comitatur, essentialis forma est; qui vero instrumentorum traditionem esse essentialem materiam contendunt, ajunt etiam verba quæ hanc traditionem comitantur, essentialem, seu totalem, seu partialem formam esse.

§. IV.

De Ordinis Effectis.

ORdinis sacramentum præcipua effecta duo, nempe gratiam sanctificantem & characterem parit.

Gratia sanctificans quam in eo qui recte dispositus est, edit ordinatio, ea est quæ *gratia secunda* dicitur, quæ id ponit tamquam certum jam justificatum hominem esse, quæque ejus justitiam auget. Est etiam sacramentalis gratia ordinationis propria quæ jus tribuit ad actualia subsidia quibus opus est, ut sancti ministerii munia, quoad fidelium salutem, digne obeantur.

Character quem parit ordinatio, est spiritalis nota, in animo indelebilem in modum impressa, per quam qui sacramentum hoc susceperunt, ab iis qui non susceperunt, distinguuntur, & ad ecclesiasticas obeundas functiones apti efficiuntur. Qui in mortalis peccati statu ad ordinis sacramentum accedunt, nihilominus, quantumvis indigni sint; characterem recipiunt, qui eos a laicis distinguit, Christi Domini sacerdotio consociat, iisdemque spiritalem potestatem communicat, ut in Ecclesia sanctas functiones susceptis ordinibus respondentes exerceant. Tam arcte porro atque inseparabiliter ordinis sacramento addictus est character hic, ut tum quoque suscipiatur, cum Episcopus hæreticus, schismaticus, simoniacus, aut quamlibet ob causam excommunicatus illud confert, modo in eo conferendo ritum ordinationi essentialem servet, modo scilicet legitimam materiam legitimamque formam adhibeat. Hanc sententiam contra P. Morinum propugnant theologorum plerique, & peculiariter Conciliis nituntur, quæ ordinationes, vel extra Ecclesiam peractas iterari vetant, recipiqua, quin rursus ordinibus initientur, hæreticos volunt, qui ad catholicam societatem redeunt, postquam suis in sectis ordinati fuere, ut Arianos, Macedonianos, Catharos seu Novatianos, Nestorianos, Eutychianos.

De his qui se cognominant Catharos, id est, mundos, (hi Novatiani erant) *si aliquando venerint ad Ecclesiam catholicam, placuit sancto & magno Concilio, ut impositionem manus accipientes, sic in clero permaneant.* (I. Concilium Nicænum, an. 325. can. 8.) Hæc octavi Nicænæ Synodi canonis versio errori subest, græcum exemplar ita habet. *Si aliquando veniant ad Ecclesiam catholicam Cathari, placuit magna Synodo eos ordinatos sic manere in Ecclesia (id est, sic ut sunt ordinati.)* Ita canonem hunc reddunt Carthaginense Concilium sextum, Rufinus, Zonaras, Balsamon, Christianus Lupus, Beveregius, Van-Espen, &c.

Illud autem suggerimus, mandatum nobis, quod etiam in Capuensi plenaria Synodo videtur statutum: non liceat fieri rebaptizationes, reordinationes, vel translationes Episcoporum. (Concil. Carthaginense, an. 397. can. 38.)

Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere. Accipe Spiritum sanctum; aut per eam non imprimi characterem; vel eum qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit. (Concilium Tridentinum, Sess. 23. can. 4)

§. V.

De Ordinis Subjecto.

PEr ordinis subjectum intelliguntur personæ quæ ordines suscipiendi capaces sunt, & hæ personæ viri baptizati tantum sunt. Cum dependentia sit id quod feminæ proprium, vel naturali tantum consulto jure, semper penitus dedeceret & supra virum sanctis in rebus imperium tribui; & ob hanc causam Sacerdotii honos in vera religione, seu naturalis, seu Mosaicæ, seu evangelicæ legum tempore, nulli unquam feminæ collatus fuit. Hæreticos, ut Montanistas, qui feminas ordinibus initiabant, Ecclesia damnavit. *Quære* MULIER.

Soli Christiani baptizati ordinationis capaces sunt, quia ingressus Ecclesiæ cæterorumque omnium sacramentorum janua baptismus est. Id in causa fuit, ne semper baptizarentur, rursusque ordinarentur clerici qui ad ordines promoti fuerant, quin essent valide baptizati, ut ex hoc decimo nono primi generalis Nicæni Concilii canone certum fit: *Si quis confugit ad Ecclesiam catholicam de Paulianistis & Cataphrygis, statutum est rebaptizari eos omnino debere. Si qui vero clerici erant apud eos, siquidem inculpati fuerint & irreprehensibiles, baptizati rursus etiam ordinentur ab Episcopo Ecclesiæ catholicæ.*

Valide ordinari non potest adultus, invito ipso, quia Christus Dominus homines cogere noluit obligationes suis ingratiis sibi sumere, quæ sacramentorum, ut baptismi & ordinis necessariæ consecutiones sunt; at ordinari valide possunt pueri qui nondum rationis usu pollent, quia sacramenta quæ characterem imprimunt, ut baptismus, confirmatio & ordo, puerorum ea suscipientium nec intentionem, nec consensum requirunt. Occurrunt numero plura ejusmodi ordinationum exempla apud P. Morinum, *part. 3. de Sacram. Ordinat. exercitat.* & apud P. Martenne, *lib. 1. de antiq. Ritib. cap. 8. art. 3.* Si tamen ita ordinati pueri ordinum usu, quos recepissent, abstinere vellent, haud ii quidem continentiæ, seu cælibatus legi subessent.

§. VI.

De Dispositionibus & Qualitatibus quæ ad ordines valide & licite suscipiendos requiruntur.

ÆGrius Ecclesia primis quam his temporibus ad ordines suscipiebat. Requirebat scilicet cleri & populi super clericorum ordinationibus approbationem, sedulo de vita, quam ordinandi duxerant, inquirebat, eos tantum recipiebat, quorum semper extra omnem reprehensionem fuisset agendi ratio, pœnitentes ipsos, bonos licet & sinceros arcens: *Ex pœnitentibus, quamvis sit bonus, clericus non ordinetur. Si per ignorantiam Episcopi factum fuerit, deponatur a clero, quia se ordinationis tempore non prodidit fuisse pœnitentem. Si autem sciens Episcopus ordinaverit talem, etiam ab Episcopatus sui ordinandi duntaxat potestate privetur.* (Concilium Carthaginense, an. 398. can. 68.)

Dispositiones, seu qualitates quas Ecclesia ad ordines valide & licite suscipiendos e præsenti disciplina postulat, ad id rediguntur, quod sequitur.

1. Ætate quam canones requirunt, opus est, annorum scilicet saltem septem ad tonsuram, duodecim ad minores ordines, duorum & viginti ad subdiaconatum, viginti quinque ad presbyteratum, triginta, vel saltem viginti septem inceptorum ad episcopatum.

Visum est itaque neminem sacro & clericali charactere insigniendum, neque ad alios sacerdotii gradus promovendum, nisi servato juris ordine, habita ætatis ratione, nempe non sacram capillorum incisionem quam clericalem tonsuram dicunt, adipiscantur, nisi septimum annum attigerint; nec quatuor minores ordines, nisi duodecimum; non subdiaconatum, nisi decimum octavum; non diaconatum, nisi vicesimum; non summum sacerdotii gradum quem presbyteratum appellitant, nisi vicesimum quintum. (Concilium Narbonense, an. 1551. can. 4)

Nullus in posterum ad subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad diaconatus ante vigesimum tertium, ad presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur. Sciant tamen Episcopi non singulos in ea ætate constitutos debere ad hos ordines assumi, sed dignos duntaxat, & quorum probata vita senectus sit. (Concilium Tridentinum, Sess. 23. cap. 12. de Reform.)

2. Qui ad ordines aspirant, nulli censuræ aut irregularitati subesse debent, quæ eos ecclesiastico ministerio

sterio indignos , ejusve obeundis muniis impares reddant. *Quære* CENSURA & IRREGULARITAS.

3. A Deo per peculiarem vocationem ad ecclesiasticum statum appellati sint , oportet , quia non nisi ad Deum pertinet sibi ministros eligere , quod reapse præstitit in lege naturæ , & in lege scripta , potiorique ratione in evangelica lege præstare debet.

4. Divinæ ad ecclesiasticum statum vocationis signa non ea solum sunt , ut quispiam in eum ingredi cupiat , ad eum per internum quoddam illicium se tractum sentiat , eumdemque non alio animo amplecti velit , quam ut se Dei gloriæ , suæque ipsius & aliorum saluti devoveat , quin honorem , quietem , temporales divitias sibi proponat , verum ut animi quoque dotes & qualitates possideat , quæ ecclesiasticarum functionum amplitudini & gravitati respondeant , cujusmodi sunt scientia , innocentia semper sarta tecta servata , aut saltem per longam & certam pœnitentiam reparata ; mundi odium , Dei & Religionis amor , de Dei domo , cultu , rebusque cæteris ad eum spectantibus sollicitudo , pietatis studii , recessus oblectamentorum , effusa erga proximum charitas , insignisque ad servitium , pro ut spirituales & corporales rationes tulerint , eidem præstandum fervor.

Ut ad sacros ordines , nisi eruditi , & ætate legitima , non promoveantur. (Concilium Rothomagense, an. 1050. can. 8.)

Cum sit ars artium regimen animarum , districte præcipimus , ut Episcopi promovendos Sacerdotes diligenter instruant & informent , vel per se ipsos , vel per alios viros idoneos , super divinis officiis , & ecclesiasticis sacramentis , qualiter ea rite valeant celebrare ; quoniam si ignaros & rudes de cætero ordinare præsumpserint , & ordinatores & ordinatos gravi decrevimus subjacere ultioni. Satius est enim maxime in ordinatione Sacerdotum , paucos bonos quam multos malos habere ministros ; quia si cæcus cæcum duxerit , ambo in foveam dilabuntur. (Lateranense generale Concilium, an. 1215. can. 27.)

Cum quanta reverentia , & cordis contritione , & animi devotione ad sacramentum ordinis sit accedendum , ex eo patet , quod nisi a summo Sacerdote , id est , Episcopo confertur , & nisi passim , & hoc certis temporibus & jejunio , non solummodo ab ordinandis , sed ab universa plebe. Hinc est , quod sanctorum canonum statuta servantes , prohibemus , ut nullus ad ordines accedat , vel admittatur , nisi fuerit canonice examinatus. Item minores clerici ad inferiores gradus non admittantur , nisi idoneos habeant præsentatores , & per testimonium eorum admittantur. Nullus simoniacus , homicida , excommunicatus , usurarius , sacrilegus , incendiarius , vel falsarius , vel aliud habens canonicum impedimentum , ad quoscunque ordines præsumat accedere. Item , ordinati in Hibernia .... non admittantur ad ordinis sic suscepti executionem .... nisi prius legitime constiterit de ipsorum ordinatione , vitæ munditia pariter & litteratura. (Concilium Lambathanum, an. 1530. can. 6.)

Nihil est quod Ecclesiæ Dei magis officiat , quam indecens promotio indignorum. Nam dum indignis ad sacros ordines patet adscensus , inordinata crescit ambitio , & proficiendi in scientia , cura & studium amputatur , & ecclesiastici ordinis dignitas datur in contemptum. Universos igitur Episcopos sub obtestatione divini judicii commonemus , ut unusquisque tamquam servus fidelis & prudens quem constituit Dominus super familiam suam , sic fideliter & prudenter attendant , cui divina sacramenta committant , ut , si ultra debitam mensuram alicui credant , aut infidelitatis , si scienter , aut imprudentiæ , si ignoranter , in districto judicio valeant culpa notari ; sed promovendi ad sacros ordines , de ætate , moribus & scientia debite subjiciantur examini .... nec sub spe futuri profectus aliquis ordinetur , nisi actualiter tempore promotionis reperiatur idoneus. (Concilium Dertosanum , an. 1429. can. 5.)

Impositio manuum est ostium , per quod intrant qui Ecclesiarum gubernaculis admoventur. Proinde quia ejuscemodi ostium diligenter custoditum non est , factum est , ut tanta mala quæ sentimus , agminatim in Ecclesiam Dei irruperint. (Concilium Coloniense, an. 1536. Part. I. cap. 1.)

Quam ob rem omnibus qui proficiendi ecclesiasticis muniis ministros potestatem habent , illa Paulina admonitio semper ob oculos versabitur : Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. (Cap. 3.)

Qui affectu et proposito accedant ordinandi , videndum , accurateque investigandum est , num videlicet Dei causa tantum , an potius suæ commoditatis gratia ad ordines capessendos adspirent , quærentes quæ sua sunt , non quæ Jesu Christi. Quid enim est sua quærere , & non quæ Christi sunt , nisi cum tales non gratis Deum diligunt , non Deum propter Deum quærunt , temporalia commoda quærentes , lucris inhiantes , & honores ab hominibus expetentes ? Quisquis ergo talis est , non Dei filius , nec vult Christi idcirco pastor futurus , sed mercenarius est. (Cap. 21.)

Nullus recipiatur nisi litteratum scientia pro cujusque ordinis ratione fuerit præditus , sine qua nec sacerdotium rite administrare , nec saluti cum sua , tum populi recte vacare quisquam potest. Ad ordines promovendi , modestiæ atque probitatis suæ a suo parocho , & magistro scholæ in qua educantur , testimonium habeant. (Concilium Burdigalense, an. 1584. tit. 14.)

Per se ipsos , ordines conferant Episcopi subditis suis , examinatis , & sufficientibus repertis , quorum illis sit probata vita , per diligentem inquisitionem , & attestationem a Parocho , magistro scholæ , & senioribus loci in quo resides ordinandus. (Concilium Narbonense, an. 1609. tit. 21.)

Quanta sit in eligendis Ecclesiæ Dei Sacerdotibus & ministris adhibenda cura & sollicitudo , cum ex optima gubernandæ domus ratione dignoscitur , cujus , si fundamentum nutet , totum ædificium ruat , necesse est ; tum ex Apostoli verbis eas virtutes clero tribuentis , quæ ad angelicam pene accedunt puritatem , facile comprobatur. Et quidem si onus angelicis humeris formidandum plane discutiatur , sacerdotem Dei ex millibus seligendum esse comperiemus ; unde nos , quorum opus , opus Dei promovere , & Ecclesiæ providere , tales Sacerdotes a nobis seligendos esse judicamus , qui tumentem plagam peccatorum circumligare noscentes , & oleo fovere misericordiæ , nocentibus animabus succurrere possint , & a vinea Domini revulsis spinis , solliciti agricolæ fructus referre in tempore suo ; propterea igitur ab ultimo provinciali ea sacris canonibus & decretis sancita , quæ , ut alia omnia , servari exacte mandamus , hæc eadem eisdem assumentes , omni virtutum genere splendescere clerum properantes decernimus. (Concilium Burdigalense , an. 1624. cap. 6. *de Ordine*,)

1. *Ac ut ab initiis exordiamur , quascunque prius personas ineptas , & a sacris alienas secludamus ; hinc ad singulos gradus progressuri , declaramus , in primis , quoscunque chrismatis sacramento non confirmatos , rudes & ignaros , criminosos , solemniter pœnitentes , neophytos , ebrietati & gulæ deditos , impudicos , ipsos post ordinem susceptum , perjuros , usurarios manifestos , infames , ratiociniis obligatos , servos , corpore vitiatos , insigniter deformes , illegitime natos , peregrinos & ignotos , bigamos , irregulares , quovis modo suspensos , interdictos , excommunicatos , amentes , morbo caduco laborantes , energumenos , ab ordinationibus cleri longe arcendos , salva tamen Episcoporum potestate in casibus a jure permissis dispensandi.*

2. *In nulla re profecto magis elaborant hujus seculi homines , quam ut filii præcipue deformes , & ad negotia secularia inepti , in sortem Domini assumantur , ad beneficia certe , non ad officia ecclesiastica , quacunque ratione , cum eos non vocet Dominus , promovendi ; unde omni capite languido , & omni corde mœrenti , cætera membra lugent Ecclesiæ Dei. Ut igitur vocatio votis respondeat , probata prius , & ex petitione Parochorum confirmata necessitate Ecclesiæ , & utilitate , quicunque ad primam tonsuram eligi petunt , ejus sint ætatis , in qua quid agant , & quam viam sibi aperiant , plane dignoscere possint , oportet ; cumque ea sit , quæ circa duodecimum annum versatur , statuimus nullum deinceps ad primam tonsuram admitti debere , quin duodecimum suæ ætatis annum attigerit ; de qua , ut etiam de vita , moribus , conversatione , rudimentis fidei studiose memoriæ commissis , legitimis parentibus , propensione denique ad vitam ecclesiasticam , debitam a parocho , & præceptoribus scholæ attestationem afferre conentur , & ne levitate ductus fuisse sibi putet castores in præclaris , ejus animam teneri , ideoque certæ cuidam Ecclesiæ adscribi , ut in ea diebus dominicis & festis solemnibus saltem habitum clericalem gestet , & Sacerdotibus ministret , præcipimus ; de quibus cum ab eodem attestatio relata fuerit ordinationum tempore , ad tonsuram demum , si alias idoneus repertus fuerit , promoveri possit. Ita vero promotus , certæ statim Ecclesiæ inserviturus ab Episcopo ordinante addicatur , gestet quotidie habitum clericalem ; Sacerdotibus pareat ad nutum , obedientiam præstet , humilitatem præ se ferat , & ritus ecclesiasticos discat ; sin vero habitum clericalem ponat , Ecclesiæ designatæ non inserviat , & frequenter in ea sacramenta non sumat , privilegiis clericatus sui privari , ut de cætero inhabilem tam ad beneficia ecclesiastica , tam ad ordines suscipiendos censemus.*

Ad Minores.

3. *Ad minores promoveri cupientes , præter notitiam linguæ latinæ , quam saltem callere debent , ut testimonium a Parocho & magistro scholæ , de vita , moribus & conver-*

conversatione, hac etiam præstitisse fidem faciant: scilicet in tradenda doctrina christiana in Ecclesiis quibus adscripti fuerunt, parochos juvisse, habitum clericalem gestasse, Ecclesiis omnino inservivisse, nitori & purgationi earumdem vacasse, altaria concinnasse, obedientiam & humilitatem exhibuisse, frequenter ad communionem Corporis Domini pie accessisse, ac ne non ficte, sed vere animus formetur ecclesiasticus, & quam bonum sit homini portare jugum ab adolescentia, cognoscatur; optaremus sane ab uno ad aliam minorem ordinem interstitia a sacris canonibus præscripta servari, & quemlibet functiones propii ordinis, anno interstitiorum labente, exercere, ne vanæ & otiosæ in Ecclesia Dei hujusmodi functiones ab hæreticis traducerentur; sed id Reverendissimorum Episcoporum judicio ... servari volumus.

De Subdiaconatu.

4. *Circa eos qui ad majores ordines erunt assumendi, cum semel arctiam viam ingressi ab ea minime resilire possint, omnisque pœnitentia sera sit tunc & inutilis, est, cur major cautio in iis deligendis adhibeatur. Qui minorum igitur officiis eles functi, ad subdiaconatum promoveri anhelant, hæc prius apud se attente circumspiciant, scruteturque semetipsos, maxime conducit. Sint enim probi & legitimis parentibus orti, titulo sufficienti ad vitam honeste sustentandam, vel ecclesiastico, vel patrimonii, valoris habita ratione annonæ nostræ provinciæ, centum viginti librarum argenti ad minus annui redditus, muniti, sint continentes, puri, casti, a conversatione mulierum continuo alieni, sobrii, in lectione interpretum sacrorum evangeliorum versati, norintque sufficienter psallere, studiis vacaverint, pietati, orationi, servaverintque incœptitia a susceptione minorum ordinum, oporteat, nisi pro officio Ecclesiæ impendendo aliter Episcopo videatur. Nec id satis. Cum enim non pauci quæ sua sunt potius, quam quæ Jesu Christi, quærentes, fictis accessionibus & ementita virtute, fucos postea Ecclesiæ & contrascedant, ne quid in iisdem promovendis, latentis vitii fuco & mendacio contegatur, edicto publico denuntiationes in ipsis missarum solemniis Ecclesiæ parochialis ex qua orti fuerint, vel in qua diutius conversati, morum qualitates patefecerint, fieri præcipimus, quibus denuntiationibus palam fiat omnibus ejusdem loci parochialis, quinam ex eadem parochia ad sacrum subdiaconatus ordinem brevi sunt promovendi; ac proinde quibuscumque præcipiatur sub excommunicationis pœna, ut de promovendorum legitimis natalibus, ætate, vita, religione, pietate, conversatione, continentia, sobrietate, abstinentia, perseverantia, propensione ad vitam ecclesiasticam, cæterisque virtutibus, valore denique tituli sufficientis ad vitam, sive ecclesiastici, sive patrimonii .... aut e contra, gloriam Deo dantes, veritatem proferant & revelent, dicimus; de quibus omnibus parochus fideliter inquirat, testesque ipsemet sibi eligat audiendos, pulsis iis & reprobatis qui a promovendo producti veritatem minus forsan referrent. Quæ omnia si fideliter relata plene promovendis suffragentur, examini tamen subjecti, capaces, idonei, utiles Ecclesiæ judicentur; & ne quid adhuc temere suscipiatur, sed deducat eos Spiritus Domini per semitas justitiæ, exercitiis spiritualibus octo dierum vacare, generali peccatorum confessione animam perpurgare, eosdem exhortamur, & monemus; temporibus sacræ ordinationis, ad ordinem promoveri percipiamus; aliter, vel si in uno deficiant, pari repulsam. Promotos autem certa statim Ecclesiæ, officiis subdiaconatus ordinis functuros, & alia officia ecclesiastica præstituros adscribi & addici, in qua singulis dominicis & festis diebus solemnibus Corpori & Sanguini Domini Jesu communicent, jubemus.*

De Diaconis.

5. *Quo propius accedunt ministri Ecclesiæ ad tremenda mysteria pertractanda, eo ferventius muneribus suis defungi oportet eos qui a sacro gradu subdiaconi ad onus diaconii cupiunt pertransire. An igitur caste, continenter, modeste annum a promotione ad subdiaconatum exegerint, progressus cum in litteris, cum in pietate fecerint, præcipue vere sacra pœnitentia sordes animæ sæpius eluerint, ad sacram communionem accesserint, in docenda doctrina christiana parochos juverint, inquiri præcipimus. Ideoque de iis omnibus denuntiationes, item ac de promovendis ad subdiaconatum, fieri in Ecclesia decernimus. De quibus cum testimonia valida, & a Parocho, & a præceptoribus scholæ excepta, relata fuerint, promovendi ipsi examinati, capaces, idonei reperti, virtutibus & scientia consurgentes promoveantur, & promoti Ecclesiæ certæ addicantur, ad aliam pro libito non transituri; sed ejusdem Ecclesiæ officiis divinis vacent, ministrent, communicent diebus dominicis & festis solemnibus, munia diaconi, & vitæ ecclesiasticæ puritatem semper præseferentes, & in cunctis, Parochis & Ecclesiarum superioribus, circa sibi injuncta munia, obedientes.*

De Presbyteris.

6. *Quia vero presbyter, ex nomine ipso, iis virtutibus ornatus incedere debet, quibus prælucentibus populus fidelis puris moribus informari, & vivificante spiritu, charitate inardescere videntur; summa diligentia uti decet, quo diligendus sacerdos totus Deo consecretur. Itaque diaconi exercitationibus rite peractis, renovari in Ecclesia denuntiationes super vita, moribus, castitate, continentia, sobrietate, conversatione, studio, aptitudine ad sacra, charitate, animi moderatione, humilitate & obedientia promovendi, præcipimus. De quibus allata & probata parochorum, & præceptorum scholæ testificatione, examini subjectus periculum faciat, ut experientia se tales progressus in scientia Sanctorum, & conscientiarum pie & salubriter dirigendarum fecisse commonstret, quales ad populum docendum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, & sacramenta administranda, sufficiant.*

Ac ne subsequens zelus priori respondeat, camarque promovendus veterem hominem cum actibus suis, in anteriora se extendens, sintque illi oculi ante & retro ad munia Sacerdotis debite peragenda; admissus vacet exercitiis spiritualibus octo dierum, conscientiam discutiat, & mundatam impleri superna postulet gratia, enixe monemus; quo tandem promotus, ita pietate, ac castis moribus conspicuus, bonorum morum forma, evadat, ad optima quæque motu suo populum impellat; neque ei qui ad titulum patrimonii promotus fuerit, liceat pro voluntate ad diversas Ecclesias divertere, sed certa & stata eidem attribuatur, seu indicetur, in officiis vacaturo divinis, & singulis dominicis & diebus festis solemnibus saltem celebraturo; sicut, ad beneficia ecclesiastica obtinenda pro occasione nunquam assumendus.

Quod autem ordinatis in ipsa eorum ordinatione multum proderit, & meminisse juvabit, se quasi intra cœlestes choros fuisse constitutos, ut hinc ad eam aspirent puritatem, quæ a ministris Ecclesiæ Dei expectatur; præcipimus ordinationes sacras, in Ecclesia cathedrali, idque ad majus altare, vocatis præsentibusque ad id Ecclesiæ canonicis, publice celebrandas esse. Si vero alio in loco easdem celebrari contigerit, ut semper in digniori Ecclesia, & præsente clero illius loci fieri mandamus.

§. VII.

De Ordinis Ministro.

1. Solus Episcopus consecratus Ordinis sacramenti ordinarius minister est. Id fidei caput est, a Tridentino Concilio definitum in hæc verba: *Si quis dixerit, Episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum presbyteris communem; vel ordines ab ipsis collatos sine populi vel potestatis sæcularis consensu aut vocatione irritos esse, aut eos qui nec ab Ecclesiastica & canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi & sacramentorum ministros, anathema sit.* (Sess. 23. can. 7.)

2. Purus putusque Sacerdos, e Papæ mandato, minorum ordinum extraordinarius minister esse potest, ut ex Tridentina Synodo apparet: *Abbatibus, ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum, intra fines alicujus diœcesis consistentibus, etiamsi nullius diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis sibi subditus non sit, tonsuram, vel minores ordines conferre.* (*Ibid. de Reform. cap. 10.*) Ad majores ordines quod spectat, theologorum nonnullis placet simplicem Sacerdotem, Papa mandante, sacerdotii quoque ministrum extra ordinem esse posse; et plerique in ea, quæ S. Thomæ (*Supplem. quæst. 98. art. 1. ad 3.*) est, sententia sunt, simplicem Sacerdotem, ne mandante quidem summo Pontifice, vel diaconatum, vel presbyteratum, vel episcopatum valide conferre posse, quia solis Episcopis per sacram Scripturam & Traditionem reservata est potestas hæc.

3. Nemo licite nisi a proprio Episcopo, vel ab alio, cum ejus venia, ordinari potest, ut statuit Tridentina Synodus: *Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas ac mores ordinarii sui testimonio commendentur.* (Sess. 23. *de Reform.* cap. 8.) Proprii Episcopi nomine, intelligitur nativitatis Episcopus, ejus nempe diœcesis Episcopus, in qua quispiam natus est, *non tamen ea accidenti occasione, nimirum iti-*

peris,

neris, officii, legationis; spiritualia per baptismum regenerationis, tituli aut beneficii, domicilii denique Episcopus; ait hæc dispositio Mediolanensis Concilii quarti, sub S. Carolo Borromæo, an. 1576. celebrati, & Aquisextiensis, ad an. 1585. spectantis (*de Sacram. Ordinis*): *Omnis quicunque vel primam tonsuram, vel ordines minores, majoresve suscepturus est, ea singula quæ hoc infra ordine statuuntur, de se litteris legitime testata suo Episcopo faciat; primo se legitimo matrimonio natum esse.... præterea se vel origine, vel beneficio ecclesiastico, quod in diœcesi obtinet, vel decennali domicilio, vel alia quavis legitima ratione, diœcesanum esse.*

4. Episcopus ordinare non potest alterius diœcesis hominem cui beneficium contulit, ejusdem ordinandi animo, nisi ejus proprius Episcopus annuat; at eum qui non ex ipsius diœcesi est, ordinare potest, siquidem is in ejusdem ædibus triennium permanserit, ac dummodo ei, sine ulla fraude, ordinationis tempore, beneficium conferat: *Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus; & beneficium, quacunque fraude cessante, statim re ipsa illi conferat; consuetudine quacunque, & immemorabili in contrarium non obstante* (Concilium Tridentinum, sess. XXIII. *de Reform.* cap. 9.). Illud *statim*, apud Concilium, ad mensem protenditur; & beneficium de quo idem Concilium, de beneficio intelligi debet, quod clericali titulo æquivaleat, & ad beneficiarii sustentationem sufficiat. Anni porro tres quos Concilium præscribit, stricto jure locum haberent, si is quem Episcopus ordinare vult, apud eum, antequam Episcopus consecraretur, trium annorum spatio versatus esset, quia Episcopus æque ante ac postquam Episcopus fuit, sui familiaris mores cognoscere potuit. Locus item esset familiaritatis annis tribus, si ordinandus Episcopi generali vicario deservisset, si tamen generalis vicarius & ordinandus Episcopi commensales fuissent, & non aliter.

§. VIII.

De conferendi Ordines loco & tempore.

1. Episcopus nec suos diœcesanos, nec alios, extra propriam diœcesim, ordinare potest, diœcesano Episcopo non annuente, ne in exemptis quidem monasteriis: *Nulli Episcopo liceat, cujusvis privilegii prætextu, pontificalia in alterius diœcesi exercere, nisi de ordinarii loci expressa licentia, & in personas eidem ordinario subjectas tantum. Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio pontificalium, & sic ordinati ab executione ordinum, sint ipso jure suspensi.* (Concil. Trid. sess. VI. *de Reform.* cap. 5.)

Abbatibus, ac aliis quibuscunque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum intra fines alicujus diœcesis consistentibus, etiamsi nullius diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram, vel minores ordines conferre; nec ipsi abbates, & alii exempti, aut collegia, vel capitula quæcunque etiam Ecclesiarum cathedralium, litteras dimissorias aliquibus clericis sæcularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant; sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus quæ in hujus sanctæ synodi decretis continentur, ad Episcopos, intra quorum diœcesis fines existunt, pertineat, non obstantibus quibusvis privilegiis, præscriptionibus, aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus (sess. XXIII *de Reform.* cap. 10.). Ejusmodi est etiam dispositio articuli 15. constitutionis de Regularibus, qui ex his Tridentini Concilii decretis contectus fuit.

2. Ordines majores solemniter in cathedrali, aut præcipua saltem Ecclesia conferri debent, præsente clero: *Ordinationes sacrorum ordinum, statutis a jure temporibus, ac in cathedrali Ecclesia, vocatis præsentibusque ad id Ecclesiæ canonicis, publice celebrentur. Si autem in alio diœcesis loco, præsente clero loci, digniori, quantum fieri poterit, Ecclesia semper adeatur.* (Concil. Tridentinum, sess. XXIII. *de Reform.* cap. 8.)

3. Ordines, extra Quatuor Tempora, nisi gravis causa subsit, conferri non debent: *Ne fiant ordines, nisi quatuor certis temporibus, & sabbato mediante quadragesima; & tunc protrahatur jejunium usque ad vesperas, & (si fieri potest) usque ad crastinum, ut magis appareat in die dominica ordines fieri.* (Concilium Clermontiense, seu Claromontanum, an. 1095. can. 24.)

Prohibemus etiam, ne aliquis Episcopus, nisi in quatuor temporibus, juxta sanctorum Patrum constitutionem, aliquem ad sacros ordines promovere præsumat; solus enim Romanus Pontifex dominicis diebus subdiaconos ordinare potest. (Concil. Dalmaticum, an. 1199. can. 2.)

4. Omnino nemini una eademque die conferri possunt majores ordines duo: *Cum autem Episcopus ordinationem fecerit, non nisi unum ordinem a subdiacono & supra conferre præsumat. Ordinatus autem in subdiaconum, per annum in eodem officio deserviat, & diaconus similiter faciat. Quicunque autem Episcopus contra hoc venire præsumpserit, tamdiu a conferendis ordinibus abstineat, donec a Romano Pontifice misericordiam consequatur.* (Ibid.)

Duo sacri ordines non eodem die etiam regularibus conferuntur; privilegiis ac indultis quibusvis concessis non obstantibus quibuscunque. (Concil. Trident. sess. XXIII. *de Reform.* cap. 13.). *Quære* DIMISSORIÆ LITTERÆ, EXAMEN, INTERSTITIA.

ORGANA. Venit organorum nomine musicum instrumentum quod ad divinum officium majori cum solemnitate celebrandum in Ecclesiis potissimum usui est. Quæ primum in Galliis conspecta organa, ab Imperatore Constantino ad Pipinum Regem, in Compendiensi cœtu, an. 757. missa fuere. Occurrunt in Conciliis super organorum in divinis officiis usu, qui scilicet esse debeat, statuta plura.

Jam & illud non recte fit in quibusdam Ecclesiis, ut ob cantorum & organorum concentum omittuntur, aut decurtentur ea quæ sunt præcipua, cujusgeneris sunt, recitatio verborum propheticorum, aut apostolicorum, quam Epistolam vocamus, symbolum fidei, præfatio, quæ & gratiarum actio, atque precatio Dominica. Quamobrem hæc tota distinctissime ac intelligibiliter, nisi cætera omnia (si tamen non levis detrectandi causa subsit) decantentur. (Concilium Coloniense, an. 1536. Part. II. cap. 12.)

Organorum melodia in templis sic adhibeatur, ne lasciviam magis quam devotionem excitet; neve præter hymnos divinos, ac cantica spiritualia, quidquam resonet ac repræsentet. (Cap. 1.)

In elevatione Corporis & Sanguinis Christi, & post, usque dum cantatur Agnus Dei, *sileant organa, nulla cantetur antiphona, neque pro pace, neque adversus pestem, aut mortalitatem; sed silenter pro se quisque, aut flexis genibus, aut prostratis humi corporibus, passionis ac mortis Christi commemorationem faciat; ac Redemptori gratias agat pro beneficiis per mortem ipsius largissime nobis præstitis.* (Concilium Treviense, an. 1549. tit. 9.). *Quære* MUSICA.

ORIGENISTÆ, fautores errorum Origenis. Distinguenda sunt Origenistarum genera duo; scilicet alii Origenis, cognomento *Impuri*, discipuli fuere, alii vero Origenis *Adamantii*, celebris ejus scriptoris cujus tam multa nobis opera suppetunt, quique Christiani nominis sæculo tertio vivebat. Priores *Vilandi* cognominati abominanda omnia sui antesignani deliramenta propugnabant, qui nempe docebat matrimonium a dæmone inventum fuisse generationemque turpissimis & maxime execrandis rationibus impediri licere. Posteriores erroribus adhærebant, qui Origeni Adamantio tributi fuere, ut, eum docuisse Verbum non esse Deum, nec ab eo Patrem agnosci; Jesu Christi animam ante Verbo unitam fuisse, quam corpori, quod a Verbo sumptum fuit, uniretur; Verbum se deinceps creaturis omnibus ratione præditis unisse; corpora, post resurrectionem, corruptibilia & mortalia fore; beatos a suo felicitatis statu excidere posse, & reproborum pœnas non æternas fore; animam mortalem esse; astra esse animata; Christum Dominum pro astris & dæmonibus mortuum esse, eumdemque rursus ad omnes reprobos redimendos crucifigendum; Dei potentiam non esse infinitam, & mundi creatione exhaustam fuisse; Mariam non fuisse ab omni actuali peccato immunem; ut salvus quispiam fiat, eum debere se eunuchum facere vel ferro, vel externis remediis, &c. Origenistas damnavit Constantinopolitanum Concilium, an. 553. celebratum, quod œcumenicum quintum est. Continetur hæc damnatio canonibus quindecim, hoc titulo: *Canones Concilii Constantinopolitani II, adversus Origenem.*

ORNAMENTA ECCLESIÆ. Per Ecclesiæ ornamenta veniunt sacerdotales habitus altaris muniis addicti, amictus videlicet, alba, cingulum, manipulus, stola & casula, vulgo planeta. Adhiberi non possunt in Ecclesiis ornamenta hæc, quin ab Episcopo, aut sacerdote quem Episcopus delegaverit, benedicta fuerint, nisi aliter ferat consuetudo legitime præscripta, vel privilegium, cujusmodi privilegio plurium religiosorum ordinum superiores, ad suum ipsorum usum scilicet, gaudent. Suppeditari debent hæc ornamenta a fabrica, & cum hæ quidem pauperiores sunt, a beneficiariis qui decimis fruuntur, & subsidii loco ab iis qui infeudatas decimas possident. Qui parochialium Ecclesiarum visitationem peragunt, providere debent, ut ornamentis instructæ sint; eorumque, quoad hanc rem, jussa executioni mandantur, quibusvis appellationibus tamquam ab abusu nihil obstantibus. Quamvis Apostoli sancta mysteria consuetis induti vestibus celebrarent,

non

non amplius tamen, ex longo jam tempore, quævis obducta causa, licet sine sacerdotalibus, rite benedictis vestibus sacrum facere, quia, ex longo jam tempore, ejusmodi est Ecclesiæ disciplina, & Conciliorum per canones dispositio. (Edictum an. 1695. art. 16. 21. & 36.)

Vestes autem presbyteri sint in sacristia, amictus, alba, cingulum, stola, casula, manipulus. (Concil. Coyacense, an. 1050. can. 3.)

Præcipimus, ne Ecclesiæ materiales ab omnibus spurcitiis emundatæ, in coopertura decenti, & omni integritate servata, secundum facultates suas decentibus fulgeant ornamentis; videlicet, ut in ornatu altaris, in qualibet Ecclesia sint tres albæ, cum amictibus & stolis & manipulis, duo superpellicea, & duæ rochetæ, duæ casulæ, duo paria corporalium, quatuor linea benedicta, duæ pallæ altaris, duo calices argentei in majoribus Ecclesiis .... duæ phialæ, una vinaria, alia aquaria; unum par candelabrorum, unum thuribulum .... duæ cruces, una processionalis, alia ad officium mortuorum; unum vexillum, unum velum quadragesimale, &c. (Concilium Vintoniense, an. 1240. cap. 1.)

Præcipimus etiam, ut prædicti archidiaconi, archipresbyteri, & decani rurales faciant, & procurent per sacerdotem, aut diaconum superpelliceo indutum corporalia sæpe ablui, & in vase mundo, ad hoc specialiter deputato omnes ablutiones, si fieri potest, vel saltem primam in piscina reponi; & ut altaris linteamina, indumenta sacerdotalia ab aliqua honesta matrona, vel virgine, sine appositione aliorum pannorum, quoties opus fuerit, abluantur, & munda & integra serventur. (Concilium Salmuriense, an. 1253. cap. 3.)

Linteamina .... & alia altaris ornamenta integra sint & munda, & sæpe abluantur per personas a canonibus deputatas, ad reverentiam Salvatoris nostri, & totius cœlestis curiæ; quam huic sacramento conficiendo, & confecto non dubium est interesse. (Concilium Lambethenum, an. 1330. cap. 1.)

In plerisque Ecclesiis mappa, palla altaris, corporalia, & alia vestimenta, ac vasa divino cultui deputata, tam inculta, tam immunda relinquuntur, ut interdum quibusdam sint horrori, contra statutum Concilii generalis. Et licet alias tam a viris, quam a legatis sedis Apostolicæ, quam etiam a nostris prædecessoribus satis utiliter sit provisum; nos vero repetitis eorum constitutionibus volentes expressius providere, universis custodibus, sacristis, Ecclesiarum rectoribus præcipimus, quatenus omnia vestimenta, ornamenta & vasa supradicta, per ipsos munda & nitida, & præcipue ecclesiastica sacramenta, sub clausura & fida custodia conserventur. (Concilium Salisburgense, an. 1386. cap. 7.)

Insuper hortari & admonere jubemus Ecclesiasticos viros per suos superiores, quatenus Ecclesiarum vasa & ornamenta munde & honeste teneant, & præcipue ea quibus ad sacrificium altaris opus habent. (Concil. Senonense, seu Parisiense, an. 1429. cap. 7.)

In sacris ædibus, vasis, vestimentis, cæterisque ornamentis ad divinum cultum necessariis, quæ deceant, habita ecclesiastici proventus ratione, res sacra peragatur. Vasa in quibus sacrosancta conficiuntur mysteria, calices, patenæ, ministrorum indumenta, altaris palla, linteola sacra, sive corporalia, aliaque ad ministerium divini cultus destinata, munda sint & nitida. Nimis enim absurdum videtur, & ut tradunt Patrum canones, sordibus sacra coinquinari, quæ ipsa etiam profana dedecerent. (Concilium Narbonense, an. 1583. tit. 7.)

Dum publica & parochialis Missa celebratur, nulla modo in eadem Ecclesia sacrum aliud fieri liceat; detturque opera diligenter, ut omnia altarium ornamenta, & sacra vasa ad celebrationem Missæ pertinentia, munda sint ac nitida; nullaque nova prius in usus sacros conferantur, quam ab antistite aliquo fuerint benedicta, vel consecrata. (Concilium Burdigalense, an. 1583. tit. 5.)

Ornamenta ecclesiastica & sacra vasa nullis unquam profanis usibus applicentur, sub pœna majoris excommunicationis & sacrilegii; si qua autem temporum injuria profanata sint, iterum benedicantur. (Concilium Bituricense, an. 1584. tit. 15. *de Ornamentis & vasis Ecclesiæ*, can. 4.)

Cum christianæ pietatis rationi illud alienum sit, ad ornatum templorum adhiberi ea, quæ non modo devotionem non excitant, sed intervenientium mentes facile illiciunt in fœdas turpesque cogitationes; propterea ne quis ad illa ornanda peristromatis aulæisque utatur, quæ obscœnis figuris insignia sint. Neque item pictas imagines & signa adhibeant, quæ loci sanctitati non conveniant. (Concilium Aquisextiense, an. 1585. tit. *de Ecclesiis, & earum cultu.*)

Quæ pallia, aliaque sacra indumenta altarium usui ornatuive addicta sunt, ea ad sedis Episcopi, alteriusve hominis ecclesiastici, vel laici, quavis dignitate præditi apparatum, aut ad funeris exequiarumve pompam, aut aliarum rerum quæ profanæ sint, usum sive ornamentum ne adhibeantur.

Quæ vestes & ornamenta cujusvis generis, ad usum sacrum comparata, Ecclesiæ instituto benedici debent, & in Missæ sacrificio, cæterisque divinis officiis ne prius adhibeantur, quam solemnibus precibus ab Episcopo, vel ab alio qui auctoritatem habent, benedicta sint.

Quæ sacris rerum divinarum usibus vestes, vasa, aliaque id genus erunt comparata, ea solicita alteris custodia asserventur; nec unquam profanis usibus inservienda mutuo concedantur, ne promiscua sæcularium attrectatione polluantur. (Concilium Tolosanum, an. 1590. Part. III. cap. 1.)

E canonibus & constitutionibus hactenus in medium allatis suapte veluti sponte fluunt consecutiones hæ. Graviter peccat, 1. qui Ecclesiæ non suppeditat ornamenta quæ ab eo comparari justitia postulat; 2. qui valde incomptis, sordidis aut laceratis ornamentis utitur; 3. qui sacerdotalibus ornamentis non indutus Missam dicit, aut non benedicta ornamenta adhibet; quod nunquam licet, vel impediendi causa, ne maxime solemni die universus populus Missæ jacturam faceret, aut infirmus sine viatico moreretur; ob eam causam scilicet, quia Missæ audiendæ, aut communionis in mortis articulo sumendæ leges tum solum obligant, cum secundum graves ab Ecclesia præscriptas leges celebrari potest, cujusmodi sunt, quæ vetant, ne quis celebret, quin sacerdotalibus, & iis quidem benedictis vestibus, seu ornamentis indutus sit. Haud levis notæ tamen theologi sunt, qui putent, ne toti parœciæ, festo die, Missa deesset, sine levioris momenti ornamentis, cujusmodi sunt amictus, cingulum & manipulus, aut cum his aliisve non benedictis ornamentis celebrari posse. Sunt diœceses, in quibus nec purificatorium, nec pallæ benedicuntur; quod non impedit, quin hæc ipsa, cum semel altari deservierunt, reverenter habenda sint, eadamque tangere, nisi postquam a sacro ministro detersa fuerint, laici prohibeantur. Corporalia porro, ut sacerdotalia ornamenta cætera, benedicenda: *Consulto omnium statuimus, ne sacrificium altaris non in serico panno, aut tincto quispiam celebrare præsumat, sed in puro linteo, ab Episcopo consecrato, terreno scilicet lino procreato, atque contexto, sicut Corpus Domini nostri Jesu Christi in syndone munda sepultum fuit* (Can. *Consulto, de Consecrat.* dist. 1.). 4. Graviter quoque peccat, qui ornamentis utitur, quæ benedictionem amiserunt, seu quia forma, sub qua benedicta fuere, deperiit, seu quia adeo usu trita rupteve sunt, ut non amplius ad sacri ministerii munia decenter usui esse possint, ut si albæ manica, seu vi, seu vetustate, e corpore sejuncta esset, aut ita ruptum cingulum esset, ut ejus extremarum partium nulla amplius cingendo altaris ministro deservire posset. Peccatur etiam graviter, cum Ecclesiæ vetera lintea seu ornamenta in profanos usus conferuntur; comburenda sunt, eorumque cineres in Ecclesiæ locum conjiciendi, in quo pedibus teri nequeant. At ea quæ profanis usibus inservierunt, in sacra ornamenta converti possunt, quemadmodum dæmonum templa Deo consecrari licet. Vetus tabernaculum e rebus confectum fuit, quæ virorum feminarumque usui inservierant. Utensilia quoque metalli instrumenta quæ Ecclesiæ inservierunt, aliis usibus addici possunt, postquam igne fusa fuerint; ea quippe fundens ignis ita mutat, ut non amplius eadem censeantur.

OSCULUM PACIS. Vetustissimus est, non in civilis tantum vitæ commercio, verum etiam in Ecclesiæ cæremoniis osculi dandi mos. Illud in suis Epistolis passim commendat S. Paulus, idemque sæpissime ac multiplici ratione sibi mutuo priorum temporum fideles, tamquam pacis, unionis & charitatis pignus conferebant. Ac primo quidem ante oblationem, deinceps vero post communionem se invicem osculati sunt. Ad omnem quoque sacramenti administrationem, & ad transactionem quamlibet osculum tributum fuit. Debet illud Episcopus aut superior publicis pœnitentibus, in eorum reconciliatione, Feria quinta majoris hebdomadæ, itemque canonicis, in resurrectione iisdem nuntiandæ, die Paschatis, ad matutinum vel ad laudes. Tribuebatur osculum presbytero super humeris; pauperibus, in eleemosynæ traditione, super manu; sponsus & sponsa, in matrimonii cæremonia, sibi mutuo frontem osculabantur.

Antissiodunense Concilium, an. 578. can. 12. vetat, ne mortuis Eucharistia, aut pacis osculum tribuatur, iidemve altaris ornamentis tecti sepulturæ dentur: *Non licet mortuis, nec Eucharistiam,*

nec

nec osculum tradi, nec velo vel pallio corpora earum involvi.

Francofordiense, seu Francofurtense Concilium, an. 794. can. 50. mandat, ut pacis osculum post Missam mutuo tribuatur.

Moguntinum Concilium, an. 813. can. 41. fidelibus præcipit, ut oblationes peragant, mutuumque pacis osculum ad Missam conferant.

Concilium Aquisgranense, an. 817. can. 16. monachos vetat alterius sexus personis osculum dare; factum hinc, ut monachus, dum contractum cum femina transigebat, quoniam usus vigebat, ut contrahentes per osculum obstrictam fidem firmarent, hominem substitueret qui hanc fidei notam feminæ, quacum contrahebat, ejus loco exhiberet: *Qui utrique, scilicet pater & filius pro hujus doni confirmatione VValteriam monachum in fidei nomine osculari sunt; uxor autem illius, ea quod a feminis monachum osculari insuetum habemus, Lambertum quemdam, præfectum S. Albini, jubente VValterio monacho, eadem femina deosculata est.* (Charta inter Probat. Hist. Britan. 1. t. col. 430.)

Animadvertit Cardinalis Bona, cum vetus simplicitas pedetentim in malitiam degenerasset, sensim pacis osculi mutuo ad Missam dandi consuetudinem desiisse, eique suffectum usum fuisse, ut instrumentum, cruce aut imagine Christi Domini insignitum quod *Pax, Lapis pacis, Tabella pacis, Osculatorium, Osculatorium, Osculare* nuncupatum fuit, ad osculum exhiberetur.

Ceterum, sciendum est honesta oscula permissa esse, cum ea quisquiam ex amicitia, ex urbanitate, ex charitate tribuit, pro regionis consuetudine, in qua versatur, cumque eadem nec indecentiam, nec periculum, nec animi pravitatem continent. Christifidelium primi, licet sexu differrent, sibi tribuebant hujus generis oscula ipse, quæ ad eos quidem, non nisi pacis, unionis, charitatis argumenta erant. Ad lascivia porro oscula quod spectat, hæc sane, suapte natura, lethalia peccata sunt.

P A G

PAGANUS. *Quære* IDOLOLATRA.

PALLIUM. Est hoc pontificale ornamentum, summorum Pontificum, Patriarcharum, Primatum & Metropolitanorum proprium, quod iidem supra pontificales habitus deferunt. Possunt summi Pontifices simplicibus episcopis ejus usum concedere, eumque reapse concesserunt Episcopis Bambergensi, Ticinensi, Lucensi, Aniciensi, &c. A sexcentis quoque annis & amplius eo Græci omnes Episcopi vulgo in omnibus Ecclesiæ officiis utuntur. Constat autem est ex lana candida, in taniæ, seu zonæ, tres digitos latæ modum, quæ humeros cingit, duabus ad palmæ longitudinem partibus ante & retro pendentibus, non sine parvis e plumbo laminis ad extrema rotundatis, nigroque serico textis cum rubeis crucibus quatuor.

Pallii origo perobscura est. hanc nonnulli ad Imperatores referunt, contenduntque pallium ab origine imperialem lacernam seu chlamydem fuisse, cujus usum Imperatores Romanis Pontificibus & Patriarchis concesserint, qui sibi deinde eo alios præsules decorandi jus tribuerunt. Sunt qui pallium ut mere ecclesiasticum ornamentum spectant, quod a S. Lino inductum fuerit, qui an 66. S. Petro in Romana Sede successit; at ajunt alii nullam de eo mentionem ante an. 336. fieri. Ad unum Papam pertinet pallium concedere. Olim per se Romam, ad illud requirendum, eundum erat; missum deinde per Papæ legatos fuit; denique certi homines illud quæsitum mitti hac formula, *instanter, instantius, instantissime*. Archiepiscopi, intra tertium a consecratione mensem, ejus requisitionem, a præsenti disciplina, facere debent. & quoad illud obtinuerant, sua munia, præter quam ad dimissorias litteras concedendas, obire non possunt.

Ut Archiepiscopus sine pallio Missas dicere non præsumat. (Concilium Matisconense, an. 581. can. 6.)

Quisquis metropolitanus intra tres menses consecrationis suæ, ad fidem suam exponendam, palliumque suscipiendum ab apostolica Sede, nulla inevitabili necessitate imminente, non miserit, commissa sibi careat dignitate, ita ut tamdiu episcopali illi Sedi sedat, omnique consecrandi licentia careat, quamdiu in exponenda fide, & in expetendo pallio priscum morem non impleverit. (Concilium Ravennatense, an. 877. Statut. 1.)

Quicumque metropolitanorum per plateas, vel in Litaniis uti pallia præsumpserit, & non tantum in præcipuis festivitatibus, & ab apostolica Sede indictis temporibus ad Missarum solummodo solemnia, careat illo honore. (Statut. 3.)

Antiqua patriarchalium Sedium privilegia renovantes, sacra universali Synodo approbante, sancimus, ut post Romanam Ecclesiam quæ, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium & magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Jerosolymitana quartum locum obtineant, servata cuilibet propria dignitate; ita quod, postquam eorum antistites a Romano Pontifice receperint pallium, *quod est plenitudinis officii pontificalis insigne, præstito sibi fidelitatis & obedientiæ juramento, licenter & ipsi suis suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro se professionem canonicam, & pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ ab eisdem.* (Concilium generale Lateranense, an. 1215. tit. 5. *de Dignitate Patriarcharum.*)

Archiepiscopus autem non prius spiritualium aut temporalium sui archiepiscopatus administrationi se immisceat, quam, ut a sanctis Patribus institutum est, sanctissimo Domino nostro Papæ fidem suam propria subscriptione munitam exposuerit, ut, suis exigentibus meritis, obtinere mereatur. (Concilium Turonense, an. 1583. tit. 12. *de Episcopis.*)

Archiepiscopatus tamen essentialis nota pallium non est; gradus inter metropolitanos nequaquam distinguit, perfectionemque & extremam veluti manum eorum auctoritati non tribuit, quemadmodum pluribus rationum momentis probavit D. *de la Mothe Hodancourt*, in cœtu Cleri, an. 1665. occasione litigii quod super prælatione cum D. de Perefixo, parisiensi Archiepiscopo coortum fuerat. Hæc rationum momenta sunt, inter cætera, Græcos Episcopos pallio, ut alio ornamento & casula, vulgo in omnibus Ecclesiæ officiis uti; olim Papam solum eo usum fuisse, eodemque metropolitanos non ante quartum sæculum usos esse, quamvis antea suam omnem perfectionem eorum dignitas obtineret. (Monumenta Cleri, Tom. VIII. Part. I. pag. 169. & seq.)

Ad Papam tantum & Patriarchas, inquit Gibertus, (Institut. Ecclesiastic. Tom. I. p. 102. & seq.) pertinet pallium tribuere; illud Papa, quin ab alio quopiam acceperit, Patriarchis dat, Patriarchæ, nisi a Papa acceperint, suis suffraganeis dare non possunt. Pallio utendi jus Papa augere potest, illud producere ad plures dies & plura munia, quod Patriarchæ non possunt. Pallio summus Pontifex uti potest omni tempore, & ubique locorum, extra Ecclesiam & in ecclesiis, sive episcopales functiones peragat, seu non; cum illud cæteri gestare non possint nisi quibusdam in casibus in Romano pontificali, pag. 112. & 113. notatis, ut in Missa pontificali, &c. Archiepiscopus ad aliam archiepiscopatum translatus indiget novo pallio; quod si ad episcopatum transferatur, omnino pallii jacturam facit, nisi ejus jus ei Papa servet. Episcopi qui, ex privilegio, pallio gaudent, sua munia, antequam illud acceperint, obire possunt, cum Archiepiscopi quibus illud communi jure superiit, & ea quæ ipsorum propria sunt, solum postquam illud acceperunt, obire possint. Potest pallium per procuratorem peti; quod Galliarum Archiepiscopi facere consueverunt.

PANIS *benedictus, lustratus, lustricus*, est panis qui ad Ecclesiam offertur, ut a Sacerdote celebrante benedicatur, inter fideles distribuatur, & religiose comedatur. Hic panis, ita quidem religionis, concordiæ & charitatis animo manducatus ea vi pollet, ut per bonos motus quos in iis excitat, qui hoc eum animo comedunt, venialia peccata deleat.

Ut de oblationibus quæ offeruntur a populo, & consecrationi supersunt, vel de panibus quos offerunt fideles ad Ecclesiam, vel certe de suis presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido, ut post Missarum solemnia, qui communicare non fuerunt parati, eulogias omni die dominico, & in diebus festis exinde accipiant; & illa, unde eulogias presbyter daturus est, ante benedicat.

Est hic canon nonus Concilii Nannetensis quod Labbæus ad noni sæculi finem remittit, at Pagius ad an. 660. aut circiter, revocat. Sunt docti viri qui putent se hoc in canone panis benedicti qui in præsentia apud Gallos usui est, institutionem perspicere.

Superstitiosas etiam fontium adorationes .... per Sacerdotes vicinos præcipimus prohiberi; & pro subtractionem panis benedicti, & aquæ benedictæ, coerceant eos quos in hoc de cætero noverint deliquisse. (Concilium Vintoniense, an. 1240. cap. 15.)

Ut autem clerici fornicatores tam in concubinariis, quam in se ipsis gravius puniantur, præcipimus, ut publicis clericorum concubinis nec panis benedictus, nec aqua benedicta, nec pacis osculum concedatur. Sciantque Sacerdotes

cerdotes qui secus egerint, se graviter puniendos, vel ab officio suspendendos. (*Ibid.* cap. 34.)

Ex his canonibus perspicuum fit, panis benedicti, aquæ benedictæ, & pacis osculi privationem, tamquam gravem pœnam spectatam fuisse.

Inhibetur presbyteris, ne hostias consecratas pueris dent ullo modo pro communione in die Paschæ, sed panem benedictum communem. Idem de aliis prohibitis communicare pro ipsimes observari. (Concilium Burdigalense, an. 1255. tit. *de Communicatione Puerorum.*)

Quibus in diœcesibus oblatio & distributio panis benedicti in usu positæ sunt, cum unaquæque familia per vices præsentare debet, prout parœciæ consuetudo fert. Dominus tamen parœciæ patronus, quem maluerit, e diebus festis seligere potest, quo solus panem benedictum præsentet, quamvis ipse in parœcia non degat, isque apud parochianos mos vigeat, ut benedictum panem suo singuli loco afferant. *Quære* EULOGIA.

Super benedicto pane, inter fideles irrepserunt abusus plures. Eorum qui maxime dedecent, & superstitionem apprime sapiunt, unus est, ut ejus frustula in domorum angulis, ad expellendos enecandosve iisdem vescentes mures, ponantur. (*Vide* P. le Brun, in *Historia critica Superstitionum*, Tom. I. lib. 3. cap. 3.)

PAPA. Papæ nomen quod proprie *Patrem* significat, primis Ecclesiæ sæculis, omnibus Episcopis tribuebatur, & hoc quoque tempore omnibus Parochis, iis nempe omnibus quibus animarum cura est, in Orientali Ecclesia tribuitur. Panvinius, in suis Apostolicorum Nominum interpretationibus, Gregorium VII. ait, an. 1076. illud ad Romanos Pontifices redegisse, ut videtur, in ejusdem Papæ operibus, quibus titulus, *Dictatus* Gregorii, in quorum uno legitur: *Unicum est nomen* Papæ *in mundo.* Gratianus tamen qui suum Decretum ad an. 1128. composuit, *Papæ* nomen sui quoque temporis Episcopis pluribus tribuit. Conciliorum quæ *Papæ* nomen pure & simpliciter Romanæ urbis Episcopo tribuerunt, primum fuisse videtur Claromontanum, seu Clermontiense, an. 1095. celebratum, cujus decimus nonus canon ita habet: *Ne quis in Episcopum eligatur, nisi presbyter, aut diaconus, aut subdiaconus, nisi maxima necessitate, & licentia Papæ.*

Agnoscunt Catholici omnes in Papæ persona peculiares qualitates, seu titulos quatuor; ut primo quidem sit Episcopus urbis & diœcesis Romæ, cujus Sedes in Ecclesia S. Joannis Lateranensis statuta est; deinde Metropolitanus & Archiepiscopus suæ provinciæ quæ septem tantum diœcesibus constat; præterea totius Occidentis Patriarcha; denique pastor caputque visibile Ecclesiæ universæ, Vicarius Christi Domini, S. Petri successor in Romana Sede quæ est unitatis centrum a Deo ad omnes fideles simul colligandos unierdosque institutum.

Pro ut Episcopus urbis Romæ, Papa in Romana diœcesi quæ non admodum late patet, eamdem potestatem obtinet, quam in suis peculiaribus diœcesibus Episcopi singuli. Pro ut Metropolitanus, seu Archiepiscopus suæ provinciæ, ea ipsa potestate gaudet, qua in suis provinciis cæteri omnes Metropolitani seu Archiepiscopi præditi sunt. Pro ut Occidentis Patriarcha iisdem in toto Occidente facultatibus & juribus fruitur, quibus olim Patriarchæ Alexandrinus & Antiochenus in Oriente gaudebant. ut, ad sua Concilia omnes Episcopos, in eorum ditione positos convocandi, omnium inferiorum Sedium appellationes suscipiendi, ad fidei, morum, disciplinæ incolumitatem invigilandi, dispensationes in gravibus negotiis tribuendi, Episcoporum electiones confirmandi, eosque consecrandi. &c. Denique qualitas successoris S. Petri, capitis visibilis & ministerialis Ecclesiæ universæ, Vicarii Christi Domini, quod ejusdem essentiale & invisibile caput est, hæc, inquam, qualitas tribuit Papæ, & divino quidem jure tribuit non solum honoris, gradus, prælationis, verum etiam auctoritatis, potestatis, jurisdictionis canonicæ in tota Ecclesia primatum cujus vi id ei juris est, ut œcumenica Concilia in omnibus christiani orbis partibus convocet; iis ipse per se, aut per suos legatos præsit, eorum canones servandos curet, eorumdemque transgressores canonicis pœnis puniat: ab eorum super disciplina constitutionibus in necessitatis casu dispenset; ab omnium ecclesiasticorum tribunalium judiciis interpositas appellationes suscipiendi, &c.

Prioribus septem Ecclesiæ sæculis, Papæ electio a clero & populo peragebatur, & ab Imperatoribus confirmabatur. Stephanus Papa X. qui an. 1057. sanctam Sedem conscendit, id statuit sanxitque, ut Papæ electio a Romano clero, Senatu, & populo fieret, & post electionem, Papa coram Imperatoris oratoribus consecraretur. Fuit etiam tempus, quo Imperatores Italiæ Principes nati sibi Papas pro suo ipsorum arbitratu instituendi & destituendi jus arrogarunt. Tandem ejusmodi electionis jus solis Cardinalibus reservatum. *Vide* CONCLAVE.

Hoc enim optimum & valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput, id est, ad Petri Apostoli Sedem de singulis quibusque provinciis, Domini referant Sacerdotes. (Concilium Sardicense, an. 347. in sua ad Julium Papam I. Epistola.)

Definimus sanctam apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum esse successorem B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum patrem & doctorem existere, & ipsi in B. Petro *pascendi, regendi & gubernandi universalem Ecclesiam a* D. N. *Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum in gestis œcumenicorum Conciliorum, & in sacris canonibus continetur.* (Florentinum generale Concilium, an. 1439. Sess. 10. in decreto unionis Græcorum cum Latinis.)

Œcumenica Concilia quæ Papæ primatum agnoverunt, ac de quibus Florentini patres loqui volunt, sunt, inter alia, Ephesinum, an. 431. Chalcedonense, an. 451. Constantinopolitanum, an. 680. & Constantiense, an. 1414. quod hanc Wicleffi propositionem damnavit: *Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.*

Causæ omnes, ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia coram ordinariis locorum duntaxat cognoscantur .... Ab his excipiantur causæ quæ juxta canonicas sanctiones apud Sedem apostolicam sunt tractandæ, vel quas ex urgenti rationabilique causa judicaverit summus Romanus Pontifex per speciale rescriptum signaturæ Sanctitatis suæ, manu propria subscribendum committere, aut avocare. (Concilium Tridentinum, Sess. 24. cap. 20. *de Reform.*)

Hæc Tridentina sanctio quæ Episcopos suæ jurisdictionis exercitatione, & Metropolitanos sua judiciis appellationis prærogativa spoliat, non recipitur in Galliis, prorsus ut aliæ bene multæ quæ in pluribus Conciliis occurrunt, quæque Papæ tribuunt jura quæ eidem in eo regno denegantur. Ibi ergo non agnoscitur, causarum ad fidem ac disciplinam spectantium Papam in prima, quod ajunt, instantia judicem esse; eum ordinaria & immediata supra omnes fideles, supraque omnes christiani orbis Ecclesias jurisdictione pollere, fallere & falli nescium, seu infallibilem, œcumenicisque Conciliis superiorem esse; Episcopos suam ab eo potestatem, tamquam simplices vicarios, seu delegatos tenere; ullum ei seu directum seu indirectum jus in regum temporalia suppetere; aut hos ab eodem deponi posse, &c.

PAROCHIA, PARŒCIA, PAROCHIANUS, PARŒCIANUS. Parochiæ, seu parœciæ nomine venit Ecclesia, a sacerdote qui parochus appellatur, administrata, ad quam territorii quod ejusdem parochi spiritali jurisdictioni subest, incolæ se conferunt, ut divino servitio intersint, satisque cæteris religionis officiis faciant. Præterea venit hoc nomine beneficium.

PARŒCIA. Venit hoc nomine beneficium cujus titulari demandata est animarum cura in circumscriptæ regionis ambitu, quæ *parœcia* nuncupatur; eodem *parœcia*, *parochia*, seu *parochialis Ecclesia* vocabulo designatur statæ regionis Ecclesia in quam populus indigena dominicis festisque diebus convenire debet, ut ibidem Missam audiat, & christiana documenta percipiat. Nulla Ecclesia tamquam parœcia spectari potest, cui non suum soli spatium circumscriptum limitatum sit. Ad parœciam constituendam sufficiunt domus decem. Ita sane Concilia statuerunt: *Sed & hoc necessario instituendum delegimus, ut plures Ecclesiæ uni nequaquam committantur presbytero; quia solus per totas Ecclesias nec officium valet persolvere, nec populis sacerdotali jure occurrere, sed nec rebus earum necessariam curam impendere; ea scilicet ratione, ut Ecclesia quæ usque ad decem habuerit mancipia, super se habeat sacerdotem; quæ vero minus decem mancipia habuerit, aliis conjungatur Ecclesiis.* (Concil. Toletanum, an. 693. cap. 5.)

Parœciarum erectio fit ab Episcopo, *auctoritate ordinaria.* Ejusmodi erectionum causæ sunt, nimia a parochialibus Ecclesiis distantia, viarum difficultas ob quam pueri, senes, mulieres ventrem gerentes periculo subsunt, ne servitio desint; ægrotantes, ne extrema sacramenta, & recens nati parvuli, ne baptismum suscipiant. Quod ad dotem novis parœciis statuendam attinet, Episcopi provident, vel iis affecta, e principalibus parœciis, redituum parte, vel justis parochia-

nis de propriis bonis ad id contribuere, vel per unionem beneficiorum, &c. Potestatem hanc Concilia Episcopis tribuunt.

Episcopi, etiam tanquam apostolicæ Sedis delegati, in omnibus Ecclesiis parochialibus, vel baptismalibus in quibus populus ita numerosus est, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis, & cultui divino peragendo, cogant rectores vel alios ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum. In iis vero, in quibus ob locorum distantiam, sive difficultatem, parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta & divina officia audienda accedere non possunt, novas parochias, etiam invitis rectoribus, juxta formam constitutionis Alexandri III. quæ incipit, Ad audientiam, *constituere possint. Illis autem sacerdotibus qui de novo erunt Ecclesiis noviter erectis præficiendi, competens assignetur portio, arbitrio Episcopi, ex fructibus ad Ecclesiam matricem quomodocunque pertinentibus; & si necesse fuerit, compellere possit populum ea subministrare quæ sufficiant ad vitam dictorum sacerdotum sustentandam. Neque hujusmodi ordinationes & erectiones possint tolli, nec impediri ex quibuscunque provisionibus, etiam vigore resignationis, aut quibusvis aliis derogationibus, vel suspensionibus.* (Concilium Tridentinum, sess. 21. cap. 4. *de Reform.*)

In parochialibus Ecclesiis quarum fructus adeo exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere, curabit Episcopus, si per beneficiorum unionem, non tamen regularium, id fieri non possit, ut primitiarum, vel decimarum assignatione, aut per parochianorum symbola et collectas, aut qua commodiori videbitur, ratione tantum redigatur, quod pro rectoris ac parochiæ necessitate decenter sufficiat. In unionibus vero quibuslibet, seu ex supradictis seu aliis causis, faciendis, Ecclesiæ parochiales monasteriis quibuscunque, aut abbatiis, seu dignitatibus, sive præbendis Ecclesiæ cathedralis vel collegiatæ, sive aliis beneficiis simplicibus, aut hospitalibus, militiisve non uniantur, & quæ unita sunt, revideantur ab ordinariis, juxta alias decretum in eadem synodo sub fel. rec. Paulo III. (Sess. 24. cap. 13.)

Provincialia Gallicarum Concilia ad Tridentini Concilii sanctionem se conformarunt; Rothomegense videlicet, an. 1581. titulo 9. *de Curatorum & aliorum presbyterorum ac parœciarum officiis;* Remense, an. 1583. titulo 20. *de Curatis;* Burdigalense, eodem anno habitum, titulo 18. *de Parochis;* Turonense, eodem & ipsum anno celebratum, titulo 14. *de Parochis Presbyteris & aliis Clericis;* Bituricense, an. 1584. tit. 35. *de Rectoribus Ecclesiarum parochialium;* Burdigalense, an. 1624. cap. 10. *de Parochiis.*

Ejusmodi est etiam sanctionum & arestorum dispositio. Articulus 24. edicti mensis Aprilis an. 1695. ita statuit expressis verbis: „ Archiepiscopi & Episcopi, „ quibus in locis necessarium esse timeverint, solemni„ tatibus actisque consuetis parœcias erigere poterunt. „ Iidem, ex declaratione nostra mensis Januarii an. „ 1686. aliaque mensis Julii an. 1690. vicarios perpe„ tuos instituent, ubi amovibiles tantum presbyte„ ri sunt, & per decimarum aliorumque ecclesiastico„ rum redituum unionem utrisque ad sustentationem „ satis suppeditabunt, ut iis perinde ac cæteris paro„ chis supra institutis suppetet trecentarum librarum „ summa, prout omnino per nostras declarationes (ex „ postremo edicto, quingentis libris opus est) mensium „ Januarii an. 1686. & Julii an. 1690. præscriptum „ est. “

Ergo Archiepiscopi & Episcopi, non alii parœcias erigere possunt, seu ex officio, cum ii, in visitationum suarum cursu, necessarium judicant, seu iis incolis requirentibus. At si non alias rationes quam frequentiorem parœciæ populum afferre possent, haud satis gravis esset ratio hæc, ex Tridentino Concilio (sess. 21. cap. 4.), quia tunc vicariorum aliorumque presbyterorum numerus augeri posset. Si qua his parœciarum erectionibus contigerit oppositio, ad officialem deferenda est. Ita judicatum per aresta magni consilii, dierum 19. Maji an. 1740. & 28. Maji an. 1742. allata in Collectione *in* 4. arestorum Lacombæi, an. 1743. typis edita.

Cum de procedendo ad novæ parœciæ erectionem agitur, ejusmodi sunt servandæ formæ.

Necesse est, 1. ut adsit populi ad statuendam parœciam satis, numerus scilicet, ut diximus, domorum septem.

2. Facienda est inquisitio *de commodo & incommodo*, ut certo constet, legitimæ, necne, causæ sint quæ erectioni locum præbent.

3. Partes quarum interest, vocandæ sunt, scilicet Ecclesiæ cujus sectio fit, parochus & æditui, ut, horum auditis significationibus, res exigatur ad juris apices, idque perficiet Episcopus quod expedire judicaverit. (Concilium Tridentinum, *ibid.*) Non est necesse parœciæ dominum appellari, quemadmodum per arestum diei 16 Junii an. 1704. allatum in Audientiarum Diario, tomo V. judicatum fuit; & appellari debent collatores aut patroni, ad eorum servanda jura, audiendosque ipsos; secus esset hæc abusus ratio.

4. Consulendum est novæ Ecclesiæ dotationi, suusque veteri servandus honos, quod fit institutâ, exempli causâ, processione, e cujus ordine se novæ parœciæ incolæ ad veterem conferunt, sera patroni die, cum oblatione quam ad eamdem æditui in superioritatis recognitionem deferunt.

5. Postquam Episcopus has omnes formas servavit, super hac re verbalem processum edere debet, suumque deinde erectionis jus quod parœciam in titulum & in beneficium non amovibile reddit Ecclesiam hanc, interponere. Denique obtineantur, oportet, patentes litteræ quibus hoc decretum firmetur, prorsus ut in unionibus fieri consuevit. (Articulus primus edicti mensis Augusti an. 1749.)

Ad simplicem succursalem erigendam, non requiritur, ut Episcopus formas servet quæ ad parœciarum erectionem præscriptæ sunt; ac ne opus quidem est in ea facti specie, ut fiat inquisitio *de commodo & incommodo*. Ita judicatum per arestum diei 16. Junii an. 1704. collatum in Audientiarum Diario.

PAROCHIANUS territorii seu regionis per quam parœcia protenditur, incola est. Suam parochiani parœciam assidue frequentare tenentur, ut ibidem sacramenta, præsertim vero paschalem communionem suscipiant; suorum pastorum, seu parochorum sermones, fidei expositiones, & alia documenta percipiant, & Missæ sacrificium audiant, diebus dominicis & festis.

Statuimus, ut parochiani, dominus & domina cujuslibet domus, diebus dominicis teneantur ad Ecclesiam venire auditari ibidem ex integro prædicationem & divinum officium, nec recessuri, nisi donec Missa compleatur. (Concilium Albigense, an. 1254. cap. 30.)

Statuimus item, ut nullus parochianus ab alio quam a suo vero plebano communionem recipiat, nisi de hoc privilegiis autenticis sit munitus. Contrarium facientes a perceptione Corporis Christi abstineant, quousque ipsi plebano satisfecerint de contemptu. (Concilium Coloniense, an. 1310. cap. 20.)

Præsentis deliberatione Concilii statuimus inhibendo, quod curati civitatum, & diœcesum nostræ provinciæ nulli parochiano suo, cujuscunque conditionis vel sexus existat, in festo Paschæ, nec in octo diebus immediate præcedentibus, nec octo subsequentibus, concedant licentiam recipiendi, nec etiam alium conferendi seu ministrandi sacramentum Eucharistiæ; nisi ex causa infirmitatis, extra Ecclesias suas parochiales, vel alias Ecclesias, ubi per ipsos curatos ministrari extiterit consuetum. Si qui autem curati hujusmodi statuti fuerint transgressores, auctoritate præsentis Concilii, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto. (Concilium Biterrense, an. 1351. can. 6.)

Ut honor debitus parochialibus observetur, & animarum periculis obvietur, salubriter duximus statuendum, quod parochiani diebus dominicis & festivis ad parochiales Ecclesias veniant, Missas integras audituri. Et si per tres dominicos integros continuos, Missas in dictis Ecclesiis non audiverint, ex tunc habeant parochiales presbyteri communicari.... in Ecclesiis nominatim pro tunc excommunicatos. (Concilium Marciacense, an. 1326. cap. 26.)

Diebus dominicis & festis in suas parœcias populus conveniat, & Missæ, concioni, ac vesperis intersit. (Concilium Remense, an. 1583. tit. *de Diebus festis*, can. 2.)

Patrum antiqua decreta renovantes, omnibus & singulis Christifidelibus, suis Missis parœcialibus, & aliis suarum parœciarum divinis officiis, singulis diebus dominicis & festivis, interesse districte præcipimus; a quibus si per tres dies dominicos continuo sequentes, illos abesse contingat, nisi legitimo impedimento retineantur, pœnas a sacris canonibus indictas incurrere declaramus; quod illis sui rectores & confessarii sæpius inculcare non omittant. Et ne prætextu divinorum officiorum quæ in aliis Ecclesiis, quam parœcialibus celebrari solent, revocari aut distrahi possint, majorem Missam & vesperas in Ecclesiis cathedralibus, collegiatis, & monasteriis, post parœcialia officia peracta tantum, debere inchoari decernimus. (Concilium Turonense, an. 1583. tit. *de Christifidelibus Laicis.*)

Nullum autem sacrum privatum, durante solemni, publico & parochiali, fieri prohibentes, patrumque ultimi provincialis vestigiis inhærentes, decernimus, vetus illud decretum quo, proposita excommunicationis pœna, præcipitur, ne quis tribus continuis dominicis, a parochialis Missæ celebratione absit, singulis quibuscunque dominicis denuntiari populo & publicari. Ac ut accuratius observe-

tur, confessarios quoscunque, sive saeculares, sive regulares, scrutari poenitentes, an huic officio satisfecerint, proposita eisdem gravitate peccati, obligatos esse declaramus. (Concil. Burdigalense, an. 1624. cap. 3. *de Officiis divinis*, n. 3.)

Concilia caetera quae, seu in Gallia, seu alibi post Tridentinum habita sunt, omnia regni Ritualia, cleri coetus annor. 1625. 1635. 1645. 1655. 1657. & 1700. easdem dispositiones continent; ex quo inferendum, mortaliter fideles peccare, cum, dominicis praecipuisque festis diebus, seu per contemptum, seu cum scandalo, seu periculo, ne ea ignorentur, quae scitu necessaria sunt, quaeque in concione explicantur, aut denique sine gravibus causis, quibus in locis haec omissio, sub excommunicationis ipso facto subeundae poena, vetita est, per tres deinceps dominicos dies suae paroeciae Missae interesse negligunt. Rationes porro quae non solum a parochiali, sed a quavis omnino Missa praeceptis diebus audienda eximunt, dispensantque, sunt impotentia physica & moralis, charitas cujus obligatio naturali jure nixa jus ecclesiasticum superare debet, & officii executio, quod cum Missae auditione stare non potest, cujusmodi est officium militis in functione, qui locum suum, pastoris qui gregem, nutricis quae alumnam &c. deserere nequeunt.

PAROCHUS; seu *curatus*, seu *curio*, a *cura* nomine ducta significatione a functione ipsa quam obit, *quasi curam habens animarum*. *Curates*, inquit Galliarum Clerus, in Melodunensi coetu, tit. 21. *saepe vox ipsa denominationis cura animarum memores efficiat, ut suo respondeant muneri*. Curati nomen in Arelatensis Concilii, an. 1260. habiti canone 16. primum occurrit: *Inhibemus, ne confessores qui incedunt solummodo ad praedicta (casus reservatos) per villas & parochias dioecesis discurrentes, generalibus parochianorum confessionibus audiendis se occupent, nisi de mandato praelati, & licentia curati*. *Plebani* nomen quod saepe Decretales parochis tribuunt, quodque in Germania potissimum usui est; a voce plebs derivatur: *Plebanus a plebe vel populo qui sub ejus cura regitur*. Jam *parochi* nomen ductum est a graeca voce παροικία, quae significat plurium personarum seu familiarum viciniam, quae habitant prope Ecclesiam in quam conveniunt, ut faciant officiis satis, quae religio iisdem praescribit. Olim universae dioecesi tribuebatur *parochia* nomen. Parochi etiam *rectores* & *proprii sacerdotes* vocantur.

Parochus ergo sacerdos est qui beneficium vulgo curatum dictum possidet, & cui demandata est animarum cura in limitatae regionis ambitu, quae *paroecia* nuncupatur, cui ipse irrevocabilem in modum, praeter quam in quibusdam devolutionis casibus, addictus est, & supra quam eidem spiritalis, ordinaria & Episcopo subordinata potestas suppetit.

§. I.

Parochorum Origo, seu *Institutio*.

DE parochorum origine, seu institutione non conveniunt inter auctores. Eos alii ad divinam institutionem referunt, ab ipso scilicet Christo Domino in septuaginta discipulorum persona, quibus successerint, institutos putant. Eosdem alii ad ecclesiasticam tantum institutionem spectare contendunt, videlicet, ab Ecclesia subsecutis temporibus creatos volunt, occasione magni fidelium numeri, quorum in dies succrescentium curam Episcopi sumere ipsi per se non poterant. Parochi, inquiunt qui in posteriore sententia sunt, non nisi per similitudinem quamdem septuaginta discipulis successisse, parochos nimirum Ecclesia ad septuaginta discipulorum imitationem instituit, ea fere ratione qua cardinales septuaginta statuti sunt, eorumdem & ipsi discipulorum exemplo, qui nec presbyteri erant, nec ordinem aut jurisdictionem a Christo Domino, cum ad praedicandum missi sunt, acceperunt. Id autem, pergunt, argumento est parochos auctoritatem suam proxime a Christo non accepisse, quod iidem prioribus duobus Ecclesiae saeculis nec praedicare, nec baptizare, nec Missam dicere, nec poenitentes reconciliare poterant, & haec deinceps omnia non praestiterunt nisi ex Episcoporum commissione, qui in suo singuli clero certum quemdam simplicium presbyterorum numerum selegerunt, quos in titulis seu locis orationis distribuerunt, ut ibidem functiones ederent quas ipsi obire non poterant, sibi semper supra eosdem presbyteros ita deputatos reservato visitationis & superioritatis jure. Quod si quando *Principes* aut *praelati inferiores* Ecclesiae nuncupantur, titulus hic eos divinae institutionis esse non probat, aeque ac cardinales qui, licet ex ecclesiastica tantum institutione sint, ut conveniunt inter omnes, nihilominus illustriores principes & senatores Ecclesiae, consiliarii, cooperatores Papae, ejusdemque in pontificatus functionibus vicarii sunt.

Qui vero divinae institutionis esse parochos autumant, ita ratiocinantur. 1. Parochi sunt septuaginta discipulorum successores, qui suam missionem proxime a Christo acceperunt; (Luc. cap. X. v. 10.) quod veteribus, ut Origeni, in Commentario super Epistola ad Romanos capite 16. & S. Joanni Chrysostomo in Homilia 38. super prima ad Corinthios Epistola, locum praebuit, ut iis tribuerent Apostolorum titulum qui, antographa lingua, nihil aliud quam Filii Dei Missos, Legatos, Oratores significat, cujusmodi procul dubio fuere discipuli de quibus loquimur. 2. Fit presbyterorum mentio in Actis Apostolorum, capite 14. versiculo 22. in S. Ignatii Martyris, itemque S. Polycarpi ad Philippenses Epistolis, in aliisque veteribus monumentis numero pluribus; 3. Estius solide probat ex S. Pauli verba, v. 7. cap. 15. primae ad Corinthios Epistolae: *Deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus*, intelligi debere non de undecim quidem Apostolis de quibus in versiculo 5. jam dictum fuerat, sed de discipulis de quibus agimus; quod admodum vero similem efficit eorum sententiam, qui ad eos, conjunctim cum caeteris Apostolis, referenda contendunt ea divini Servatoris verba quae refert S. Joannes, cap. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; 4. Priorum saeculorum Episcopi suorum confratrum nomine parochos honorabant, utpote qui in Ecclesiae regimine unum cum iis idemque corpus conficerent; 5. Nituntur iidem S. Thomae auctoritate, qui in tertia suae Summae parte, q. 67. art. 2. ad 2. parochos appellat *Ecclesiae minores principes*; eosdemque ait septuaginta discipulis successisse; 6. Fulciunt sententiam suam Parisiensis Theologicae Facultatis auctoritate, quae nempe non semel contrarias aliquas propositiones, nominatim, Joannis Goretii Franciscani, an. 1408. Joannis Sarrasinui Dominicani, an. 1429. Jacobi Vernantii, an. 1664. censoria virga notavit. Goretium adegit Facultas, ut huic propositioni subscriberet: *Domini curati sunt in Ecclesia minores praelati, & hierarchae ex primaria Christi institutione, quibus competit ex statu jus praedicandi, confessiones audiendi, sacramenta ecclesiastica, secundum exigentiam sui status & parochianorum, ministrandi, decimas & alia jura parochialia recipiendi*, &c. Eadem Facultas Sarrasinium quoque propositioni subscribere jussit, quae sequitur: *Omnes potestates jurisdictionis Ecclesiae, alia a papali, sunt ab ipso Christo quantum ad institutionem & collationem primariam, a Papa autem quantum ad limitationem & dispensationem ministerialem; hujusmodi potestates sunt de jure divino, & immediate instituta a Deo. Ex textu evangelii & doctrina Apostolorum habetur expresse, Apostolis & discipulis a Christo missis auctoritatem jurisdictionis fuisse collatam. Dicere, inferiorum praelatorum potestatem jurisdictionis, sive sint Episcopi, sive curati esse immediate a Deo, evangelicae & apostolicae consonat veritati*.

Parisiensis ergo Theologicae Facultatis sententia quae pariter nostra est, in eo est posita, ut pronuntietur divini juris parochos esse; eos praelatorum a Christo Domino institutorum secundum ordinem in Ecclesia constituere; eosdemque suam auctoritatem potestatemque hierarchicas functiones exercendi proxima a Christo ipso, tanquam Episcopos, accepisse, cum hoc tamen discrimine, quod parochorum auctoritas episcopali subest, & minus late, quam haec, patet; quamobrem videmus parochos olim in suos parochianos, tam clericos quam laicos, externi fori jurisdictionem exercuisse, in eosdemque suspensionis, interdicti, atque adeo excommunicationis censuras tulisse, cum ita res postulabat. Odo, Parisiensis Episcopus, in suis an. 1175. synodalibus Constitutionibus, suae dioeceseos parochis rationem praescribit, qua in suos quisque parochianos agere debent; & vult, ut, cum opus fuerit, *sententias contra eos unde illae ferant, & latas districte servent*. Saltzburgense Concilium, an. 1274. (Capitulo 15. *de Conversis vagabundis*.) celebratum parochis mandat, ut errores vagosque monachos per ecclesiasticas censuras reprimant: *Nullus deinceps praelatus, nullus plebanus, nullus alius, cujuscunque ordinis vel religionis existat, masculum aut feminam tonsurare, aut benedicere sibi vestes praesumat, nisi certam de approbatis profiteatur regulam, & se destinet certo loco. Eos vero vel eas, qui vel quae contrarium fecerint, a locorum rectoribus vel plebanis per censuram ecclesiasticam, monitione praemissa, compelli praecipimus, ut, aut certae religioni se conferant, aut religionis vestem qua vagandi eis praestat materiam, & occasionem nihilominus delinquendi, abjiciant.*

Hu.

Edictum Caroli IX. diei 16. Aprilis an. 1571. art. 18. id ponit tamquam certum hujus veteris parochorum potestatis aliquod adhuc vestigium eo tempore remansisse, dum ita pronuntiat: „ Mandavimus, ut prælati, pastores & parochi monitionibus & censuris, quibus in casibus per sancta decreta & Concilia licet, uti possint. “

Quod si quis dicat, prioribus quatuor Ecclesiæ sæculis, nec parœcias nec parochos extitisse, eosque proinde ex ecclesiastica solum institutione esse; respondetur id quod proponitur, falsum esse, si sumatur, quam late patere potest; cumque universim verum esset, haud legitimam consecutionem fore.

Dicere, per priora quatuor Ecclesiæ sæcula, nullas parœcias, parochos nullos fuisse, est rem proponere certe falsam, siquidem id prorsus generali notione accipiatur. Pro certo habet Eusebius, (Histor. lib. 7. cap. 24.) in Ægypti provinciis, jam inde a S. Dionysii Alexandriæ Episcopi tempore, an. 248. parochos non defuisse, dum eum sanctum præsulem refert, cum in Arsinoensem provinciam, ut Millenariorum errores impugnaret, profectus esset, congregasse presbyteros qui in ruribus erant. S. Athanasius qui, an. 326. (Apologia 2.) in Alexandrina sede, S. Alexandro successit, diserte nos certos facit magnæ rura decem in Mareotide cum Ecclesiis fuisse cumque presbyteris qui iisdem Ecclesiis ad servitium addicti erant. Sancto Epiphanio, (Histor. lib. 1. cap. 15.) *hæref. 69.* & Sozomeno referentibus, aderant Alexandriæ parochiales Ecclesiæ plures quarum unicuique ad regimen presbyter erat: *Mos erat Alexandriæ*, inquit Sozomenus, *qui etiamnum manet, ut sub uno Episcopo qui omnibus præest, presbyteri separatim Ecclesias obtinerent, & populum ad illas convenire solitum colligerent;* Arius & Colluthus erant ex eorum numero. Testatur idem Eusebius (lib. 2. cap. 16.) eas peculiares Ecclesias a S. Marco ipsas institutas fuisse, qui urbem in regiones divisit, mandavitque, ut cujusque regionis seu stationis fideles convenirent in statum locum sub Seniore, sacerdote scilicet, cui demandata esset eorumdem cura, ut ibi divini verbi documenta perciperent, & simul eucharisticum panem frangerent, quod hoc ipso tempore in parochialibus Ecclesiis fieri consuevit.

Arelatense Concilium, an. 314. habitum probat parochos, ab initio sæculi quarti, per Gallias, tum in urbibus, tum in agris institutos fuisse, quandoquidem omnibus Ecclesiæ ministris mandat, ut in locis permaneant quibus addicti sunt; urbisque diaconis prohibet, ne sibi functiones tribuant, quæ ad presbyteros, hoc est, ad parochos pertinent.

De his qui in quibuscunque locis ordinati fuerint ministri, in ipsis locis perseverent. (Can. 2.)

De diaconibus urbicis, ut non sibi tantum præsumant, sed honorem presbyteris reservent, ut sine conscientia ipsorum nihil tale faciant. (Can 18.)

Vasionense Concilium, an. 529. ruris presbyteris seu parochis mandat, ut juniores clericos suis in domibus educent, Psalteriumque & sanctas Scripturas edoceant: *Hoc enim placuit, ut omnes presbyteri qui sunt in parochiis constituti, secundum consuetudinem quam per totam Italiam satis salubriter teneri cognovimus, juniores lectores, quantoscunque sine uxore habuerint, secum in domo, ubi ipsi habitare videntur, recipiant; & eos quomodo boni patres spiritaliter nutrientes, psalmos parare, divinis lectionibus insistere, & in lege Domini erudire contendant.* (Can. 1.)

At, siquidem id ponatur parochos firma & irrevocabili ratione non nisi post quartum sæculum statutos fuisse, non proinde sequitur divini juris eosdem non esse, id unum consequens fit Ecclesiæ visum non esse, ante quintum sæculum, parochis liberum potestatis usum concedere, quæ divino jure cum eorum charactere conjuncta est; hoc scilicet, ut in certo quodam limitatæ regionis ambitu, cui *parœciæ* nomen, eos constantem firmumque in modum statueret, ubi curiales functiones obirent quarum radicalem potestatem e proxima Christi Domini missione seu institutione tenent, quamvis hæc ipsa, quod ad usum seu exercitationem attinet, Ecclesiæ primorumque ejusdem pastorum voluntati subordinata sit. Aderat in quaque urbe, prioribus sæculis, Ecclesia seu unica seu præcipua, nimirum ea in qua Episcopus suo cum clero suisque presbyteris commorabatur. Sufficiebat in iis initiis, ob parvum fidelium numerum, Ecclesia hæc; et, hoc aucto deinceps numero, peculiares Ecclesias erigi fundarique necesse fuit, ad quas mittebantur episcopalis Ecclesiæ presbyteri, divini servitii ibidem obeundi gratia, quo absoluto, hi presbyteri ad episcopalem Ecclesiam redibant. Perstitit viguitque mos hic, quoad,

fidelium peculiariumque Ecclesiarum numero magis magisque in dies succrescente, peculiaribus Ecclesiis presbyteros addici necesse fuit, ut in iis sancti ministerii functiones obirent, presbyteros, inquam, qui titulum quidem, curam seu parœciam, cum jurisdictione quæ eorum cuique necessaria erat, suos ut parochianos in salutis ordine singuli regerent, ab Ecclesia & ab Episcopis accipiebant, at non radicalem potestatem eorum characteri adhærentem quam proxime a Deo tenent, quæque proinde divinæ institutionis est.

§. II.

Parochorum jura & privilegia.

PArochi, cum per divinam institutionem suis in parœciis ordinarii sacramentorum ministri sint, hæc ibidem administrandi jus obtinent; nullusque presbyter id facere sine expresso aut tacito eorum consensu potest, præter quam Episcopi nutu, vel in necessitatis casu, quoad sacramenta quædem, cujusmodi sunt baptismus & pœnitentia. Possunt etiam ipsi, si velint, concionari, quamvis Episcopus concionatores pro consuetis stationibus ad eos mittat; non possunt tamen sine Episcopi venia sanctum Sacramentum exponere.

Eo quoque jure gaudent, ut suarum parœciarum scholas visitent; dum eorum æditui rationem reddunt, intersint, horumque electioni præsint; adsint, cum in eorum parœciis de novis pietatis locis ac monasteriis instituendis, aut fundationibus redigendis agitur; testamenta recipiant, licet iis insint legata pia, dummodo non in eorum, ipsorumve consanguineorum favorem sint, requisitis tamen servatis formis; præstantiores Ecclesiæ suæ sedes, pro personarum dignitate, tribuant, cum hæ sedes a jure notatæ non sunt.

Pertinet etiam ad parochos, communi jure, vicarios & presbyteros habituatos suarum parœciarum eligere; iis horam indicere qua Missam quaque die dicere debent; eos destituere; denique moderari quicquid spectat ad spiritale regimen quod continetur divini Officii celebratione, sacramentorum administratione, documentis, catechismis, concionibus, precibus, sepulturæ ceremoniis, &c. At quamvis secundum in hierarchia gradum teneant, constituantque secundum ordinem principum seu prælatorum Ecclesiæ, hoc tamen tempore, nulla in externo & contentioso foro jurisdictione pollent; adeoque non possunt censuras infligere, licet id olim præstiterint. Quibuscunque tandem provisionibus instructi fuerint, Episcopo se præsentent, necesse est, ut ab eo, per litteras *visa*, missionem seu institutionem cum auctoritate conjunctam recipiant, cujus vi possint evangelium nuntiare, confessiones audire, curialibus omnibus muneribus fungi; parochi enim, etsi Episcoporum in pastorali sollicitudine coadjutores & cooperatores sint, non sunt tamen absoluta capita, quibus ea potestas suppetat, ut animarum curam exerceant, quin ab Episcopis ipsis pendeant. *Quære* OBLATIO.

§. III.

Parochorum obligationes & munia.

1. CUm parochi, sui status vi, populorum qui eorum curæ concrediti sunt, doctores, pastores & patres sint, debent erudire, concionari, catechismum tradere ipsi per se, cum possunt, aut per alios, cum legitime impediti fuerint; & hæ quidem institutiones potissimum dominicis festisque diebus peragi debent. Ei quoque obligationi subsunt, ut, iis ipsis diebus, Missam pro suis populis dicant, & siquidem eam aliis applicant, nullam retributionem accipiant. Debent præterea per hebdomadam celebrare, a parœciarum usu, in quibus existunt; obitibus omnibusque fundationibus, temporibus locisque notatis, accurate facere satis; Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Extremæ Unctionis sacramenta administrare, quin ob hanc administrationem quicquam expostulant; invigilare, ut parochianus quisque confiteatur, suum pascha peragat, confirmationem, cum par est, suscipiant; pauperibus solatium afferre, eosdemque, cum mori contigerit, gratis sepulturæ dare; infirmos visitare, afflictos solari, hortari & corrigere peccatores secundum prudentiæ regulas; cum omnibus pacem servare, litibus & dissensionibus abdicatis; pro suarum parœciarum clericis, præsertim vero pro confessariis collationes habere, seque de eorum agendi ratione sollicitos exhibere.

2. Parochi non satis habere debent suis parochianis documenta tradere & sacramenta administrare; iisdem ædificationi esse debent ad regulas exacta vitæ ratione,

ne, morum sanctitate, virtutum splendore. Fidem, spem, Dei & proximi amorem, religionem, sinceram solidamque pietatem, circumspectam sollicitudinem, humilitatem, suavitatem, modestiam, patientiam, animi robur, firmitatem, vigilantiam, castitatem, macerationem, pœnitentiam, privatæ utilitatis oblivionem, erga pauperes omnesque miseros charitatem, has omnes singulasque virtutes parochus eminenter possidere debet, suis ut exemplis quæ semper efficaciora quam verba sunt, earum usum inspiret.

3. Quoniam parochi sine accurata residentia suas peculiares obligationes explere non possunt, debent proinde suis in parœciis residere, in presbyterio degere, sibique ad servitium viros, aut, hi si desint, perspectæ probitatis feminas quæ annos quadraginta quinque seu quinquaginta, pro peculiarium diœceseon statutis, natæ sint, adhibere. Residentiæ lex adeo graviter ac stricte parochos obligat, ut ne pestis quidem, aliarumve ejusmodi calamitatum tempore, quæ parochianis imminent eosdemve divexant, possint se fugæ dare; nimirum, e converso, in his ipsis occasionibus maxime; si unquam, debent iis præsto esse, quippe qui tum sane magis eorum ope ac præsidio indigent; mercenarius ad periculi aspectum fugit; pastor suam pro grege vitam dat.

§. IV.

Parochi primitivi.

PArochus primitivus, ex ipsa nominis vi, sacerdos est cui antea demandata parœcia fuit, cujus cura ad alium migravit qui ejus loco eidem deservit. Itaque primitivi parochi sunt qui parœciarum servitium perpetuis vicariis committunt, quibus congruam portionem tribuunt; quod abbatibus, capitulis & monasteriis convenit, qui parochi primitivi, per parœcias ista communitatibus additas unitasque, evaserunt. Docti viri plures primitivorum parochorum originem referunt ad Emeritense Concilium, an. 666. celebratum quod, per decimum secundum canonem, permittit Episcopo, ut in parœciis presbyteros & diaconos formet, & in sua cathedrali Ecclesia collocet, quorum ministerio utatur, quin iidem presbyteri, ita translati, suis parœciis invigilare desinant, quarum reditum percipere pergent, operam dantes, ut iis vicarii deserviant quibus pensionem dabunt; quæ etiamnum præcipua parochorum primitivorum obligatio est: *Hoc elegit unanimitas nostra, ut omnes Episcopi provinciæ nostræ, si voluerint, de parochianis presbyteros atque diaconos cathedralem sibi in principali Ecclesia facere maneat per omnia licentia.... Et quamvis ab Episcopo suo stipendii causa per bonam obedientiam aliquid accipiant, ab Ecclesiis tamen in quibus prius consecrati sunt, vel a rebus earum extranei non maneant; sed pontificali electione, presbyteri ipsius ordinatione, presbyter alius instituatur, qui sanctum officium peragat; & discretione prioris presbyteri, victum & vestitum rationabiliter illi ministretur (ministrent), ut non egeat.* Parochi primitivi luculenter expressi comperiuntur in 16. Aquisgranensis Concilii, an. 836. habiti canone: *Unicuique Ecclesiæ suus providéatur ab Episcopo presbyter, ut per se eam tenere possit, aut etiam priori presbytero subjugatus ministerium sacerdotale perficere possit.* Presbyter qui tenet Ecclesiam *per se*, quin scilicet ab alio pendeat, is demum est de quo sermo, parochus prior, seu primitivus; presbyter *qui ipsi subjugatus est*, ei nempe subest ab eoque pendet, subalternus parochus est. *Vide* quoad parochos primitivos, declarationem Ludovici Regis XVI. die 15. Januarii an. 1731. editam quæ etiam diei 5. Octobris an. 1726. continet explicatque; extat ea declaratio hoc in Opere ad superioris tomi calcem.

§. V.

Parochi regulares.

APpellantur *parœciæ regulares, parœciæ prioratus, parœciæ exemptæ* quæ a regularibus seu religiosis occupantur & administrantur. Ejusmodi parœciæ pene omnes e monasteriis canonicorum regularium ordinis sancti Augustini, vel e Præmonstratensis ordinis monasteriis, vel e S. Joannis Jerosolymitani commendatoribus pendent. In abbatiis quæ in commendam tenentur, capitula regularia, in iis vero quæ in titulum possidentur, abbates præsentare debent Episcopis e communitatis religiosis unum, ut ab iis animarum onus accipiat: atque hi religiosi ita animarum curæ in parœcia addicti, in consecutionem præsentationis superiorum & acceptationis Episcoporum, *parochi regulares*, seu *parochi priores* nuncupantur.

Parochi regulares subduntur Episcoporum jurisdictioni, qui de omnibus eorumdem parochorum erratis & prævaricationibus cognoscendi jus obtinent. Est hæc dispositio arresti parlamenti Parisiensis diei 7. Maji an. 1646. & alterius diei 8. Februarii an. 1636. pro Episcopo Ambianensi. Itaque horum parochorum generales aliique superiores nulla in eos jurisdictione gaudent, ut id cognoscant quod curiales functiones spectat.

Canonici regulares sancti Augustini qui beneficia curata possident, sine ulla præcedenti monitione ac sine processus forma, revocari & amoveri ab iisdem beneficiis, & in congregationis monasteria mitti possunt ab ejusdem capitulo aut superiore generali, ob culpas ab iis patratas, vel etiam ob ordinis bonum & emolumentum, si res ita ferat, ex Episcoporum tamen consensu, in quorum diœcesibus beneficia sita sunt, & non aliter. (Monumenta Cleri, Tom. 3. pag. 790. & seq.)

Inventum est, quod multi, arbitrii sui temeritate, & quod est gravius, ducti cupiditate, presbyteris quibuslibet, absque consensu Episcoporum, Ecclesias dant vel auferunt. Unde oportet, ut, canonica regula servata, nullus, absque consensu Episcopi, cuilibet presbytero Ecclesiam det; quam si juste adeptus fuerit, hanc non nisi gravi culpa sua, & coram Episcopo canonica severitate amittat. (Concilium Cabillonense, an. 813. canon. 42.)

Presbyterorum vero qui præsunt Ecclesiæ Christi.... ministerium esse videtur, ut in doctrina præsint populis, & in officio prædicandi.... item ut de omnibus hominibus qui ad eorum Ecclesiam pertinent, per omnia curam gerant, scientes se pro certo reddituros rationem pro ipsis in die judicii.... Quapropter ab ortu nativitatis, cujusque ad se pertinentis prædictam curam habeant, ne aliquis eorum absque renatione sacri baptismatis moriatur. Post acceptum autem sacrum baptisma, sine manus impositione Episcopi, non remaneat; ut deinde imbuatur scire orationem dominicam atque symbolum; postea vero, qualiter vivere debeat, doceatur. Si forte vitiosus vel criminosus apparuerit, qualiter corrigatur, provideant. Si autem infirmitate depressus fuerit, ne confessione atque oratione sacerdotali, necnon unctione sanctificati olei per ejus negligentiam careat. Denique si finem urgentem perspexerit, commendet animam christianam Domino Deo suo more sacerdotali, cum acceptione sacræ communionis, corpusque sepeliatur, non ut mos est Gentilium, sed sicut Christianorum. (Concilium Aquisgranense, an. 836. cap. 2. tit. *de Vita & doctrina inferiorum ordinum*, can. 42.)

Quicunque habent curam animarum, ad ordinem sacerdotum promoveantur, ubi citius poterunt commode promoveri.... Volumus igitur & districte præcipimus, ut quælibet parochialis Ecclesia proprium habeat & perpetuum sacerdotem qui personaliter deserviat in eadem; ita quod unica persona una parochiali Ecclesiæ sit contenta, statutum Concilii recolentes, quo cavetur, ut, quicunque receperit beneficium habens curam animarum vel residentiam annexam, si prius aliud beneficium obtinebat, eo sit ipso jure privatus; & si forte illud retinere contenderit, etiam alio spolietur. (Concilium Biterrense, an. 1233. can. 12.)

Præcipimus etiam, quod sacerdotes parochiales studeant exponere populo diebus dominicis articulos fidei simpliciter ac distincte. (Concilium Biterrense, an. 1246. can. 7.)

Statuimus, quod nullus Ecclesiam curatam de cætero teneat, vel regendam suscipiat, aut susceptam tenere præsumat, nisi a nobis vel Archidiacono, & eorum vices gerentibus (quibus hoc de jure vel consuetudine competere dignoscitur) de eadem fuerit legitime institutus, cum alias non habeat claves ligandi vel solvendi. (Concilium Coloniense, an. 1310. can. 12.)

Præsentati, seu electi, vel nominati a quibuscunque ecclesiasticis personis, etiam Sedis apostolicæ nuntiis, ad quævis ecclesiastica beneficia non instituantur, nec confirmentur, neque admittantur, etiam prætextu cujusvis privilegii seu consuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præscriptæ, nisi fuerint prius a locorum ordinariis examinati, & idonei reperti; & nullus appellationis remedio se tueri possit, quo minus examen subire teneatur; præsentatis tamen, electis seu nominatis ab universitatibus seu collegiis generalium studiorum exceptis. (Concilium Tridentinum, Sess. 7. cap. 13. *de Reform.*)

Nemo ad dignitates quascunque quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem vigesimum quintum suæ ætatis annum attigerit. (Sess. 24. cap. 12. *de Reform.*)

Omnium parochialium Ecclesiarum rectores obtestatur in Domino sancta Synodus cum suo grege vivere, & ipsi pro

officia

officio deservire .... Porro ne quis se defunctum munere sue putet, si otiosus in Ecclesia desideat, intelligat, quoniam præcepto divino mandatum est omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas cognoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini & sacramentorum administratione ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam pro viribus gerere; quæ omnia nequaquam ab his præstari & impleri possunt, qui gregi suo non adsistunt, neque invigilant. (Concilium Remense, an. 1564. *De Residentia Curatorum.* Statut. 1.)

Pastores non modo præsentia, sed officio ac ministerio resideant in suis Ecclesiis; ac per se, quantum liceat, doceant, sacrificium offerant, sacramenta ministrent. (Concilium Cameracense, an. 1565. tit. 12. *de Pastor. Resid.* cap. 2.)

Pastores instituti diligenter advigilent super statum parochianorum vitæ, conversatione & religione, ac illos frequenter moneant, visitent, hortentur & corripiant, infirmos consolentur & ad patientiam instruant; ut ecclesiastica sacramenta, non solum quando ad hoc requisiti fuerint, iis administrent, sed proposita ipsis sacramentorum utilitate ac necessitate, etiam se ad illa administranda offerant paratos, & illos ad petendum ea sibi administrari, salutari admonitione inducant. (Concilium Mechliniense, an. 1570. titulo *de Decanis Christian. Pastoribus & eorum Offic.* cap. 7.)

In curatis duo primum requiruntur, capacitas & potestas; nihil enim magis officit Ecclesiæ Dei, quam quod indigni præficiuntur curæ animarum, & ad aliorum assumuntur regimen, qui se ipsos regere non possunt. De hoc providetur per examen. Deinde potestas exposcitur, quæ per institutionem & collationem committitur. Nam nisi curati, ligandi atque solvendi potestate a Prælatis legitime accepta fuerint prædití, decipiunt populum, nec absolvunt a peccatis .... Monemus & adhortamur curatos, ut divinorum præceptorum memores, gregem pascant & regant in judicio & veritate; ac declaramus eisdem præceptis, parœcialibus Ecclesiis quocunque nomine & titulo præfectos obligari ad personalem in sua Ecclesia & parœcia residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur, neque abesse posse, nisi ex justa, legitima & canonica causa ab ordinario in scriptis approbanda, juxta Concilii Tridentini decretum ... Nihil adeo curatum atque ecrum clerum commendat, & Ecclesiam ædificat, quam sancta ac honesta vitæ exemplum, in verbo, in conversatione, in charitate, in castitate, quemadmodum apud Apostolum est .... Sciant parœci aut vicarii se obligari per se vel alios idoneos, si impediti fuerint, aut incapaces; saltem dominicis & festis solemnibus ad plebes sibi commissas, pro sua & eorum capacitate pascendas salutaribus verbis, docendo quæ omnibus scire necessarium est ad salutem, annunciandoque eis, cum sermonis brevitate & facilitate, vitia quæ populus declinare, & quas sectari virtutes oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cælestem gloriam consequi valeant. Ut autem quilibet parœcus suo officio defungi queat, catechismum Romanum latine & gallice habeat, & ex ejus præscripto doctrinam de Symbolo Apostolorum, legis decalogo, sacramentis, atque aliis ad salutem necessariis erudiat. Frequenter quoque ac libenter in bibliis sacris & homiliis Patrum legat, unde ad profectum populi sui & ædificationem quæ videbuntur conducere, seligat. (Concilium Rothomagense, an. 1581. tit. *de Curatorum & alior. Presbyt. Offic.*)

Quantum ad curatos attinet, qui ab Episcopis in partem sollicitudinis vocati sunt, statuimus, ut .... assidue resideant in suis beneficiis, nec ea deserant, ut alteri beneficio, vel negotio vacent .... & quoniam parum prodest pastorem non abesse, nisi præsens & bonæ vitæ exemplo, & competentis doctrinæ munere gregis sibi commissi salutem promoveant; præcipimus parœcis, ut non solum inculpate vivant, verum etiam semper habeant præ manibus, assidueque lectitent librum aliquem de administratione sacramentorum, vel catechismum editum auctoritate Concilii Tridentini .... ex quo singulis diebus dominicis aliquid depromant, quod evangelio aptari & populo proponi possit, (Concilium Remense, an. 1583. tit. *de Curatis.*)

Parochi qui in partem sollicitudinis & gubernationis Ecclesiarum ab Episcopis vocantur, diligenter muneri suo attendere debent, non ignari præcipuas officii sui esse partes populum in Dei lege atque voluntate instruere, sacramentis ecclesiasticis reficere, atque communire, sacras ad Deum pro eo preces fundere, & laudabilis vitæ exemplo viam salutis promonstrare .... Parochi singulis festis diebus aliquid ex catechismo Tridentino (quem latine & gallice auctoritate nostra editum teneri se habere ipsis injungimus) populo proponant de iis rebus quas nosse christianorum omnium interest .... Observent insuper sui gregis vitia, & communia vel propria cujusque peccata, iisque corrigendis cum omni mansuetudine & charitate, cum publice omnes, tum privatim singulos admonendo, diligentiam adhibeant. Si qui contentione discordes fuerint, vel odia in se vicissim susceperint, aut simultates exercuerint, curent eos quamprimum ad pacem & fraternam concordiam revocare. Inquirant præterea studiose de pauperibus suæ parochiæ, præsertim de puellis nubilibus, de viduis, orphanis, pupillis, ægrotis, senio confectis, aliisque personis, temporali vel spirituali misericordia indigentibus, quibus & ipsi pro viribus opitulari, & alios suo exemplo atque hortatu ad id officium incitare studeant. (Concilium Burdigalense, an. 1583. tit. 18. *de Paroch.*)

Ipsos Episcopos, aliosque omnes ad quos jus parœciæ conferendi spectat, monemus, eisdem non nisi de viris litteratis, quorumque sit spectata fides & morum integritas, providere, examinatoribus qui in singulis diœcesibus deputari debent, ut suo munere quam diligentissime invigilent, injungentes .... Ne vero sit inutilis ac otiosa, & sine fructu eorum residentia, sollicite sacramenta suis parœcianis administrent, fideliter populum sibi commissum tum verbo tum exemplo doceant; in primis cum primatum majoris Missarum parœcialium, orationem dominicam, salutationem angelicam, symbolum fidei, confessionis methodum & decalogum cum Ecclesiæ præceptis, necnon sacramentorum numerum, nomina, eorumque vim & effectum, sigillatim lingua vernacula, populo declarent, & disertis verbis, ac distincta pronuntiatione, efferant. (Concilium Turonense, an. 1583. tit 14. *de Parœcis.*)

Curati non instituantur nisi idonei, & ab Episcopo probati, & viginti quinque annos nati, & juxta formam a Tridentino Concilio præscriptam. (Concilium Bituricense, an. 1584. tit. 37. *de Rectoribus Eccles. Paroch.* can. 1.)

Resideant, ut Missas parochiales per se ipsos celebrent, & suo muneri satisfaciant. (Can. 5.)

In aliis Ecclesiis, Vicariorum munus non exerceant, sed in propriis Ecclesiis suo munere fungantur, & avaritiæ ac turpi quæstui non studeant. (Can. 13.)

Dominicis diebus parochus non solum festos dies populo denunciet, sed etiam illum sæpe doceat, quæ officia tum in illis, tum in eorum vigiliis colendis, ab eo religiose præstari oporteat; eumdem doceat christianum hominem non debere opus aliquod ante suscipere aggredive, quam Dei auxilium religiosis precibus imploret; dicit enim Dominus: Sine me nihil potestis facere. *Parochus igitur cujus est populum ad optima quæque instituta erudire .... cohortetur ac moneat, ut neque publice neque privatim quicquam aggrediatur, nisi primum sanctis precibus Deo adhibitis; neque cibum sumat, antequam sacra prece benedicat; post cibum item Domino gratias precatione agat; id enim a nobis expectat qui nos pascit Deus, ut pro præstitis ab eo esis, illi gratias agamus, & saturati donis ipsius, laudes ei dicamus .... Parochi præterea perpetuo Ecclesiæ suæ assistant, & gregi invigilent; sint zelantes in salute fidelium procuranda; sint diligentes in sacramentis ministrandis, & cum ea ministrant, animadvertant & fervens diligenter sanctas Ecclesiæ cæremonias, ut fideles ex eo ædificentur; sint studiosi in verbi Dei prædicatione; sit vigilans eorum cura erga infirmos; sint diligentes & solliciti in divinis officiis, in funeralibus, in processionibus; sit maxima eorum diligentia in exercitatione populi ad sanctas orationes; sit accurata instantia in festorum dierum cultu observando; sit diligens eorum cura in scholis doctrinæ christianæ; sint solliciti in speculatione populi; sint eorum monita salutaria; sit maxima vigilantia in reliquis parochialis muneris partibus.* (Concilium Aquisextiense, an. 1583. titulo *de Parochis & animarum Curatoribus.*)

Quam anxie sollicitèque commissæ sibi animarum saluti invigilare parochi debeant, is facile intelliget, qui iis de populi peccatis rationem reddendam esse noverit. Id ut accidat, super gregis custodia perpetuo stent, sacris hortationibus concionibusque, diebus dominicis & aliis a sacra Tridentina Synodo præscriptis festivitatibus, habendis, populum de salute commonefaciant, ad crebram confessionem communionemque invitent .... ægrotos frequenter etiam non vocati adeant; suscipiendorum sacramentorum necessitatem explicent, &, quum maxime poterunt, eorumdem conscientiæ consulant; tum denique reliqua omnia parochorum munera fideliter exequantur .... Parochus, si quinque in sua parochia Sacerdotes habeat, iis privatas hic quoque hebdomada renovandas disceptationes instituat; ha vel de catechismi Romani interpretatione, aut de casibus conscientiæ, aut denique de certis hujus Concilii decretis erunt .... his honestis exercitationibus privatisque disputationibus clericos omnes parochiæ suæ fines intelentes parochi interesse hortentur. (Concilium Tolosanum, an. 1590. *de Parochis*, cap. 3.)

Invigilent Parochi super gregem, & parati semper sint, ne per illorum negligentiam, aut parvuli sine baptismo, aut adulti sine sacramentis pœnitentiæ, communionis & extremæ unctionis moriantur. Infirmos sæpius visitent & conso-

consolentur, ut de salute animæ moneant .... Tabellam habeant in sacristia, in qua descripta sint officia quæ fieri debent in suis Ecclesiis .... Diebus dominicis pronam faciant ...., per se ipsos sacramenta ministrent, & munera neque officia suarum Ecclesiarum prosterni, neque ab ipsis etiam secundariis, nisi justa de causa detenti, fieri aut ministrari permittant. Penes se habeant Biblia Sacra, librum casuum conscientiæ, constitutiones hujus Synodi provincialis, quas ab omnibus sibi subditis observari curabunt. (Concilium Narbonense, an. 1609. *de Paroch.* cap. 32.)

Perspicimus eos (Parochos) ingenio præditos, & urgentis charitatis pulsu ad vulnera peccatorum detegenda & abstergenda, suaviter percalsos, denique in procuranda animarum salute summopere patientes convenit & pernecesse est reperire .... Cæterum omnes Parochis in verbo & doctrina laborare, exempla prælucere, doctrinam christianam docere, bona Ecclesiæ conservare, presbyterales domos nulli locare, sed in iisdem consuetam & debitam residentiam exhibere; ubi vero easdem domos dirutas & solo æquatas esse constat, ædificare, seu, ut ædificentur, curare, remediis juris necnon, præcipimus. (Concilium Burdigalense, an. 1624. *de Paroch.* cap. 10.)

Quicquid de parochis hactenus diximus, in Gallia receptum est. Ibidem Parochi secundum in Ecclesiæ hierarchia gradum tenent, gaudentque, sui ritali vi, ordinaria jurisdictione, quæ efficit; ut ad concionandum, ad confessiones audiendas, & ad curialia munia cætera suis in parœciis obeunda, nulla magis peculiari facultate indigeant, ex articulo 12. edicti mensis Aprilis, hac in re, Tridentini Concilii, in Sess. 21. *de Reform.* cap. 2. dispositioni consentaneo. Eorum inspectioni subest quicquid in ipsorum parœcia divinum servitium spectare potest; ejusmodi nominatim sunt Ecclesiæ subsellia. Mandare tamen iidem non possunt, ut subsellia tollantur quæ divini servitii celebrationi nocuerint; possunt solum in id actionem intentare, aut ad ea tollenda procedere in mandati executionem quod in visitationis cursu Episcopus tulerit, ex articulo 16. edicti mensis Aprilis an. 1695. Ea potestate gaudent, ut tot sibi Vicarios eligant, quot iis necessarii sunt, dummodo ab Episcopo approbati sint; at si tot sumere Vicarios renuerint, quot parœciarum quibus præsunt, necessitas postulaverit, Episcopus iis Vicarios nominandi jus obtinet, quia, in hoc pertinacis negligentiæ casu, Parochi jus ad Episcopum ejus superiorem devolvitur. Ita judicatum in favorem Episcopi Lemovicensis, per arestum diei 19. Januarii an. 1690. Quoniam vero Parochis id juris est, ut sibi Vicarios eligant, eos etiam dimittere iidem possunt, quin necesse habeant, quod attinet ad hanc rem, cuipiam rationem reddere. Possunt & ipsi per se suarum Ecclesiarum stationes prædicare, excluso quovis alio concionatore; at hac in re, ante statum tempus, eos præveniant, oportet, penes quos concionatorum nominatio est. Porro cum dicimus Parochos suarum Ecclesiarum stationes prædicare, præ quovis alio concionatore, posse, non ea nobis est mens, ut diœcesanum Episcopum excludamus, qui nempe cum sit primus diœceseos pastor, prævention gaudet in Parochos, &, cum ei placuerit, curiales functiones in omnibus Ecclesiis quæ ejus jurisdictioni subsunt, obire potest, modo tamen eas obeat ipse per se; has enim aliis ecclesiasticis delegare non potest, in Parochi præjudicium, cum hic iisdem peragendis par est.

Quod ad ætatem attinet quæ ad parœciam possidendam requiritur, non semper eadem fuit hoc in capite parlamentorum jurisprudentia; et parlamenta conciliavit Rex per declarationem diei 13. Januarii an. 1742, quam eodem anno, ejusdemque mensis die 26. Parisiense parlamentum in acta retulit, quæque mandat, „ ut ecclesiasticorum nulli parœcia seu beneficium cum „ animarum cura conjunctum, seu ad patronorum „ præsentationem, seu suorum graduum vi, seu quo- „ vis alio titulo, seu a quovis alio collatore, tribui „ possit, nisi reapse in presbyteratus ordine constitu- „ tus sit, completumque viginti quinque annorum „ ætatem attigerit; aliter, nulla provisionum quæ im- „ petratæ fuerint, ratione habita, quæ nempe tam- „ quam nullæ omnisque effectus expertes spectabun- „ tur, dictam parœciam dictumve beneficium vacans „ & impetrabile, eique, quod inde consequitur, libe- „ re & pleno jure idoneum virum præfici ab iis vo- „ lumus ad quos collatio seu institutio pertinet. “ *Vide* ABSOLUTIO, BAPTISMUS, BENEFICIUM, BONA ECCLESIÆ, CASUS RESERVATI, CENSURÆ, CLERICI, CONFESSARIUS, CONFESSIO, CONCURSUS, DECIMÆ, SEPULTURA, EPISCOPUS, EXAMEN, EXCOMMUNICATIO, FABRICA, FUNDATIO, GRADUATI, HONORARIUM, INCOMPATIBILITAS, INSTITUTIO, JURISDICTIO, MATRIMONIUM, NOVALIA, OBLATIONES, PAROCHIA, seu, PAROECIA, PENSIO, PORTIO Congrua, PRESBYTERIUM, SERMO Parochialis, REGISTRUM, RELIGIOSUS, REPARATIO, RESIDENTIA, SACRAMENTUM, SIMONIA, VIATICUM, VICARIUS, VISA, UNIO.

PASCHA, seu Paschæ, festum quod magna cum pompa lætitiaque apud Christianos, in memoriam resurrectionis Christi Domini, celebratur. Primis Ecclesiæ sæculis, aliqua fuit inter fideles, super Paschatis celebratione, sententiarum usuque varietas. Illud Asiatici die decima quarta lunæ Martii, Romani vero omnesque Occidentales die dominica proxime sequente celebrabant. Nicæni primi Concilii quod an. 325. habitum, patres statuerunt, ut ubique terrarum Pascha die dominica quæ lunæ Martii diem decimam quartam sequitur, celebraretur; quique huic decreto se subdere renuerunt, spectati fuere tamquam schismatici, sub *Quartodecimanorum*, seu *Quatuordecimanorum*, hoc est, diei decimæ quartæ fautorum nomine.

Omnes qui audent dissolvere regulam sancti & magni Concilii quod apud Nicæam congregatum est sub præsentia piissimi & venerandi Principis Constantini, de salutifera solemnitate sacratissimi Paschæ, excommunicandos, & de Ecclesia pellendos esse censemus, si eamdem contentiosius adversus ea quæ bene sunt decreta, perstiterint; & hæc quidem de laicis dicta sint. Si quis autem eorum qui præsunt Ecclesiæ, aut Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, post hanc definitionem tentaverit, ad subversionem populorum, Ecclesiarumque perturbationem, seorsum colligere, & cum Judæis Pascha celebrare; sancta Synodus hunc alienum jam hinc ab Ecclesia judicavit, quod non solum sibi, sed & plurimis causa corruptionis & perturbationis extiterit. (Concilium Antiochenum, an. 341. can. 1.)

Horum Conciliorum, aliorumque nonnullorum, quæ in Angliæ coacta fuere, quæque easdem sanctiones edidere, decreta non impedierunt, quominus Irlandiæ monachi Pascha eadem qua Judæi die celebrarent; tandemque non nisi vehementibus sanctorum Adamnani & Egeberti sollicitationibus se dedidere, qui scilicet iis persuaserunt, ut suam veterem consuetudinem deserentes, ad universam Ecclesiam, super Paschatis celebratione, se conformarent.

Dies quoque ista sacrosancta Paschalis festivitatis omnibus christianis feriatos esse decernimus ab omni opere rurali, fabrili, carpentario, gynecæo, cæmentario, pictorio, venatorio, forensi, mercatorio, audientiali, ac sacramentis exigendis; quatenus eisdem diebus tanto licentius, quanto liberius, omnibus christianis sanctæ resurrectionis laudibus, & sacrosanctæ prædicationi jugiter insistere liceat. Quod si quis temerarie præsumpserit, excommunicetur, (Concilium Meldense, an. 845. can. 77.)

Constantiense Concilium, an. 1094. decrevit, ut tres tantum Paschatis, tres item tantum Pentecostes festi dies essent. Ad Paschalem communionem quod spectat, eam in sua quisque parœcia sumere debet. *Vide* PAROECIA.

PASTOR. *Vide* PAROCHUS, EPISCOPUS.

PATRIARCHA, PATRIARCHATUS. Tributum fuit patriarchatus nomen ei quæ olim *diœcesis* appellabatur, pluribus provinciis scilicet, quæ unum & unicum corpus sub majoris momenti urbe constabant, cujus regimen penes unum eumdemque præfecti prætorii vicarium erat. Ecclesia quæ se ad Imperii formam statuerat, ex earum provinciarum Ecclesiis unum & ipsa corpus constituit, sub ejus Episcopi jurisdictione, qui præcipuam regebat, *Exarchi*, seu *Patriarchæ* nomine. Itaque Patriarcha est Episcopus unius ex Orientis quinque diœceseon capitalibus urbibus; ut nimirum Ægyptus Episcopo Alexandrino, Oriens proprie dictus Antiocheno, Asia Ephesino, Thracia & Pontus Constantinopolitano, Palæstinæ provinciæ aliquot Jerosolymitano subsint. Romanæ urbis Episcopus totius Occidentis Patriarcha est. Aliis etiam nonnullis Occidentis Episcopis Patriarchæ nomen tributum; ejusmodi sunt Episcopi Gradensis, Aquilejensis, Venetus, Bituricensis, &c.

Patriarchis honoris & jurisdictionis jura suppetunt. Honoris jus est supra Metropolitanum prælatio; jurisdictionis autem jus est in eo positum, ut Patriarchæ sui patriarchatus Metropolitanos ordinent, ex omnium patriarchatus episcopatuum præsulibus Concilia convocent, & generali supra omnes provincias quæ a patriarchatu pendent, inspectione gaudeant.

Sancta

Sancta & universalis Nicæna prima synodus antiquam consuetudinem jubet servari per Ægyptum, & provinciis quæ sub ipsa sunt, ita ut harum omnium Alexandrinus Episcopus habeat potestatem, dicens: Quia & in Romanorum civitate hujusmodi mos prævaluit; qua pro causa & hæc magna & sancta synodus tam in seniori & nova Roma, quam in sede Antiochena ac Jerosolymorum, priscam consuetudinem decernit in omnibus conservari; ita ut eorum præsules universorum metropolitanorum qui ab ipsis promoventur, & sive per manus impositionem, sive per pallii dationem, episcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant potestatem; videlicet, ad convocandum eos, urgente necessitate, ad synodalem conventum, vel etiam ad coercendum illos & corrigendum, cum fama eos super quibusdam delictis sermonum accusaverit.... Quisquis ergo metropolitanorum proprium Patriarcham contempserit, & vocationem ejus, quo sive ad unum solum, sive ad plures, sive ad omnes fit, absque validissima ægrotatione, vel paganorum incursu, non obedierit, & per totos duos menses post notitiam vocationis, ad proprium venire Patriarcham minime festinaverit.... segregetur; si vero intra unum annum eamdem contumaciam & inobedientiam demonstraverit, deponatur omnibus modis, & ab omni sacerdotali operatione decidat, atque a dignitate & honore qui metropolitanis convenerit, propellatur. (Concilium generale Constantinopolitanum, an. 859. can. 17.)

PATRINI & MATRINÆ. Patrinus is est qui puerum ad baptismi fontes tenet, eique nomen imponit; matrina est, quæ infantem ad eosdem fontes suscipit. Patrinus est propterea spiritalis pater, & matrina spiritalis mater infantium quos ambo ad sacros fontes tenent; ac proinde eorum institutioni studeant, oportet, si parentes desint; ex quo consequens est illud ut nec hæreticos, nec excommunicatos, nec religiosos aut religiosas, nec ignorantes, nec pravis moribus homines ad patrinorum aut matrinarum officium admitti posse, quia scilicet bonum nullus, vel quia scientia, vel quia catholica fides, vel quia boni mores, vel quia libertas deest, instituendis infantibus idoneus est; nec magis decet Episcopum in sua diœcesi, parochum in sua parœcia, beneficiarium in sui beneficii loco, & generatim clericos in sacris ordinibus constitutos patrinorum esse fungi. Diœcesium tamen usui super hoc certe standum est; sunt enim diœceses quædam, in quibus clerici sacris ordinibus initiati, regulares Episcopi, ipsique Abbates patrinorum munus obire possunt.

Vetustissimus est in Ecclesia patrinos & matrinas nominandi mos. Cum baptizabantur adulti plures, ac pro ritu baptismatis aquis immergebantur, ferre viri viros levabant & feminas feminæ. At cum non alii præter infantes quam infantes baptizari, & baptisma per infusionem conferri cœptum est, patrini quoque & matrinæ baptizantis, uter esset eorumdem sexus, dati, qui eos e baptismalibus aquis levarent, iis nomen imponerent, eorum baptismi testes adessent, eorum nomine fidem profiterentur, ejusque sponsores se ea lege sisterent. Haud olim statutus erat patrinorum & matrinarum numerus; tot suscipiebantur, quot suscipi lubebat; in præsentia patrinus unus, & una matrina est, quibus sit, oportet, pubertatis ætas, aut ea saltem qua ad officia cognoscenda opus est, quæ iidem contrahunt. In Oriente, patrinus & matrina pro maribus adsunt, at pro puellis matrina tantum.

Ut parentes filios suos, & patrini eos quos de fonte lavacri suscipiunt, erudire summopere studeant. Illi, quia eos genuerunt, & eis a Domino dati sunt; isti, quia pro eis fidejussores existunt. (Concilium Arelatense, an. 813. can. 19.)

Quicumque igitur viri, quæcumque mulieres de sacro fonte filios spiritualiter susceperunt, cognoscant se pro eis fidejussores extitisse apud Deum; & ideo necesse est, ut semper illis sollicitudinem veræ charitatis impendant, admoneant, & castigent, atque corripiant, ut castitatem custodiant, virginitatem usque ad nuptias servent, & sacerdotibus bonis operibus dediti sint.

Nec monachi compatres, nec monachæ commatres fiant. (Concil. Londinense, an. 1102. can. 19.)

Susceptores infantis (patrini qui dicuntur) merito admonentur, quod ipsi sint, qui Ecclesiæ nomine, & in Ecclesiæ fide Christo parvulos offerant per baptismum, ut se propemodum pro parvulis fidejussores constituant, nomine parvuli respondentes, quem etiam, postquam adoleverit, symbolum simul & orationem Dominicam edocere, atque vitam Christo, ac professione in baptismo facta dignam perpetuo agere, saltem ubi id necessitas poscere videbitur, cohortari non omittent; proindeque malumus illos deligi provectæ ætatis quam impuberis, ne videatur infans infantem offerre, ac sponsorem se pro alio constituere, qui quod promittit, non intelligit; ideoque multo minus, quod non intelligit, docere queat. (Concil. Coloniense, an. 1536. Part. VII. cap. 4.)

Idem (parochi) moneant susceptores, fidei pro suscepto sponsores esse, itaque eos obligari, cum infans ad adultam ætatem pervenerit, eum docere fidei rudimenta, seu symbolum, ut saltem ejus verba memoriæ teneat, & recitare valeat, nisi id a parentibus præstari possit. (Concilium Remense, an. 1583. tit. *de Baptismo.*)

Sciat itaque ad hoc munus non fuisse debere admitti pueros qui rationis usum nondum habent; & caveat, ne plures susceptores duobus admittat, scilicet unum virum, & unam feminam, propter cognationem spiritualem quæ inde contrahitur.

Multo autem minus hæreticos, vel etiam hæresis suspectos sinat esse fidei sponsores. Quod ut vitari queat, rogabit sacerdos clara voce omnes qui puerum baptizandum ad Ecclesiam comitati sunt, vel saltem patrinum & matrinam, numquid velint vivere ac mori in Ecclesia Catholica, Apostolica & Romana, abnuentesque ab officio suscipiendi repellat.

Convenire etiam judicamus, ut Episcopus in propria diœcesi, parochus in sua parœcia, & initiatus sacris ordinibus in suo residentiæ & beneficii loco pueros de sacro fonte non suscipiant; nunquam vero monachus patrinus, vel monialis matrina esse queat. Parochus etiam moneat, ne in baptismo nomina paganorum patris imponantur.

Patrinus & matrina cum filiolo, cumque ejus patre & matre spiritalem cognationem, seu affinitatem contrahunt, quæ inter eos matrimonii dirimens impedimentum parit. (*Vide* spiritalis cognationis impedimentum, verbo MATRIMONIUM.)

PATRONUS, PATRONATUS. Patronatus, seu jus patronatus facultate potissimum continetur præsentandi collatori personam quæ vacanti beneficio possidendo par sit, ut ei institutionem tribuat, munia scilicet beneficio addicta obeundi potestatem concedat. Is proinde patronus est, qui hac ad vacans beneficium præsentandi potestate seu facultate gaudet, ut præsentatus canonicam a collatore institutionem suscipere possit. *Vide* COLLATOR, & INSTITUTIO CANONICA.

Ut præsentatio valida sit, patroni, ac testium duorum certam sedem habentium, non tamen ejusdem patroni, præsentati, aut collatoris domesticorum, vel in secundo gradu consanguineorum subscriptione munita sit, oportet. (Declaratio an. 1646. art. 9.)

Patronorum & Patronatuum origo.

Primis Christianæ religionis sæculis, ecclesiastici tituli pura putaque officia erant, & penes Apostolos tantum, eorumque successores Episcopos erat ministrorum delectus, qui operam sub eorumdem auctoritate conferrent. Post solum quam beneficium ab officio distinctum fuit, & ut ocyus, sæculo quarto, jus patronatus ecclesias fundantibus aut dotantibus concedi cœptum, ut eorum munificentia probaretur & quodammodo compensaretur, iidemque per ejusmodi grati animi specimen adigerentur, ut de suis bonis ad constructionem dotationemque templorum Domini, perinde atque ad sacrorum ejus ministrorum sustentationem contribuerent. S. Paulinus qui an. 431. supremum diem obiit, in Epistola decima secunda memoriæ prodit id moris ejus ætate viguisse, ut fundatorum elogia in Ecclesiis quas fundaverant, inscriberentur. At in Conciliis quidem nobis primum patronatus vestigium occurrit in Arausicani Concilii primi, an. 441. habiti canone decimo qui repetitur ad verbum in tricesimo sexto Concilii canone, quod decennio post in urbe Arelatensi celebratum fuit: *Si quis Episcoporum in alieno civitatis territorio Ecclesiam ædificare disponit, vel pro fundi sui negotio, aut ecclesiastica utilitate, vel pro quacumque sua opportunitate, permissa licentia ædificandi, quia prohibere hoc votum nefas est, non præsumat dedicationem quæ illi omnimodis reservatur, in cujus territorio Ecclesia assurgit; reservata ædificatori Episcopo hac gratia, ut quos desiderat clericos in re sua videre ipsos ordinet is cujus territorium est, vel, si ordinati jam sunt, ipsos habere acquiescat.*

Canon hic Episcopo Ecclesiam in aliena diœcesi ædificare volenti eam veniam dat, ut ad ejusdem servitium loci Episcopo præsentet ecclesiasticos quos is ordinare debebit.

Aurelianensis Concilii an. 541. habiti tricesimus tertius canon mandat ut qui in suo prædio parœciam habere voluerit, det reditus satis, clericosque qui eidem deserviant: *Si quis in agro suo aut habet, aut postulat habere diœcesim, primum & terras ei deputet sufficienter, & clericos qui ibidem sua officia impleant; ut sacratis locis reverentia condigna tribuatur.* At omnia an-

tiqui-

tiquitatis in hanc rem locupletissimum monumentum nobis exhibet Toletani Concilii, an. 655. duodecimus canon, in quo suam ita mentem Patres aperiunt: *Quia ergo fieri plerumque cognoscitur, ut Ecclesiæ parochiales . . . . ita quorumdam Episcoporum vel insolentia, vel incuria horrendam decidant in ruinam . . . . ideo pia compassione decernimus, ut, quamdiu earumdem fundatores Ecclesiarum in hac vita superstites exstiterint, pro eisdem locis curam permittantur habere sollicitam . . . . atque rectores idoneos in iisdem basilicis iidem ipsi offerant Episcopis ordinandos.*

Si laicus (Parisiensis Concilii an. 829. lib. 1. cap. 22. verba sunt) *idoneum utilemque clericum obtulerit, nulla qualibet occasione ab Episcopo, sine certa ratione, repellatur; & si rejiciendus est, diligens examinatio, & evidens ratio, ne scandalum generetur, manifestum fiat.* Ab eo tempore, in Conciliis Gallorumque Regum capitularibus sæpe fit de patronis sermo.

Patronorum & Patronatuum genera plura.

Patronatus dividitur 1. in realem & personalem. Patronatus realis est qui fundo adhæret, eumque sequitur, ad cujuscunque manus transeat. Ejusmodi sunt patronatus, domui, oppido, prædio aut dominio cuipiam addicti. Patronatus personalis est qui directe ad fundatoris personam pertinet, & ad ejus descendentes migrat, quin ulli fundo adnexus sit.

Dividitur 2. patronatus, ut alius mere laicus seu laicalis, alius mere ecclesiasticus, alius mixtus seu partim laicalis, partim ecclesiasticus sit.

Patronatus mere laicalis is est qui ad laicos pertinet, qui Ecclesias fundarunt dotaruntve, aut etiam ad clericos qui de profanis & sæcularibus bonis Ecclesias & ipsi fundarunt aut dote locupletarunt.

Patronatus mere ecclesiasticus est qui ad clericum pertinet, seu beneficii quod possidet, seu dignitatis qua instruitur, ratione habita, seu quia ad erigendam, fundandam aut dotandam ecclesiam ecclesiastica bona contulit.

Patronatus mixtus is est qui ad alios quidem ob patrimonialia bona, ad alios autem ob beneficia spectat. Potest hic ejusmodi esse fundationis vi, siquidem fundatori placuerit præsentationem suis hæredibus, & alicui beneficio conjunctim relinquere. Perinde res habet, si beneficium ex patrimonialibus simul atque ecclesiasticis bonis fundatum sit. Potest etiam per donationem partis patronatus laicalis, in Ecclesiæ gratiam ab uno ex ejusdem patronatus possessoribus factam, patronatus mixtus institui. Patronatus qui ad communitates aut sodalitates e clericis laicisque conflatas pertinet, mixtus & ipse patronatus est.

Fere putant canonistæ laicalem patronatum, cum ad ecclesiasticum, seu seculare, seu regulare corpus transfertur, eidemque efficitur, ecclesiasticum fieri. Si subsit dubitandi locus, laicusne an ecclesiasticus patronatus sit, præsumitur laicus, si fides Rojo in Animadversionibus ad titulum *de Jure Patronatus*, Collectioni Gregorii Papæ IX. *in Proleg. cap. 6. pag.* 21. & Van-Espenio, *Jur. Eccles. univ. tit. 25. de Jure patronatus, cap. 2. De varia specie Juris Patronatus, cap. 2. De varia specie Juris Patronatus, num. 10. Tom. 2. pag. 890.*

Redactor Monumentorum Cleri (Tom. XII. p. 99. & 101.) contendit hos auctores falli, atque eorum opinionem non nisi falsa primorumque seculorum Episcopis injuriosa potissimum inductione niti, scilicet eorum veterum temporum Ecclesias pene omnes e laicis fundatas fuisse, ea obducta causa, quod antiquorum canonum qui jura ad ecclesiasticorum titulorum fundatores & patronos spectantia moderantur, pleriqua de laicis eorumque hæredibus tantum loquuntur. Laudati auctores haud animo reputant veterum Conciliorum hac in re silentium non probare Episcopos qui, quo tempore ea habita fuerunt, in vivis erant, nullam prorsus Ecclesiam struxisse, sed solum non opus fuisse, ut Concilia canones conderent, ut Episcoporum qui eas fundaverant, jura statuerent, quia satis nota erant, & a nemine prorsus impugnabantur; ut proinde communis canonistarum opinio sit, in dubio, præsumptionem in favorem Episcopi loci esse debere; cui quidem opinioni id fundamento est, nascentis Ecclesiæ tempore, Apostolos eorumque discipulos Ecclesiarum quæ primæ fuere, fundatores esse.

Inter Patronatum ecclesiasticum, & Patronatum laicum discrimina.

Lambertinus, in quæstione decima libri tertii Tractatus *de Jure Patronatus*, ad usque quadraginta octo inter patronatum ecclesiasticum, & patronatum laicum discrimina in medium affert; quorum hæc præcipua sunt. 1. Patronis ecclesiasticis ad sui juris usum menses omnino sex, & patronis laicis tantummodo quatuor suppetunt. 2. Patroni laici in eorum præsentatione, quos collatoribus nominant, variare possunt, scilicet uno plures aut simul aut deinceps iis præsentare; at patronis ecclesiasticis non eadem libertas est. 3. Papa ecclesiasticos patronos prævenire potest, laicos non potest. 4. Episcopi possunt beneficiorum in eorum diœcesibus existentium quæ ad ecclesiasticum patronatum pertinent, permutationes recipere, sine patronorum consensu; quod facere nequeunt, cum de beneficiis agitur, quæ in laico patronatu sunt. 5. Titulares, absque ecclesiasticorum patronorum consensu, beneficia quæ possident, resignare aut permutare possunt; non item, si beneficia laico patronatui subsint. 6. Summus Pontifex de beneficiis in ecclesiastico patronatu positis statuit, cum eorum titulares moriuntur in curia, at in hac ipsa facti specie, de beneficiis in laico patronatu existentibus statuere non potest. 7. Patroni laici non subjiciuntur, ut ecclesiastici, expectativis graduatorum, indultariorum, &c. 8. Admittuntur in Gallia pensiones canonicæ super ecclesiastici patronatus beneficiis, sine patronorum consensu, a summo Pontifice constitutæ; at ibidem non reciperentur pensiones quas ipse super laici patronatus beneficiis, sine patronorum placito, creare vellet. 9. Cum beneficium alternis vicibus a patroni ecclesiastici & patroni laici nominatione est, si in vacatione quæ in ecclesiastici vicem seu turnum incidit, beneficium requiritur a graduatis, per eos menses qui iisdem affecti sunt, aut in indultarii gratiam, vel resignatum est in Romana curia, provisiones quas graduatus, indultarius aut resignatarius obtinuerunt, ecclesiastici quidem patroni turnum replent, at patrono laico præjudicii nihil afferunt. 10. Laicorum patronorum consensus ad unionem beneficiorum patronatus laici necessarius est, ecclesiasticorum autem patronorum non item ad unionem beneficiorum secularium quæ in ecclesiastico patronatu sunt; *Cum patronorum consensu, si de jure patronatus laicorum sint*, inquit Tridentina synodus sess. XXIV. cap. 15. *de Reform.*

Favor laicis patronis concessus eo fundamento nititur, quod ipsi beneficiorum sui patronatus fundatores præsumuntur, et de patronis ecclesiasticis non idem præsumitur; sed e converso præsumitur eos ad beneficiativum titulum patronos esse, ejusque usu ob eam solum causam gaudere, quia fruuntur Ecclesiæ bonis quæ clericalem titulum cui eorum patronatus adjecti sunt, constituunt. (Monum. Cleri, Tom. XII. pag. 107. & seq.)

Juris Patronatus acquirendi ratio.

1. Acquirebatur olim jus patronatus, dotando, vel ædificanda Ecclesia, vel fundo donando, super quo ea ædificanda erat: *Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.* Is unus hoc tempore id juris acquirit, qui Ecclesiam ædificat dotatque, aut saltem dotat, si jam ædificata est, nec ei suppetit dotis satis. Est hæc Tridentinæ synodi (sess. XIV. cap. 12. Decret. *de Reformat.*) definitio: *Nemo etiam cujusvis dignitatis ecclesiasticæ, vel secularis, quacunque ratione, nisi Ecclesiam, beneficium, aut capellam de novo fundaverit, & construxerit, seu jam erectam, quæ tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis & patrimonialibus bonis competenter dotaverit, jus patronatus impetrare aut obtinere possit aut debeat.* Quamobrem qui solum Ecclesiam ædificarent, vel ad eam ædificandam fundum tribuerent, in præsentia spectari non possent tamquam benefactores seu patroni ex parte, qui id habent, quod dicitur *jus semiplenum patronatus*, ad aliorum patronorum discrimen qui *pleni & perfecti* vocantur.

2. Jus patronatus acquiritur præscriptionis vi, quæ supra omnem memoriam est, si id agitur, ut patronatus servituti subdatur Ecclesia quæ libera per fundationem censetur; at si in eo solum res vertitur, ut contra patronum qui suo jure lata neglexit, patronatus quadraginta annorum possessionis, triumque deinceps præsentationum probationem afferat, quas secutæ fuerant collationes in præsentatorum favorem, & quod hos ipsos pacifice beneficii fruitio. Harum casuum primum Tridentina synodus (sess. XXV. cap. 9. *de Reform.*) his verbis definit: *Decernit sancta synodus, ut titulus juris patronatus sit ex fundatione, vel dotatione; qui ex authentico documento, & aliis jure requisitis ostendatur; sive etiam ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum qui hominum memoriam excedat, aliusve secundum juris dispositionem.*

4. Jus

3. Jus patronatus acquiritur per privilegium a ſummo Pontifice conceſſum ad titulum oneroſum, ea conditione ſcilicet, ut qui privilegium obtinuit, Eccleſiæ dotem ex dimidio augeat. (Bouchel, *Biblioth. Canonic.* verbo PATRONATUS.

4. Jus patronatus acquiritur per donationem aut legatum patroni, cui prorſus integrum eſt, illud, cuicunque voluerit, gratis cedere. Opus eſt tamen Epiſcopi venia, ſi de laico patronatu agitur, niſi patronus ſua omnia bona cum patronatu largiatur.

Juris patronatus Alienatio & Translatio.

Eccleſiaſtici patronatus jus ad omnem tituli cui addictum eſt, poſſeſſorem tranſit, & laici patronatus jus, quod reale eſt, cum gleba transfertur, cui adhæret, etiamſi expreſſa facta non eſſet ejuſdem mentio.

Perſonalis, itemque quivis alius patronatus qui fundo ſeu glebæ non adhæret, vendi non poteſt, quia patronatus cum ipſe per ſe ſit *jus ſpirituali annexum*, ſpectatur ut ſpiritalis res quæ in commercium venire non debet. At fundum vendi licet, cui patronatus jus adnexum occurrit, quia, in hac facti ſpecie, non niſi fundum afficit venditio, & patronatus tamqua fundi acceſſorium, quin vendatur, ad acquirentem tranſit.

Cum dominus terram alienat, cui jus patronatus addictum eſt, ſibi jus hoc reſervare poteſt, ut perſonalis ejus familiæ addictus patronatus evadat. Hac de cauſa, patronatus, fundi alienatione nihil obſtante, Regis perſonæ addictus remanet. (Turnetius, littera P, cap. 19. & 42.)

Patronatus transfertur, ſiquidem cum alio patronatu permutatur, ſeu commutetur, non item, ſi cum temporali re, quia patronatus a ſpiritalium rerum numero eſſe cenſetur. Eccleſiaſticus patronatus cum laicali commutari poteſt, dummodo commutatio ab Epiſcopo confirmetur. (Monumenta Cleri, Tom. XII. pag. 518.)

Juris patronatus Extinctio.

Jus patronatus extinguitur, 1. cum patronus illud Eccleſiæ remittit; 2. per præſcriptionem; 3. cum patronus evadit beneficii collator, cujus ſimplici nominatione gaudebat, quæ *conſolidatio collationis & præſentationis* a canoniſtis appellatur; 4 cum Eccleſia diruta omnino eſt, ſeu per ædificiorum excidium, ſeu per bonorum jacturam, quibus ejus dotatio conſtabat; 5. per extinctionem perſonæ, aut familiæ, aut confraternitatis, aut communitatis, alteriuſque ſocietatis, quibus patronatus addictus erat. (Monum. Cleri, Tom. XII. pag. 569. & ſeq.)

Patronorum Jura & Prærogativa.

Patronis oſſia & honorifica jura ſuppetunt, quæ fere canoniſtæ hoc dyſtico complectuntur:

Patrono debetur honor, onus, utilitaſque;
Præſentet, præſit, defendat, alatur egens.

Patronorum tamen jura non eadem ubique ſunt. Ex Domoulinio, aliiſque doctis canoniſtis pluribus, pleni fundatores, qui nempe fundum donarunt, ſuper quo Eccleſia conſtructa eſt, & hanc dotarunt, erigendamque curarunt, præſentationem communi jure, eamque veluti eorumdem bonorum diſpoſitionis conſecutionem obtinent; contendunt alii hos ipſos fundatores præſentatione, cæteriſque prærogativis ex Eccleſiæ tantum conceſſione gaudere. Honoris locum in proceſſionibus patroni tenent; his quoque ante alios aqua benedicta, panis benedictus, incenſum, & pax tribuuntur; iiſdem id juris eſt, ut ſua ſtemmata, ſeu titulos & zonas funebres circum Eccleſiam & extra ſolum pingi & apponi jubeant, cum domini juriſdicentes mandare poſſint, ut eadem & extra & intra ponantur. Patronis, ſi in paupertatem inciderint, id juris eſt, ut a titulari exigant ejus redituum portionem, quo ſuis rationibus conſulant. *Quære* FUNDATOR, & PANIS BENEDICTUS.

Patronorum Officia.

Tenentur patroni pro viribus Eccleſiam defendere, invigilare, ut divinum ſervitium omni cum dignitate peragatur, quæ Dei majeſtatem decet, Sacerdotes monere, ut Eccleſiaſtica bona e fundatorum mente adminiſtrent, eoſque ſi monita parvi penderint, apud Epiſcopos aliiſque competentes judices denuntiare. At of-

ficiorum quibus patroni ſubſunt, eſt illud primum præcipuumque, ut ad ſuorum patronatuum beneficia eos tantum præſentent, qui omnino digni, omnibuſque muniis quæ ad ea pertinent, ſancte obeundis cumulatiſſime pares ſint.

Accidit interdum, quod patroni Eccleſiarum tam clerici, quam laici, præſentant illiteratos ad regimen animarum; quod fieri prohibemus. Et ſi quis patronus contra hanc inhibitionem venire præſumpſerit, jure careat præſentandi illa vice. (Concilium Caſtri Gontarii, an. 1231. can. 15.)

Ordinamus in primis, quod nullus prælatus eccleſiaſticus, vel patronus ſe per litteras obliget ad collationem ſeu præſentationem beneficii non vacantis; &, ſi contra fecerit, decernimus ipſum ex obligatione hujuſmodi non teneri; & promittens, per ſuperiorem pœna canonica puniatur. (Concilium Nannetenſe, an. 1264. cap. 1.)

Sane cum in collatione bonorum eccleſiaſticorum haberi debeat principaliter ante oculos ſolus Deus, diſtricte præcipimus & mandamus, ut omnia eccleſiaſtica bona perſonis idoneis, & ſicute a canonibus tempore conferantur, nullo pracepto, vel promiſſo, remotis omni conditione & pacto ... Si autem aliquis ſcienter contra fecerit ... in pœnam ipſius conferentis & ejus qui recipit, ſit collatio ad ſuperiorum collationem, ea vice, tamquam vacantia, per ſtatutum hujuſmodi devolvantur. (Concilium Albigenſe, an. 1254. can. 56.)

Patroni tam eccleſiaſtici, tam laici, videbunt, ut idoneos archidiaconos præſentent. Compertum ſiquidem habemus, quam hic ſupra modum peccetur. Sunt enim qui tantum filios ac conſanguineos, ſeu aliter ipſis addictos, citra ullum delectum, aut diſcrimen ſcientiæ, morum, ac ætatis, beneficiis eccleſiaſticis admovent; ſunt qui admotis nomen tantum relinquunt, cenſum autem, atque eccleſiaſticos reditus ſibi auſu quodam ſacrilego uſurpant. Quæ omnia cum ſanctorum Patrum ſanctionibus damnentur, multorumque malorum in Eccleſia Dei cauſa ſint, poſthac non committi ... ex animo cupimus. (Concilium Colonienſe, an. 1536. part. 1. cap. 9.)

Res eſt pernicioſi exempli, & quæ gravem ſæpe Eccleſiis calamitatem affert, quod patroni, tam eccleſiaſtici, tum laici propinquitate juncti, aut aliis meritis & officiis ſibi conciliatos, ſine omni ætatis aut eruditionis reſpectu, idoneis præteritis, ad beneficia eccleſiaſtica admovent. Alii de conſenſu beneficiorum partem ſibi retinent, aut etiam in totum fructus beneficiorum intercipiunt, hiſquibus eo ad ſpeciem infamiæ cupiditatis ſuæ, præſenti conſtitutione provinciali in Domino hortamur, & peremptorie monemus, ut a pernicioſo hoc conatu ſibi temperent; alioqui ſeveritate pœnarum rigide conſtitue coercendos, ac talis beneficii collatione, vel præſentatione, ſaltem pro hac vice, aut, pro gravitate exceſſus, per omnem vitam ſuam privandos; ita tamen, ut collatio talis beneficii hæredibus, aut ſucceſſoribus eorum integre reſtituatur, & libere permittatur. (Concilium Moguntinum, an. 1749. cap. 68. *Quære* COLLATOR.)

Perſonæ jus patronatus exercendi capaces.

E communi canoniſtarum opinione, pupillus qui ſeptimum ætatis annum complevit, ad ſui patronatus beneficia præſentare poteſt; at ſi ejus temporalis dominationis, juriſve ejus familiæ addicti ratione præſentet, tutoris, quoad pupillaritas perſtat, auctoritate opus habet. Non ita res habet, ſi pupillus beneficiorum ratione præſentet, de quibus eidem proviſum eſt. (Monum. Cleri, Tom. XII. pag. 193.)

Cum patroni ſuo juri exercendo impares ſunt, ut cum hæreſin amplectuntur, ejus exercitatio, ſeu communi, ſeu Principis conceſſione, ad Epiſcopos pertinet; quod deciſum non eſt per declarationis diei 16. Decembris an. 1656. articulum 5. qui jus hoc Epiſcopis tribuit. (Monum. Cleri, Tom. XI. p. 1297.)

Putant vulgo canoniſtæ pro cauſis ad patronatus ſpectantibus competentem ſolum Eccleſiæ judicem eſſe; verum, ex Gallica juriſprudentia, Eccleſiæ judex hac competentia tum ſolum gaudet, cum patronatus actio inter eccleſiaſticas perſonas, & eccleſiaſtici beneficii ratione ad petitorium intentata eſt; at, quoniam hæc facti ſpecies ſe nunquam offert, quia ſuper patronatu litigia per querelam, ſervatamque poſſeſſionem ſemper intentantur, Eccleſiæ judices omnino patronatus negotiorum cognitione ſpoliati remanent. (Monumenta Cleri, Tom. XII. pag. 583.) Quod Epiſcopis extra contentionem, a communi jure, relinquitur, id demum eſt, ut de eorum moribus & capacitatibus, quos patroni præſentant, neceſſarii judices ſint, ita ſcilicet, ut, ſi patroni, cum ad beneficium præſentare ſolum poſſint, illud conferre auſi fuerint, eorum proviſionibus non alia, ut ſummum, quam puræ putæque præ-

sentationis vis insit: *Item decretum est, ut nullus laicorum alicui presbytero suam commendet Ecclesiam, praeter consensum Episcopi; sed eum prius mittat suo Episcopo, vel ejus Vicario, ut probetur, si scientia, aetate & moribus satisfit, ut sibi populus Dei commendetur.* (Concilium Selingstadianse, an. 1022. can. 13.)

Item statuimus, quod nullus in aliquo beneficio ecclesiastico solum jus obtinens patronatus, cum ipsum vacare contigerit, ad ipsum conferendum procedat. Quod si secus egerit, in illa vacatione jus praesentandi ipso facto amittat; & superior ad quem institutio pertinet, plenam ejus dispositionem habeat illa vice. (Concilium Avenionense, an. 1326. can. 30.)

Non liceat praeterea patrono, cujusvis privilegii praetextu, aliquem ad beneficia sui juris patronatus, nisi Episcopo loci ordinario, ad quem provisio, seu institutio ipsius beneficii, cessante privilegio, jure pertineret, quoquo modo, praesentare; alias praesentatio ac institutio forsan secuta nulla sint & esse intelligantur. (Concilium Tridentinum, Sess. 14. cap. 13. *de Reform.*) (Vide Simoniam, in Tractatu *de Jure Patronatus.*)

PAULIANISTÆ, sectatores Pauli Samosateni, qui ita cognominatus, quia in urbe Samosata, Comagenae in Syria Euphratensi, Mesopotamiam versus, metropoli natus erat. Paulus, sub annum 262. Antiochenus Episcopus electus fuit, divinarumque Personarum distinctionem negavit, inquiens in Trinitate non esse personas tres, sed attributa solum tria, sub quibus Divinitas se hominibus patefecerat. Ajebat praeterea Christum Dominum non Deum esse, sed hominem cui divina sapientia se singularem in modum, extraque ordinem communicaverat, quique non nisi minus proprie, sanctitatis nempe, virtutum & prodigiorum ratione habita, Deus appellari poterat. Paulus Samosatenus ab Antiocheno Concilio an. 264. damnatus, & ab alio in eadem urbe an. 270. celebrato depositus fuit. Reliquit is moriens discipulos plures qui tam essentialiter baptismi formam mutarunt, ut oecumenica Nicaena prima Synodus eos iterum baptizandos mandaverit, quos ipsi baptizaverant. Haereticos hos etiam Bracarense Concilium an. 563. Romanum an. 649. & Toletanum an. 653. damnarunt.

PAUPERES. Concilia semper pauperum curam Christifidelibus, Ecclesiaeque ministris potissimum commendarunt.

Pauperes & senes Ecclesiae plus caeteris honorandi sunt. (Concilium Carthaginense, an. 398. can. 83.)

Eorum qui pauperes opprimunt, dona a Sacerdotibus refutanda. (Ibid. can. 94.)

Episcopi in protegendis populis ac defendendis impositam a Deo sibi curam non ambigant; ideoque dum conspiciunt judices & potentes pauperum oppressores existere, prius eos sacerdotali admonitione redarguant; & si contempserint emendare, eorum insolentiam regiis auribus intiment; ut quos sacerdotalis admonitio non flectit ad justitiam, regalis potestas ab improbitate coerceat. Si quis autem Episcopus neglexerit, Concilio reus erit. (Concilium Toletanum, an. 633. can. 32.)

Ut unaquaeque civitas pauperes & egenos incolas alimentis congruentibus pascat secundum vires; ut tam vicini presbyteri, quam cives omnes suum pauperem pascant; quo fiet, ut ipsi pauperes per civitates alias non vagentur. (Concilium Turonense, an. 366. seu 367. can. 22.)

Mandamus igitur, ut ea qua in mensa monachorum, vel canonicorum de justitiis (jusculis), sive in pane & vino, vel pulmentis superfiunt, nullus de servientibus alicui largiri praesumat, sed universa colligantur ab eo qui curam refectionis obtinet, & juxta ordinationem Abbatis, vel prioris, pauperibus tribuantur. (Concilium Montis Pessulani, an. 1215. can. 22.) *Quaere* ELEEMOSYNA, BENEFICIARIUS, CLERICUS, EPISCOPUS, HOSPITALE.

PAUPERTAS, *Quaere* RELIGIOSI.

PAX. Dicitur *Pax* id quod fideles, venerationis ergo, ad oblationem, vel post consecrationem, seu imago, seu patena, seu reliquiarium, sacrarum exuviarum theca, sit, osculantur.

PECCATORES PUBLICI. Ecclesiae mens quae adhuc subsistit, ea semper fuit, ut publicis & ad scandalum pravis peccatoribus publicas poenitentias imponeret, quae reparandis eorumdem scandalis accommodatae essent: *Apostolus monet publice peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos commotosque fuisse non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpae poenitentiam publice injungi oportet; ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, sua emendationis testimonio ad rectam revocet vitam. Episcopus tamen publicae hoc poenitentiae genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire.* (Concilium Tridentinum, Sess. 24. cap. 8. *de Reform.*)

Nemo poenitentiam publicam peccato publico quod christianorum oculos maxime offendit, injungendam neget; ait enim Apostolus: Peccantem coram omnibus argue, ut caeteri timorem habeant. *Poterit tamen hoc publicae poenitentiae genus pro qualitate locorum, rerum, personarum, & temporum in aliud secretum converti.* (Concilium Bituricense, an. 1584. tit. 21. *de Poenitent.* can. 2.)

Iidem (confessores), *quemadmodum a sancta Tridentina Synodo jussum est, publice peccantibus publicam poenitentiam imponant, neque illud publicae poenitentiae genus, nisi data ab Episcopo facultate, secreta alia poena commutare audeant.* (I. Mediolanense Concilium, an. 1565. Part. II. tit. 6.)

Qui a confessionibus sunt, haud potiore ratione se gerere possunt, quam ut suum quisque episcopum consulant, cum id agitur, ut publicae poenitentiae notoriis & scandalum afferentibus peccatoribus imponantur.

PECCATUM. Generatim peccatum divinae, aut humanae legis transgressio est. Omne peccatum vel originale est, vel personale. Originale, seu originis peccatum illud est, quod ab hominum primo ad omnes ejus posteros transiit, quodque nos in hanc lucem terimus, dum nascimur Dei hostes, & innocentia spoliati, qua Adam ante inobedientiam indutus erat. Illud autem personale peccatum est, quod unusquisque sua propria voluntate committit.

Personale peccatum vel actuale, vel habituale est. Actuale est actio vel omissio contraria morum regulis quas ratio, lex, conscientia dictat; habituale est macula quae per actualis peccati consecutionem in anima remanet.

Actuale peccatum mortale aut veniale est. Illud est mortale, quod animae mortem affert, dum eam privat sanctificante gratia quae in supernaturali ordine ejus vita est, & a Deo tanquam ultimo fine eamdem avertit. Illud autem veniale est, quod sanctificante gratia non privat, solummodo charitatis fervorem imminuit. Distinguuntur etiam peccata capitalia quae sunt caeterorum fons, & ea quae ex iisdem promanant; peccata propria quae quispiam perpetrat ipse, & aliena adquae operam confert; peccata commissionis, & omissionis, illa in eo posita, ut id agatur quod est vetitum, haec in eo, ut id omittatur, quod praeceptum est; peccata carnalia quae carnis voluptatibus, ut luxuria, gula, & peccata spiritalia quae spiritus voluptatibus, ut superbia, invidia continentur; peccata in Deum, in se ipsum, aut in proximum; peccata verborum cogitationis, cordis & affectionis; peccata ignorantiae, fragilitatis, malitiae, &c.

Item placuit, ut, quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur; unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur; anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt; *nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam parvuli qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.* (Concilium Milevitanum, an. 416. can. 2.)

Si quis per offensam praevaricationis Adae, non totum, id est, secundum corpus & animam, in deterius dicit hominem commutatum, sed animae libertate illaesa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus adversatur Scripturae dicenti: Anima quae peccaverit, ipsa morietur; & , nescitis, quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obeditis, & a quo quis superatur, ejus & servus addicitur? (II. Concilium Arausicanum, an. 529. can. 1.)

Si quis soli Adae praevaricationem suam, non & ejus propagini asserit nocuisse, aut certe mortem tantum corporis, quae poena peccati est, non autem & peccatum quod mors est animae, per unum hominem in omne genus humanum transiisse testatur, injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti: Per unum hominem, &c. (Can. 2.)

Hoc primorum hominum peccatum propagatione in omnes homines transire, ac secum poenam suam trahere, ut sine

natura

naturn omnes homines ira Dei, mortis & damnationis rei, & in peccatum proni; qui per libertatem arbitrii sui, quæ exigua & infirma in iis residet, nondum adjuti gratia Dei, ea quæ sunt spiritus, & ad salutem conferunt, non agnoscere, nedum appetere queunt. (Concilium Moguntinum, an. 1549. cap. 5.)

Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi iram & indignationem Dei, atque ideo mortem quam antea illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, id est, diaboli; totumque Adam per illam prævaricationis offensam, secundum corpus & animam, in deterius commutatum fuisse; anathema sit. (Concilium Tridentinum, Sess. 5. can. 1.)

Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, & non ejus propagini asserit nocuisse, & acceptam a Deo sanctitatem & justitiam quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam eum perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum quod mors est animæ; anathema sit, cum contradicat Apostolo dicenti: Per unum hominem, &c. (Can. 2.)

Si quis hoc Adæ peccatum quod origine unum est, & propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Jesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, factus nobis justitia, sanctificatio & redemptio, aut negat ipsum Jesu Christi meritum per baptismi sacramentum in forma Ecclesiæ rite collatum, tam adultis quam parvulis applicari; anathema sit: Quia non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. (Can. 3.)

Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, & non imputari; anathema sit. (Cap. 5.) *Quære* JUSTIFICATIO.

PECULIUM. *Quære* RELIGIOSI.

PELAGIANI, hæretici ita nuncupati a Pelagio eorum signifero, qui quarto Ecclesiæ sæculo in Anglia natus, monasticamque vitam suis in ædibus professus, a S. Augustino proinde *velut monachus* appellatur. Ineunte sæculo quinto Romam profectus, suos ibidem errores docuit. Roma a Gothis capta, egressus, primo in Siciliam cum Cælestio qui inter ejus discipulos primas tenebat, tum in Africam transiit. Cælestius sibi Carthagine sedem statuit, & Pelagius in Palæstinam se contulit, ubi, pietatis quadam specie, Joannis Jerosolymitani Episcopi animum sibi devinxit, suosque hominum pluribus errores persuasit. Cælestius in Concilio, an. 411. vel 412. sub Aurelio, Carthagine habito damnatus fuit; coactumque Jerosolymis, an. 415. Concilium aliud ad latinos Episcopos de Pelagii judicium remisit. Eodem aut sequenti anno, Eros Arelatensis, & Lazarus Aquisextiensis, Galliarum Episcopi duo, a Barbaris sede pulsi, Pelagium ad Eulogium, Cæsareæ Metropolitanum denuntiarunt, qui in eum Diospoli Concilium coegit; at Pelagius Concilii Patres decepit, a quibus proinde absolutus fuit. Episcopi numero sexaginta octo, ad Junium mensem an. 416. in Concilium Carthaginense congregati eum cum discipulo Cælestio damnarunt. Eodem quoque anno, secundum Milevitanum in Numidia Concilium, aliudque sequenti anno Carthagine celebratum, & e ducentis quatuordecim Episcopis conflatum damnationis sententiam in utrumque pronuntiarunt. Summus Pontifex Zosimus, qui se primum decipi passus erat, Pelagium Cælestiumque & ipse damnavit, & Milevitani Concilii decreta confirmavit. Carthaginense pariter Concilium an. 418. & Antiochenum eodem anno habitum hæreticos hos duos damnarunt. Pelagium Imperator Honorius per edictum diei 30. Aprilis an. 418. Italia expulit; qui tum quidam se in Palæstinam recepit, unde etiam expulsus fuit; quod autem deinceps ejus fatum exstiterit, prorsus latet. Pelagiani porro ejus discipuli damnati etiam fuere in generali Ephesino Concilio quod omnes clericos, Nestorianismum aut Pelagianismum, seu publice, seu privatim sectantes deposuit: *Si qui autem clericorum defecerint, & ausi fuerint vel privatim, vel publice, quæ sunt Nestorii, aut Cælestii, sapere, sancitum est a Sancta Synodo istos quoque depositos esse.* (Can. 4.) S. Germanus Antissiodori, & S. Lupus Trecarum Episcopi a cæteris Galliarum præsulibus in Angliam missi Pelagianos ea vi eoque successu impugnarunt, ut eorum facta brevi temporis spatio evanuerit. Multiplex Pelagianæ hæreseos status distinguitur. Pelagiani scilicet initio statim nullam internam gratiam admittebant, ajentes necessariam ad salutem gratiam non esse; hominem sine ea, solisque liberi arbitrii viribus a peccato cavere, ad virtutem incumbere, tandemque salutem consequi posse; ejus naturam non esse corruptam; nullum prorsus existere originale peccatum; pueros sine baptismo morientes nequaquam damnari, & quadam extra Dei regnum felicitate per omnem æternitatem fruituros. Garriebat præterea Pelagius charitatem non esse Dei donum, ad resipiscentiæ aut perfectionis gratiam comparandam, proeam necessariam non esse, quia totum id in potestate liberi arbitrii est, quo homo gaudet, & cujus ope ipse per se ad perfectionis statum pervenire potest, in quo non amplius pravis cupiditatibus, nec amplius peccato subsit. Asserebat & illud Pelagius, Adam non in originalis peccati consecutionem, sed ob puram putamque naturæ conditionem vivere desiisse. Coactus gratiæ necessitatem fateri, contendit hanc gratiam solummodo externam esse, ut Evangelii prædicationem, bona exempla, miracula; aut, siquidem internam gratiam admisit, in eam opinionem abiit, ut crederet doceretque eam non absolute necessariam homini esse, ut bonum faceret, sed solum ut illud facilius alacriusque faceret. Videri possunt S. Augustinus, *Hæresi* 88. S. Prosper, S. Fulgentius, Sanderus, *Hæresi* 99. Baronius ad an. 405. Cardinalis Norisius, in *Hist. Pelag.* P. Garnerius in Dissertationibus super Mario Mercatore; qui quidem ad usque viginti quatuor Concilia recenset, quæ de Pelagianis egerunt; Asserius in Antiquitatibus Ecclesiæ Britannicæ; Pluquetius, Tomo secundo Dictionarii Hæreseon, paginis 437. & sequentibus.

PENSIO CLERICALIS, seu ECCLESIASTICA. Nuncupatur *clericalis*, seu *ecclesiastica pensio* clerico concessum jus, ut de beneficii quod ab alio possidetur, reditibus certam quamdam portionem in perpetuum percipiat.

Certum est clericales pensiones canonibus numero pluribus vetitas esse, qui nempe mandant beneficia sine ulla diminutione conferantur.

Majoribus Ecclesiæ beneficiis in sua integritate manentibus, indecorum nimis videtur, ut minores clericorum præbendæ recipiant sectiones. Idcirco ut in magnis, ita quoque in minimis suis membris firmam habeant Ecclesia unitatem; divisionem præbendarum, aut dignitatum permutationem fieri prohibemus. (Concilium Turonense, an. 1163. can. 1.)

Districtius inhibemus, ne quis Ecclesiæ suæ renuntians, recipiat ab eo qui sibi substituitur, vicariam; cum vehementer possit præsumi, quod talia fiant per pactionem etiam turpem. Quod si ab aliquo fuerit acceptatum, & ille vicaria, & alius personatu privetur. (Concilium Oxoniense, an. 1222. can. 11.). (Per vocabulum, *vicariam*, pensionem, seu beneficii redituum portionem Concilium intelligit.)

Hi canones & ejusmodi alii qui beneficia sine diminutione conferri jubent, tanti ponderis visi sunt, ut in Epistolarum decretalium summorum Pontificum Collectione, Gregorii IX. jussu edita titulum consecrarint his verbis conceptum: *Ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur.* Harum porro constitutionum via & ratio est, rectum ordinem postulare, ut beneficium, seu omnino, seu ex parte, ab officio non separetur, & qui non seminat, alieni laboris fructum non colligat.

Dubitari tamen non potest, quin liceat Ecclesiæ, quibusdam in casibus, ab his canonibus dispensare; at materiæ gravitas effecit, ut usus ejusmodi dispensationis summo Pontifici, & quidem intra stata limites, reservaret, ex quo fit, ut pensiones sine Papæ auctoritate concessas Gallicani Cleri cœtus an. 1579. & provincialia Concilia, Toletanum an. 1565. Rothomagense an. 1581. Remense, an. 1583. Bituricense an. 1584. Aquisextiense an. 1585. Tolosanum an. 1590. illicitas & simoniacas declaraverint. Aquisextiensis Concilii canon his verbis effertur; *Omnes pensiones & pactiones super beneficiis, in quibus non intervenit Sedis apostolicæ auctoritas, illicitas & simoniacas declarantes, penitus improbamus*; quod ad eos quoque referri debet, quibus hanc facultatem Papa communicat, cujusmodi sunt legati, quamvis iis non id tribuat, ut resignationes in favorem recipiant. Episcopi ipsi, quibusdam in casibus, pensiones creare possunt, ut mox dicemus.

Non ergo licitæ sunt clericales pensiones, nisi quibusdam additis conditionibus, quæ sunt:

1. Qui eas concedit, debet esse legitimus, clericus tonsuratus, a censura & irregularitate prorsus immunis,

munis. Castellus, in suis ad canonicas definitiones Adnotationibus, in medium affert magni Consilii aresta plura, quæ nullas declararunt super beneficiis pensiones, iis a Rege concessas, qui concessionis tempore tonsurati non erant, quamvis ante bullarum in Romana curia signaturam tonsura insigniti essent. Excipiendi sunt ordines S. Lazari, Montis Carmeli, Dominæ nostræ Lauretanæ, quorum equites, e sanctæ Sedis privilegio, pensiones possidere possunt, quin tonsurati sint, atque adeo dum in matrimonii statu permanent. Ita decisum per arestum magni Consilii, die 15. Septembris an. 1683. in favorem comitis de Marsan; & per aliud ejusdem Consilii, die 23. Septembris an. 1716. quod memoratos equites in jure & privilegio turbari vetat, quo gaudent, ut vel conjugati super omnis generis beneficiis pensiones possideant, easque in matrimonii statu retineant, quas tamquam clerici tonsurati obtinuerint, aut beneficia resignantes ipsi sibi reservaverint. Arestum hoc Duperrajus, in primo super Concordato Quæstionum Tomo, cum Pauli V. & Pii V. Bullis, in ordinum, quos diximus, favorem profert.

2. Pensio justis causis nitatur, oporter, cujusmodi sunt clerici paupertas, super litigioso jure transactio, servitiorum compensatio quæ quispiam Ecclesiæ præstitit, aut præstabit; resignatio seu pura & simplex, seu permutationis causa ad Ecclesiæ utilitatem, & ut beneficiorum inæqualitas compensetur; eorum sustentationi providendi necessitas, qui ob infirmitatem, aliamve legitimam causam beneficia resignant, quin aliunde habeant, quo pro sui status ratione subsistant; si enim aliunde, vel de Ecclesiæ bonis, vel de bonis hæreditariis aut acquisitis, satis pro sui status ratione, ad vitam habent, super beneficiis quæ resignant, nullam pensionem retinere possunt, quia non ea est Ecclesiæ mens, ut super suis bonis quæ patrimonium pauperum sunt, supervacaneas pensiones concedat. Denique realе quodvis Ecclesiæ emolumentum est eidem satis propter quam pensiones concedat, iis quidem exceptis quæ *pensiones sine causa* nuncupantur, quia non ob communes causas creantur, sed ob causas extra ordinem, supraque communem omnem regulam positas. Harum pensionum sive causa, quæ super beneficiis concedebantur iis qui nunquam eorum titulares fuerant, prima vestigia perspici possunt in agendi ratione quam iniit S. Gregorius, dum mandavit Illyrici Episcopis, ut e suarum Ecclesiarum reditibus, pro Imperatoris ad eos mandato, pensionem conficerent in Episcoporum gratiam, qui Sede a communibus hostibus pulsi fuerant. Romani Pontifices, subsecutis temporibus ad opulenta monasteria preces in indigentium Ecclesiasticorum favorem miserunt; hæ preces in mandata sensim abierunt; parendum fuit.

3. Qui pensionem creat, ejus creandæ facultate polleat, oportet; hæc autem facultas omni dubio procul ad Papam pertinet, qui tamquam universæ Ecclesiæ caput, ab ejus generalibus legibus dispensandi jus obtinet. Verum ad Episcopos ne etiam pertinet facultas hæc? Theologi & Canonistæ super hac controversia scissi sunt. Ajunt alii Episcopos hac facultate gaudere in una & unica facti specie, ut beneficia scilicet suis seminariis, aliisve institutionibus Ecclesiæ utilibus uniant. DD. Agentes generalis Cleri, in sua administrationis relatione, an. 1735. edita nihil prætermiserunt, ut hanc sententiam statuerent. Non minus acriter asserunt alii, Episcopis id juris esse in aliis quoque pluribus casibus, cujusmodi sunt beneficiorum unio, aut pura & simplex dimissio, cum resignans pauper est, aut permutatio, ut permutatorum beneficiorum inæqualitas compensatur; aut transactio, aut Vicarii obeuntes Parochorum munia quibus hi per se obeundis impares sunt. Posterioris hujus sententiæ fautores inquiunt pensiones creandi facultatem, tamquam necessariam consecutionem, in ea contineri, quæ ad permutationes & dimissiones recipiendas refertur: Ecclesiæ scilicet necessitatem, vel utilitatem quæ postulat, ut ejusmodi permutationes & dimissiones admittantur, id etiam requirere, ut, pensionum ope, permutantium aut dimittentium rationibus consulatur. Ex Alexandri Papæ III. decretalibus epistolis ad Angliæ plures Episcopos missis apparet & illud eum doctum Pontificem non damnasse pensiones quas iidem Episcopi super beneficiis statuebant, quæ eorum jurisdictioni suberant. Videri possunt Epistolæ quæ afferuntur in *Appendice Concil. Later. Part. III.* atque in primis quæ ad Carnutensem Episcopum mittitur, ubi laudatus Papa ita loquitur: *Census absque episcopali auctoritate, Ecclesiæ cui præest, solutus, vitam ejus qui solverit, non excedit*. Certum est Episcopis olim pensiones super beneficiis creandi facultatem fuisse, ut Rebuffus affirmat, ac non Belgii solum, sed plurium etiam aliarum regionum Episcopos suam sibi veterem facultatem servasse, quam in singulos dies exercent, sciente & vidente Romana curia, quin hac in re quicquam comperiat, quod improbet, teste Van-Espenio, *Jur. Eccl. univ.* Part. I. sect. 3. tit. 11. *de Pensionibus eccles.* cap. 5.

Ad usum Galliæ quod spectat, Rebuffus, Fevretius, Chopinius, Lovatius, Brodeau consentiunt ejus regni Episcopis non licere pensiones super beneficiis creare; ac, si quam creare auderent, ab ea tamquam ab abusu interjiciendæ appellationi locum fore. Galliæ tamen usui adhibetur exceptio in casu permutationis inter beneficiarios duos, per Episcopi consilium & auctoritatem, non autem ad compermutantium requisitionem editæ, quia, tum quidem permutatione ad Ecclesiæ bonum spectante, major amplitudo in eo casu quam in cæteris, episcopali auctoritati tribuitur. Sed quoniam Episcopi pensiones tantum personales creare possunt, pensiones scilicet quæ non nisi beneficiarii personam afficiunt, quin ad ejus successores transeant, non id fere subit animum, et ad Episcopos confugiatur, & recta ad Papam pergitur, qui solus *reales* pensiones creandi jus obtinet, pensiones nempe quæ supra beneficium ipsum cadunt, tamquam reale onus quod eidem imponitur, quodque titularis qui beneficium permutat resignatve, omnes deinceps successores obligat. Videri in hanc rem possunt Rebuffus, *in Praxi*, Part. I. tit. *de Reservationibus tam general. quam particul.* n. 29. Fevretius in *Tractatu de Abusu*, lib. 2. cap. 5. n. 9. Chopinius, *de Sacra Polit.* lib. 3. tit. 2. n. 17. Louet & Brodeau, Littera C, n. 17. Soierius in suis ad Pastorinum Adnotationibus, &c.

4. Pensio beneficiorum residentiam postulantium reditus tertiam partem superare non debet, quin diminuatur trecentarum librarum summa quæ ab omni onere libera titulari remanebit, & quin fortuitum quod ad Parochos, & manuales distributiones quæ ad canonicos pertinebunt, in dictam summam referantur. *Dummodo tertiam partem non excedat*; est hæc solemnis clausula quam Dataria in omnibus pensionum signaturis ponit. Ejusmodi est etiam dispositio arestorum Consilii privati ann. 1639. 1643. 1666. & edicti an. 1671. Ejusmodi quoque est Parisiensis parlamenti jurisprudentia, quemadmodum probant arestum diei 9. Augusti an. 166. & aliud diei 1. Septembris an. 1764. Quoad beneficia simplicia quæ residentiam non postulant, in Gallia servatur usus Romanæ curiæ, quæ fere dimidiam resignanti concedit, atque adeo nonnunquam plus, si simplex beneficium consistoriale est, ut [illegible] Fagnanus & Sanliger, *Quæst. Benef.* Parte [illegible]. cap. 1. n. 41. Toleratur & illud in Gallia, ut alibi, Cardinales qui beneficium resignant, ex eo omnes expensas sibi reservare pensionis loco. Hæc totalis reservatio in unionis etiam casu locum habet. Titularis qui in sui beneficii unionem consentit, ejus omnes reditus sibi in alimenti modum reservare potest. Ita judicatum per aresta plura.

5. Resignari non potest beneficium quod animarum curam adjunctam habet, aut cathedralis vel collegiatæ Ecclesiæ præbenda cum pensionis reservatione, nisi titularis his beneficiis per annos quindecim deservierit, aut graviter infirmus sit, aut alia quæ ad clericalem vitam sufficiant, beneficia possideat.

6. Quamvis resignans quindecim annorum spatio deservierit, pensionem retinere non potest, cum resignat incompatibilitatis causa, videlicet, quia possidet beneficia duo quorum munia non compatiuntur, ex eo capite, quod ab eadem persona exerceri non possunt.

7. Pensio tum solum cum beneficium confertur, & per easdem provisionis litteras, regularum quidem ratione habita, creari potest; at per omnem pensionarii vitam subsistit, licet beneficium ad alium titularem migrat. Seu e pecunia, seu e fructibus constituta sit pensio, perinde est, & quod inde consequitur, reservari potest certa quædam pecuniæ quantitas. Est hæc saltem plurium canonistarum sententia, Hericurtii placito contraria, qui censet beneficii redituum partem, itemque collationes quæ ab eo pendent, pensionis loco reservari non posse.

8. Tridentina Synodus episcopatus quorum reditus non excedit ducatos mille, & parœcias quarum reditus haud supra centum ducatos est, pensionibus onerari vetat: *Omnes cathedrales Ecclesiæ quarum reditus summam ducatorum mille, & parochiales quæ summam ducatorum centum, secundum verum annuum valorem, non excedunt, nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum graventur*. Est hic Romanæ curiæ stilus, ejus decreti vi, quod in signaturis ad pensionum super parœciis reser-

reservationem poni jubet clausulam hanc: *Dummodo ex fructibus dictæ Ecclesiæ centum ducati liberi pro illius rectore annuatim remaneant*. Hanc clausulam Gallia non sequitur, sed ibidem pensiones super parœciis non tolerantur nisi sub reservatione summæ quæ ad presbyteri cui earum servitium demandatum est, honestam sustentationem sufficiens existimetur.

9. Non toleratur in Gallia Papam super laici patronatus beneficiis pensiones sine patronorum consensu creare, vel ab uno pensionario ad alium, etiam titulari consentiente, pensionem transferre; superve Ecclesiarum beneficiis pensiones statuere, quarum beneficia, peculiarium privilegiorum vi pensionibus onerari non possunt; cujusmodi sunt Ecclesiæ Antissioduni, Tonnerii, Juvis villæ, &c. vel super regni beneficia in exterorum favorem, ut alibi facit, aut in aliorum favorem quam eorum quibus in dicta beneficia jus est, licet ad id titularis assentiretur; ex quo fit, ut, si duorum titularium invicem permutantium unus pensionem supra beneficium ab eo aliud quod permutat, in alterius favorem creandam curet, pensio abusiva sit, quia compermutatio in illud beneficium nil juris obtinet. Ita judicatum per arestum parlamenti Parisiensis, die 13. Maji an. 1630. Excipiuntur beneficia consistorialia, quæ pensionibus passim gravantur ad eorum emolumentum quibus nullum in ea jus suppetit; at tum quidem opus est Regis consensu, penes quem est ad ea nominatio. Is ergo est regni mos, ut Rex super iis beneficiis pensiones reservet, per quas, cui voluerit, gratificetur; Cardinalis qui consistorialem schedulam exhibet, ei clausulam inserit: *Cum reservatione pensionis in favorem nominandæ personæ*. Id etiam moris in regno viget, ut Rex, regalia petente, super resignationibus in favorem cum pensionis reservatione beneficia conferre possit, resignatario tamen ad Romanam curiam remisso, ut juridicam pensionis confirmationem obtineat.

10. Nec magis toleratur in Gallia pensionem ab una persona ad aliam migrare, quamvis reliqua, seu elapsi census annui cedi possint. Est is etiam, inquit Pithou, e nostrarum Libertatum articulis unus: „ Sine- „ re Papam non posse, ut qui pensione suo beneficio „ creata gaudet, eam in alterum transferat, vel a par- „ tium consensu. “

11. Non recipitur in Galliis clausula, beneficiarium qui pensione gravatus elapsos census solvere statis temporibus recusaverit, *ipso facto* excommunicationi obnoxium fore, a qua non nisi in mortis articulo absolvi possit, quia ibi censuras, ut debitores ad solutionem adigantur, adhiberi non licet.

Clericalis pensio pluribus rationibus, & a pluribus causis extinguitur; 1. per pensionarii naturalem mortem; 2. per ejusdem mortem civilem, degradationi additam in regionibus ubi degradatio adhuc in usu est; & per ejus civilem tantum mortem in Gallia, ubi degradatio jampridem abrogata est. Itaque clericus pensionarius, ad triremes, vel ad exilium damnatus pensionem amittit, nec per appellationem recuperat. Ita judicatum per parlamenti Aquisextiensis arestum quod affert Pastorius, lib. 3. tit. 12. n. 20. Extinguitur pensio; 3. per matrimonium quod hominem ab ecclesiastico statu retrahens, privilegiis eidem addictis fruendi incapacem reddit; at Papa dispensationes concedere potest ad pensiones retinendas, matrimonio non obstante; 4. per religiosam professionem, in quocunque tandem ordine emissa fuerit, excepto Melitensium equitum ordine; 5. per confidentiæ crimen, e Pii V. constitutione *Intolerabilis*, quæ in Galliis recepta est; 6. per irregularitatem; 7. per beneficii redituum amissionem, aut gravem diminutionem, ex incendio, inundatione, aliave calamitate ortam; 8. per pensionis cum beneficio quod eadem gravatum est, consolidationem, quæ tum fit, cum pensionarius ipse titularis evadit; excipienda facti species in qua beneficium evictum est, quia tunc beneficium ad eum pertinuisse non censetur; 9. per redemptionem, hoc est, anticipatam solutionem pensionis ad annos plures, ut septem, aut etiam decem, annuente Papa, modo pensio clericalis tituli loco, pensionario non sit; 10. per voluntariam a pensionario editam sui juris abdicationem, tametsi nec Papæ, nec alterius superioris accedat auctoritas quæ scilicet ad hanc liberationem necessaria non est, ut vulgo docent canonistæ; 11. cum beneficiarius pensione gravatus paris valoris beneficium, cum Papæ venia, suo pensionario dat, modo non ad id per pactum expressum aut tacitum adigatur.

Gibertus esse ait credendi locum, (Institut. Ecclesiast. Tom. II. pag. 29.) omnia crimina quæ *ipso facto* beneficiis privant, in causa etiam esse, ut clericales pensiones *ipso facto* amittantur; et si textus qui de harum pœnarum prima loquuntur, posterioris nullam mentionem faciunt, id propterea fieri, quia quo tempore editi sunt, nullus erat pensionum usus. Verum hæc sententia propugnari non potest, & falsa hypothesi nititur; 1. propugnari non potest, quia repugnat effato huic, „ in pœnæ negotio, extensionem ab una ad aliam „ speciem non fieri; “ falsæ hypothesi nititur, namque clericales pensiones usui non fuisse, cum editi sunt juris textus qui certis quibusdam criminibus beneficiorum privationem addicunt. Jam inde ab an. 451. in generali Chalcedonensi Concilio clericales pensiones Ecclesia firmavit, & cum lætitia consensit, Maximum qui Antiochiæ Episcopus in Domni locum electus fuerat, huic posteriori super Antiochena Ecclesia pensionem statuere: (Actio X.) *Deprecor magnificentissimos & gloriosissimos judices, & sanctam hanc & universalem synodum, ut humanitatem exercere in Domnum qui fuit Antiochiæ Episcopus, dignemini, & statuere ei certos sumptus de Ecclesia quæ sub me est*. Est hæc Maximi ad Concilium supplex oratio, quod ejus consilium non sine acclamatione, communique voce laudavit; *Universa sancta synodus vociferata est. laudabiles merito sunt benevolentia Archiepiscopi; omnes cogitatum ejus laudamus. Hic decet ejus existimationem humanus cogitatus Pontificis. Magnificentissimi judices dixerunt: amplectente sancta synodo arbitrium Maximi, viri religiosi, Episcopi Antiochensium, quod de Domno probavit, & nos eidem consentimus, ejus arbitrio derelinquentes, quæ sunt de Domni honorificentia*. Idem Concilium, postquam in sessionibus 11. & 12. deposuit Ephesinæ Ecclesiæ arrogatos Episcopos duos, utrique pensionem designavit ab imperialibus magistratibus editam, ad aurea scuta ducenta, quæ mille sexcentas Gallicæ monetæ libras exæquant, ea nempe lege, ut designata pensio ex ejus Ecclesiæ reditibus sumeretur. S. Gregorius Magnus qui an. 590. apostolicam Sedem conscendit, mandavit & ipse, ut pensio aureorum solidorum quinquaginta super Liparensi episcopatu statueretur Agathoni qui ab eo depositus fuerat.

Nec magis extinguitur clericalis pensio per armorum gestationem, aut per pensionarii ad episcopatum promotionem, aut per resignatarii mortem; ejus enim successor hanc ei solvere debet, qui resignavit, cum Papæ rescriptum clausulam continet; *Ad quoscunque successores*.

Bullæ, pensionis creationem aut extinctionem continentes, & ad præstandum in id consensum procurationes, intra tres menses a die numerandos, quo trapezitæ expeditionem acceperunt, in qua a tergo dies ipse notari debet, insinuentur, oportet, in diœceseon tabulariis, ubi beneficia quæ subsunt pensionis oneri, sita sunt. (Editum de Insinuationibus, an. 1691. art. 17.)

Pensionarii parvum B. Virginis Officium quotidie recitare tenentur; quod si neglexerint, pro omissionis rata, ex Pii V. Bulla, 20. Septembris die an. 1571. data, pauperibus aut Ecclesiæ restituere debent; ei quoque legi eosdem Sixti V. Bulla 92. subdit, ut tonsuram & habitum clericalem deferant; ac tum quidem, perinde ac beneficiarii, gaudent fori privilegio. Impendant etiam in pauperum aut Ecclesiæ favorem, necesse est, quicquid iis a pensione reliquum fuerit, quia ejusmodi pensio, bonorum Ecclesiæ & patrimonii pauperum portio est. Cum regularis, cui monasterium pensionem contulit, forte parœciam obtinet, pensionem amittit.

Pensionarii qui post servitii annos quindecim, aut infirmitatum causa, parœcias quibus præerant, resignarunt, fere eximuntur, ne ad decimas tum ex ordine, tum extra ordinem, vel ob gratuita dona, contribuant; ad dona gratuita contribuunt cæteri. (Monumenta Cleri, T. VIII. pag. 1238. & seq.)

Si beneficii jam pensione gravati titularis illud resignare voluerit cum alterius pensionis in sui gratiam reservatione, in supplicatione quam in id Romam mittet, primæ pensionis mentionem faciat, necesse est; secus, nulla foret secunda pensio, & tamquam subreptitia spectaretur, etiamsi ambæ conjunctim tertiam reditus partem non superarent, ut docent Dumoulinius, super Regula *de Public. Resignat.* num. 279. & Fevretius, in Tractatu *de Abusu*, lib. 2. cap. 5. Cum titularis qui beneficium jam pensione gravatum resignans, ex eo sibi aliam reservet, qua solum post primi pensionarii decessum fruatur; hæc pensionis species, in Romanæ curiæ stilo, *eventitia* nuncupatur. Idem nomen, at ex contraria ratione, pensioni tribuitur, quam compermutantium unus super beneficio quod permutavit, sibi retinet, quoad alter compermutans perfecerit, ut ei beneficium conferatur, cujus reditus pensionem æquet, quam permutatio reservaverat.

Cum titularis pacificus in pensionis super beneficio quod possidet, creationem consentit, quin ulla seu permutatio, seu resignatio in favorem exstiterit; Romanæ curiæ signaturam quæ eam firmet, impetratam esse non sufficit; opus est patentibus litteris in parlamento publica auctoritate munitis, quæ, super hoc articulo, Gallicanæ Ecclesiæ libertatibus derogeet; sumendum præterea est, antequam Romam confugiatur, breve Regis diploma, vulgo *breverum*, & danda opera, ut hoc ipsum in acta referatur. In hac facti specie, officiarii Romanæ curiæ e pensionario *compensandam* exigunt, in taxa constitutam, quæ major minorve est, prout gratia quæ petitur, ordini regulisque ecclesiasticæ disciplinæ plus minusve repugnat.

Præter pensiones clericales, aliæ sunt quas laicis aut ecclesiasticis Ecclesia concedit, sed eleemosynæ tantum, aut gratificationis titulo, ob aliquod temporale servitium quod ex iis percipit. Id genus pensiones a clericalibus pensionibus discrepant, nec simoniæ materiam præbere possunt.

PENTECOSTE. Vocabulum hoc quod e græca lingua sumptum est, significat *quinquagesimam*. Hebræi designabant Pentecostes nomine festum quod die post 16. mensis Nisan quinquagesimo celebrabant, ut Dei in eorum labores & bona absolutum dominium, messium primitiis eidem oblatis, profiterentur, agerentque pro lege gratias, quam ab eo, super monte Sina, ejusmodi die, post eorum ex Ægypto exitum quinquagesimo acceperant.

Christiani quoque, quinquaginta diebus, seu septem hebdomadis e Paschate, seu resurrectione Domini, Pentecostes festum celebrant, in memoriam descensus Spiritus sancti super Apostolos discipulosque qui una Jerosolymis versabantur. Ex Ingelheimensi Concilio perspicitur, olim, in aliquibus saltem Ecclesiis, tres in Pentecoste festos dies, præter dominicum, peragi consuevisse. *Ut Paschalis hebdomada festive tota celebretur, & in Pentecosten secunda, tertia, quarta feria, non minus quam dies dominicas, solemniter honorentur.* (An. 948. can. 6.)

PEREGRINATIO, religionis gratia susceptum iter ad martyrum aliorumque Sanctorum sepulcra, ad Ecclesias, ad sacella, ad alia pietatis loca. Apud Christifideles antiquissimæ peregrinationes sunt, quandoquidem certum est, id fuisse inter eos e primis Ecclesiæ sæculis in more positum, ut undique ad martyrum aliorumque Sanctorum sepulcra confluerent; at celeberrima cæterarum erat Terræ Sanctæ peregrinatio. Cum fulgida crux in ipsa meridiana luce, Jerosolymis, Imperatore Constantino Magno rerum potiente apparuit, innumeri ex omnibus terrarum orbis regionibus peregrini ibidem aderant, qui ejus miraculi testes fuerunt; et S. Hieronymus qui Bethlehem, an. 420. supremum diem obiit, cum ibi perdiu versatus esset, nos certos facit nullo non tempore frequentissimos ex omnibus nationibus peregrinos Jerosolymis extitisse, quos inter presbyteri, doctores, Episcopi, &c. numerabantur; ut negari non possit peregrinationes ad summam antiquitatem spectare, Ecclesiæque pastorum exemplo niti. Nec magis negari potest eas rationi consonas & utiles esse, siquidem animo ad pœnitentiam, religionem, pietatem composito instituantur, deturque opera, ut omnes superstitiones, omnesque abusus qui sæpe ac sæpius eas comitantur, summo jure arceantur; cujusmodi sunt, inter alia, levitas, avocatio, licentia, proprii status officiorum contemptus, familiæ aut domestici, quibus invigilandum est, derelictio, falsa persuasio fore, ut procul dubio certa quædam pericula antevertantur, mala quæ premunt, amoveantur, denique quicquid petitum fuerit, obtineatur.

Nulla alia unquam tempore licentia sit abbatissa, vel cuilibet monacha, transfigurante se satana in Angelum lucis, quasi orationis causa, suggerente eis, Romam adire, vel alia loca venerabilia circuire. (Concilium Forojuliense, an. 791. cap. 12.)

A quibusdam qui Romam Turonumve, & alia quædam loca sub prætextu orationis inconsulte peragrant, plurimum erratur. Sunt presbyteri, & diacones, & cæteri in clero constituti, qui negligenter viventes, in eo purgari se a peccatis putant, & ministerio suo fungi debere, si præfata loca attingant. Sunt nihilo minus laici qui putant se impune aut peccare, aut peccasse, quia hæc loca oraturi frequentant. Sunt quidam potentum, qui acquirendi census gratia, sub prætextu Romani sive Turonici itineris, multa acquirunt, multos pauperum opprimunt, & quod sola cupiditate faciunt, orationum, sive sanctorum locorum visitationis causa se facere videri affectant. Sunt pauperes, qui vel ideo id faciunt, ut majorem habeant materiam mendicandi; de quorum numero sunt illi qui circumquaque vagantes, illa se purgare mentiuntur; vel qui tantum sunt vecordes, ut putent se sanctorum locorum sola visione a peccatis purgari, non attendentes, quod ait beatus Hieronymus, non Jerosolymam vidisse, sed Jerosolymis bene vixisse laudandum est.... Qui vero peccata sua sacerdotibus in quorum sunt Parochiis, confessi sunt, & ab his agendæ pœnitentiæ consilium acceperunt; si orationibus insistendo, eleemosynas largiendo, vitam emendando, mores componendo, Apostolorum limina vel quorumlibet sanctorum invisere desiderant, horum est devotio modis omnibus collaudanda. (Concilium Cabillonense, an. 813. can. 45.)

Decrevit quoque sancta synodus, ut nullus Romam eat, nisi cum licentia sui Episcopi, vel ejus vicarii. (Concil. Salisburgense, an. 1022. can. 16.)

Quia multi tanta mentis sua fallantur stultitia, ut in aliquo capitali crimine inculpati pœnitentiam a sacerdotibus suis accipere nolint, in hoc maxime confisi, ut Romam euntibus Apostolicus omnia sibi dimittat peccata; sancto visum est Concilio, ut talis indulgentia illis non prosit; sed prius juxta modum delicti, pœnitentiam sibi datam a suis sacerdotibus adimpleant, & tunc, Romam ire si velint, ab Episcopo proprio licentiam; & litteras ad Apostolicum ex iisdem.... deferendas accipiant. (Ibid. can. 18.)

Ad Dei Sanctorumque invocationem pertinet antiqua traditio Ecclesiæ de peregrinatione ad loca sancta; legimus enim Salomonem, ædificato templo, a Deo postulasse, ut alienigenæ illuc orationis ergo peregrinantes exaudirentur. Servent igitur omnes catholici ex doctrina Ecclesiæ, & auctoritate hujus synodi, hæc de peregrinationibus recte instituendis documenta. (Concil. Bituricense, an. 1584. tit. 7. de Peregrinat.)

Nemo clericorum sancta loca visitare præsumat, nisi impetrata a proprio Episcopo, aut ejus vicario in scriptis licentia. (Can. 1.)

Præmuniantur debita & integra peccatorum confessione, & Eucharistiæ sacramento, quicunque ad loca sacra peregrinantur, antequam ire aggrediantur. (Can. 2.)

Nemo ad loca sancta peregrinetur explendi ac delectandi animi causa, aut perlustrandi oppida & varia loca; sed pro peccatis emendandis, & votis adimplendis.

Qui aut voti sponsione facta, aut sola pietate ducti, peregrinationes suscepturi sunt clerici, ii ab Episcopo veniam, commendatitias litteras, sacramque benedictionem postulabunt; reversique pie ac christiane peracta via, eidem, testimonio approbando, fidem facient. (Concil. Tolosanum, an. 1590. Part. II. cap. 15.)

Hæc omnia a parochis peregrinationem ingressuri laici requirant; iisque facta in itinere confessionis, sumptaque Eucharistia, fidei plenum testimonium reduces afferant, iterumque benedictionem accipiant.

Qui peregrinationis ergo, via se se committant, quo rectius iter emetiri, optatumque finem consequi possint, diligenter confiteantur, Eucharistiam pie devoteque suscipiant, eaque omnia perficiant, quæ libro hac de re edito continentur.

Gallorum Regum sanctiones memoratis Conciliorum constitutionibus concinunt. Ejusmodi sunt, inter alias, ea quam Ludovicus XIV. die 25. Julii an. 1665. ea quoque quam idem Rex die 7. Januarii an. 1686. ea præterea quam Ludovicus XV. die 15. Novembris an. 1717. ediderunt, ejusdemque declaratio quæ ad diem 1. Augusti an. 1738. spectat.

PERJURIUM. Designatur hoc vocabulo falsum jusjurandum, juramentum contra veritatem, qui vero illud profert, perjurus dicitur. Perjurare igitur est ita jurare, ut res falsa tamquam vera affirmetur, aut revera negetur; est etiam proprium jusjurandum, seu obstrictam jurejurando fidem violare. Omne perjurium, quamvis in levi materia versetur, mortale peccatum est, quia Deum tamquam falsitatis, levis licet, testem appellare, magnum semper ejus contemptum, & gravem in ejusdem sanctum nomen irreverentiam complectitur. Perjurorum canonicæ pœnæ sunt excommunicatio, infamia, ad testimonium perhibendum, & beneficia possidenda inhabilitas, perpetua pœnitentia.

De his quoque qui jurant & perjurant in nomine Dei omnipotentis mendaciter, quod genus mali nimis prævaluisse dolemus, & de falsis testibus quorum exsecrabilis malitia usquequaque prævaluit, quod a sanctis Patribus nostris ex his definitum est, servetur; atque dura & districta pœnitentia subdantur, quamdiu in crimine manent, feras ab Ecclesia projecti; atque nomen eorum inter fideles recitandum habeant. (Concilium Tullense, an. 860. can. 3.)

Contra publice perjuros, sive convictos de perjurio, & eos qui pertinaciter in excommunicatione per sex menses permanserint.... specialem & novum canonem promulgamus;

mus; scilicet, ut nulli Episcoporum liceat hujusmodi anathematizatos absolvere, sed ad sedem Apostolicam, sicut sacrilegi & incendiarii, absolvendi mittantur. Perjuris vero, propter satisfactionem, dictam sidem in præsentia visitatoris injungantur. Si forte clerici fuerint, in utroque casu ab officio & beneficio ecclesiastico repellantur; ad quorum neutrum restitui valeant, nisi per summum Pontificem, vel ipsius legatum. (Concilium Avenionense, an. 1209. can. 13.)

Quicunque in transgressione juramenti de cætero manifeste deprehensus fuerit, in Ecclesia publice denuntietur esse perjurus. Quod si admonitus satisfacere noluerit, tunc excommunicetur accensis candelis, & pulsatis campanis, singulis diebus dominicis & festivis; & denuntietur intestabilis & infamis, & nec ad testimonium, vel ad alios actus legitimos admittatur. Et idem de falsis testibus observetur. (Concilium Narbonense, an. 1227. cap. 6.)

Si quis pejeraverit, & perjurii convictus fuerit, si clericus, deponatur; si laicus, communione privetur. (Concilium Bituricense, an. 1584. tit. 39. *de Blasphemis, Jurejurando, & Perjurio.*) *Vide* JURAMENTUM.

PERMUTATIO, in re beneficiaria, est actus quo beneficiarii duo sua mutuo beneficia commutant. Agemus, ad hoc verbum, de permutationis origine, de ejusdem objecto, de superioribus qui eam admittere possunt, de causis ob quas possunt eamdem admittere, de conditionibus formisque solemnibus, quæ eam comitari debent.

§. I.

De Permutationis origine.

PErmutatio, pro ut his quidem temporibus usui est, duodecimo tantum sæculo initium habuit. Continet hæc necessario translationem duplicem ab una Ecclesia ad aliam, censeturque interdicta per eosdem canones, qui ejusmodi translationes vetant quique intulerunt mandant, ut semper Ecclesiis addicti permaneant, quarum gratia initiati fuere: *De titulo minori ad majorem migrare nulli presbytero licitum sit; sed in eo perveniat, ad quem ordinatus est. Quod si inventus fuerit contra statuta id facere, eadem feriatur sententia, qua Episcopus, si de minore ad majorem transmigraverit sedem.* (Concilium Turonense, an. 813. can. 14.)

Aliud Turonense Concilium, an. 1163. habitum, cui præfuit Alexander Papa III. ita suam mentem aperit in primo canone: *Divisionem præbendarum, aut dignitatum permutationem fieri prohibemus*. Dumoulinius, super *Clementinis*, lib. 3. tit. 5. *de Rerum Permut.* & Acosta, super capite *Majoribus* 8. *de Præbend. & Dignitat.* contendunt hoc in canone de mutationibus tantum quas quoad beneficia quæ possidebant, beneficiarii quidam edebant, minime vero de iis quæ peragebantur, unius beneficii cum alio permutationibus seu commutationibus sermonem esse. At cum summi Pontifices, Urbanus III. ejusque proximus successor Cælestinus itidem III. eum canonem de beneficiorum permutationibus explicuerint, eorum declaratione a canonistæ turmatim secuti sunt; ad eumque se conformavit Cajetas ipse in Commentario super Decretalium libro tertio ad titulum 5. *de Præbend. & Dignit.* pag. 233. cap. 5.

Cum porro Turonensis Concilii canon de beneficiorum permutationibus explicatus fuerit, qui tamen expressis sane verbis non nisi dignitatum permutationes damnat, *dignitatum permutationem fieri prohibemus*; dubitatum proinde fuit, utrum præbendarum permutatio permissa esset. Urbanus III. qui duobus & viginti post Turonense Concilium annis sanctam Sedem conscendit, super hac quæstione consultus respondit præbendarum permutationes generatim vetitas esse, peculiariter vero, si qua pactio intervenerit, cui semper in ejusmodi negotiis inest simoniæ labes, & Episcopos, ob Ecclesiæ utilitatem, posse beneficiarios ad alia beneficia transferre: *Quæsitum est ex parte tua, si commutationes fieri valeant præbendarum, cum commutatio dignitatum in Turonensi Concilio fuerit interdicta.... generaliter itaque teneas, quod commutationes præbendarum cum de jure fieri non possunt, præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet simoniæ; si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre personas, ut qui uni loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere.*

Gregorius IX. qui an. 1227. summus Pontifex electus fuit, decretum hoc suæ Collectionis libro tertio (Tit. 19. *de Rerum Permut.* cap. 5.) insertum voluit; atque hæc summorum Pontificum decreta, Conciliorum sanctionibus addita in causa fuere, ut permutationes tamquam summopere de avaritia, de ambitione, de simonia, de beneficiorum negotiatione suspectæ spectarentur. Hæ quidem ordinariorum etiam collatorum libertatem torquent, qui digniores seligere debent, quibus beneficia conferant, eædemque occasioni sunt, ut beneficia per fraudulentas commutationes hæreditaria reddantur. Denique quicunque a pastoribus suum beneficium permutat, disrumpit, per adulterium veluti quoddam, spiritale matrimonium quod sua cum Ecclesia contraxit, violatque canonicas leges quæ semper clericorum stabilitatem in sedibus postularunt, quas iis divina Providentia designavit.

Postquam permutationum usus statutus fuit, Episcopi non defuere, qui contenderent sibi licere quoad permutata beneficia perinde agere, ac quoad ea quæ per simplices dimissiones in eorum manibus reponebantur; & hoc fundamento eixi aliis ea quam permutantibus conferebant. Eorum ausum damnavit Clemens V. & provisiones super resignatione, permutationis causa, in aliorum quam permutantium favorem expeditas, nullas & irritas declaravit. Refertur ejus decretum in Clementinis, tamquam editum in Concilio, Viennæ, Allobrogum in Delphinata, an. 1311. habito, cui ipse præfuit: *N concessione juris utentibus, præsertim circa spiritualia, illudatur, si qua beneficia ex causa permutationis resignata aliis quam ipsis permutare volentibus conferantur, nullius hoc esse voluimus firmitatis.* (Lib. 3. tit. 5. *de Rerum permut.*) Hoc Clementis V. decretum permutationum admissionis tamquam coactæ & necessariæ spectandæ occasionem præbuit; ut proinde communis opinio sit Metropolitanorum collationes, permutationis causa, super ordinariorum recusatione peractas recipi debere. Videtur tamen magis disciplinæ puritati, æque atque Ecclesiæ menti sectoque ordini consentaneum, ut permutationes, quod Episcopos saltem spectat, tamquam voluntariæ collationes spectentur. Addi & illud potest, jurisprudentiam quæ permutationum admissionem tamquam coactam spectat, evertere indultariorum & graduatorum privilegium, itemque collatorum patronorumque ecclesiasticorum jura, nec alia de causa inductam fuisse, quam ut in generalis boni Ecclesiæ præjudicium, privatis hominibus faveretur. (Monumenta Cleri, Tom. X. p. 1718. & seq.)

§. II.

De Permutationis Objecto.

OBjecti nomine, quod permutatio propositum habet, intelliguntur beneficia ipsa quæ permutari possunt. Beneficii ergo cum beneficio permutationem ab iis fieri necesse est, qui habent, quod ajunt, *jus in re, non jus ad rem* solummodo. Id quod dicitur *jus in re*, per collationem acquiritur, cum concessæ provisiones suppetunt; tum quidem provisus dicere potest se titulum habere, & quod inde consequitur, jus quod ei titulus tribuit in beneficio, tametsi jus hoc ipsum litigiosum sit, cum alio beneficio permutare, litigium tamen exprimens, potest, cum, siquidem tantummodo jus remotum ad beneficium, *jus ad rem*, haberet, ut præsentatus a patrono, cujus præsentatio ordinarii aures non percellit, graduatus qui solum requisivit, &c. nec permutare, nec resignare beneficium posset, quia id nihil est aliud quam ad obtinendas beneficii provisiones pura putaque præparatio, non autem, per canonicum titulum, in beneficio acquisitum jus.

Caput, *Majoribus* 8. *extr. de Præbend. & Dignitat.* a permutatione arcet cathedralium & collegialium ecclesiarum dignitates, tamquam beneficia quæ majores quam cætera qualitates postulant, quæque, ob hanc causam, nonnisi a canonicorum electione, vel ab Episcopi delectu pendere debent. At usus pervicit, & omnia beneficia, seu dignitates, seu alia sint, permutari possunt, ea ipsa quæ ad laicum patronatum pertinent, cum expresso patronorum consensu, quæque in ecclesiastico patronatu posita sunt, invitis etiam renuentibusque patronis, dummodo superior ecclesiasticus permutationem approbet.

Unum hoc & unicum permutationis objectum est: ei locus esse non potest nisi quoad beneficia ex utraque parte; ex quo fit, ut beneficium permutari non possit seu cum jure patronatus, seu cum capella cui *præstimonii* nomen tribuitur, quæque ab Episcopo in beneficii titulum erecta non est, seu cum expectativa, seu cum collegii mansione, cum principalitate, cum clericali pensione; quamvis enim clericalis pensio non amplius tamquam jus redituque mere temporalis spectatur, & quodammodo ad spiritalem naturam redacta fuerit, postquam Pius V. per Bullam, *Ad perpetuam*,

quæ

quæ in Galliarum regno recepta est, parvi B. Virginis Officii recitandi obligationem eidem addixit; nihilominus inter pensionem & beneficium semper essentiale discrimen interest, in eo positum, quod beneficio sancta & spiritalia munia sunt, tam intime annexa, ut ab eo sejungi non possint, quin funditus evertatur.

§. III.

De Superioribus qui Permutationem admittere possunt.

Beneficiorum titulares non eo jure gaudent, ut beneficia quæ possident, sua ipsi auctoritate permutent; solum inire possunt inter se permutationis consilium, illudque approbandum admittendumque superioribus præsentare.

Cum permutationes in Ecclesiam induci cœperunt, eas Episcopi tantum admittere poterant; & Burdigalense Concilium, an. 1624. vetus hoc Episcoporum jus excitare studuit, omnes permutationes quæ sine eorum consensu fierent, nulles declarans: *Nec secus de resignationibus ex causa permutationis factis judicamus; sed ea omnia ad Episcopum duntaxat pertinere, exclusis aliis omnibus, edicimus. Quare si quid contra eadem actum fuerit, invalidum sit & inane.* Non impedit tamen tam expressa interdictio, quin ea universim jurisprudentia in Galliis obtineat, ut omnes collatores, etiamsi nulla jurisdictione pollerent, beneficiorum ad eorum collationem pertinentium permutationes admittant. Itaque superiores qui beneficiorum permutationem admittere possunt, sunt Papa, legatus aut pro-legatus, quam late patet ejus legatio, Episcopus, magnus Vicarius, per Episcopi peculiarem facultatem, & non aliter cathedralis Ecclesiæ capitulum, episcopali Sede vacante, Abbates ordinum capita, quoad sui ordinis beneficia, &, in Gallia quidem, collatores ordinarii. Van-Espenius nos certos facit, (*Jur. Eccl. univ. Tom. I. p. 812.*) in Leodiensi diœcesi, collatores plures, Episcopis inferiores in eodem ac Gallos usu esse quoad beneficia quorum collatio ad eos pertinet; atque præterea, tametsi collatores, Episcopis inferiores in Belgio permutationes suscipere nequeant sine peculiari titulo qui hanc facultatem iisdem tribuat, eos tamen, cum de beneficiorum permutatione agitur, quæ in eorum collatione posita sunt, appellari & audiri oportere.

Redactor Monumentorum Cleri (Tom. X. p. 1745. 1746) collatoribus admittendæ beneficiorum ad eorum collationem spectantium permutationis libertatem usu concessam putat, *cumulative* cum Episcopis, non *exclusive*, ita scilicet, ut beneficiarii qui sua beneficia permutare volunt, promiscue seu ad Episcopos, seu ad collatores inferiores pergere possint. Si beneficiarii duo sua beneficia, ab exempti capituli collatione pendentia permutare voluerint, capitulum vero permutationem admittere noluerit, Episcopum adire possunt, qui, devolutionis jure, tum quidem congruas validasque provisiones tribuit. (*Ibid.* p. 1724. 1725.)

§. IV.

De causis, propter quas admitti potest permutatio.

Præcipuæ causæ necessariæ, ut beneficii permutationem admitti liceat, sunt necessitas, vel utilitas Ecclesiæ; spiritale bonum tum generale, tum particulare; minime vero superbia, ambitio, lucri cupiditas, fraudibus & simoniacis pactionibus addita; quamobrem Concilia damnant permutationes quæ *triangulares* vocantur, pacto videlicet continentur, per quod inter permutantes convenit, ut permutatorum beneficiorum unum tertio tribuatur, aut permutantium unus aliud huic tertio tribuant: *Permutationes beneficiorum quas vocant triangulares, & simplices resignationes in favorem tertii, cum clausula,* non aliter, neque alias, *improbat hæc Synodus, easdemque fieri deinceps prohibet.* (Concilium Mechliniense, an. 1607. tit. 19. cap. 6.) Ejusmodi permutationes, in Gallia, *tamquam* simoniacæ damnarentur inquiunt Dumoulinius, Rebuffus, Pastor, Hericurtius, omnesque accuratiores auctores Galli. Bonifacius, Tom. I. lib. 2. tit. 26. Provinciensis parlamenti arestum, postrema Junii die editum affert, quod hujus generis *permutationem* damnat.

§. V.

De Permutationis conditionibus, formisque solemnibus.

Ut canonica & regularis sit permutatio, pluribus sane conditionibus, formisque solemnibus opus est.

1. Penes permutantes sit, oportet, beneficiorum quæ permutare volunt, libera dispositio, &, quod inde fit consequens, laicorum patronorum consensus qui si desit, permutatio nulla est, ex declaratione an. 1678. quam omnia Galliarum tribunalia sequuntur. Necessarius non est Regis consensus quoad beneficia quæ in ejus dispositione sunt, quorumque ipse permutationem admittit. Beneficiarius in quem captura decreta est, aut qui per simoniacam rationem in beneficium irrepsit, illud permutare non potest.

2. Ab omni illicita & simoniaca conventione quæ temporale & pretio æstimabile aliquod emolumentum propositum habet, immunis esse debet permutatio.

3. Ad effectum utrinque redigi permutationes, & provisiones ante decessum unius e permutantibus, siquidem contigerit, expediri debent. (Artic. 14. declarationis diei 9. Julii an. 1646.) Cum permutationes in Romana curia fiunt, censentur effectum sortitæ per provisiones quas duobus permutantibus Papa concedit, licet iis Episcopus litteras *visa* dictas negaret. Tenetur permutantium uterque perficere, ut alter permutato beneficio fruatur, atque adeo litem, permutationis tempore inchoatam suis impensis prosequi, ac de eventu spondere; hic autem si forte possessor deinde pervicerit, permutationis abrogationem petere potest, ut, quin novas provisiones sumat, in suum vetus beneficium redeat; quod ipsum facere potest, si a compermutante deceptus fuerit.

4. Procurationes ad resignandum, seu pure & simpliciter, seu in favorem, seu permutationis causa, insinuentur, oportet, liberis diebus duobus ante resignantis, aut permutantis decessum, quin insinuationis & decessus dies numeretur, in nullitatis pœnam; ita in articulis 9. 10. & 13. edicti de Insinuationibus, an. 1691. Eædem apud Notarium regium apostolicum, coram testibus duobus, quibus requisitæ qualitates insunt, transigi debent.

5. Potest quisque permutationem suam revocare, dum in Romana curia nondum admissa est, quibusque permutantibus in hac curia provisum est sex tantum menses suppetunt, ut possessionem ineant. Ab aliis curiis provisi uno tantum mense gaudent, & collatores de beneficiis statuere possunt, si compermutantes, quin possessionem ineant, id temporis elabi sinant.

6. Permutationis actus compermutantium nomina & cognomina continere debet; at necesse non est, ut procuratoris nomen in procuratione ad resignandum aut permutandum exprimatur, quia e præsenti usu procurationes ad resignandum aut permutandum in ordinariorum manu spectari videntur tamquam veræ resignationes aut dimissiones, quod ad resignantes ipsos in hujus generis actis attinet, & quia actu hæc procurationis in modum edendi ratio nihil aliud quam stilus est, in quo nihil essentiale occurrit præter clausulas, quæ resignantium voluntates constantes reddunt. (Monum. Cleri, Tom. X. pag. 1748. & seq.) Secundum hæc eadem Monumenta, *ibid.* ad provisionum validitatem super permutationibus quæ Parisiis initæ fuerint, in Episcoporum collatorum manu, qui ibi extiterint, non est necesse, ut hæc acta apud publici fori notarium transigantur; ad id sufficit ab Episcoporum collatorum secretariis facta expeditio, quia distinguendum est id quod ad partes ipsas resignantes aut permutantes, & id quod ad Episcoporum ministerium spectat. Edictum mensis Decembris an. 1691. quod notarios regios apostolicos creatos vult, aliudque mensis Februarii, an. 1693. partibus eam quidem legem imponunt, ut acta quibus afficitur earum res, apud Notarios regios apostolicos edant; at non eidem obligationi subdunt Episcopos, ut nempe notariis utantur ad acta quæ ad eorum ministerium spectant.

7. E jurisprudentia quæ a sæculo & amplius statuta est, inquit Redactor Monumentorum Cleri, (Tom. X. p. 1755.) si permutantes duo provisionibus in Romana curia impetratis clausulam, *sive quoquo modo vacet beneficium, sive per obitum,* &c. inserendam curassent, & permutantium unus occubuisset, antequam cursor Romam perveniret, qui tamen eo pervenisset, antequam ordinarius conferret, aut patronus ecclesiasticus præsentaret, permutantium superstes jus haberet ad beneficium quod ei permutationis vi cessum esset.

8. In permutationibus apud Papam editis non est necesse, ut beneficiorum quæ possidentur, numerus exprimatur. Nec magis requiritur, hac expressio ob beneficia consistorialia ad quæ Rex nominat, quia non adest hac in re nominati impetratio; Rex nempe gratiam largitur, & in brevi diplomate ipse unus loquitur. (Monumenta Cleri, Tom. XII. p. 953. & seq.)

9. Cum permutatio regaliæ tempore edita nulla sit, quia a Rege admissa non fuit, permutantes qui egerunt bona fide, beneficiorum quæ permutaverant, possessionem, per regressum, recipiunt. Ita judicatum in parlemento Parisiensi per arestum diei 2. Januar. an. 1691.

10. Consistorialium beneficiorum permutatio fieri non potest nisi in regia manu, qui brevi diplomate permutantibus dat, ut a summo Pontifice Bullas obtineant, prout in concordato statutum est.

11. Cum beneficia quæ permutari lubet, e pluribus collatoribus pendent, eorum quisque super dimissione, permutationis causa, beneficium confert, de quo disponendi jus habet; aut collatorum unus alteri facultatem tribuit, ut duorum beneficiorum provisiones det.

12. Si collatorum unus provisiones dare renuit, permutatio corruit ipsa per se, & titularium quisque jus servat, quo in suum beneficium gaudebat.

PERSECUTIO. Occurrunt in Conciliis statuta plura quæ clericos persecutione vexatos, suisque ex Ecclesiis pulsos, aut deserere bellorum causa coactos spectant.

Osius Episcopus dixit; suggerente fratre & Episcopo nostro Olympio, hoc etiam placuit, ut, si aliquis vim perpessus est, & inique pulsatus pro disciplina, vel catholica confessione, vel defensione veritatis, fugiens pericula, innocens & devotus ad aliam venerit civitatem, non prohibeatur immorari, quamdiu aut redire potuerit, aut injuriam ejus remedium acceperit. Durum est enim, qui persecutionem patitur, non recipi. Etiam & larga benevolentia & humanitas ei exhibenda. (Concilium Sardicense, an. 347. can. 21.)

Clericum inter tentationes officio suo incubantem, gradibus sublimandum. (Concilium Carthaginense, an. 398. can. 42.)

Clericos in suis Ecclesiis constitutos, sicut jam definivimus, non licere in alterius civitatis Ecclesiis ordinari; sed acquiescere in ea, in qua ab initio ministrare meruerunt; exceptis illis qui proprias amittentes provincias, ex necessitate ad aliam Ecclesiam migraverunt. (Concilium Chalcedonense, an. 451. can. 20.)

Clericos in Ecclesia ministrantes, sicut jam constituimus, in alterius civitatis Ecclesiam statutos fieri non oportet, sed contentos esse, in quibus ab initio ministrare meruerunt, exceptis illis qui proprias amittentes provincias, ex necessitate ad aliam Ecclesiam transierunt. (Concilium Aquisgranense, an. 816. can. 87.)

PERSEVERANTIA FINALIS, christiana virtus quæ efficit, ut ad finem usque in salutis via persistatur. *Quære* JUSTIFICATIO, PRÆDESTINATIO.

PERSONATUS. *Quære* BENEFICIUM, §. XI.

PETROBUSIANI. *Quære* PETRUS de BRUYS.

PETRUS de BRUYS, homo laicus in Delphinatus montibus natus, prodiit sub annum 1125. in Occitania, suos errores ubique disseminans; videlicet, non oportere infantes baptizari, quia baptismus iis omnibus inutilis est, qui eum suscipientes, fidei actum edere nequeunt, & reapse non edunt; Eucharistiam nihil esse, & sacrificii materiam esse non posse; Ecclesias dirui oportere; superstitionem enim esse credere Deum uni magis loco quam altari addictum esse; non oportere ejus laudes cani; cruces, utpote Servatoris passionis & mortis horrendæ instrumenta frangi & comburi debere; sacrificia, preces, eleemosynas, & omnia bona opera mortuis inutilia esse. Petrus de Bruys provincias percurrebat, Ecclesias devastans, cruces dejiciens, altaria evertens. Eum sancti Ægidii, in Occitania, incolæ retinuerunt & vivum flammis dederunt, sub annum 1146. Hominem hunc Protestantes tamquam sanctum reformatorem, suorumque Patriarcharum unum suspiciunt. Petrus Venerabilis, Cluniacensis abbas, & S. Bernardus eum impugnarunt. Eumdem generale Lateranense Concilium, an. 1139. damnavit, eademque damnatione involvit ejus discipulos, Petrobusianos dictos, quin tamen eos nominaret, per 23. canonem qui his verbis conceptus est: *Eos autem qui religiositatis speciem simulantes, Domini Corporis & Sanguinis sacramentum, baptisma puerorum, sacerdotium & ceteros ecclesiasticos ordines, & legitimarum damnant fœdera nuptiarum, tamquam hæreticos ab Ecclesia Dei pellimus, & damnamus, & per potestates exteras coerceri præcipimus; defensores quoque ipsorum ejusdem damnationis vinculo innodamus.* Perspicitur ex hoc canone alios quoque ejus ætatis hæreticos a Concilio damnari, qui in matrimonium, in sacerdotium, & in cleri ceteros ordines invehebantur.

PETRUS FULLO, Patriarcha Antiochenus sæculo quinto, hæreticorum qui *Theopaschitæ* dicti, signifer fuit. Vide *Theopaschitæ*.

PHOTINIANI, veteres hæretici qui Christi Domini divinitatem negabant. Photinus, eorum caput, Ancyræ in Galatia natus erat, & Sirmii in Pannonia Episcopus fuit. Cum Marcello Ancyrano cujus discipulus fuerat, propugnabat Verbum non nisi attributum quoddam esse, ejusque hypostaticam cum humana natura unionem negabat. Asserebat etiam, cum Paulo Samosateno, Jesum Christum esse verum quidem hominem, et non Deum, ac tum solum fuisse Christum, cum Spiritus Sanctus in eum baptismatis die descendit. Enuntiavit, sub annum 342. qui ei peculiaris & proprius error est, Deum immensum non esse. Damnatus fuit a Mediolanensi Concilio, an. 347. vel, ut P. Mansi putat, 346. celebrato, depositusque ab Arianis in Concilio quod Sirmii, an. 351. vel, si P. Mansio fides, 358. habuerunt. Actus deinde fuit in exilium sub Constantio, & sub Juliano revocatus. Rursus a Valentiniano relegatus, tandem an. 376. e S. Hieronymi chronico, in Galatia mortem occubuit.

PHOTIUS, Constantinopolitanus Patriarcha sæculo nono, & Græcorum schismatis auctor, erat Tarasii Patriarchæ pronepos, patricii Sergii frater, Imperatoris consobrinus. Operæ multum contulit, ut animum ad magna & sublimia a natura factum excoleret; eum vehemens gloriæ cupiditas adigebat, ut in studiis noctes insumeret; qui proinde in omni scientiarum genere adeo strenuus evasit, ut tamquam omnium ejus ætatis superiorumque sæculorum doctissimus spectaretur. Ex alia parte, eloquentia, prudentia dexteritasque in agendis negotiis ei multum inerat; quapropter, natalibus, mentis vi, scientia, ingenio ad regimen io ao conjunctis, se ipse quamprimum ad præcipua munera evectum vidit. Creatus fuit Imperatoris excubiarum dux, ad Persarum Regem orator, ac deinde regius secretarius. Postremum hoc officium obibat, cum, sancto Ignatio per impium Bardasium, Imperatoris Michaelis III. patruum e Constantinopolitana sede pulso, se Patriarcham eligendum, etsi laicus tantum esset, & a Gregorio Syracusano consecrandum, die 25. Decembris an. 857. vel 858. curavit. Perficere etiam potuit, quæ ejus erat existimatio, ut in trecentorum octodecim Episcoporum Concilio, an. 861. Constantinopoli celebrato ejus ordinatio approbaretur, in alioque Concilio Nicolaus Papa I. qui eam improbaverat, damnaretur. Imperatore Michaele qui ei favebat, an. 867. vita functo, Basilius, ejus successor S. Ignatium restituit, & Photium expulit, qui in octavo generali Concilio, an. 869. depositus etiam & anathemate perculsus fuit. Cum vero deinde Photius cum Imperatore Basilio in gratiam rediisset, id assecutus est, ut in eamdem sedem, post S. Ignatii mortem restitueretur; e qua rursus an. 886. pulsus ab Imperatore Leone Basilii filio, aliquanto post in quodam Armeniæ monasterio, quo relegatus fuerat, e vita migravit. Arrogatæ causæ quibus usus est insignia hic veteritur, ut Græcam Ecclesiam a Latina Ecclesia divideret, expressæ sunt in encyclica Epistola quam ad Orientales misit, & sabbati jejunium apud Romanos præceptum, lactaria & caseum, quadragesimali tempore, comedendi venia, presbyterorum cælibatus, & particula Filioque, significandi gratia Spiritum sanctum a Patre & Filio procedere, ad Symbolum additione continentur. Photii posterius exilium Romanam inter & Constantinopolitanam Ecclesias communionem redintegravit. Judicium quod octavi œcumenici Concilii, an. 869. can. 16. Constantinopoli habiti Patres in celebrem hunc schismaticum pronuntiarunt, ejusmodi est: *Quoniam quidam apparuit Photius post prolatam contra se justissimam sententiam, & damnationem a sanctissimo Papa Nicolao propter iniquissimam invasionem Constantinopolitanorum Ecclesiæ, cum aliis malis operibus suis, etiam quosdam nequam & adulatores de plateis & vicis invenisse, & vicarios hos sanctissimarum trium patriarchalium sedium Orientis nominasse ac proposuisse; atque cum his Ecclesiam malignantium, & Concilium vanitatis colligens, depositarias accusationes & crimina contra beatissimum Papam commovisse, & anathemata precaciter & audacter contra eum & cunctos communicantes ei sæpe promulgasse; quorum quasi monumentorum libros nos quoque vidimus, ab ipso, maligno opere ac fallaci dictatione confictos, qui etiam synodico ab igne consumpti sunt. Hujus rei gratia, pro cautela ecclesiastici ordinis, anathematizamus quidem primitus prædictum Photium etiam propter hujuscemodi cau-*

fam; acinde vero & omnem qui amodo in calliditate fraudulenter egerit, & verbum veritatis adulteraverit, & falsos vitatos simulaverit, vel libros dictatos mendaces finxerit, & ad propriorum favorem veterum commentator fuerit; quemadmodum & fortissimus pietatis assertor Martinus, sanctissimus Papa Romanus tales synodice populit.

PILEOLUS, GALERICULUS. *Vide* MISSA.

PLACITA. Ita nuncupabantur publicæ audientiæ quas in consueto justitiæ cursu judices exhibebant, seu justitiæ consueti cœtus, distincti a cœtibus, seu conventibus extra ordinem, qui *Censessus* appellabantur. Ex abusu qui olim valde communis erat, judices in Ecclesiis, itemque festis & dominicis diebus suas absque ullo scrupulo audientias habebant; eaque de causa jam multi canones placita in Ecclesiis, festisque & dominicis diebus haberi vetant; nec desunt, qui prohibeant, ne eadem jejunii diebus, aut in cœmeteriis, aut in monasteriis, aut in Ecclesiarum & presbyteriorum ingressu habeantur.

Ut missi nostri per singulas parochias Comitibus & reipublicæ ministris ex banno nostro præcipiant, ut nulla vel placita in exitibus & in atriis Ecclesiarum, & presbyterorum mansionibus, neque in dominicis vel festivis diebus tenere præsumant. (Concilium Suessionense, an. 853. cap. 7.)

Ut missi nostri Comitibus & omnibus reipublicæ ministris firmiter ex verbo nostro denuntient atque præcipiant, ut a quarta feria ante initium Quadragesimæ, nec in ipsa quarta feria, usque post octavas Paschæ, mallum vel placitum publicum nisi de concordia & pacificatione discordantium tenere præsumant; simili tor etiam a quarta feria ante Nativitatem Domini usque post consecratos dies observent, nec non & in jejuniis quatuor Temporum, & in Rogationibus simili observatione eosdem feriatos dies venerari omnino studeant. (Cap. 8.)

Animadversione dignum est, Regem Carolum Calvum qui Suessionensi Concilio intererat, in his Capitularibus loqui, quæ canones a Concilii Patribus editos subsequuntur, & quorum decimum ita habet: *Et ut in locis sacratis, diebus dominicis, vel aliis solemnitatibus, judicia publica non exerceantur; neque enim fas esse, ibi reos puniri, ubi respectu divinæ reverentiæ misericordiam consensu fidelium consequuntur.*

Cum religiosarum personarum & monasteriorum quietem prælati debeant procurare, ut ipsi religiosi in contemplatione manentes, divina possint liberius inservire majestati; & canonica statuta sequentes, districte præcipimus & mandamus prælatis, & omnibus clericis & laicis universis, ne infra basilicas, vel claustra regularium conventualium, litigare præsumant, vel aliquatenus audire litigantes. Quod si facere præsumpserint, postquam istud præceptum eis fuerit publicatum; nos transgressores dicti præcepti sub districta ponimus sententia interdicti. *Vide* CŒMETERIUM, ECCLESIA.

PNEUMATOMACHI, veteres hæretici ita nuncupati, quia Spiritus sancti divinitatem negabant. A primo Constantinopolitano generali Concilio cum Eunomianis, Arianis, Macedonianis, aliisque hæreticis an. 381. damnati fuere.

PŒNÆ, Canonistæ distinguunt pœnarum genera duo; ut aliæ spirituales sint, ut preces, censuræ ecclesiasticæ; temporales aliæ, ut eleemosynæ, mulctæ, flagellum, triremes, exilium, &c. E communi jure quod in Italia servatur, Ecclesiæ judex easdem pœnas quas judex sæcularis, si mors & mutilatio excipiantur, mandare potest; ut proinde possit virgis, candentisque ferri notæ subdere, in exilium pellere, bonorum proscriptionem pronuntiare, ad carcerem, ad quæstionem, ad triremes, ad damna & lucra, ad mulctam seu honorificam, seu pecuniariam, ad impensas damnare, infamia notare &c. At in Gallia, ecclesiasticus judex pene nonnisi puras putasque pœnitentias, eleemosynam, jejunium, preces, in seminarium aliamve ecclesiasticam communitatem recessum mandare potest. Quempiam tamen beneficio privare potest, & ad alia possidenda inhabilem reddere, a susceptis ordinibus deponere, & ad superiores ordines viam intercludere, ejusplam mandare, ut ad prætorii audientiam veniam petat. *Quære* MULCTA.

PŒNITENTIA. Vel tamquam peculiaris virtus, vel tamquam novæ legis sacramentum pœnitentia spectari potest. Tamquam virtus spectata pœnitentia est de patratis peccatis dolor, additus emendationi vitæ, firmoque divinæ justitiæ pro injuria per peccatum eidem illata satisfaciendi proposito. Pœnitentia tamquam novæ legis sacramentum spectata, sacramentum est a Christo Domino institutum ad peccata post baptismum perpetrata contritis, confitentibus, & satisfacere statuentibus remittenda, sacerdotis ministerio qui ad id necessaria jurisdictione pollet.

Pœnitentia tamquam virtus semper ad peccatorum remissionem necessaria fuit, & Pœnitentiæ sacramentum *in re, vel in voto saltem implicito*, non minus & ipsum ad omnia mortalia post baptismum edita peccata remittenda necessarium ab institutione fuit. Remota, externa, & ut vocant, objectiva hujus sacramenti materia sunt omnia peccata post baptismum commissa; ejusdem materia proxima continetur pœnitentis actis quæ sunt confessio, contritio & satisfactio, cum hoc tamen discrimine, quod confessio & contritio sunt Pœnitentiæ sacramenti essentiales partes, cum satisfactio sit solum integrans ejusdem pars. Ejus forma posita est in absolutionis verbis quæ clare hujus sacramenti effectum exprimunt, omnium scilicet seu mortalium seu venialium peccatorum remissionem, & quoad culpam, & quoad æternam pœnam, & quoad temporalis pœnæ partem, quoties cum sincero dolore ad illud acceditur. Hujus sacramenti minister est solus sacerdos valide ordinatus, & legitime approbatus ab ordinario qui ei jurisdictionis ad absolutionis validitatem necessariæ potestatem tribuit. *Quære* ABSOLUTIO, APPROBATIO, CONFESSARIUS, CONTRITIO, CASUS RESERVATI, JURISDICTIO.

Usu olim erat in Ecclesia triplicis generis pœnitentia, videlicet occulta, solemnis, & publica. Occulta pœnitentia privatim peragebatur, ut etiamnum e confessarii mandato peragitur. Solemnis pœnitentia certis quibusdam cæremoniis, & per certos quosdam deinceps gradus qui *plorantium*, seu *flentium*, *audientium*, *prostratorum*, & *consistentium* erant, edebatur; solemnis pœnitentia in eos quatuor ordines seu gradus tribuebatur, in quibus peccatores pœnitentes qui eidem subdebantur, plus minusve temporis insumebant pro ipsorum fervore, & pro variis Ecclesiarum usibus, quæ solemnem pœnitentiam adoptaverant. Itaque omnis pœnitentia solemnis erat publica; at non omnis publica pœnitentia solemnis erat. Canonibus ad pœnitentiam & pœnitentes spectantibus Concilia referta sunt.

Ut pœnitentibus, secundum peccatorum differentiam, Episcopi arbitrio, pœnitentiæ tempora decernantur. (Concilium Carthaginense, an. 397. can. 31.)

Ut sacerdos pœnitentiam imploranti, absque personæ acceptione, pœnitentiæ leges injungat. (Concil. Carthaginense, an. 398. can. 74.)

Pœnitentes qui in infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint. (Ibid. can. 77.)

Pœnitentes qui attente leges pœnitentiæ exsequuntur, si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur. (Ibid. can. 79.)

Pœnitentiæ satis locus omnibus pateat, qui conversi errorem suum voluerint confiteri; quibus, perspecta qualitate peccati, secundum Episcopi æstimationem, erit venia largienda. (Concilium Andegavense, an. 453. can. 12.)

Si quis vero post acceptam pœnitentiam, sicut canis ad vomitum suum, ita ad sæculares illecebras, neglecta quam professus est, pœnitentia, fuerit reversus, a communione Ecclesiæ, vel a communione fidelium extraneus habeatur, quo facilius & ipse compunctionem per hanc confusionem accipiat, & alii ejus terreantur exemplo. (Concil. Turonense, an. 461. can. 8.)

Pœnitentes, tempore quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum, & cilicium super caput a sacerdote, sicut ubique constitutum est, consequantur. (Concil. Agathense, an. 506. can. 15.)

Postremo igitur (sicuti nova adinventio, juxta placitum scilicet propriæ voluntatis suæ, nunc plurimis periculosa consuetudo est) non sic eleemosyna porrecta ad minuendam, vel ad mutandam satisfactionem per jejunium, & reliqua expiationis opera, a sacerdote Dei pro suis criminibus jure canonico indictam; sed magis ad augmentandam emendationem suam, ut eo citius placetur divina indignationis ira quam suis provocavit sibi propriis meritis. Et inter hæc sciat, quod quanto magis inclyta (illicita) perpetravit, tanto magis ab licitis se abstinere debet; & quanto majora mala fecit, tanto majores fructus bonorum operum exhibere Deo debet, & non alia per alia quælibet omittere, vel imminuere bona debet. Nam bonum est omnino psalmodia insistere; bonum est genua sæpius vermi flectere intentione; bonum est quotidie eleemosynas dare; sed pro his non est abstinentia remittenda, non est jejunium impositum semel juxta Ecclesiæ regulam, sine quo non remit-

ten-

tuntur ulla peccata, relaxandum. Sed & hæc & his similia sunt argumenta ad majorem expiationem peccatorum; quia necesse est, ut caro quæ nos laeta per inconcinnitatem traxit ad culpam, afflicta per jejunium conducat ad veniam. (Concilium Cloveshoviense, an. 747. can. 26.)

Si sub tunicis nostris, id est, intra corpora nostra, habemus conscientiam malam, de rapinis, de avaritia, quæ est idolorum servitus, de luxuriis, de invidia, de fraternis odiis.... & de cæteris criminibus ac peccatis, expurgemus illa mala per puram confessionem, & per bonam devotionem, & per lacrymas, & per eleemosynas & dignas satisfactiones.... quia sicut sanctus Augustinus dicit exponens sententiam Apostoli, peccata sive parva, sive magna impunita esse non possunt, quia aut ab homine pœnitente, aut a Deo judicante plectuntur; cessat autem vindicta divina, si conversio præcurrat humana. Amat Deus pœnitentibus & confitentibus parcere, & se judicantes non judicare. Et post jejunium, & dignos pœnitentiæ fructus, & professionem, quod ab istis malis, in quibus hactenus versati sumus, nos de cætero abstinere debeamus; quia pœnitentiam vere agere est commissa plangere, & iterum plangenda declinare, mutata in mente malignitate in benignitatem.... Nullus autem de iniquitatum suarum immanitate desperet; tantum ex toto corde convertatur ad Dominum. Veneniosas namque Ninivitarum culpas triduana pœnitentia abstersit; & conversus latro vitæ præmia etiam in ipsa sententia suæ mortis emeruit. (Concilium Fimense, an. 881. cap. 7.)

Modus autem pœnitentiæ peccata sua confitentibus, aut per antiquorum canonum institutionem, aut per sanctarum Scripturarum auctoritatem, aut per ecclesiasticam consuetudinem, sicut superius dictum est, imponi debet; repudiatis ac prorsus eliminatis libellis quos pœnitentiales vocant, quorum sunt certi errores, incerti auctores; de quibus recte dici potest: Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivebant. *Qui dum pro peccatis gravibus leves quosdam & inusitatos imponunt pœnitentiæ modos, consuunt pulvillos, secundum propheticum sermonem, sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.* (Concil. Cabillonense, an. 813. can. 38.)

Quondam multi sacerdotum partim incuria, partim ignorantia, modum pœnitentiæ, reatum suum confitentibus, secus quam jura canonica decernunt, imponunt, utentes scilicet quibusdam codicillis contra canonicam auctoritatem scriptis, quos pœnitentiales vocant; & ob id non vulnera peccatorum curant, sed potius foventes palpant.... omnibus nobis salubriter in commune visum est, ut unusquisque Episcoporum in sua parochia eosdem erroneos codicillos diligenter perquirat, & inventos igni tradat, ne per eos ulterius sacerdotes imperiti homines decipiant. Sacerdotes porro qui aut muneris, aut amoris, aut timoris, aut certe favoris causa, tempora modumque pœnitentiæ ad libitum pœnitentium indicunt, audiant, quid Dominus per Ezechielem prophetam terribiliter dicat: (Cap. 13.) Hæc dicit Dominus Deus: quia locuti estis vana, & vidistis mendacium; ecce ego ad vos, ait Dominus Deus; & erit manus mea super Prophetas qui vident vana, & divinant mendacium, &c. *Presbyteri etiam imperiti solerti studio ab Episcopis suis instruendi sunt, qualiter & confitentium peccata discrete inquirere, eisque congruum modum, secundum canonicam auctoritatem, pœnitentiæ noverint imponere; quoniam hactenus, eorum incuria & ignorantia, multorum flagitia remanserunt impunita; & hoc ad animarum ruinam pertinere dubium non est.* (Concilium Parisiense, an. 829. cap. 32.)

Sane quia inter cætera unum est, quod sanctam maxime perturbat Ecclesiam, falsa videlicet pœnitentia; confratres nostros & presbyteros admonemus, ne falsis pœnitentiis laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur. Falsam autem pœnitentiam esse constat, cum, spretis pluribus, de uno solo pœnitentia agitur; aut cum sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio. Unde scriptum est: Qui totam legem observaverit, offendit autem in uno, factus est omnium reus; *scilicet, quantum ad vitam æternam; sicut enim si peccatis esset omnibus involutus, ita si in uno tantum maneat, æternæ vitæ januam non intrabit. Falsa etiam fit pœnitentia, cum pœnitens ab officio vel curiali, vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nulla ratione prævalet; aut si odium in corde gestetur, aut si offenso cuilibet non satisfiat; aut si offendenti offensus non indulgeat; aut si arma quis contra justitiam gerat.* (Concilium gener. Lateranense, an. 1139. can. 22.)

Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia pœnitentiam non esse vere & proprie sacramentum, pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo Domino institutum, anathema sit. (Concil. Trident. Seff. XIV. can. 1.)

Recard Concil. Tom. IV.

Si quis sacramenta confundens, ipsum baptismum pœnitentiæ sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo sacramenta distincta non sint; atque ideo pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit. (Can. 2.)

Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt; *non esse intelligenda de potestate remittendi & retinendi peccata in sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit, detorserit autem, contra institutionem hujus sacramenti, ad auctoritatem prædicandi evangelium, anathema sit.* (Can. 3.)

Si quis negaverit ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, videlicet, contritionem, confessionem & satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixerit duas tantum esse pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ, agnito peccato, & fidem conceptam ex evangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata; anathema sit. (Can. 4.)

Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum; aut sacerdos non serio, sed joco absolvat; aut dixerit non requiri confessionem pœnitentialem, ut sacerdos eum absolvere possit; anathema sit. (Can. 9.)

Si quis dixerit, sacerdotes qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi & solvendi non habere, aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus & singulis Christifidelibus esse dictum: Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo; *Et,* quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt; *quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem; anathema sit.* (Can. 10.)

Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse; anathema sit. (Can. 12.)

Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam; anathema sit. (Can. 13.)

Si quis dixerit, satisfactiones quibus pœnitentes, per Christum Jesum, peccata redimuntur, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes; anathema sit. (Can. 14.)

Si quis dixerit, claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum; & propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, & contra institutionem Christi; & fictionem esse, quod, virtute clavium, sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat; anathema sit. (Can. 15.)

Ad sacramentum pœnitentiæ, quo a peccatis liberamur, nemo sine debita præparatione accedat; ut in spiritu humilitatis, & amaritudine animæ suæ, non expectata confessoris interrogatione, ipse peccata sua confiteri possit; cujus tamen diligentia adjuvandus erit, ubi aliqua in parte deficere videbitur. (I. Concil. Mediolan. an. 1565. Part. II. tit. 6.)

Caveant confessores, ne ante debitam satisfactionem illos absolvant, quibus cum facultas adsit aliena restituendi, vel legata quæ ad pias causas facta sunt, persolvendi, illisque, ut id facerent, superiori confessione præceptum sit, præstare tamen neglexerunt; exceptis iis qui periculose ægrotant; quos tamen moneant, ut quod debent, quamprimum persolvant.

Confessores canones pœnitentiales bene noverint; & de pœnitentia quam cuique peccato præscripserunt, confitentes admoneant; ut tanto diligentius a peccatis cavere studeant, quanto in pœnitentiis canonum mitigandis benigniorem in se Ecclesiam experiuntur.

Ut autem pastores & confessarii sciant, cujusmodi satisfactiones pœnitentibus injungere debeant, mature expendant verba Tridentini Concilii, capite octavo, sessione decima quarta, quæ sunt hæc: Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere; ne, si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis de-

lictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad vitæ novæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem. Nam claves sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed ad ligandum concessas etiam antiqui Patres & credunt & docent. (Concilium Mechliniense, an. 1607. tit. 5. cap. 1.)

Moneant parochi, & concionatores frequenter fideles, ut ros percipiendo salutari pœnitentiæ fructu, ad eam cum humilitate animi, & corporis demissione accedant. Ideoque fuis nobiles, & milites armis præcinctos accedentes, nisi depositis prius armis, non admittant; mulieres autem vano cultu ornatas, fucatas, ac pulvere pigmentario conspersas graviter reprehendant; & ut pœnitentis Magdalenæ vestigia legant, & fractis veluti alabastro, Corpus Christi in pauperibus, & pedes odoribus vitæ æternæ perfundant, & velo capita, ut Apostoli præcepto, obumbrent, præcipue hortentur. (Concilium Burdigalense, an. 1624. tit. 6. *de Pœnis.*)

PŒNITENTIARIUS. Tribuitur id nominis sacerdotibus qui in cathedralibus Ecclesiis instituti sunt, ut a casibus Episcopo reservatis absolvant. Eorum officium in capitulorum pluribus dignitas est.

Episcopi tantum, primis Ecclesiæ sæculis, Pœnitentiæ sacramentum administrabant, & congruas ipsi satisfactiones pœnitentibus, sua apud eos peccata confitentibus imponebant. Hi deinde confessarios plures instituerunt, ita tamen, ut eorumdem confessariorum facultas non ad universam diœcesin protenderetur, nec fidelium cuique liberum esset ex iis confessariis, licet approbatis unum sibi indiscriminatim seligere.

Eorum alios addicebant Episcopi laicis, aut etiam certæ cuipiam laicorum classi, clericis alios, alios monialibus, &c. ut proinde fidelibus non liceret apud alios sacerdotes confessionem edere quam apud eos qui in eorumdem peculiariter gratiam designati erant; cum tamen in id semper Episcopos adire possent. At Episcopi, eorum numero, qui se reapse ad eos conferebant, in dies succrescente, presbyterum doctrina & pietate commendandum, qui eorum vices ageret, elegerunt; hunc *Confessarium*, seu *Pœnitentiarium generalem* nominarunt, omnibus fidelibus data venia, ut ad eumdem, tamquam ad ipsorum personam ipsam, reservatorum casuum absolutionem suscepturi confugerent. Ejusmodi pœnitentiariorum institutionem Innocentius III. in Lateranensi Concilio quarto, an. 1215. celebrato mandavit, eorumque sæpe fit in posterioribus Conciliis mentio; Tridentinum porro decrevit, ut Episcopus quisque in sua cathedrali Ecclesia pœnitentiarium statueret, qui quadraginta annos natus, & in theologia, vel in jure canonico doctor esset.

Præcipimus tam in cathedralibus, quam in aliis conventualibus Ecclesiis viros idoneos ordinari, quos Episcopi possint coadjutores & cooperatores habere non solum in prædicationis officio, verum etiam in audiendis confessionibus, & pœnitentiis injungendis, ac cæteris quæ ad salutem pertinent animarum. (Concil. Lateranense, an. 1215. can. 10.)

Quod in quodam Concilio statutum invenimus, approbantes statuimus, ut per quoslibet Decanatus, prudentes viri & fideles constituantur per Episcopum confessores quibus personæ & minores clerici confiteri valeant, qui decanis erubescunt confiteri, forsitan & verentur; in Ecclesiis vero cathedralibus confessores institui præcipimus generales. (Concil. Londinense, an. 1237. cap. 7.)

Statuimus, ut locorum Archiepiscopi (forte archidiaconi) *qui de sacerdotum prudentia & moribus pleniorem habent notitiam, de quolibet decanatu unum vel duos eligant confessores quos ad hoc scientia & meritis crediderint magis idoneos; qui, vice nostra, decanorum ruralium, rectorum, vicariorum, & parochialium sacerdotum audiant confessiones, pœnitentiarii nostri generalis auctoritate in omnibus salva, ad cujus arbitrium in dubiis & gravioribus recurratur; nisi forte talis emergat articulus qui nobis inconsultis nequeat expediri.* (Concil. Exoniense, an. 1287. tit. 7. *de Pœnis.*)

In omnibus etiam cathedralibus Ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, pœnitentiarius aliquis cum unione Præbendæ proxime vacaturæ, ab Episcopo instituatur, qui magister sit, vel doctor, aut licentiatus in Theologia, vel jure canonico, & annorum quadraginta, seu alius qui aptior pro loci qualitate reperiatur; qui dum confessiones in Ecclesia audiet, interim præsens in choro censeatur. (Concilium Tridentinum, sess. XXIV. cap. 8. *de Reformat.*)

Hoc Tridentini Concilii decretum renovarunt Concilia Burdigalense & Turonense, an. 1583. Bituricense, an. 1584. Aquisextiense, an. 1585. Burdigalense aliud, an. 1584. & Malodunensis cœtus, an. 1579. Concilii Turonensis (tit. 13.) hæc verba sunt, & ea quidem animadversione digna: *Pœnitentiarii munus in qualibet Ecclesia cathedrali cum sit pernecessarium & qui eo funguntur, eximia scientia esse debeant, ut vitium a vitio discernere, & animas quæ peccaverunt, modo leniter, blandisque verbis consolari mœstasque reficere, modo acerbe & graviter increpare, atque etiam instruere valeant; sanctorum Conciliorum statuta consequendo, ubi commode fieri poterit, pœnitentiariæ officium, sive beneficium graduato qui sit saltem in theologia, vel jure canonico baccalaureus formatus, & annorum quadraginta,.... conferri volumus & mandamus.* Gallorum Regum sanctiones non postulant, ut pœnitentiarii sint gradibus insigniti, quoad Ecclesias in quibus pœnitentiaria non est dignitas; ut cum ea beneficii titulus est, etiamsi beneficium hoc dignitas non esset, ejusmodi gradus requirit usus.

Constitutio an. 1606. cathedralium Ecclesiarum dignitates a beneficiis expectativæ graduatorum obnoxiis excipit, & quod inde fit consequens, pœnitentiaria, cum dignitas est, eidem expectativæ non subest. Ecclesiasticorum quispiam obtinere pœnitentiariam potest per resignationem in favorem, aliisve rationibus quæ integram super delectu libertatem Episcopis non relinquunt. (Monum. Cleri, Tom. X. pag. 216. 359. 364.)

Pœnitentiarius esse non potest officialitatis promotor, ne confessionis sigillo violandi periculo subsit. Ita judicatum per arestum parlamenti Parisiensis, die 15. Martii an. 1611. Alexander Papa III. idem statuisse videtur, quoad officialis & pœnitentiarii officia, ut nempe simul esse non possint, in Decretalibus, cap. *Si Sacerdos*, 2. *de Officio Judicis ordinarii.* (Monum. Cleri, Tom. VII. p. 255. 258.)

Cum parœcia quoque, aliove quolibet beneficio quod animarum curam adjunctam habeat, pœnitentiaria stare non potest, assiduitatis nunquam intermissæ causa, cui pœnitentiarius devinctus est: *Non liceat autem pœnitentiario beneficium curatum, aut aliud onus suscipere, quod ab assidua residentia & quotidiano officio possit eum divertere.* (Concil. Rothomagense, an. 1581. tit. *de Episcopis & Capitulis*, n. 26.)

Episcopo id juris est, ut in cathedrali Ecclesia pœnitentiarium in titulum statuat, eique præbendam primo vacaturam addicat, facta hypothesi, utrumque commoda fieri posse; eo idem jure gaudet, et super ætate, superque gradu, quos Tridentinum Concilium postulat, dispenset, si necessitas ita requiret, ut cum in loco desunt, quibus ætas gradusque requisiti suppetant.

Pœnitentiarius est propria Episcopi in Pœnitentiæ sacramenti administratione magnus vicarius, nullusque prorsus est casus a quo non possit per universam diœcesin absolvere, iis exceptis quos Episcopus sibimetipsi reservat. Idem reservatos casus interpretandi, & publicæ pœnitentiæ in secretam convertendi jus obtinet; potest etiam vota commutare, ab iisdemve dispensare in casibus qui summo Pontifici, aut Episcopi personæ reservati non sunt. Pœnitentiarius quoque qui solum commissionis vi munus obit, reservatorum casuum absolutionem cuivis approbato sacerdoti, non autem aliis committere potest; quia effatum illud, *delegatus delegare non potest*, quoad eos tantum locum habet, qui delegati sunt *ad nudum aliquod ministerium*, & quia *delegatus ad universitatem causarum, censetur quasi ordinarius*. Pœnitentiarius tamen nec sacerdotem ullum delegare, ut, æque atque ipse, pœnitentiarius sit, nec ab ullo, seu reservato, seu non reservato casu, invito Episcopo, absolvere potest, etiamsi titularis esset, quia semper ab Episcopo pendet, qui suas ei facultates minuere, vel omnino adimere potest. (Gibertus, Institut. eccles. T. I. p. 173. & 174.)

PORTICUS, seu ATRIA, seu VESTIBULA ECCLESIARUM. *Quære* ECCLESIÆ & PLACITA.

PORTIO CONGRUA. Venit congruæ pensionis nomine certa quædam pensio quam parochus primitivus, præcipuusve seu grossos decimator parocho qui Ecclesiæ, animarum curam adjunctam habenti deservit, aut vicario perpetuo, ad eorum honestam sustentationem debeat; ex quo fit, ut hæc ipsa pensio, *portionis congruæ*, seu *portionis sufficientis* vocabulo designetur.

Ab origine quidem nullus omnino presbyter ordinabatur, quin peculiaris Ecclesiæ quam nos hodie *parœciam*, seu *curam* vocamus, servitio eodem tempore addiceretur. Presbyter initio statim alebatur & sustentabatur portione quadam, quam ex Ecclesiæ bonorum communi massa sumptam Episcopus, aut archidiaconus ei tribuebat. Deinceps, hic idem presbyter in iis ipsis

bonis

benis quæ ei ad victum concessa fuere, denique in decimis quæ prorsus integræ ad eum pertinebant, sustentationem suam nactus est. At cum religiosi S. Benedicti, & Canonici regulares S. Augustini ad parœciarum servitium acciti fuissent, suumque deinde in claustrum, asportatis earundem parœciarum dominiis & decimæ reduxissent, hi quidem in locum suum presbyteros substituerunt, quibus mercede conductis, sæpe etiam, per intolerandum abusum, non sine deductione parœcias tribuebant. Hos mercenarios seu adjudicatarios parochos excepere subsecutis temporibus parochi amovibiles ad primitivorum grossorumque decimatorum nutum, qui iis stipendium ab Episcopo designatum suppeditabant; ac tandem his amovibilibus parochis suffecti fuere parochi aut vicarii perpetui quibus congrua seu sufficiens portio statuta est.

Exstirpandæ consuetudinis vitium in quibusdam partibus inolevit, quod scilicet patroni Ecclesiarum parochialium, & alia quædam personæ, proventus ipsarum sibi penitus vindicantes, presbyteris earumdem servitio deputatis relinquunt adeo exiguam portionem, ut ex ea congrue nequeant sustentari.... tunc igitur os bovis alligari non debent triturantis, sed qui altari servit, vivere debent de altari; statuimus, ut, consuetudine qualibet Episcopi, vel patroni, seu cujuscunque alterius non obstante, portio presbyteris ipsis sufficiens assignetur. (Concilium gener. Lateranense, an. 1215. tit. 22.)

Ordinarii etiam per idoneorum vicariorum deputationem, & congruæ portionis fructuum assignationem omnino provideant, ut animarum cura nullatenus negligatur, & beneficia ipsa debitis obsequiis minime defraudentur; appellationibus, privilegiis, & exemptionibus quibuscunque, etiam cum judicum specialium deputatione, & illorum inhibitionibus, in præmissis nemini suffragantibus. (Concil. Trident. sess. VII. *de Reform.* cap. 5.)

Hi canones, & ejusmodi complures alii qui in medium afferri possent, mandant ii quidem, ut congrua portio parochiæ designetur; at ejus quantitatem non iidem definiunt; & quoad caput hoc varia sæpenumero fuit Gallicana jurisprudentia. Portionem hanc articulus 9. edicti mensis Aprilis an. 1571. sub Carolo IX. ad centum viginti librarum summam, consuetis deductis oneribus, tum ad libras centum & quinquaginta, atque adeo ducentas, deinde ad tercentas, quam late patebat regnum, declarationes diei 29. Januarii, an. 1686. ac diei 30. Junii an. 1690. redegerunt. Ex harum declarationum duarum statutis, deservientes clerici, præter portionem congruam, honorariis oblationibus, fortuitis juribus, novelibus decimis gaudent, nullique oneri, nisi forte decimis, gratuitis donis, aliisque tributis subsunt. Iidem etiam consueta quædam & personalia genere solvere debent, cujusmodi sunt jura duo, visitationis unum & calendarum alterum, & hoc quidem ita dictum, quia Episcopo, aut archidiacono solvitur, in cœtibus ad cleri morum reformationem institutis, atque ita nuncupatis, quia calendis, seu prima die mensis habebantur. Denique per edictum quod Ludovicus Rex XV. mense Majo an. 1768. Versaliæ edidit, & ejusdem mensis die 13. eodemque anno parlamentum in acta retulit, congrua portio quoad parochos & vicarios perpetuos ad libras quingentas, & quoad vicarios amovibiles ad ducentas redacta fuit. Hujus edicti articulus 4. parochos & vicarios perpetuos frui vult, præter portionem congruam, domibus ædificiisque presbyterium constituentibus, areis hortisque ab eodem pendentibus, simul oblationibus, mercedibus, donis, seu fortuitis rebus, omnino vel ex parte, pro locorum usu; itemque fundis & censibus parochiis datis, ut faciant anniversariis & ad divinum servitium fundationibus satis.

Congrua portio non debetur nisi parochis vere titularibus, seu sæcularibus, seu regularibus, quorum stati certique reditus infra tercentarum librarum summam positi sunt. Cum duo in titulum parochi eamdem parœciam tenent, congrua portio duplex debetur; at nulla debetur parochis regularibus qui titulares non sunt, sed a suis superioribus tantum commissi ad parœciarum servitium, quæ monasteriis unitæ, & aliquando etiam in ipsorum monasteriorum Ecclesiis fundatæ sunt. Vicarii perpetui tercentum, amovibiles autem solum centum & quinquaginta congruæ portionis libras percipiunt. Parlamentorum aresta super portionis congruæ, quoad villarum muratarum parochos, recusatione aut concessione non sunt uniformia; pendet id a majore aut minore fundationum, oblationum, fortuitarumque rerum ad eos parochos spectantium summa.

Congruam portionem non alii quam parochi primitivi, itemque præcipui seu grossi decimatores deservientibus debent; qui si eam forte suppeditare non possent, Tridentina synodus (sess. 24. cap. 13. *de Reformat.*) Episcopis mandat, ut huic rei per beneficiorum unionem, atque adeo populo contribuere jusso, prospiciant; *In parochialibus autem Ecclesiis, quarum fructus æque adeo exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere, curabit Episcopus, si per beneficiorum unionem (non tamen regularium) id fieri non possit, ut primitiarum vel decimarum assignatione, aut per parochianorum symbola, ac collectas, aut qua commodiori ei videbitur, ratione tantum redigatur, quod pro rectoris ac parochiæ necessitate decenter sufficiat.* Verum hujus canonis dispositio, ad populi contributionem quod spectat, in Gallia non est recepta; Galli nempe reges populo, sine eorum auctoritate, contributiones imponi non sinunt.

Qui decimis exempti sunt, ad congruam portionem, ecclesiasticis decimis deficientibus, conferre debent. Ita judicatum per magnæ cameræ arestum, die 29. Novembris an. 1673. secundum gener. Lateranensis Concilii, an. 1215. celebrati quinquagesimum quintum canonem hunc: *Decernimus, ut de alienis terris, & amodo acquirendis, etiamsi eas propriis manibus aut sumptibus deinceps excoluerint (monachi) decimas persolvant Ecclesiis quibus ratione prædiorum antea solvebantur, nisi cum ipsis Ecclesiis aliter duxerint componendum.*

At patroni ad portionem congruam, etiamsi desint alia subsidia, nequaquam tenentur, nec ei legi subsunt, ut ad contributionem vitandam suo se patronatu abdicent, quia Ecclesiæ vel fundum ipsum, vel dotationem jam eleemosynæ loco largiti sunt. Infeudatæ porro decimæ ad congruam portionem contribuere debent, at solum postquam omnes ecclesiasticæ decimæ exhaustæ sunt. Est hæc declarationis an. 1686. præcisa dispositio, & omnium tribunalium constans jurisprudentiæ. Ex hac ipsa omnium Galliæ tribunalium jurisprudentia, decimatores, seu ecclesiastici, seu laici, se a congruæ portionis solutione, nisi decimis derelictis, liberare non possunt. Consuli possunt Rabussi & Duperray Tractatus *de Portione congrua*, itemque arestorum, edictorum & declarationum *super Portionibus congruis* Collectio.

POSSESSIO, POSSESSIONIS SUSCEPTIO, in re beneficiaria, est beneficiarii in suo beneficio installatio quæ vel a beneficiario ipso, vel a procuratore, ejus nomine, procuratione munito fieri potest.

Andegavense Concilium an. 1365. habitum mandat, ut intra sex, quod serius, a beneficio collato menses, in juris per provisionem acquisiti privationis pœnam, possessio ineatur: *Item cum beneficia ecclesiastica ultra sex menses vacare non debeant, & nonnulli apostolici impetrantes, occulte & clandestine faciant sibi de beneficiis provideri, collationes sibi factas occultantes, differentes dictorum beneficiorum possessionem recipere, ut sibi de pinguioribus faciant provideri, non sine dictorum beneficiatorum præjudicio, & scandalo aliorum; idcirco, sacro approbante Concilio, statuimus, quod impetrantes apostolici, postquam de beneficiis vacantibus, per suos exsecutores sibi fecerint provideri, sive fuerint dignitates, personatus, prioratus, officia, administrationes; & beneficia illa, quocunque nomine censeantur, infra sex menses a tempore provisionis sibi factæ, per se vel per alium, possessionem realem dictorum beneficiorum apprehendere teneantur. Quod si infra dictum terminum, legitimo impedimento cessante, possessionem dictorum beneficiorum, dignitatum, personatuum, prioratuum, officiorum, administrationum, & aliorum beneficiorum quorumcumque, non apprehenderint, omni jure sibi quæsito per dictas collationes sint privati.* (Cap. 6.)

Hæc constitutio cum præsenti Galliarum jurisprudentia non congruit. Distinguitur vacationis genus, super qua beneficii provisio data est; videlicet, an per devolutum, resignationem & dimissionem, an vero per mortem beneficium vacaverit. Provisi super vacatione per mortem, possessionis susceptionem ultra triennium a datis provisionibus protrahere non possunt, nisi legitimum impedimentum iisdem subsit. Ex articulo 14. declarationis mensis Octobris an. 1646. possessionem inire tenentur, ut serius, annorum trium spatio a datis provisionibus in Romana curia expeditis, resignante in vivis agente; & quamvis hæc sanctio quoad eos tantum præcisa sit, quibus per resignationem provisum est, usus tamen ejus dispositionem ad eos etiam produxit, qui beneficii per mortem vacantis provisiones obtinuerint. (Monumenta Cleri, Tom. XII. pag. 1528.)

Huic jurisprudentiæ fundamento esse videtur Basileensis Concilii sanctio quæ statuit beneficii titularem cui pacificæ possessionis triennium non suppetit, in eodem turbari posse; *Quicunque non violentus, sed habens coloratum titulum, pacifice & sine lite, prælaturam, dignitatem, officium, vel beneficium, triennio proximo*

nimo hactenus possedit, vel in futurum possidebit, non possit postea, in petitorio, vel possessorio, a quoquam, etiam ratione juris noviter impetrati molestari, excepto hostilitatis casu, vel alterius legitimi impedimenti, et protestari, & illud, juxta Concilium Viennense, intimare teneatur. (sess. 21. cap. 2.)

Constitutio hæc quæ in Pragmaticam Sanctionem, & in *Concordatum relata fuit*, tamquam regni lex in Gallia servatur. Eamdem summi Pontifices non minus favorabiliter susceperunt, quippe quam suæ cancellariæ regulam, titulo, *de triennali possessore* notam statuerunt.

Pacifica triennalis possessio de complete, nunquamque intermissa, sed continuata *de momento in momentum* possessione intelligi debet. Quoad tempus quo devolutarii possessionem inire tenentur, *vide* DEVOLUTUM.

POTESTATES. *Quære* REGES.

PRÆBENDA. Præbenda vocabulum, latinitatis ætate media, annonæ consuetam in milites distributionem significabat. Migravit inde ad distributiones inter canonicos monachosque; tum ad portiones redituum bonorum Ecclesiæ, quas ecclesiastici post editam eorumdem bonorum partitionem obtinuerunt. Præbendæ tamen vox cum *canonici muneris*, & *canonicatus* nominibus confundi non debet; inter hæc enim id discriminis intercedit, quod præbendæ nomine venit jus quo ecclesiasticus gaudet, ut certos quosdam reditus in cathedrali aut collegiata Ecclesia percipiat; cum canonici munus, seu canonicatus sit ecclesiasticus & spiritalis titulus qui peculiari Ecclesiæ quempiam addicit; ut proinde possit aliquis canonicus esse sine præbenda, & præbendæ fruitione gaudere, quin canonicus sit. Sumitur etiam præbenda pro temporali reditu qui canonicatu pendet.

Distinguitur præbenda theologalis & præbenda præceptorialis. Theologalis præbenda est quæ in cathedrali Ecclesia ei canonicorum est affecta, qui *theologalis* nuncupatur. *Quære* THEOLOGALIS.

Præbenda præceptorialis ea est, quæ, in cathedrali aut collegiata Ecclesia, magistro seu præceptori addita est, ut earumdem Ecclesiarum clericos, aliosque, & in primis pauperes grammaticam doceat. Cum præceptorialis præbenda ecclesiastico collata est, is id juris obtinet, ut cæterorum canonicorum instar, honoribus redditibusque fruatur; ea eadem, cum est laico tradita, beneficium non est, sed simplex commissio quæ ei id solummodo juris affert, ut præbendæ suæ fructibus quos grosses nuncupant, fruatur. Cum alicujus Ecclesiæ præceptorem presbyterum esse contingit, cujusmodi est præceptor Ecclesiæ S. Maclovii; non proinde gradum & sedem supra canonicos obtinet, qui presbyteri nequaquam sunt. Ita judicatum per arestum Consilii die 16. Maji an. 1733.

Qui sacerdotales præbendas obtinent; presbyteri intra annum fiant, oportet: *Statuimus, ut omnes habentes sacerdotales præbendas in cathedralibus, vel collegialibus Ecclesiis, ibidem in ordine sacerdotali deserviant, aut per diœcesanum illis provideatur, & aliis conferantur, qui velint, & possint in eodem ordine deservire.* (Concilium Salmuriense, an. 1253 can. 31.)

Præceptorialis præbenda vulgo nullum gradum requirit, tametsi grammaticæ docendæ curam adjunctam habeat; unumque & unicum institutioni addictum beneficium est, quod gradus habendi obligationem non imponat. At autem, cum super scholis invigilandi officio, & jurisdictioni quæ id officii comitatur, addita est, tum quidem inter dignitates recensetur, & in theologia vel in jure gradus postulat. *Quære* SCHOLA, SCHOLASTICUS, seu MAGISTER SCHOLÆ.

Præceptor ab Episcopo, capitulo & urbis incolis eligi debet; & hinc sequitur præceptorialem præbendam e jucundi adventus, & juramenti fidelitatis brevetariis requiri non posse, quoniam electores quos diximus, per ejusmodi brevetariorum requisitionem cogi non possunt. At præceptorialis præbendæ favor haud graduatorum requisitionem superat. Ita judicatum per arestum parlamenti Parisiensis, mense Februario an. 1585. in graduatorum favorem. Ea porro affertur aresti ratio, quod de præbenda libera, prorsusque in Episcopi arbitrio posita explicari oportet Aurelianensis constitutionis articulum 9. qui „ præbendam quæ „ prima vacaverit, præceptori sustentando addictam „ vult. (Constitutiones, Aurelianensis, art. 9. & Blesensis, art. 33.)

PRÆCEDENTIA, honoris gradus cujus jure quispiam in societatibus, seu quoad sedem, seu quoad incessum gaudet. Ex Conciliis, & veteri Gallicarum jurisprudentia, Episcopus est litigiorum judex, quæ super præcedentia inter ecclesiasticos suboriuntur, in divino servitio, processionibus, funeribus, &c. *Controversias omnes de præcedentia, quæ persæpe maximo cum scandalo oriuntur inter ecclesiasticas personas, tam sæculares, quam regulares, tum in processionibus publicis, tum in iis quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & in deferenda umbella, & aliis similibus, Episcopus, amota omni appellatione, & non obstantibus quibuscumque, componat.* (Concilium Tridentinum, sess. XXV. cap. 13.)

Omnes, cujuscunque fuerint dignitatis, ecclesiasticos, etiam exemptos, supplicationibus publicis, a superioribus convocatos interesse jubemus, quibus tam in incedendo, quam sedendo in choro, & aliis locis ordinem assignent Episcopi, juxta Cæremoniale felicis memoriæ Clementis VIII. quod in omnibus accipimus, & in tota nostra provincia recipi volumus, & juxta ritus per ipsum constitutos procedi præcipimus; præcedentia clericorum in Ecclesia, aut actionibus quibuscunque si controvertatur, coram Episcopo, aut ejus Officiali, & non alibi tractetur; contra alterum, si eum coram alio in jus vocaverit, si molestus non destiterit, excommunicationis sententiam ferat Episcopus. (Concil. Narbonense, an. 1609. cap. 30. *de Capitulo, & Canonicis.*)

Hi canones in præsentia non servantur, nec item aresta vetera quæ in iisdem favent; idque vulgo apud sæculares curias solemne est, Regem, per suos officiarios, de honoris ordine ac præcedentia inter ecclesiasticos, seu in Ecclesiis, seu in processionibus, seu quoad ejusmodi alia, cognoscere debere: Ecclesiæque superiores non debere nisi ex tempore, ad evitandum scandalum, & solum provisionis in modum, hæc dissidia dijudicare. (Monum. Cleri, Tom. V. pag. 1534.)

Animadvertimus, ad verbum *Clericus*, in omnibus fere Catholicis regionibus, & peculiariter in Gallia, clerum regiminis primum ordinem, primumque corpus conficere; atque, hoc titulo, supra cætera corpora præcedentiam suppetere. Non id repetemus hoc loco: id unum dicemus videri non injuria portento simile recentiorum scriptorum aliquibus in mentem venisse contendere clerum non solum reipublicæ primum ordinem, primumque corpus non esse, verum etiam originario & essentialiter id efficere omnino non posse, quod in ditione publicus ordo, seu corpus dicitur; ea adducta causa, quod qui clerum constituunt, exteri in terris & peregrini. Deinque pauperis qui non habuit, ubi caput reclinaret, Dei per omnem mortalis suæ vitæ cursum patientis, Dei super cruce in extrema derelictione morientis ministri sunt. Inepti profecto miserique ratiocinatores qui non percipiunt se, dum clerum impugnare volunt, in se ipsos arma vertere, sibique jugulum petere, quippe qui sibi gloriæ ducunt Christianos esse, & quod inde consequitur, viatores, exteros in hoc terrarum orbe peregrinosque, discipulos denique pauperis, patientis & in cruce morientis Dei quem non minus sequi & imitari, quam ecclesiastici, debent, quandoquidem is non minus eorum exemplar & magister, quam horum posteriorum est.

PRÆDESTINATIO. Designatur hac voce decretum quo se ab omni æternitate Deus certo cuidem creaturarum ratione pollentium numero gloriam, & ad hanc perveniendi adjumenta, seu, media daturum statuit. Fidei caput est, Deum, ab omni æternitate, certum quemdam creaturarum ratione pollentium numerum prædestinasse, quia nihil agit in tempore, quod non ab omni æternitate statuerit. Est id quoque fidei caput, prædestinationem, siquidem sumitur, prout præparationem ad gratias continet, quæ necessariæ sunt, ut ad gloriam perveniatur, mere gratuitam esse; eamdemque nullum meritum ex prædestinati parte supponere, quandoquidem homo suis propriis viribus gratiam mereri non potest. Fidei caput & illud est, prædestinationem infallibilem esse, suumque effectum infallibiliter habituram, utpote quæ, Dei omnipotenti voluntate nititur. At non est itidem fidei caput, prædestinationem ad gloriam esse mere gratuitam. Catholici quippe theologi sunt, qui eam contendant habere pro causa meritorum prævisionem, quæ gratia nituntur. Thomistæ, contra, sentiunt eam mere gratuitam esse, non habere scilicet causam aliam quam Dei misericordiam, qui, per prælationis amorem, certum quemdam hominum numerum efficaciter ad gloriam destinat.

Deus omnipotens hominem sine peccato rectum cum libero arbitrio condidit, & in paradiso posuit, quem in sanctitate justitiæ permanere voluit. Homo libero arbitrio male utens peccavit & cecidit, & factus est massa perditionis totius humani generis. Deus autem bonus & justus elegit ex eadem massa perditionis, secundum præscientiam suam, quos per gratiam prædestinavit ad vitam, & vitam

vitam illis prædestinavit æternam; cæteros autem, quos justitiæ judicio in massa perditionis reliquit, perituros præscivit, sed non, ut perirent, prædestinavit; pœnam autem illis, quia justus est, prædestinavit æternam. Ac per hoc unam Dei prædestinationem tantummodo dicimus, quæ aut ad donum gratiæ pertinet, aut ad retributionem justitiæ. (Concilium Cadurcense, seu Querciense, an. 853. can. 1.)

Fideliter tenemus, & placet tenere (Deum) bonos præscisse omnino per gratiam suam bonos futuros, & per eamdem gratiam æterna præmia accepturos; malos præscisse per propriam malitiam malos futuros, & per suam justitiam æterna ultione damnandos. (Concilium Valentinum, an. 855. can. 2.)

Fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem; electionem tamen salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione autem periturorum, meritum malum præcedere justum Dei judicium; prædestinatione autem Deum ea tantum statuisse, quæ ipse vel gratuita misericordia, vel justo judicio facturus erat, secundum Scripturam dicentem: Qui fecit quæ futura sunt . . . . *Verum aliquos ad malum prædestinatos esse divina potestate, videlicet, ut quasi aliud esse non possint, non solum non credimus, sed etiam, si sunt, qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione, sicut Arausica synodus, illis anathema dicimus* (Can. 3.). Instaurati fuere canones hi in Conciliis, Lingonensi & Tullensi, an. 859.

Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeo præsumere debet, ut certo statuat se omnino esse in numero prædestinatorum; quasi verum esset, quod justificatus aut amplius peccare non possit, aut, si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat; nam nisi ex speciali revelatione sciri non potest, quos Deus sibi elegerit. (Concilium Trident. sess. VI. cap. 12. & 13.)

Similiter de perseverantiæ munere, de quo scriptum est: Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit; *quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo qui potens est eum qui stat, statuere, ut perseveranter stet, & eum qui cadit, restituere, nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent. Deus enim (nisi ipsi illius gratiæ defuerint) sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere. Verumtamen qui se existimant stare, videant, ne cadant; & cum timore ac tremore salutem suam operentur, in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus & oblationibus, in jejuniis & castitate.*

PRÆDICATOR, PRÆDICATIO. Prædicatio, nempe, verbi Dei legitima dispensatio non minus antiqua est quam religio, nec nisi cum ea finem habebit, quia adjumenti loco est, quod Deus selegit, ut eamdem institueret, & sartam tectam servaret. Hinc ea nunquam intermissa prædicationis successio, cujus ministerium Christus Dominus Episcopis in Apostolorum persona concredidit, quæque eorum charateri adeo peculiariter addicta est, ut olim, in Ecclesiis pluribus, Episcopus unus & unicus prædicationis munere fungeretur, & in aliis, presbyteri, eo solum præsente, illud obirent; ex quo quidem originem traxit benedictionis ab Episcopo, cum ad sermonem adest, petendæ mos.

Cum porro prædicatores, seu concionatores, ministerii sui vi, sint mundi lux, terræ sal, populorum doctores, divinarum veritatum dispensatores, heroes oratoresque divinitatis; hanc proinde ipsam scientiam, sanctitate, constantique omnium virtutum praxi exhibeant, omnino necesse est. Occurrunt in Conciliis, quod ad prædicatores & prædicationem attinet, statuta plura, inter quæ non minus animadversione digna sunt quæ sequuntur.

Ut Episcopus nullam rei familiaris curam ad se revocet, sed lectioni & orationi & verbi Dei prædicationi tantummodo vacet. (Concil. Carthaginense, an. 398. can. 20. & Concilium generale Lateranense, an. 1215. can. 3.) *Quære* EPISCOPUS, §. IX.

Quia vero nonnulli, sub specie pietatis, virtutem ejus, juxta quod ait Apostolus, abnegantes, auctoritatem sibi vendicant prædicandi, cum idem Apostolus dicat: Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? *Omnes qui prohibiti, vel non missi, præter auctoritatem, ab Apostolica sede, vel catholico Episcopo loci susceptam, publice, vel privatim, prædicationis officium usurpare præsumpserint, excommunicationis vinculo innodentur; & nisi quantocius resipuerint, alia competenti pœna plectantur.*

Sint prædicatores, juxta Gregorium, in verbo discreti, ne vel tacenda proferant, vel dicenda reticeant. Prædicent rursus sacrum evangelium, insinuantes interpretationibus sanctorum Doctorum; instruant populum ad observationem præceptorum Dei, ut fidem incontaminatam teneant, atque omnibus mandatis Dei & Ecclesiæ pareant, nec ab ejusdem Ecclesiæ decretis & sanctionibus devient. (Conc. Senonense, an. 1528. can. 36. tit. *Index Decretor. Ad mores pertinent.*)

Sint etiam prædicatorum sermones casti & examinati, ad amorem Dei populos trahentes; detestentur vitia concionatores verbi divini, alliciantque ad amplexum virtutum; habeant præ oculis, pro scopo honorem Dei, & profectum animarum; nihil ad gloriam & ostentationem faciant; non quæstui sint intenti, aut vindictæ appetentes.

Quod si secus fecerint, aut populum, more scurrarum vilissimorum, dum ridiculas & aniles fabulas recitant, ad risum cachinnationesque excitaverint, aut, quod deterius est, si prælatis Ecclesiæ, principibus, sacerdotibusque detraxerint.... nos volumus tales tam ineptos & perniciosos concionatores ab officio prædicationis suspendi, & a suis superioribus, pro modo & mensura excessus, acriter puniri.

Aliquot retro sæculis in Ecclesiam recepti sunt quatuor Mendicantium Ordines, quo parochorum in verbi ministerio cooperarii forent; quos, absit, ut repellamus, si eamdem intra Concilii Viennensis, sub Clemente V. celebrati, aliarumque canonicarum constitutionum cancellos se continuerint, nec ante accesserint, quam per ipsorum prælatos, ut viri inculpatæ vitæ, discreti pariter ac modesti, ac verbi divini probe gnari judicentur, atque ad hoc munus deligantur; deinde etiam vicariis nostris in pontificalibus præsentati, tales inventi fuerint ut præmissi. (Concilium Coloniense, an. 1536. Part. IV. cap. 7.)

Qui tamen cum in subsidium tantum venti sint, ordinariis Ecclesiarum rectoribus molesti esse desinant; ita videlicet, ne eosdem (cum suo munere fungi ipsimet velint) præoccupent; nec quos in excolenda vinea Domini juvare debent, in concionibus, virulenta ac detractoria lingua exagitent.... nec audiendi sunt isti, si fervore Dei accusare se dicant, ut meliores fiant; cum potius invidiæ stimulis adulationisque, quam charitatis studio agitari convincantur. (Cap. 8.)

Hoc habet apostolica Ecclesia, ut nullus nisi missus prædicet; sic Christus non nisi missus prædicavit, ipso apud Isaiam testante: Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, ad evangelizandum pauperibus misit me. *Neque item ipsius præcursor de quo scriptum est:* Fuit homo missus a Deo; *sed nec Apostoli hoc fecissent, nisi mandato a Christo accepto:* Ite; ecce ego mitto vos. *Proinde nos, evangelica & apostolica regula innitentes, statuimus & præcipimus, ut quisquam posthac, etiam cujuscumque religionem professus, publice prædicare præsumat, nisi ab Episcopo ordinario, vel ejus vicario admissus fuerit. Et si quis etiam religiosus Apostolicæ sedis privilegio nitatur, tenebitur nobis, aut vicariis nostris de hoc fidem legitimam facere. Laicis vero prorsus interdicimus, ne prædicandi officium usurpent, aut occulta conventicula faciant, & sacerdotum simplicitatem eludant. Et si forte necessitas postulet, ut sacerdos tamquam inutilis & indignus a cura gregis debeat removeri, servato ordine juris, de hoc agendum est apud Episcopum, ad cujus officium tam destitutio, quam institutio sacerdotum pertinere dignoscitur. Omnes vero & singulos, aliter quam præmissum est, publice vel privatim prædicationis officium usurpare præsumentes, præsentis statuti rigore excommunicationis vinculo innodamus, & excommunicatos declarari publice mandamus; & nisi resipuerint, alia competenti pœna a nobis aut nostris suffraganeis, ut locorum ordinariis plectendi sunt.* (Concil. Trevirense, an. 1549. tit. *de Prædicat.* can. 2.)

Quando non parum refert, quis qualisve sit, cui alios instituendi & docendi potestas tradita est; probandi primum & explorandi sunt futuri concionatores, an quibus & quomodo instruendi sint; ne perperam forte & hæreticis doctrinis imbuti, non satis perspecti excipiantur in ovile Christi, ad gravem Dominici gregis perniciem. Attamen non tam eloquentiores, quam sapientiores, neque tam argutiores, quam meliores eligendi sunt, modo gregi sana doctrina pascendo non sint prorsus inidonei. Immo tanto magis aliquoties cavendus est is qui eloquentia pollet, quanto plus ob eloquentiam, dum recte dicere & docere existimatur, nocere & fallere potest. (Can. 3.)

Missi & admissi prædicatores, in hoc toti incumbant, ut verbum veritatis recte & bona fide tractent, tamquam dispensatores multiformis gratiæ Dei, omissis his quæ a puritate evangelii aliena sunt, vel supervacanea, vel parum ædificantia; sed nec opinabilia ac dubia pro certis & receptis asseverare audeant. Ab apocryphis abstineant, & quæ Ecclesia occultanda esse decrevit, de suggestu non promulgent. Comicas, aniles & interim obscœnas fabulas, & quæ risum moveant citius quam lacrymas propter peccatum, populi auribus non ingerant. Et omissis odii, invidiæ, insectationis quæstus, ambitionis, & consimilibus nequam

quam affectibus, sincere & pacifice evangelium pacis annuntient, mutuis conviciis se non proscindant, nec alius alium pro concione impugnet. Sed si quis alterum haeresim, vel perniciosum errorem, aut aliud quidpiam quod piarum aurium sit offensivum, dixisse deprehenderit; Episcopo, aut illius vicario, aut inquisitori apostolico, vel officiali loci, ordine etiam fraterno evangelico, significet. Et cum catholicas traditiones, tamquam nectissima quaedam christianae religionis & pacis vincula conservare & custodire omnes ex aequo deceat; neque dubitemus traditiones & consuetudines universales, praesertim eas quae per orbem tota frequentat Ecclesia, ab Apostolis in Ecclesiae suum transfusas, vel a generalium sacrorum Conciliorum auctoritate profectas; nos eas simili religione, qua eo quo fuere Scriptura proscribit auctoritas, ut observentur, doceri omnino mandamus. Quae vero pro loca, vel regiones nostra dioecesis, vel provinciae variantur, eas quisque observet ad aedificationem morum & fidei. Ac ne quisquam temere contra eos de suggesto vagationem facere praesumat; mandamus Episcopis provinciae nostrae, & officialibus nostris, ut, si qui ritibus Ecclesiae antiquandis, vel novandis privata auctoritate studere comperti fuerint, in eos severiter animadvertant. Quare qui pascendi gregis Dominici curam susceperunt, ea potissimum doceant, quae ad tranquillitatem & piam concordiam facere, & ad captum rudis populi accommodata esse cognoverint, cujusmodi est simplex explanatio symboli, decem praeceptorum, sacramentorum & caeremoniarum Ecclesiae, orationis Dominicae; item exhortatio ad poenitentiam, in qua Christi Salvatoris commemorent beneficia, ac poenas nunquam finiendas quae in malo obstinatis paratae sunt, ob oculos ponant; sed ne misericordiam desperent, rursus sublevent ac solentur; cessantes ac torpentes excitent, animo dejectos in spem erigant. Voluptariis, resque mundi admirantibus, vitae brevitatem, & aeternae ignis cruciatus subinde ingerant; ut saltem futuris malis territi peccare desinant, atque ad meliorem frugem se recipiant; nec non populo etiam persuadeant, non quamlibet fidem qua in Deum creditur, sed eam demum salutiferam fore, quae, Apostolo teste, per dilectionem operatur. Sic ad bona opera sedulo hortentur, & praesertim ad opera misericordiae; patres ac matres familias, ut prolem ac familiam christiane educent, graviter & crebrius commonefaciant; neque ut adulti consueta & ordinaria jejunia, Quadragesimae videlicet & quatuor Temporum, & vigiliarum infringere non praesumant. Plebem admoneant, ut frequenter, vel ad minus in Quadragesima, in initio ejus, vel ante medium, ad confessionem veniant, & si non saepe, saltem in Paschate Corpus Domini recipiant, si velint inter catholicos reputari. Sanctorum religiosam mentionem subinde faciant, animosque Christifidelium, illorum exemplis incitent, confirment, & intercessione consolentur; doceant quoque veras Sanctorum reliquias reverenter habendas. Contenti sint evangelia & lectiones quibus dominicis & festis diebus Ecclesia utitur, interpretari populo, & ex his sermonem & doctrinam ad aedificationem populi formare. (Can. 4.)

Iis autem qui praedicandi officio, aut quacunque ratione fidelibus christianam doctrinam tradendi munere funguntur, hanc viam & rationem incundam proponimus, ut sacram Scripturam interpretentur eo sensu quem catholica Ecclesia, & consentiens sanctorum Patrum auctoritas comprobavit; neque quidquam, ab Ecclesia, aut a Doctoribus Ecclesiae probatis alienum proferant; nec certum tempus Antichristi adventus, extremi judicii diem praedicent, cum illud Christi Domini ore testatum sit: Non est vestrum nosse tempora vel momenta; neve quidquam praeterea futurum ex sacris Litteris divinare, itque eventus certum diem praefinire audeant; neve temere id sibi revelatum esse affirment. Ne historias ex apocryphis scriptoribus populo narrent; neve miracula quae probatis Scriptoris fide non commendentur.... Ne ineptas & ridiculas fabulas recitent, aut supervacanea & parum fructuosa. (Mediolanense Concilium I. sub S. Carolo Borromaeo, an. 1565. Part. I. tit. 6. de Praedicatione.)

Ne haereticorum opiniones, & argumenta efferant apud imperitam multitudinem.... Ne ostentandae doctrinae & eloquentiae causa, difficiles atque inanes quaestiones, fucumve orationis & pigmenta conquirant, unde sui ipsorum potius, quam Jesu Christi praedicatores esse videantur; sed praecipue in evangelii, symboli, orationis dominicae, angelicae salutationis, decem praeceptorum, sacramentorum Ecclesiae, & sacrorum rituum dilucida explicatione versentur. In reprehendendis vitiis ita se gerant, ut pietatis & charitatis studio eos adductos, non hominum, sed peccatorum odio id facere omnes intelligant.

Diligentes ac vehementes sint in vitiis & peccatis exagitandis, in quibus magis volutari populum, aut ad ea proclivierem vident.

In pravas etiam consuetudines invehantur, & in eas, quae etsi mala non videntur, tamen facile peccandi causam afferunt. Ne quemquam nominatim, aut tacito illum designantes, insectentur. Ne in Ordinem aliquem, statum aut vitae genus ab Ecclesia receptum invehantur.

Ne Episcopos, aliosve praelatos, neve civiles magistratus, cum auditorum offensione, asperius objurgent, sed pie potius admoneant, populumque doceant, praepositis suis, etiam dyscolis obedire.... Ita afficere studeant auditores, ut sua peccata dolenter defleant; quos interdum propositis suppliciis aeterni ignis, a flagitiis & facinoribus deterreant, interdum commemoratis coelestis vitae praemiis, ad virtutem, in primis vero ad Dei & proximi amorem accendant.

Omnes hortatu & praeceptis ad pietatem erudiant; & quae cujusque sit propria virtus, quod officium patris, filii, viri, uxoris, domini, servi, laici, clerici, privati, magistratus, omnium denique aetatum, generum, ordinum partes & munera assidue commemorent.

Hanc praeterea rationem habeant, ut non solum Dei & Ecclesiae praecepta servanda esse doceant, sed modum illis tradant, quo ea ex Dei voluntate servare oporteat. Commoneant, ut non solum praeceptis servandis, sed etiam consiliis amplectendis, ad perfectiorem vitam in dies magis contendere studeant.

Doceant, quomodo utendum sit bonis animi, corporis & externis, quove modo secundis & adversis rebus; ut ea sint illis tamquam instrumenta ad consequendam vitam caelestem.

Maxime vero caveant, ne quod praeceptis & hortatu aedificant, id vita & moribus destruant; ne, cum aliis praedicaverint, ipsi reprobi efficiantur. Indulgentias populo ne publicent, nisi de consensu Episcopi. Neminem populo, paupertatis nomine, commendent, nisi is testimonium ab Episcopo scriptum attulerit; neve ei inter concionem permittantur, ut eleemosynam a quoquam petat in Ecclesia; sed aut ad fores Ecclesiae stet, aut per eos qui eam curam susceperint, id negotium ita commode ac celeriter agatur, ut minime conticinem impediant.

Sacra concio noctu nunquam, sed opportuno tempore, Episcopi praescripto, habeatur. Dum habetur, nec Missa, aut hora canonica clara aut submissa voce in Ecclesia dicantur.... Concionis audiendae causa, loca virorum & mulierum, si fieri potest, Episcopi cura distinguantur.

Caveant summopere praedicatores, vel in suis concionibus fabulas, jocos, dicteria, & scommata, quibus risus excitetur, intermisceant; concionatoris enim est, non risum movere, sed lacrymas auditoribus excutere. Videant etiam, ne concionando aliquid contumeliose adversus praefectos ecclesiasticos & civiles magistratus, unde in odium & contemptum apud populum adducantur, proferant; quin potius auditores moneant, ut praepositis etiam dyscolis pareant & obediant, a Deo assiduis precibus efflagitantes, ut eorum animos ad sui officii & ministerii partes omnes, ad Dei gloriam & populi sui salutem obeundas excitare & impellere, pro sua in gregem suum pietate & misericordia, velit. (Concilium Burdigalense, an. 1583. tit. de Verbi divini Praedicatione.)

Provideant Episcopi, ut parochialium Ecclesiarum rectores verbum Dei praedicent populo singulis diebus dominicis & festis, aut concione publica, aut saltem inter Missarum solemnia; & si per se ipsos concionari non possint, aut memoriter recitent, aut saltem legant homilias, vernacula lingua, quas ipsis ab Episcopo praescribantur. (Concilium Bituricense, an. 1584. titul. 3. de Praedicat. canon. 2.)

Regulares, cujuscunque sint ordinis, praedicare non praesumant in Ecclesiis suorum ordinum, nisi prius examinati & approbati a suo superiore, & impetrata ab Episcopo, aut ejus vicario benedictione & licentia. (Can. 4.)

Qui docet, verborum suorum sit ipse exemplum, ut magis opere doceat, quam sermone. Concionatores itaque quasi in aperto spectaculo ante omnium oculos vitam acturi, neminem celaturi, mores ad profuturum exemplum instruant. (Concilium Tolosanum, an. 1590. cap. 5. de Concionatoribus.)

Ea hora qua Episcopus concionatur, nemini in civitate liceat concionari; & cujusvis alterius concionis tempore, Missa nequaquam in ipsa Ecclesia celebrari debent.

Episcopi, caeterique omnes qui in aliqua Ecclesia dignitate sunt constituti, frequentes concionibus adsunt; quo amplectendam reliquis ex populo exemplo imitationem tradant.

Et quoniam vel sola avaritiae suspicio in omnibus ecclesiasticis, tum vero maxime in verbi Dei concionatoribus populum non mediocriter offendit; cavebunt quam diligentissime concionatores, ne de concionum sumptu mercede paciscantur. Quod si populus eleemosynam concionatoribus praebere neglexerit, Episcoporum erit dare operam, ut iis de victu & congrua eleemosyna provideatur.

Diligenter observent Episcopi doctrinam & mores concio-

tiona-

tinuatorem per viros idoneos; ut, si quis scandala disseminarit, a prædicationis munere suspendatur; si vero hæreses, quod absit, contra eum procedatur juxta formam juris. Cavendum est, ne quæstuarii per se, aut per alios prædicare permittantur, cum id Constitutionibus duabus Pii V. interdictum fuerit. Regulares insuper extra monasterium degentes, aut sæculares clerici a rectoribus Ecclesiarum concionari non permittantur, nisi Episcopis noti, moribusque & scientia probati sint. (Concilium Avenionense, an. 1594. tit. 9. de Prædicat. Verbi Dei.)

De prædicationis argumento, & prædicatoris munere, cum ad ostentationem, & inanem aurium oblectationem, & curiositatem trahi cœperit verbi Dei prædicatio, monemus prædicatores serio volumus ... pro fine cuique proponatur gloria Dei, & salus animarum; pro medio non curiosiores quæstiones, & oblectamenta verborum auribus prurientia. Quod facile assequemur, si pro argumento sumere Christum prædicare crucifixum, Dei virtutem, & Dei sapientiam; in sacratissimis enim crucifixi Christi vulneribus, cruce & morte, divinæ virtutis supereminentiam, & voluntariæ passionis quam pro redemptione mundi subiit homo factus, acerbitatem, & charitatis excellentiam cognoscimus & prædicamus. Unde ad populorum institutionem duci potest, & pene sub oculos poni Conditoris majestas, Redemptoris benignitas, Patris misericordia, Judicis severitas, æterna vitæ per divinorum præceptorum obedientiam felicitas, & sempiternæ damnationis propter prævaricationem confusio. Quæ docentur in academiis, & disceptantur in scholis, & inter scholasticos agitantur, sint inter illos qui ingenia exercent, & animos acuunt; in prædicatione instituantur fidelium mentes, & studio pietatis vocentur ad mandatorum divinorum observationem, ut virtutes christianas colant, vitia declinent, & ad futuræ vitæ præmia, implorato Dei auxilio, contentis studiis aspirent. (Concilium Aquilejanse, an. 1596. tit. 3.)

Abstineant concionatores ab inanibus ac difficilibus, captumque auditorum superantibus, & ad fidei ædificationem minus pertinentibus quæstionibus, a conviciis, a fabulosis, & a narratione apocryphorum, iisque omnibus quæ vel auditoribus risum moveant, vel eorum animos a superioribus suis avertant; neve passim hæreticorum argumenta apud imperitum multitudinem referant; sed ea tantum doceant, quæ ad fidem veram, pietatem, obedientiam & concordiam pertinent, quæque scire omnibus necessarium est ad salutem; annuntiando cum brevitate & facilitate sermonis vitia quæcunque declinare, & virtutes quas sectari oportet. (Concilium Mechliniense, an. 1607. tit. 11. cap. 3.)

A personis igitur concionantium incipientes, statuimus nullum esse ad tantum munus assumendum, quin initiatus sacro diaconatus ordine, iis virtutum insignis, & scientiarum divinarum copia sit instructus, quæ ad veritatem verbi Dei pure & orthodoxe prædicandam satis valeant. Quocirca eum, an in doctrina fidei articulis & dogmatibus a sacro Tridentino explicatis, clare elucidandis, canone Scripturæ, peccato originali, justificatione, sacramentis, sacrificio Missæ, purgatorio, invocatione Sanctorum, sacris reliquiis, imaginibus Sanctorum, indulgentiis, Papæ auctoritate, jejuniis, dierum festorum ratione, versatus sit tentandum esse præcipimus. (Concilium Burdigalense, an. 1624. cap. 12. de Prædicatione Verbi Dei.)

Ac præterea eumdem peritum bibliorum habere, commentaria varia evolvisse, sensus diversos callere, traditiones apostolicas tenere, patrum scripta legisse, & ex iis quamdam sibi familiarem retinere intendimus; doctrinam insuper œcumenicorum Conciliorum, Sanctorum vitas, Pontificum jura, provincialia Concilia & diœcesana sufficienter memoriæ mandasse oportebit; neque ignorare, sed theologia mystica operam navasse ostendat; &, ut meditandum scilicet & orandum, exercitiisque spiritualibus vacandum, tradidit; quo pias animas, & in via Dei proficientes valeat erudire; cum scriptum sit, si cæcus cæcum ducat, ambos in foveam cadere.

Hinc edicimus, omnes & quoscunque religiosos extra claustra viventes, ad concionandum non admittendos; nec alios quosvis sæculares, cujusvis privilegii prætextu, nisi prius ab Episcopo loci, scientia, doctrina & probitate approbati fuerint, licentiamque in scriptis obtinuerint. Quod servari etiam volumus in iis religiosis qui eamdem facultatem a summo Pontifice adepti, absque ordinarii licentia prædicare præsumunt; quos ideo coram ordinariis concessæ facultatis litteras exhibere jubemus, aut secus, eadem uti prohibemus.

Sed nullo modo audiendi sunt quæstores eleemosynarii, ut per se ipsos, aut alios possint prædicare; immo, quod sanxit sacrum Concilium Tridentinum, nomen eorum extinguendum penitus & abolendum censemus; patiunturque repulsum hospitalarii quicunque, seu ab iis deputati qui colligendæ eleemosynæ gratia, certas indulgentias circumferunt publicandas.

Quamvis autem parochi, ex vi promotionis suæ ad regimen animarum, jus concionandi habere videantur; ne tamen id muneris assumant, si se ea doctrina pollere non existiment, quæ ad pure verbum Dei disseminandum sufficiat, prohibemus; sed exhortari duntaxat populum, & monere, quas virtutes amplecti, quæve vitia fugere debeat, indicare; & doctrinam christianam tradere valeant; satisque sit illis liber Homeliarius, vel Concilii Tridentini catechismus parochianis suis e suggestu prælegendus. Qui vero felicioris fuerint ingenii, cum sit Episcopi diœcesani eos ad se aliquoties advocare; audire concionantes, illisque animos addere ad bene & sancte concionandum. Quos autem ad ea munia ineptos animadverterit, prohibeat, ne destruant potius, quam ædificent; sique illis prædicandi obligatio incumbat, per alium concionatorem munus debitum implere compellantur.

Quænam autem concionatori ad populum sint prædicanda, maximus in iis haberi debet delectus; & quæ semel electa fuerint, juxta eum sensum quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, in publicum proferantur & proponantur. Sed præcipue versetur concionator in evangelii, symboli, orationis Dominicæ, salutationis Angelicæ, decem præceptorum, sacramentorum, & sacrorum rituum dilucidatione; nec unquam omittat sacrosancta mysteria majorum festorum, eum religiosum eorumdem anniversarium cultum, ac in iis colendis sacrarum cæremoniarum rationes & significationes docere, & familiariter tractare; jejuniorum etiam statu tempora Adventus, & Quadragesimæ, aliaque sacramentalia elucidare; jubilæi item, supplicationum solemnium, & aliarum devotarum actionum quæ sæpe ab ordinariis indicantur, spiritum & mentem patefacere; ut iis instructus fidelis populus se paratiorem afferat donis cœlestibus imbuendum.

Quæ autem concionatori sunt fugienda, multa esse nemini omnes, sed hæc duntaxat præscribemus. Ne igitur, certum tempus Antichristi, extremi judicii, apocrypha, falsa miracula, fabulas, profana, ambigua, obscura, dubia, definita, ac supra plebis captum afferat concionator; neve opiniones hæreticorum introducat coram imperitis hominibus; si quando vero opus esset, hujusmodi falsitates reprobet, veritatem catholicam asserendo, quam confirmare ex sancta Ecclesia, Conciliorum & probatæ consuetudinis auctoritate, munus erit; exprimendo locos, ex quibus male intellectis pestifera lues enata sit, illorum genuinum & catholicum sensum afferendo. Vitet autem orationem fucatam, & pigmentis exquisitis ornatam & concinnatam, ne potius prædicare se, quam Jesum Christum videatur. Sed iis omnibus futilibus dimissis, diligens sit in reprehendendis vitiis, quæ in populum grassari potissimum animadvertet; parochorum, in quorum Ecclesiis conciones habeantur, concionatorem certiorem facere, & monere de iis vitiis, in quæ populus ejusdem loci inclinat, ut ea fortiter pestea & suaviter fugienda & declinanda.

Jam vero in quibus Ecclesiis, & quoties sit habenda divini verbi concio, decernimus in singulis Ecclesiis metropolitanis, cathedralibus, ac parochialibus, singulis dominicis & festis diebus solemnibus concionem ad populum habendam esse, sive ab Episcopis, sive a Parochis, aut, iis legitime impeditis, ab aliis concionatoribus cujuslibet ordinis, debite approbatis, per eos ad quos pertinet, sustentandis; in quibus sacra eloquia, & salutis monita familiari sermone explanare, eademque in omnium cordibus, postpositis inutilibus quæstionibus, inserere, & fideles in lege Domini erudire par erit; & ne tantus cœlestis doctrinæ fons irriguus desinat ubertim demanare, cum sit & sollicitudo ordinarii, quoscumque Parochos, pro redituum ratione, ad concionatorum impensas persolvendas per debita juris remedia compellere. Ac ne quis sibi desit in audiendis vitæ verbis, omnes & singulos cujuscumque Ecclesiæ parochialis parochianos, ut ad Ecclesiam suam propriam, hauriendi verbi divini, & sacri audiendi causa conveniant, exhortamur, & monemus, quibusque concionatoribus, ut ad id salutaribus verbis eos impellant, præcipientes. Quære APPROBATIO, PAROCHI.

PRÆFATIO, Missæ pars, quæ elata voce ante consecrationem dicitur, quæque pro aliis temporibus, officioque alio alia est. Vetustissima præfatio est; quoniam fit ejus mentio in S. Cypriani Tractatu de Oratione Dominica, & in capite 57. secundi apostolicarum Constitutionum libri, quæ ad quintum saltem Ecclesiæ sæculum pertinent, quæque longiorem præfationem continent. Ei alia olim in aliis Ecclesiis nomina fuere. In Gothico, seu Gallicano ritu appellabatur immolatio; in ritu Mozarabico, illatio; alibi, contestatio, &c. Londinense Concilium, an. 1175. præfationes statuit numero decem: Invenimus enim decem præfationes in sacro catalogo recipiendas. Unam in albis Paschalibus: Et te quidem omni tempore. Secundam in die Ascensionis: Qui post Resurrectionem. Tertiam in Pentecoste: Qui ascendens super omnes cælos. Quartam de Natali: Quia

per incarnati Verbi mysterium. *Quintam de apparitione Domini:* Quis cum Unigenitus tuus. *Sextam de Apostolis:* Ecce, Domine, suppliciter exorare. *Septimam de sancta Trinitate:* Qui cum Unigenito Filio tuo. *Octavam de Cruce.* Qui salutem humani Generis. *Nonam de jejunio quadragesimali tantummodo dicendam.* Qui corporali jejunio. *Decimam de beata Virgine:* Et te in veneratione beatæ Mariæ. *Hujus igitur decreti, & domini Papæ Alexandri Auctoritate districte præcipimus, ne quis præfatis præfationibus aliquam omnino præsumat adjicere.* (Can. 15.)

PRÆSCIENTIA, PRÆVISIO, est perfecta qua Deus gaudet, omnium futurarum rerum cognitio. Fidei caput est, per Dei præscientiam, quod ad bona & mala hominum opera pertinet, nullam iisdem necessitatem imponi. *Quære* PRÆDESTINATIO.

PRÆSCRIPTIO est acquisitio dominii seu proprietatis rei per bonæ fidei possessionem, eo temporis spatio non intermissam, quod lege statutum est. *Quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est; synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica, quam civilis, cum sit generaliter omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali non potest observari peccato. Unde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte, rei habeat conscientiam alienæ.* (Concil. gener. Lateranen. an. 1215. can. 41.)

Ex hoc canone compertum fit præscriptionem alieni boni acquirendi legitimam rationem esse; ut illud proinde tuta conscientia retineri possit, etiamsi deinde verum ejus dominum agnosci contingeret, dummodo per tempus ad præscriptionem e lege designatum bona fide & absque ulla dubitatione possessum fuerit. Hujus rei ratio est, quia respublica rei dominium in possessorem transfert, qui eam its possedit, ob societatis commune bonum, & ut familiarum statum in tuto ponat, litigia dirimat, interque cives pacem statuat.

Tempus ad præscribendum necessarium non ubique gentium, nec quoad omnia bonorum genera unum idemque est. Hac de causa cum de præscriptionis usu agitur, regionum in quibus degitur, consuetudinibus standum est. In Gallia, regionum quæ scriptum jus sequuntur, parlamenta omnia annorum decem inter præsentes, & viginti inter absentes, cum titulo & bona fide, præscriptionem admittunt, Gratianopolitano excepto quod eam solum agnoscit quæ spatio triginta & quadraginta requirit. *Præsentes* dicuntur quibus intra ejusdem regiæ præfecturæ limites domicilium est, licet immobilis res alibi sita sit. Plures, ut Aureliani & Burgundiæ consuetudines non nisi triginta annorum, cum titulo, præscriptionem probant. Regionum quæ adhærent juri scripto, parlamenta ipsa ad mobilium rerum præscriptionem vulgo trium tantum annorum possessionem requirunt. Ad cujusvis generis præscriptionem non est necesse hanc in une eademque persona continuari, Præscribere potest hæres, suæ possessionis spatium tempori addens, quo defunctus possedit, cui ipsa successit. Potest etiam præscribi per alios, ut per tutores, curatores, villicos, locatarios, &c.

Non præscribitur, e Galliarum usibus, in minores, præter quam in minoris Britanniæ consuetudine, vel in reges ob bona ad dominium spectantia, vel, in pluribus consuetudinibus, in dominos ad dominicos & feudales census, quamvis quotitas & reliqua præscribi possint. Nec magis præscribitur cautionis actio.

PRÆSENTATIO AD BENEFICIA. *Quære* COLLATOR.

PRÆVENTIO, in canonicæ jurisprudentiæ locutione, de jure dicitur, quo Papa gaudet, ut ordinarios collatores præveniat, ad beneficia ante eos nominans. Jus hoc, Lateranensis generalis Concilii tempore quod an. 1179. sub Alexandro Papa III. habitum fuit, adhuc ignotum erat. At certum est ejus usum viguisse Bonifacii Papæ VIII. ætate, qui sanctam Sedem an. 1294. conscendit, ut infertur ex cap. *Si a Sede de præbend. in Sexto*; & Clementem IV. qui an. 1268. vita functus est, ejusdem legitimitatem definiisse in capite *Licet, de Præbend. in Sexto*, disertis his verbis: *Licet ecclesiarum, personatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum plenaria dispositio ad Romanum noscatur Pontificem pertinere.* Hoc ipsum jus tam altas radices egerat Basileensis Concilii tempore, ut hoc idem Concilium, tametsi Romanæ curiæ contentionibus admodum parum faveret, ausum non fuerit illud attingere, ullave ex parte infirmare: *Neque etiam*, inquiunt Concilii Patres, *beneficiorum collationes per præventionem faciendas Synodus intendit impedire.* (Sess. 31. Decret. *de Collat. Benefic.*) Irrito quoque conatu curavit Gallia, ut præventio in Tridentino Concilio aboleretur; uti usus monumenta quæ in hanc rem præsidens Ferrerius, Caroli Regis IX. orator exhibuit.

Itali ex una parte, & Galli ex alia de præventionis jure longe aliter sentiunt. Contendunt Itali, cum omnis ecclesiastica jurisdictio a Papa, tamquam universæ Ecclesiæ capite, supremoque præside derivetur, eum ordinariorum ordinarium esse, eumdem, hoc titulo, posse omnes collatores prævenire; ac si qui inter eos huic regulæ exempti sunt, id iis privilegii a Papa ipso concessum esse.

Asserunt, contra, Galli præventionis jus ad Papam non nisi Ecclesiæ concessione expressa aut tacita pertinere; & hoc ipsum, utpote odiosum, quoad fieri potest, restringi debere; iisque, ut ita sentiant, gravia rationum momenta suppetunt.

Locum ergo non habet in Gallia Papæ præventio; 1. in beneficiis patronatus laici, iis exceptis quorum fundationis patroni confirmationem a Papa obtinuerunt, expressis verbis in fundationis jus consentientes; 2. in beneficiis quæ mixti patronatus sunt; 3. in beneficiis quæ ad Regis collationem aut nominationem spectant, si forte exiguus eorum numerus excipiatur; 4. in minoris Britanniæ beneficiis; 5. in ecclesiastici quoque patronatus beneficiis, cum ordinarius contulit, irrita licet & nulla fuerit ejusdem collatio, secundum effatum illud: *Collatio ordinarii etiam nulla impedit præventionem Papæ*; dummodo collatio non sit evidenter nulla per defectum constantem potestatis in collatore, aut per defectum qualitatum communium quæ in proviso ad beneficia recipienda necessariæ sunt, ut si tonsuratus non sit, aut per intrinsecum defectum tituli qui ne coloratus quidem esset; 6. cum ecclesiastici patroni præsentatio significata fuit collatori ordinario, antequam Papa providerit; 7. cum Papa non prævenit *rebus omnibus integris*; jam vero integræ res esse desinunt per minimum actum, etiam præparatorium, a collatore ordinario ante Papæ provisionem editum, ut per æris campani sonitum, capituli ad electionem convocandi gratia, &c. 8. cum in Papæ provisionem obtentione fraus adest aut deceptio; 9. cum alicui suppetunt privilegia, ne a Papa præveniatur, quemadmodum suppetunt Cardinalibus, indultariis, &c.

Papæ nuntiis qui in Gallia resident, haud præveniendi facultas est. Idem de legatis testantur Pithou & Fevretius; certum tamen est Vice-legatum Avenionensem conferre per præventionem beneficia comitatus, & provinciarum quinque, quæ ejus vice-legationem constituunt, videlicet, Arelatensis, Aquisextiensis, Embrodunensis, Viennensis & Narbonensis.

PRAGMATICA SANCTIO. *Sanctionis* nomen latinum est derivatum a verbo *sancio*, quod significat *mandare*, *præcipere*, pragmaticæ vero vocabulum ducitur a græca voce *Pragma* quod negotium designat. Ergo Pragmaticæ Sanctionis vocabula usus addixit, devovitque mandatis quæ magna civilis regiminis, Ecclesiæ, communitatum negotia spectant, iisque mandatis quæ in publicis negotiis e doctorum plurium jurisconsultorum consilio edebantur; vel iis denique, quæ Reges in cœtu, e regni proceribus conflato pronuntiabant. S. Ludovicus, ad iter ultra mare se comparans, celebre mandatum emisit, *Pragmaticæ* Sanctionis titulo, quam in articulos sex divisit.

Cum Rex Carolus VII. an. 1438. in urbe Bituricensi cœtum, ex illustrioribus regni viris compositum convocasset, in eo edita fuit, Julii die 7. celebris Pragmatica Sanctio quæ Caroli VII. nomen præfert, titulosque tres & viginti complectitur.

PRECARIÆ, seu PRECATORIÆ LITTERÆ; species contractus olim communis admodum in Ecclesia. Continebatur contractus hic donatione bonorum quæ privati homines Ecclesiis aut Monasteriis tribuebant, quæque ipsi rursus ab iisdem Ecclesiis ac Monasteriis, in ejus donationis consecutionem, per litteras quæ *precariæ*, seu, *precatoriæ* nuncupabantur, emphyteutica veluti locatione quadam, quinque, sex, aut septem generationum spatio possidenda obtinebant, ea conditione, ut iis Ecclesiis aut Monasteriis certum statumque reditum quotannis tribuerent. Locatione ad exitum perducta, bona proprietatis titulo ad Ecclesias aut monasteria migrabant. De hujusmodi contractibus in veteribus chartulariis & in Conciliis identidem sermo est.

Ut si quilibet hominum res Ecclesiæ per mendacia, vel mala ingenia, in precariam sibi acquirere & habere voluerit, & post factas precarias, eadem mendacia ad aures ejusdem rectoris Ecclesiæ delata fuerint, ipsa Ecclesia res suas quæ ei mendaciter abstracta fuerint, pleniter absque ullius contradictione omnimodis recipiat. Ille vero qui res suas per eadem mendacia propter cupiditatem ipsius precariæ eidem Ecclesiæ tradidit, simili modo in suam recipiat dominationem. Repetitur canon hic in vicesimo canone Moguntini Concilii, an. 888.

PRE-

PRECES PRIMARIÆ. Ita nuncupatur jus Imperatorum Germaniæ, ei simile quod Galli vocant *jucundi Adventus*, seu initi regni jus; porro jus illud in eo continetur, ut Imperatores ad unum cujusque collatoris ab iisdem pendentis beneficium præsentent. Formulæ, an. 1273. editæ, quo anno Imperator Rodulphus I. electus fuit, non aliud hujusce juris fundamentum, quam antiquam Imperatorum possessionem affert; verum, ad omnem scrupulum adimendum, ii Principes e summis Pontificibus, inter alios, a Gregorio XIII. & Paulo V. Bullas idem jus confirmantes obtinuerunt.

Cum porro mandata, expectativas, & alias ejusmodi gratias Tridentina Synodus abrogasset, (Sess. 24. cap. 19. *de Reform.*) & paullo post eamdam Synodum, suborta esset quæstio Romæ judicanda, an Imperator suum jucundi adventus jus amisisset; Papa & Congregatio ad Concilii decretorum interpretationem instituta declararunt Imperatorem eo decreto non contineri, quippe qui expressis verbis ibi nominatus non esset.

PRECES PUBLICÆ. Episcopi est eas indicere, & moderari: *Episcopis præterea ubique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est, eisque in choro, & in capitulo, in processionibus, & in aliis actibus publicis sit prima sedes & locus quem ipsi elegerint, & præcipua omnium rerum agendarum auctoritas.* (Concilium Tridentinum, Sess. 25. cap. 6. *de Reform.*) Articulus 46. edicti mensis Aprilis an. 1695. huic constitutioni congruit, addito que Episcopos de publicarum precum quas Sua Majestas mandaverit, die & hora, cum generalibus locum tenentibus & provinciarum administratoribus, parlamentorum curiis, rationum cameris, subsidiorum curiis conventuros.

PRESBYTER. *Quære* APPROBATIO, CLERICUS, PAROCHUS, ORDO, MISSA, PRÆDICATIO.

PRESBYTERIUM, domus est peculiari Ecclesiæ proxima ad eos recipiendos qui ei deserviunt. Unaquæque parochialis Ecclesia presbyterum habere debet, in quod eorum sumptibus Parochus excipiatur, qui in singulis parœciis degunt, aut bona in iisdem possident. Est hæc veterum recentiorumque Conciliorum, & potissimum Rothomagensis, an. 1581. habiti dispositio: *Ad residentiam presbyterio opus est, & pro parœcia conditione, habitaculo opportuno; ut in necessitate constituti sciant, quo debeant confugere, & ubi medicum invenire. Si desiteret, providendum curato de domo commoda juxta Ecclesiam parœcialem, si fieri potest, idque fabrica, seu parœcianorum sumptibus, qui de jure, vel consuetudine tenentur. Sicut autem illi obligantur ad habitationem suis rectoribus præparandam; ita oportet istos in ædibus sibi assignatis habitare, neque excusari nisi ex evidenti & legitimo impedimento; quo occurrente, non liceat presbyterium laicis quibuscumque locare, aut ad manendum etiam gratis tradere, sed tantum presbyteris qui curatorum in necessaria sacramentorum administratione vices gerant; contra aliter agentes per censuras ecclesiasticas procedatur.* (Tit. *de Curatorum & alior. Presbyter. ac Parœcianorum Officiis.*)

Si qui Parochi domos non habebant, curent Episcopi, ut parœcianorum expensis extruantur. (Concilium Bituricense, an. 1584. tit. 36. *de Rectoribus Ecclesiarum parochialium.*)

His Conciliorum constitutionibus consentanea est Gallicana jurisprudentia; ejusmodi nimirum est dispositio articuli 52. Blesensis constitutionis; articuli 3. edicti Melodunensis; & articuli 22. edicti an. 1695. qui ita habet: „ tenebuntur pariter dictarum parœciarum in„ colæ sustentare & reparare Ecclesiarum navem, & „ cœmeteriorum clausuram, parochisque congruum do„ micilium suppeditare. " Arestorum jurisprudentia his edictis congruit. Per utraque, suo incolæ Parocho domicilium præbere debent; & quidem ejusmodi domicilium, ut ibidem commode ipse ejusque Vicarii degere possint; at non iidem ei legi subsunt, ut ei vel ad majorem commoditatem oblectationemque amplius hospitium parent, vel areas ad decimas includendas, aut stabula, seu equilia, vel supellectilem tribuant. Verum quidem aresta vetera ad curialem domum ornandam parochianos damnasse; at hæc jurisprudentia mutationem subiit, nec satis firmo fundamento nituntur Parochi, ut id contendant.

Tenentur etiam incolæ presbyterium restituere, quod seu vetustate, seu fortuitos ob casus, cujusmodi sunt bellum, inundatio, incendium, perire contigerit. Subsunt iidem præcipuis reparationibus, ut majorum parietum restitutioni, tectorumque redintegrationi, at minutis & usufructuariis instaurationibus non item; has enim Parochi ipsi, præsertim vero qui in congrua portione constituti non sunt, perficere debent. Hanc jurisprudentiam statuunt aresta tum vetera, tum recentiora, & nominatim parlamenti Parisiensis aresta duo, unum quidem diei 14. Januarii an. 1632. alterum vero diei 26. Aprilis an. 1709. Declaratio diei 27. Januarii an. 1716. ad Rothomagense parlamentum missa pronuntiat, „ Parochos, dum titulares fuer, ad „ memoratas reparationes per temporalium bonorum „ obsignationem, ad tertiam usque annui eorum redi„ tus partem adigi posse. "

Presbyterii reparationibus tum quoque subduntur parœciarum incolæ, cum Parochus decessor illud, pro ut res postulabat, non sustentans, deperire passus est; ita nihilominus, ut incolis sit in ejus negligentis Parochi heredes actio.

Tenentur etiam domum conducere, in quam Parochum ejusque Vicarios recipiant, usque eo dum presbyterium reparatum fuerit.

Sunt regiones, in quibus Decimatores & Parochi qui magni momenti parœcias tenent, presbyterii ornandi reparandique obligationi subsunt. Hanc consuetudinem Van-Espenius fere in Belgio vigere testatur. Provinciensis parlamentorum decimatores jubet ad parochialium Ecclesiarum & presbyterii quod tamquam ab Ecclesia pendens spectatur, reparationes & reædificationes ex tertia parte conferre; reliquæ tertiæ partes duæ ab incolis, iisque qui bona ibidem possident, tribuuntur. Provinciensis parlamenti arestum quod ita in Aquisextiensis capituli favorem judicavit, an. 1670. editum fuit. Videri potest arestum hoc apud Bonifacium, Tom. III. Lib. IX. tit. 14. cap. 7.

PREX. *Quære* OFFICIUM DIVINUM.

PRIMAS, Archiepiscopus qui supra archiepiscopatus & Episcopatus plures jurisdictionis superioritate pollet. Contenditur, ad Gregorii VII. tempus usque, qui Aprili mense an. 1073. summus Pontifex electus fuit, in Galliis nec Patriarcham nec Primatem agnitos fuisse, nisi forte per personales commissiones quas Romani Pontifices identidem Archiepiscopis, præsertim Arelatensibus addicebant. Creditur ergo Gregorius VII. perpetuæ primatiæ titulum primus, an. 1079. Lugdunensi Ecclesiæ tribuisse supra Rothomagensem, Turonensem & Senonensem provincias quæ nihil intentatum reliquerunt, ut novum illud jugum excuterent; quod Urbanum Papam II. impulit, ut sui decessoris privilegium in Concilio confirmaret, quod ipse Claromontii an. 1095. habuit; & ad excommunicationis minas usque in opponentes Archiepiscopos deveniret. Hugo tamen, Rothomagensis Archiepiscopus, cum ad an. 1135. in Antipapam Anacletum Innocentio Papæ II. utilem operam præstitisset, a nova Lugdunensi primatia liberationem obtinuit, quæ post annos centum a Gregorio IX. confirmata fuit, qui Rothomagensibus Archiepiscopis id concessit, ut *in temporalibus & spiritualibus* proxime a sancta Sede penderent.

Contendunt etiam nonnulli a Gregorio pariter VII. Bituricensem Archiepiscopum totius Aquitaniæ primatem institutum fuisse; alii vero institutionem hanc ad Carolum Magnum ipsum referunt, qui perfecit, ut Bituricensi Ecclesiæ subderentur Burdigalensis, Auscitensis & Narbonensis provinciæ, cum Aquitaniam suorum filiorum uni in regnum erexit, & Bituricensem urbem eidem regno metropolim dedit. Toleti supra universam Hispaniam primatia per Urbani II. Bullam, an. 1086. originem debuit, cum eam urbem Rex Alphonsus e Saracenis recepisset; quamvis enim Concilium quod Toleti an. 531. habitum fuit, ejus urbis Episcopum totius Carthaginensis provinciæ Primatem declaret, hæc tamen denominatio cum eo non pugnat, quod proponitur, quia Primatis nomine Concilium non nisi purum putumque Metropolitanum intelligebat, ut ex eo probatur, quod ejus jurisdictio in unam tantum provinciam patebat.

Primatis olim erat sui Primatus Episcopos ordinare, iis Romam eundi facultatem concedere, nationalis Concilii locum indicere, Paschatis diem designare.

Placet omnibus, ut inconsulto Primate cujuslibet provinciæ, tam facile nemo præsumat, licet cum multis Episcopis .... Episcopum ordinare. Si autem necessitas fuerit, tres Episcopi, in quocumque loco sint, cum Primatis præcepto, ordinare debeant Episcopum. (Concilium Carthaginense, an. 390. can. 12.)

Placuit ergo in principio propter errorem qui sæpe solet oboriri, ut omnes Africanæ Provinciæ Episcopi observationem Paschalem ab Ecclesia Carthaginensi curent accipere. (Concilium Carthaginense, an. 397. can. 1.)

Item placuit, ut Episcopi trans mare non proficiscantur, nisi *consulto primæ Sedis Episcopo, sive cujusque provinciæ Primate, ut ab eo præcipue possint sumere formatam, vel commendationem.* (*Ibid.* can. 28.)

E præsenti disciplina, Primates supra Archiepiscopos qui eorum jurisdictione subsunt, præcedentia gaudent, præsunt Conciliis quæ ex eorum Metropolitanis conflata sunt, & de causis quæ in provinciis eorumdem primatu pendentibus laborantur, per appellationem cognoscunt; dant etiam, metropolitanis recusantibus, litteras *Visa* dictas.

Animadversione dignum est per hæc nomina, *Primas*, & *matricis Ecclesiæ prima Sedes*, sæpe in veteribus monumentis non aliud quam ordinatione seniorem Episcopum, itemque fundatione antiquiorem Ecclesiam significari; ideoque, ex Africana consuetudine, nonnunquam primatis, nomen pagi Episcopo tributum cernitur.

PRIMICERIUS, seu PRIMECERIUS, primus, caput. Datum fuit peculiariter hoc nomen iis qui ærario præerant, deinde vero iis generatim omnibus qui in aliquo, quodcunque esset, sæculari aut Ecclesiastico corpore primas agebant. In aula, palatii capellæ *Primicerius* appellabatur is qui inter imperialis capellæ officiarios primus erat; in cathedralibus autem Ecclesiis, is cujus curæ demandatus erat publici officii ordo, quique choro præerat, ubi eorum obibat munia, quos Præcentores, seu magnos Cantores vocamus: *Communi deliberatione sancimus, ut omnes nos Episcopi, infra nostram provinciam consistentes, in cathedralibus nostris Ecclesiis, singuli nostrum Archipresbyterum, Archidiaconum, & Primiclerum (Primicerium) habere debeamus.* (Concilium Emeritanum, an. 666. can. 10.)

Tertia vero pars (pecuniæ a fidelibus oblatæ) subdiaconibus & clericis tribuatur; ut a Primiclero, juxta quod in officio eos perfectos esse viderit, ita singulis dispensetur. (Can. 14.)

Ex his canonibus constat cathedralium Ecclesiarum clerum divisum fuisse in presbyteros quibus archipresbyter caput erat; in diaconos qui sibi superiorem archidiaconum agnoscebant; & in subdiaconos, levitas, cantores, acolythos, ostiarios, exorcistas, &c. quibus fere præerat subdiaconus qui *Primicerius*, seu *Capicerius* appellabatur. Hic Toletani Concilii decimi quinti, an. 688, habiti actis proxime post archidiaconum subscribere cernitur. Hic idem vacantis episcopalis Sedis omnia negotia conjunctim cum archidiacono & archipresbytero peragebat, ut percipimus e Martini Papæ I. Epistola 15. ubi dicitur: *In absentia Pontificis, Archidiaconus, Archipresbyter & Primicerius locum præsentant Episcopi.* Primicerii munia inter cathedralium Ecclesiarum cancellarios & præcentores tributa fuere. Ejus autem nomen adhuc in aliquibus Ecclesiis servatum est; in Metensi Ecclesia *Primicerius*, seu *Princerius* is est qui diœceseos primam dignitatem possidet; Venetiis, decanus Ecclesiæ S. Marci nuncupatur etiamnum *Primicerius*, at longe alia quam apud veteres significatione, quandoquidem est veluti Episcopus a Patriarcha minime pendens, & episcopalibus prærogativis gaudens, ita scilicet, ut cum cruce, mitra, annuloque officium obeat, populo benedictionem impertiatur, tonsuram & quatuor minores ordines conferat.

Primicerii nominis originem præbuit vetus mos, in eo positus, ut super tabellis cera illitis scriberetur, & qui scribebat ibidem primus, vocaretur, ob hanc causam, *Primicerius*, hoc est, *primus in cera*, *in tabula*, *in catalogo*, *sive militum*, *sive judicum*, *sive cantorum*, *&c.*

PRIOR, PRIORATUS. Prior est religiosorum monasterii superior. Si abbatiæ sub Abbate, seu regulari, seu commendatario constitutæ religiosos regit, dicitur *prior claustralis*, quia in claustro seu cœnobio superioritatem exercet; si vero tamquam caput, primusque superior, eadem qua Abbas pollet, *auctoritate*, monasterium administrat, *prior conventualis* appellatur.

Prior claustralis ad regularis quidem, non item ad commendatarii Abbatis nutum amovibilis est. Prior conventualis ex causa tantum, servataque juris forma amoveri potest.

Prioratus aliqui parœciæ sunt, animarum curam scilicet adjunctam habent, prioratus simplices alii quibus ea cura adjuncta non est; & hæc quidem beneficia, seu prioratus simplices fuere plerique origine regulares, notique *Cellularum*, *Monasteriolorum*, *Cellarum Dei*, *Arcarum*, *Obedientiarum* nominibus.

Occurrunt in Conciliis super Prioribus & prioratibus statuta plura: *Prioratus quoque, sive obedientiæ, pretii datione, nulli tradantur. Alioqui & dantes & accipientes a ministerio fiant ecclesiastico alieni. Priores vero cum in conventualibus Ecclesiis fuerint constituti, nisi pro manifesta causa & rationabili non mutentur, videlicet, si fuerint dilapidatores, aut incontinenter vixerint, aut aliquid tale egerint, pro quo amovendi merito videantur; aut si etiam pro necessitate majoris officii, de consilio fratrum fuerint transferendi.* (Concilium generale Lateranense, an. 1179. can. 10.)

Item constituimus, ut Abbates & priores & præpositi religiosorum, si fuerint manifeste remissi & negligentes circa observantiam ordinis, & correctionem subditorum, non promoveantur ad dignitates & majora officia; & non sint judices, vel advocati, vel testes, vel assessores, vel ad alia publica officia admittantur; & si post admonitionem superioris se non correxerint, ab officio Abbatis, vel prioratus, vel præpositura deponantur. (Concilium Parisiense, Part. III. cap. 20.)

Si vitam reprobam manifeste duxerint, idem constituimus observandum. (Cap. 11.)

Idem constituimus, si dederint cognatis suis bona Ecclesiæ suæ, nisi pauperibus, & ut pauperibus; vel circa hoc aliquid in fraudem fecerint. (Cap. 13.)

Statuimus, ut in abbatiis atque prioratibus, in quibus facultates non fuerint diminutæ, reintegretur numerus religiosarum personarum; nisi forsan ex superioris expressa licentia, atque causa rationabili, sustineatur ad tempus. Hoc autem quod a jure statutum est, ne monachus solus alicubi commoretur, observari volumus & mandamus. (Concilium Pont-Audomeriense, an. 1279. can. 10.)

Prohibemus autem Prælatis regularibus, ne prioratus, Ecclesias, administrationes, aut beneficia ad eorum dispositionem spectantia, quæ non sunt de mensa sua, sed speciales priores, administratores, seu rectores consueverunt habere, applicent mensis suis, vel pensiones veteres augeant, aut novas imponant; ipsisque præcipimus, quod facta in contrarium, ad statum pristinum reducantur; & nisi moniti per diœcesanos hoc fecerint, per eos arbitrarie puniantur; & nihilominus attentata facta, in statu debito reponantur. (Concil. Parisiense, an. 1346. cap. 11.)

Curiarum in Galliis jurisprudentia quoad ætatem ad prioratus simplices in commendam possidendos non una olim & eadem erat. Magnum Consilium judicabat puerum septennem, tonsura initiatum, eorum capacem esse; contra, parlamentum judicabat quatuordecim annorum ætate opus esse, ob eam causam, quia ante Tridentinum Concilium religiosa professio ante ætatis annum decimum quartum emitti non poterat; &, ex communi jure, nemini de regulari beneficio ante professionem provideri licebat. Hæc ratio locum non habet, cum de prioratibus agitur, qui ad sæcularem formam redacti sunt; eosque proinde sæcularis clericus, quamvis ætatis annos quatuordecim non attigerit, obtinere potest.

PRISCILLIANISTÆ, veteres hæretici, Priscilliani, natione Hispani discipuli. Erat is homo nobilis, dives, doctus, eloquens, austerus in moribus, & vivendi ratione. Ei magister fuit quidam nomine *Marcus*, Memphi in Ægypto natus, qui quarto labente sæculo in Hispaniam venerat, ibique plura præstigia exhibuerat. Et nec magica scientia, nec hypocrisi Priscillianus auditor concessit; qui scilicet humilitatis specie, vultu ad gravitatem composito, magna loquendi facilitate, non sine magno privatæ utilitatis neglectu, magnaque in victu frugalitate assecutus est, ut magno hominum numero fucum faceret, eosque in suos qui Gnosticorum & Manichæorum erant, errores traheret. Is fuisse videtur proprius & peculiaris Priscillianistarum error, qui nempe docuerint licere cuique, suis ut rationibus consulat, falsum jurare. Priscillianum Instantius & Salvianus, Episcopi duo, quos is suis partibus addixerat, Abulensem Episcopum initiarunt. Damnatus fuit hæresiarcha cum suis in Conciliis, Cæsaraugustano, an. 380. Burdigalensi, an. 385. Toletano, an. 400. Hispaniensi alio quod an. 447. habitum est, cujusque locus ignoratur; denique Bracarensi, an. 563. Priscillianistæ ex universa Hispania pulsi fuere per Imperatoris Gratiani rescriptum, & in eamdem redire per ejusdem Imperatoris rescriptum aliud, quod rescriptum prius abrogavit. Cum porro Maximus qui a Gratiano defecerat, imperio potitus esset, & Priscillianus a Burdigalensis Concilii sententia ad eum appellasset, Treverim ductus fuit, ubi Maximi aula tunc residebat, &, nihil obstantibus S. Martini sollicitationibus, qui in ea circumstantia Treviri versabatur, ad mortem una cum clericis duobus & laicis itidem duobus damnatus, agentibus Itacio & Idacio, duobus Hispaniæ Episcopis qui, post Maximi mortem, Ecclesiæ communione privati fuere.

Convenientibus Episcopis in Ecclesia, Toleto ... qui & in aliis gestis, adversus Priscilliani sectatores, & hæresim quam adstruxerat, libellarem direxere sententiam. (Concilium Toletanum, an. 400. *in Preamb.*)

Si quis in his erroribus Priscilliani sectam sequitur, vel profitetur, aut aliud in salubri baptismo contra sedem sancti Petri faciat; anathema sit. (Can. 18.)

Propo-

Proposita contra Priscillianam hæresim capitula, & ecclesia continentur hæc. (Concilium Bracarense.)

I.

Si quis Patrem & Filium & Spiritum Sanctum non confitetur tres personas unius substantiæ & virtutis ac potestatis, sicut catholica & apostolica Ecclesia docet, sed unam tantum dicit & solitariam esse personam, ita ut ipse sit Pater qui Filius, ipse etiam sit paracletus Spiritus, sicut Sabellius & Priscillianus dixerunt; anathema sit.

II.

Si quis extra sanctam Trinitatem alia nescio qua divinitatis nomina introducit, dicens, quod in ipsa divinitate sit Trinitas Trinitatis, (aliter, ipsa divinitas sit Trinitas) sicut Gnostici & Priscilliani dixerunt; anathema sit.

III.

Si quis dicit Filium Dei Dominum nostrum, antequam ex Virgine nasceretur, non fuisse, sicut Paulus Samosatenus & Photinus & Priscillianus dixerunt; anathema sit.

IV.

Si quis natalem Christi secundum carnem non bene honorat, sed honorare se simulat, jejunans in eodem die & in dominico, quia Christum in vera hominis natura natum esse non credit, sicut Cerdon, Marcion, Manichæus & Priscillianus; anathema sit.

V.

Si quis animas humanas, vel angelos ex Dei credit substantia extitisse, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt; anathema sit.

VI.

Si quis animas humanas dicit prius in cælesti habitatione peccasse, & pro hoc in corpora humana, in terram dejectas, sicut Priscillianus dixit; anathema sit.

VII.

Si quis dicit, diabolum non fuisse prius bonum angelum a Deo factum, nec Dei opificium fuisse naturam ejus; sed dicit eum ex chao & tenebris emersisse, nec aliquem sui habere auctorem, sed ipsum esse principium & substantiam mali, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt; anathema sit.

VIII.

Si quis credit, quia aliquantas in mundo creaturas diabolus fecerit, & tonitrua, & fulgura, & tempestates, & siccitates ipse diabolus sua auctoritate faciat, sicut Priscillianus dixit; anathema sit.

IX.

Si quis animas & corpora humana fatalibus stellis credit adstringi, sicut pagani, & Priscillianus dixerunt; anathema sit.

X.

Si qui duodecim signa quæ mathematici observare solent, per singula animæ, vel corporis membra disposita credunt, & nominibus Patriarcharum adscripta dicunt, sicut Priscillianus dixit; anathema sit.

XI.

Si quis conjugia humana damnat, & procreationem nascentium perhorrescit, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt; anathema sit.

XII.

Si quis plasmationem humani corporis diaboli dicit esse figmentum, & conceptiones in uteris matrum operibus dicit dæmonum figurari, propter quod & resurrectionem carnis non credit, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt; anathema sit.

XIII.

Si quis dicit creationem universæ carnis non opificium Dei, sed malignorum esse Angelorum, sicut Manichæus & Priscillianus; anathema sit.

XIV.

Si quis immundos putat cibos carnium, quos (vel quæ) Deus in usus hominum dedit; & non propter afflictionem corporis, sed quasi immunditiam putans, ita abstineat ab eis, ut nec olera cocta cum carnibus prægustet, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt; anathema sit.

XV.

Si qui clericorum, vel monachorum, præter matrem, aut germanam, vel thiam, vel proximam sibi consanguineam, junguntur, (al. vel etiam quæ proxima consanguinitate junguntur) alliasque aliquas adoptivas feminas secum retinent, & cum ipsis cohabitant, sicut Priscilliani secta docuit; anathema sit.

XVI.

Si quis, quinta feria Paschali, quæ est Cœna Domini, hora legitima, post nonam jejunus in Ecclesia Missas non tenet; sed secundum sectam Priscilliani, festivitatem ipsius diei, ab hora tertia, per Missas defunctorum, soluto jejunio colit; anathema sit.

XVII.

Si quis Scripturas quas Priscillianus secundum suum depravavit errorem, vel Tractatus Dictinii, quos ipse Dictinius, antequam converteretur, scripsit, vel quicunque hæreticorum, sub nomine Patriarcharum, Prophetarum, vel Apostolorum, suo errori consona confinxerunt, legit, & impia eorum figmenta sequitur, aut defendit; anathema sit.

PRIVILEGIUM est prærogativa, seu præstantia, favor, honos, antecessio, seu peculiare jus quod quibusdam personis, quibusdam statibus, quibusdam officiis muneribusve, præ aliis, addictum est. Ecclesiastici, aliæque seculares & regulares communitates privilegiis pluribus gaudent, quæ eorum personas, aut bona spectant. *Quare* EXEMPTIO, IMMUNITAS, DELICTUM, CAUSÆ MAJORES.

PROCESSIO, SUPPLICATIO, ecclesiastica ceremonia quam populus peragit clerum sequens; ita scilicet, ut vel e loco sancto pes efferatur, eodemque redeatur, vel circum Ecclesiam, seu intra seu extra pergatur, vel iter ad aliquam invisendam Ecclesiam instituatur, semperque per ipsam processionem Dei laudes canantur.

Concilia continent super processionibus utilia statuta plura; quæ sequuntur nec e statutis animadversione minus dignis, nec e minus gravibus sunt.

Processiones Ecclesiarum collegiatarum ad summum templum, quæ in diebus maxime celebribus ac festis fiunt, procul dubio institutæ sunt causa conveniendi illuc ad Missas episcopales, desiderioque recipiendi communionem, vel benedictionem episcopalem. Jam cum isti conventus speciem quidem antiquitatis, & nihil præterea repræsentent, immo perniciosa evagationis materiam, crapulæ occasionem diebus sacratissimis præstent; illas nobis catenus abrogare visum est, ut collegia in civitate nostra Coloniensi, in quatuor illis summis anni festis, ac diebus celebribus sequentibus, quæque in suis Ecclesiis divinum officium statis horis reverenter solemniterque celebrent ac peragant; neque his diebus, nisi cum nos in summo templo nostro præsentes erimus, collegialiter accedant .... tacemus, quod interim apud ipsas collegiatas Ecclesias hisce diebus, maxime insignibus, solemne officium prætermittitur; aut, si quod dicitur, verius præcipitatur ac truncatur, quam celebratur. (Concilium Coloniensa, an. 1536. Part. III. cap. 28.)

Reliquas autem processiones more antiquo observari volumus; jubemus tamen, ut clerus civitatis nostræ abusus qui hactenus irrepserunt, matura consultatione prævia, tollere pergat. (Cap. 29.)

Quod processiones per agros & campos peraguntur, rationem quidem habet, nempe quod populus orat, ut segetes ac fruges terræ a Domino conserventur; verum ut alia plurima, ita & hic mos, hominum malitia depravatus, quod per occasionem talis deambulationis, quæ Deo placande erat instituta, pleraque scelera committantur. Quamobrem nobis satius videtur, ut hæ, aliæque supplicatio-

nes

nes ac processiones de cætera intra septa Ecclesiarum religiose fiant, ac ut in templo, loco precationibus peculiariter dedicato, oretur Deus, habeaturque tum pius, tum ac tempori conveniens ad populum commonitorius sermo. (Part. 9. cap. 8.)

Nihil prope tam sanctum est, quod sæcularium hominum vanitas non trahat in abusum. Ecclesia de thesauro corporis Christi exsultans circumfert longis processionibus extra sacras ædes hostiam illam salutarem; videlicet simul repræsentans itineris Christi historiam, qui dum quæreret salutem nostram, in medio populi versatus est, & universam Judæam circumambulavit, docens, & ægrotos sanans, discipulis comitantibus; quamobrem & Sanctorum reliquias & imagines eorum qui vestigia ejus secuti sunt, simul circumferimus, significantes illos nunc cum ipso regnare & triumphare in cœlis, quæ memoria debet piis esse jucunda & læta. Verum huc sæcularis stultorum hominum vanitas irrepsit; & adhibentur etiam ludi profani & scurriles magno strepitu; ac quasi ad bellum procedendum esset; tympana pulsantur, & otiosa spectacula eduntur, rebus istic non congruentia, quibus populus delectatus a rebus quæ processione aguntur, avocatur. Mandamus idcirco, ut juxta Cæsareæ Majestatis reformationem, quidquid non valet ad devotionem excitandam, a processionibus removeatur; sed sint processiones compositæ, graves & modestæ; absint risus, joci & confabulationes; & orent homines, aut suaviter corde & voce modulentur; nec beatæ Virginis, aut alterius cujuslibet Sancti, plures quam imago una cujuscumque circumferatur; ne videamur magnas & parvas, sculptas & incultas statuas inspicere, & non sursum mente in cœlum erecta rem significatam potius cogitare. At ubi populus vanus voluerit abusum hunc corrigere, & insolentiam prohibere, mandamus & præcipimus Sacerdotibus & clero, ut talibus processionibus intersint, ubi iram Dei, non vero misericordiam, in nos provocamus. (Concilium Coloniense, an. 1549. tit. 22. *de Processionibus.*)

Quantum in processionibus festivis peccat turba populi, tantum in stationibus & supplicationibus solet clerus peccare, & populum devocare, nudis interdum plantis & capitibus incedentem, sua insolentia, confabulationibus, cachinnis, incompositis moribus & discursibus scandalizare. *Præcipimus idcirco, ut in omnibus cujuscunque generis processionibus clerus exemplis bonis populum ædificet, & aut oret, aut canat cum gravitate, per plateas incedens; nec dilabatur ad jentacula, nec in Ecclesiis, dum sacrum in stationibus peragitur, deambulent, aut confabulentur, sed choro omnes intersint; habeantque singuli decani & seniores adjunctos respectum; puniantque transgressores pœnis quas decanus injunget.* (Tit. 23. *de Stationibus & Supplicationibus.*

Generales processiones a cathedrali, vel cujusque loci majori Ecclesia proficiscantur, & eodem revertantur, nisi aliud Episcopo videatur. (Concilium Mediolanense, an. 1565. Part. II. tit. 58. *de Processionibus.*)

Eas canonici & alii clerici etiam, cujusvis dignitatis sint, cum superpelliceis, & usitatis aliis sacris vestibus statuto tempore semper obeant.

Ad hujusmodi processiones Episcopi, cum eis videbitur, ex Concilio Tridentino, vocent regulares omnes, quamvis exemptos.

Si qua controversia sit de priori loco, ab Episcopo ex auctoritate ejusdem Concilii, tollatur.

Cruces clerici ferant, talari veste, & superpelliceo induti .... omnes ordines graviter & modeste procedant, colloquiisque excitatis, psalmis, hymnis, & reliquis sacris precibus operam dent.

Nemo ordinem in processione deserat, antequam ad Ecclesiam, unde profecti sunt, redierint.

Laici a clericis, feminæ a viris separatim prosequantur.

Ne inter viam inaniter, spectandi gratia, subsistatur.

Ne postulanti falso dictove aliquam molestia inferatur.

Ne quæ minus deceant, spectacula adhibeantur.

Nove actiones pro foribus ædium, aut in via repræsententur.

Episcopi præficiant certos viros quibus curæ sit, ut hæc omnia quæ de supplicationibus præscripta sunt, serventur; & ut res, ea qua decet, pietate agantur.

Edendi ac bibendi consuetudinem, secumve esculenta & poculenta deferendi, aut ea vendendi in sacris supplicationibus habendis, vineisque lustrandis, & suburbanis Ecclesiis visitandis, Parochi tollere studeant; fideles sæpius admonentes, præsertim die dominico qui proxime sacras Rogationes antecedit, quam dedeceat, ubi piis orationibus mens & lingua exercenda est, ibi jejunium quod ad alliciendam Dei gratiam, magnam vim habet, tantisper servari non posse.

Stati dies processionum quæ progratiarum actione fiunt, ut antiquis rituum monumentis traditum est, hi sunt: dominicus scilicet dies, vel feria quinta. Si vero pro calamitatibus, peste, bello, fame, aliisque id genus supplicandum est, processiones publicæ agantur feria quarta, sexta & sabbato. (Concilium Mediolanense, an. 1582. tit. 18.)

Clero ad Ecclesiam convenienti, processionis, supplicationis, alteriusve hujusmodi officii causa, locus aliquis constituatur, ubi simul universus, si potest, alioquin collegiatim saltem unusquisque ordo conveniat, & tacite precando consistat, donec illas obeat, ut per Ecclesiam vagetur, aut quidquam aliud admittat. (Concilium Aquisextiense, an. 1585. tit. *de Processionibus.*)

Constituat Episcopus certos homines qui clerum ad supplicationes procedentem dirigat; eumque aliquando, cum opus est, eumdem subsistere moneant, tum etiam qui populum in ordine consistere, aliaque ejusmodi opportune in ipsa etiam via moneant & præcipiant, atque, ut serventur, efficiant omni sollicitudine.

Cum ad processionem clerus vocatur, quid psallendum, quid canendum sit sit, ut opportunum erit, significetur, prout moris est.

Clerici omnes sæculares & regulares, & qui in Ecclesia cathedrali dignitates obtinent, bini semper procedant; neque inter eos laici homines, quocunque gradu sint, ullo modo interjecti incedant; neque item inter eosdem & Episcopum laicis locus sit.

Sacras imagines, vexillave cleri ne laicus homo in processione præferat, ubi clericus quisquam est, qui hoc munus præstare possit.

In omni Ecclesia, unde ad statas processiones clerum populumque egredi solemne est, ubi primum procedendi initium fit, campanarum omnium pulsatio solemniter tamdiu adhibeatur, quoad inde clerus universus in processionis munere egressus sit; idemque cum a processione revertitur, præstetur. Idem fiat in Ecclesiis quæ in vicinia sunt, ubi processio agitur.

In omni præterea publicarum supplicationum processionumve apparatu, quæ obscœnarum rerum speciem ostendant, ea ne adhibeantur.

Regularibus sub excommunicationis pœna interdicitur, ne processiones solemnes & publicas ipsi soli in civitatibus aut oppidis insignioribus obeant, absque facultate in scriptis ab Episcopo impetrata, ac etiam capituli, ubi id ex consuetudine servatur. Sed cum aliqua ex causa processionem illos obire necesse est, eam obire liceat in Ecclesia, vel in suo cœmeterio, vel in claustro monasterii; terminos autem sui monasterii nullo modo propria auctoritate egredi liceat, sub pœna prædicta.

Confratriæ, fraternitates, societates & scholæ quæcumque, quocumque nomine appellentur, processionem sanctissimi Sacramenti ne obeant nisi in scriptis ab Episcopo facultate impetrata. Quo casu Episcopi animadvertant, ne illa processio aliquo modo impediat processionem parochialis Ecclesiæ; neque permittat a dictis confratribus divinum officium quod necessaria fieri debet in parochiali Ecclesia diebus festis & aliis, aliquo modo impediri & interturbari.

Ad tollendas controversias in processionibus, declaramus clericos Seminarii esse de gremio Ecclesiæ cathedralis, & propterea in processionibus ac aliis actibus publicis cum clero Ecclesiæ cathedralis incedere debere.

Processiones, publicæ præsertim, rite ac diligenter, ut cætera omnia ad Dei cultum instituta, fieri necesse est. Ne itaque illarum solemnitas minuatur, omnes clericos, tam sæculares, quam regulares, fratres & monachos cujusvis ordinis, ad easdem publicas vocatos accedere compellant Episcopi, iis tantum exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo degunt. (Concilium Avenionense, an. 1594. tit. 46. *de Processionibus.*)

Sicuti religionis insigne quoddam specimen edunt, qui, dum Corporis Christi processio fit, vias & parietes, quibus possunt, ornamentis vestiunt; ita reprehensione sane digni qui picturis parum decoris, & aliis fœdis spectaculis eum diem festum violant, cum intuentium oculos offendunt. Nihil itaque ejusmodi in posterum videatur.

Quod Concilia propositum habuere, idem omnino Galliarum reges de processionibus, & potissimum sanctissimi Sacramenti, sapienter statuerunt. In constitutione de politia, die 18. Maji an. 1710. edita habentur hæc: „Prohibentur expressis verbis, ita requirente regis procuratore, & quidem secundum Mandata „hactenus enuntiata, privati quique, cujuscunque „qualitatis & conditionis fuerint, ullum pyloclastrum „seu ignitum mililé, ænea crepitacula, glandes ca„pulares seu pyrobola, sclopetes breviores, catapul„tas, aliave ignita arma in viis, in areis aut hortis, „& ex ædium fenestris, quæcunque tandem causa, „species, occasio subesse possit, explodere, & nomi„natim die Corporis Christi, aliisve diebus festis, „processionibus per vias transeuntibus, antequam „transeant, aut etiam postquam transierint, in por„nam

„ nam 400. librarum mulctæ, pro prima vice, contra
„ transgressores, quorum pater & mater pro filiis,
„ domini & patres-familias pro famulis & domesticis
„ civili obligationi suberunt, Injungimus omnibus ci-
„ vibus, ut omnibus in viis per quas Sanctissimi Sa-
„ cramenti processiones transituræ sunt, anteriorem
„ suarum quisque domorum partem parent, aut parari
„ jubeant; vetamusque, ne quæ ibidem exposuerint,
„ amovere, aut amovenda curare incipiant, nisi post
„ horæ dimidiam, quam processiones omnino transie-
„ rint, ita scilicet, ut nihil absoni, seu per scalarum
„ casum, seu quavis alia ratione contingat; eruntque
„ refractarii ad mulctæ libras centum damnari."

Qui e jactata reformata religione sunt, eidem & ipsi legi subiunt, ut anteriores suarum ædium partes in solemnibus, & peculiariter Corporis Christi processionibus parent. (Articulus 34. Constitutionis an. 1656. articulus 32. Constitutionis an. 1669. Arestum Consilii privati, diei 9. Martii an. 1633. Arestum Consilii Regiminis, diei 4. Maji an. 1653. &c.) Hæ sanctiones & ejusmodi plures aliæ ea severitate in Gallia servatæ fuere, ut Navarræ Reginam, inter Calvinistas celebrem curia jusserit coegeritque, ad sancti Sacramenti transitum, die Corporis Christi, suarum ædium anteriorem partem parare; quod adeo ejus animum exacerbavit, ut e mortis causis eidem fuerit. (*Adnotationes super Monumentis Sullemsibus*, nov. edit. Tom. I.) *Quære* LITANIÆ, & PRECES PUBLICÆ.

PROCURATIONIS JUS. Appellatur *procurationis jus* certa quædam pecuniæ summa, aut certa quædam annonæ quantitas, quam Episcopis, aliisque superioribus ecclesiasticis, visitationes peragentibus Ecclesiæ suppeditant. Archidiaconis servata fuit hujus juris perceptio. *Quære* ARCHIDIACONUS, §. V. Quoad Episcopos qui ejus perceptionem neglexerunt, ab eo liberantur Ecclesiæ, ubi non amplius penes Episcopos ejusdem juris percipiendi possessio est. At quoad eas, in quibus hanc ipsi sibi possessionem servarunt, illud percipere possunt e conditionibus quæ sequuntur.

1. Procurationis jus adeo moderatum esse, adeoque moderate sumi debet, ut propterea conquerendi causa nemini subsit.

2. Cum Episcopus eadem die plures Ecclesias visitat, unum tantummodo procurationis jus ei debetur: *Si quis vero plures visitare voluerit Ecclesias una die, procuratione unica, & victualibus, vel pecunia, ad quam omnes & singulas, sic die unico visitatas, proportionaliter faciat contribuere, pro ut scandant canones, sit contentus.* (Concilium Londinense, an. 1342. cap. 7.)

3. Cum Episcopus aliquas suæ diœcesis regiones pluries per annum visitat, procurationis jus unum tantum exigere potest, ut mos fert Ecclesiarum omnium, & peculiariter Gallicanæ, e veteri sanctione quæ extat in capite 5. Capitularis Caroli Calvi, an. 844. Tolosæ editi: *Ut semel in anno Episcopi hanc circumitionem tempore congruo faciant; & si amplius ministerium suum per diœcesim agere voluerint, hanc tamen dispensam non amplius quam semel a presbyterio per annum accipiant.* Id porro tum quoque locum habet, cum, ob diœcesis utilitatem, pluries in anno eam Episcopus visitaret.

4. Procurationis jus, ab origine, e pecunia non solvebatur, eratque solum in eo positum, ut visitatores per omnem visitationum cursum, cum eas ipsi peragebant, sibi illisque, qui ab eorumdem comitatu erant, hospitium parari, victum præberi, & expensas solvi juberent. Plura etiam tum aresta, tum Concilia vetant, ne quis visitator suum procurationis jus e pecunia sumat; ejusmodi sunt, inter alia, Concilium Lateranense tertium, an. 1179. quartum itidem Lateranense, an. 1215. Concilium Castri Gonterii, an. 1231. & Lugdunense, an. 1274. Tridentinum vero Concilium eorum qui tenentur huic juri facere satis, libertati reliquit, ut illud e pecunia, vel ex annona solvant: *Moneantur prædicti omnes & singuli, ad quos visitatio spectat, ut paterna charitate, Christianoque zelo omnes amplectantur; ideoque modesto contenti equitatu famulatuque, studeant quam celerrime, debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absolvere; interimque caveant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves onerosive sint, neve ipsi, aut quisquam suorum, quidquam, procurationis causa pro visitatione, etiam testamentorum ad pios usus, præter id quod ex relictis piis jure debetur, aut alio quovis nomine, nec pecuniam, nec munus, quodcunque sit, etiam qualitercunque offeratur, accipiant, non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili; exceptis tamen victualibus, quæ sibi ac suis frugaliter moderateque pro temporis tantum necessitate, & non ultra, erunt ministranda. Sit tamen in optione eorum qui visitantur, si malint, solvere id quod erat ab ipsis antea solvi, certa pecunia taxata, consuetum, an vero prædicta victualia subministrare; salvo item jure conventionum antiquarum cum monasteriis, aliisve piis locis, aut Ecclesiis non parochialibus inito, quod illæsum permaneat. In iis vero locis, seu provinciis, ubi consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud a visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, ibi id observetur.* (Sess. 24. cap. 3.) Hoc tempore hujus juris qualitatem & quantitatem possessio ususque moderantur.

5. Procurationis juri non subsunt exemptorum parœciæ. Nec magis eidem subduntur laici, e Galliarum usu, licet contra stent canonistarum plures. (Monumenta Cleri, Tom. VII. pag. 193.)

6. Ex nostri seculi jurisprudentia, seculares judices adire debet qui se, si lis subsit, a solvendo procurationis jure liberatum vult; secus abusui locus esset.

PROFESSIO FIDEI, publicus actus quo quispiam id declarat, quod de religione credit. Episcopis, aliisque ecclesiasticis mandant concilia, ut pro varia temporum rerumque ratione suam fidei professionem edant. *Quære* FIDES CHRISTIANA.

PROFESSIO RELIGIOSA. *Quære* RELIGIOSUS.

PROFESSOR, doctor regens, qui publice artes & scientias in Universitatibus docet. Quoad superiores decreta nonnulla in Conciliis occurrunt.

Docentes ipsam sacram Scripturam, dum publice in scholis docuerint, & scholares qui in ipsis scholis student, privilegiis omnibus de perceptione fructuum prebendarum & beneficiorum suorum in absentia a jure communi concessis, plene gaudeant & fruantur. (Concilium Tridentinum, Sess. V. *de Reform.*)

At cum plures videamus graduum tam juris civilis pontificii, quam theologiæ titulis, velut baccalaureatus, licentiæ, etiam doctoratus, ac magisterii in artibus insignitos, eorum nihilominus minime capaces; hincque fieri, ut Ecclesiæ potissimum parœciales, in villis muratis, graduatis destinatæ, officiis quæ in illis præstare debent, frustrari; huic morbo ut obvietur, juris communis dispositioni quam sanctiones regiæ imitantur, inhærendo; universitatum hujus provinciæ doctores, quantum possumus in Domino hortamur, atque etiam monemus, eos tantum ad dictos gradus, quos publico & rigoroso examine, accersitis & præsentibus universitatis rectore, procuratoribus, aliisque eisdem præfectis, iis gradibus dignos judicaverint, recipere & admittere; non vero eos in occulto, aut inter privatos parietes, nulla habita literaturæ ratione, sed solo cujusdam pravi & turpis lucri intuitu (quod proxime ad simoniam accedit) promovere. (Concilium Turonense, an. 1583. tit. 21.)

Magni momenti est, plurimumque ad Ecclesiæ, reipublicæque conservationem, dignitatemque pertinet, recte christiana juventutis instituere. Eorum igitur qui juventuti, aliisque edocendis constituti sunt, vita diligenter est inquirenda, ne forte ii sint, qui pravo morum vitæque exemplo plus officere, quam doctrina ratione prodesse possint. (Concilium Tolosanum, an. 1590. cap. 4. *de Universit. & Collegiis.*)

Academiarum professores, statodie, quotannis ex Pii IV. Bulla, *publicam fidei professionem faciant.*

Ad doctoratus lauream, gradusque alios ii soli promoveantur, qui vitæ integritate celebres, post emensum gravitate præscriptum studiis tempus, dignum doctrinæ eruditionisque suo specimen severo examine præbuerint. Examen publicum, publica sit promotio, publica etiam promovendorum fidei professio; quæ omnia testimonialibus litteris inserenda.

Theses theologicæ non nisi accuratissime examinatæ, publice agitanda proponantur.

Quæ semper Ecclesiis plurimum profuit, intermissa juris canonici scientia, institutis professoribus in academiis revocetur, revocata diligentissime retineatur.

PROMOTOR. Venit is hoc in nomine, qui ob publicum bonum in ecclesiasticis curiis, ut Regis procurator in curiis laicis, requirit. In Ecclesiasticos qui in culpa versantur, ex officio inquirit, eos ad Episcopum denuntiat, ad Ecclesiæ disciplinam, libertates, jura sarta tecta servanda se vigilem ac sollicitum præbet.

Statuimus decernentes, quod de cætero nullus promotorum, aut procuratorum ob excessus aliquem ex officio citari faciat, vel procedat contra eum super aliquo crimine, vel excessu, & præsertim tali ratione, cujus fama ipsius citati posset in posterum denigrari, sive scandalum contra eum suboriri; nisi verisimiliter videatur eisdem, quod justam causam habeant contra tales procedendi; super quo tamen eorum conscientias oneramus. Et de hoc, cum ad dictum officium assumentur, per juramentum adstringantur; nec tunc etiam ultra primam citationem procedatur per eosdem, Officiali dicti loci inconsulto. (Concilium Noviodunense, an. 1344. cap. 16.)

Promotor fiscalis apud ecclesiasticum judicem neminem deferat,

deferat, ut ex ejus delatione inquisitio fiat, nisi quem legitima ac frequens graves infamia; neque ex ea delatione judices inquirere audeant; immo priusquam ad inquisitionem procedant, diligenter curent investigare, an ea infamia a malevolis, an a providis & honestis orta fuerit. Quod si promotor fiscalis quemquam accusare velit, eo casu, quo jure accusatio ei sit permissa; accusatoris officio functus eas leges sequatur, qua publicis accusatoribus, hisve quibus juris publici ratione accusare permissum, jure, vel consuetudine data fuerint. Sed si accusatus ab accusatione fuerit absolutus, nullo modo is in expensis condemnetur; immo fiscalis, si temere eum accusasse constiterit, non solum expensarum solutione, sed & alia pœna, judicis arbitrio, propter accusationis temerariæ calumniam, omnino puniatur. (Concilium Toletanum, an. 1565. Act. 2. n. 12.)

Caveant in posterum promotores excommunicationes & absolutiones decernere, cum hæ sint partes judicum. Procurare enim solum promotores debent, ut sarta tecta conservetur ecclesiastica disciplina; & tamquam accusatores postulare & requirere, ut in eos qui illam disciplinam violarint, corruperint, seu quid vitii & sceleris commiserint, inquiratur; unde promotores nomen sortiti sunt. Iniquissimum autem, eumdem & accusatoris & judicis partes agere. (Concilium Rothomagense, an. 1531. tit. *de Jurisdict. eccl.*)

Officium vero promotoris non nisi presbytero, vel saltem in sacris ordinibus constituto in posterum committatur; quod si qui hodie sacris non sunt initiati, aut ab exercitio officii abstineant, aut intra sex menses curent promoveri. (Concilium Turonense, an. 1583. tit. 19. *de Jurisdict.*)

In Belgio, promotoris officium laicis, etiam conjugatis concreditur; at in Gallia non nisi presbyteris, aut saltem ecclesiasticis qui in sacris ordinibus constituti sint, demandatur. Eosdem oportet esse graduatos doctosque viros, quæ spiritalis constitutionis ab ecclesiastica Ordinum camera an. 1614. editæ locutio est. Sint etiam iidem, necesse est, instituti *gratis*, ut per 15. ejusdem constitutionis articulum enuntiatur. Promotores & pœnitentiarii uno eodemque tempore esse non possunt; nec magis parœciam, aliudve beneficium quod residentiam extra Episcopalem urbem postulet, possidere. Est hæc articuli 14. constitutionis mensis Januarii an. 1629. & aresti parlamenti Parisiensis diei 27. Junii an. 1686. dispositio. Ac ne id quidem congrueret, ut episcopalis urbis Parochus qui promotor esset, quoad suos parochianos id muneris exerceret. Scissi sunt auctores super controversia, an regulares promotoris officio fungi possint; cum Tridentina Synodus iis licere voluerit, *cum superioris licentia alicujus prælati se subjicere obsequio*; (Sess. 24. cap. 4. *de Reform.*) auctores plures intulerunt eos promotoris officium, & alia munera in officialitatibus acceptare posse; at mos hic haud in Gallia receptus est. (Monuments Cleri, Tom. VII. p. 262.)

Ex ejusdem regni placitis, promotores nec monitoria concedere, nec censuras pronuntiare, aut ab iisdem absolvere nequeunt.

Fevretius id tamquam constans effatum ponit, promotorem in partem trahi, seu tamquam partem spectari ac notari posse, si ab ecclesiastici judicis sententia, tamquam ab abusu appellatio interjecta fuerit, cum non adest ulla civilis pars, eumdem tamen, ad hanc rem quod attinet, nunquam ad expensas damnari, præter quam in apertæ calumniæ specie. Congruit assertio hæc edicto mensis Octobris an. 1625. itemque declarationibus an. 1657. artic. 17. & an. 1666. artic. 18. (Monuments Cleri, Tom. VII. p. 1585. 1586. 1536.)

PRONIUM. Derivatur id nominis a voce *præconium*, unde confectum primo *prœnium*, ac deinde *pronium*, Gallice *prone* quod *publicum clamorem*, *proclamationem*, *declarationem*, *publicationem*, seu *annuntiationem* significat, quia reapse in pronio non unius generis res annuntiantur. Pronium, in Romanæ Ecclesiæ usu, est sermo quidam qui post parochialis Missæ evangelium singulis dominicis diebus habetur, edocendi populi gratia, ejusdemque monendi de festis per hebdomadam diebus, de jejuniis, de sacrorum ordinum & matrimoniorum bannis seu denuntiationibus, deque rebus aliis ad ecclesiasticam disciplinam spectantibus. In hoc pronio, seu sermone etiam excommunicationes indicuntur; at in eodem denuntiari non debet profani quicquam, cujusmodi sunt terræ vendendæ, &c. Ejusmodi est Conciliorum dispositio, pro ut videri potest *verb.* MISSA; qua in re Gallorum Regum mandata, & aresta Conciliis congruunt.

Per articulum 20. declarationis mensis Februarii an. 1657. Sua Majestas parlamentorum curiis ulisque judicibus mandat, ut ne Parochos, Vicarios aliosque ecclesiasticos cogant ullas profanas res in pronus seu sermonibus, seu pro concione enuntiare, data tamen iisdem venia, ut eas per cursorem, aut apparitorem, ad parochialis Missæ exitum, enuntiandas curent.

Articulus 32. edicti mensis Aprilis an. 1695. Parochos, eorum Vicarios, aliosque ecclesiasticos adigi vetat ad enuntianda, concionis, aut divini officii tempore; juris acta, & alia quæ Regis subditorum peculiares rationes spectant: vult Sua Majestas earum rerum enuntiationes quæ, ad solemnis parœciarum Missæ exitum ab apparitoribus, cursoribus aut notariis edentur, cum libellis quos publica ad majores Ecclesiarum fores iidem affixerint, ejusdem roboris ejusdemque valoris pro decretis fore, ac si dictæ denuntiationes in dictis sermonibus editæ essent, non obstantibus contrariis quibuslibet constitutionibus & consuetudinibus quibus nos quoad caput hoc derogavimus.

Declaratio mensis Decembris an. 1698. mandat, ut articulus 32. edicti an. 1695. quæ ejus forma ac vis est, etiam quoad regis propria negotia, executioni tradatur.

Novi super edicto mensis Aprilis an. 1695. Commentarii doctus auctor, ad ea verba, *ad enuntiandum non adigentur*, ait: ac at „si ejusmodi enuntiationes edere „ ultro ipsi voluerint, possunt; neque enim per hunc „ articulum id facere prohibentur."

Nobis eam veniam dabit strenuus auctor, ut super hac assertione animadversiones duas proponamus. Prima est, eum non recte Gallicæ vocis *obligés* notionem sumpsisse; hæc enim vox hoc loco, ut etiam in declaratione mensis Februarii an. 1657. idem prorsus ac *coacti*, vel *adacti*, significat. His ergo constitutionibus duabus hæc est subjecta notio, ecclesiasticos a laicis judicibus, *impelli*, *adigi*, *cogi* non posse, ut res profanas pro concione denuntient; ex quo non id omnino consequens fit eos id facere, si velint, posse, ea obducta causa, quod memoratus articulus id eis formaliter, ut ajunt, & expresse non interdicit. Id quidem potius sequitur id eos legaliter facere non posse, & legalem hanc impotentiam, quoad ecclesiasticos, veram & genuinam causam esse, quamobrem regiæ sanctiones laicos judices vetant ad id eosdem adigere.

2. Facta hypothesi Gallorum Regum mandata ecclesiasticis nulla prorsus ratione interdicere, ne quid profani pro concione denuntient, quid tandem ex hac hypothesi consequetur? Id unum scilicet, fore quidem, ut ecclesiastici, ejusmodi denuntiationibus ad sermonem edendis, contra regia mandata omnino non peccent, non item, ut ne peccent contra Ecclesiæ leges, & Conciliorum canones, quibus id facere disertis verbis prohibentur. Aberrat igitur a veritate, qui dixerit eos, si voluerint, posse, quas diximus, enuntiationes edere, quandoquidem eas edentes Ecclesiæ leges violant, ejusdemque imperium detrectant.

Arestum Consilii privati, diei 3. Julii an. 1640. aliudque Consilii supremi regiminis, diei 22. Septembris an. 1713. regiis sanctionibus concinunt.

PROPPRIETAS, quoad religiosos. *Quære* RELIGIOSUS.

PROVISIO, in re beneficiaria, est tituli concessio, cujus vi ecclesiasticus qui capax est, beneficium possidet, & sine quo nulla prorsus ratione beneficium legitime possidere potest. *Quære* BENEFICIUM, COLLATOR, COLLATIO, DEVOLUTUM, ELECTIO, NOMINATIO.

PSALTERIUM. Sumitur id nominis, in Ecclesiæ stilo, pro psalmorum canticorumve divinorum libro, & pro his psalmis ipsis in plures partes divisis, qui in divino officio concinuntur, aut recitantur. Occurrunt in Conciliis, ad psalmos & psalterium quod attinet, statuta plura.

Quod in conventu fidelium nequaquam psalmos continuare conveniat; sed per intervallum, id est, per psalmos singulos recenseri debeant lectiones. (Concilium Laodicenum, an. 366. aut circiter, *ex versione Isidori Mercatoris*, can. 17.)

Probat canon hic, jam inde a sæculo quarto, morem obtinuisse, ut psalmis qui ad divinum officium recitabantur, aut canebantur, lectiones intermiscerentur.

Decernitur, ut nullus cujuscumque dignitatis ecclesiastica deinceps percipiat gradum, qui non totum psalterium, vel canticorum usualium, & hymnorum, sive baptizandi perfecte noverit supplementum. (Concilium Toletanum, an. 653. cap. 8.)

Quoniam psallentes repromittimus Deo: In justificationibus tuis meditabor, non obliviscar sermones tuos:

omnes

omnes quidem Christianos hoc servare saluberrimum est, sed præcipue hos qui hierarchicam consecuti fuerint dignitatem. Unde definimus, omnem qui ad episcopatus provehendus est gradum, modis omnibus psalterium nosse, ut ex hoc etiam omnis clericus qui sub eo fuerit, ita moneatur & imbuatur. (Nicænum II. gener. Concilium, an. 787. can. 2.)

Studendum summopere cantoribus est, ne donum sibi divinitus collatum vitiis fœdent, sed potius illud humilitate, castitate, & sobrietate, & cæteris sanctarum virtutum ornamentis exornent; quorum melodia animos populi circumstantis ad memoriam amoremque cælestium, non solum sublimitate verborum, sed etiam suavitate sonorum, quæ dicuntur, erigat. Cantorem autem, sicut traditum est a sanctis Patribus, ut voce & arte præclarum, illustremque esse oportet, itaut per oblectamentum dulcedinis, *animos incitet audientium.... Psalmi namque in Ecclesia non cursim, & excelsis atque inordinatis, seu intemperatis vocibus, sed plane ac dilucide, & cum compunctione cordis recitentur; ut & recitantium mens illorum dulcedine pascatur, & audientium aures illorum pronunciatione demulceantur, quoniam quamvis cantilenæ sonus in aliis officiis excelsa soleat edi voce, in recitandis tamen psalmis hujusmodi vitanda est vox.* (Concilium Aquisgranense, an. 816. lib. I. cap. 137.)

Quinto autem titulo decrevimus, ut archidiaconi tales clericos, constitutis quatuor temporibus ad ordines ducant, perfecte totum psalterium, hymnos & cantica, Epistolas, evangelia, & orationes sciant. (Concilium Coyacense, an. 1050. cap. 5.)

Et cum in Ecclesiis Dei psalmodia cantanda præcipiatur, ut fidelium devotio excitetur, in hoc nocturnum diurnumque officium, & Missarum celebritates assidue clero & populo sub maturo tenore, distinctaque gradatione cantentur, ut eadem distinctione colliberent, & maturitate delectent. Propterea præcipimus, ut in Ecclesiis sint musici cantus nistincti ac discreti, moventes cor ad devotionem compunctionemque. Porro in Ecclesiis, prætextu musici cantus, non sunt audienda publice cantilenæ & lasciva. Neque enim, inquit Hieronymus, in tragœdiarum modum guttur & fauces medicamine sunt liniendæ, ne, dum blanda vox quæritur, congrua vita negligatur. Nam ut cantor minister Deum moribus stimulat, cum populum vocibus delectat; ita lascivus animus, dum lascivioribus delectatur modis, aes sæpe audientes emollitur & frangitur. Curent ergo sacerdotes & clerici sic suos cantus instituere; ut modesta, honestaque psallendi gravitate, placidaque & grata modulatione, sic audientium aures deliniant, ut provocent; excitentque ad devotionem compunctionemque, non ad lasciviam, sordidive aut animi titillationem. (Concilium Senonense, an. 1528. Decret. *Morum*, cap. 17.)

PUBLICATIONES. *Quære* PRONIUM.

PURGATIO CANONICA, jusjurandum quo se quispiam ab aliqua accusatione purgabat coram pluribus fide dignis viris qui affirmabant se credere jusjurandum verum esse. Hæc porro *canonica purgatio* nuncupabatur, quia edebatur a jure canonico, & ut a vulgari purgatione secerneretur, quæ per singulare certamen, vulgo duellum, vel per experimenta aquæ, ignis, &c. peragebatur. *Quære* EXPERIMENTA. Per communionem etiam in Missa sumptam canonica purgatio perficiebatur.

Si Episcopo aut presbytero causa criminalis, hoc est, homicidium, adulterium, furtum, & maleficium imputatum fuerit, in singulis Missam celebrare, & secretam publice dicere, & communicare debet, & de singulis sibi imputatis innocentem reddere. Quod si non fecerit, quinquennio a liminibus Ecclesiæ extraneus habeatur, sicut antiqui canones instituerunt. (Concilium Wormatiense, an. 868. can. 10.)

Sacerdotes qui in crimine fornicationis fuerint accusati, & crimen illis non fuerit comprobatum, aut ipsi non manifestaverint; quid aliud agendum est, nisi quod in nono Cæsareensis sancti Concilii capitulo legitur, ut demonstratur. Tamen si ipsi juramento se voluerint purificare, licentiam habeant. Similiter & diaconi, si fuerint accusati, peragant. (Can. 12.)

Sæpe contingit; ut in monasteriis furta perpetrentur, & qui hæc committunt, ignorentur. Idcirco statuimus, ut, quando ipsi fratres de talibus se expurgare debent, Missa ab abbate celebretur, vel ab aliquo cui ipse abbas præceperit, præsentibus fratribus; & sic in ultima Missa celebratione, pro expurgatione sua Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi percipiant, quatenus ita inde innocentes se esse ostendant. (Can. 15.)

Animadvertendum hos canones eorumque similes nunquam universim approbatos, & merito deinceps abrogatos fuisse, quippe qui non raro perjuriis & sacrilegiis occasionem præberent.

PURGATORIUM, doloris locus, ubi justi qui in gratiæ statu moriuntur, quin in hoc terrarum orbe pro peccatis quæ perpetrarunt, plene cumulateque divinæ justitiæ satisfecerint, pœnam perferunt, quam *merentur*, quoad omnino purgati ad beatorum in cælis societatem migrent. Hanc nobis Ecclesia, secundum sacras litteras, Patres & Concilia, purgatorii notionem exhibet: *Visum præterea nobis est, ut in omnibus Missarum solemnitatibus pro defunctorum spiritibus loco competenti Dominus deprecetur. Sicut enim nulla dies excipitur, qua non pro quibuslibet necessitatibus Dominus deprecetur; ita nimirum nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces Domino in solemnibus fundantur. Antiquitus hanc morem igitur sancta Ecclesia tenet, ut & in Missarum solemnitatibus, & in aliis precibus Domino spiritus quiescentium commendet, dicente B. Augustino:* Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in christiana & catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus eorum, sub generali commemoratione suscepit Ecclesia; ut quibus ad illa desunt parentes, aut filii, aut quicunque cognati vel amici, ab una eis exhibeantur pia matre communi. (Concil. Cabillonense, an. 813. can. 39.)

Definimus.... si vere pœnitentes in Dei charitate decesserint; antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint & omissis, eorum animas pœnis purgatorii post mortem purgari; & ut a pœnis hujusmodi relevantur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum Ecclesiæ instituta; illorumque animas qui post baptismum susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam quæ post contractam peccati maculam vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus.... sunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clare ipsum Deum trinum & unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius; illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. (Concil. gener. Florentinum, an. 1438. *In Definitione.*)

Unum illud videmus in primis hactenus observatum ab iis qui propugnandis hæresibus animum intenderint, ut ea sibi dicenda putent, quæ maxime placitura videntur; quo prurientes multitudinis aures demulceant, & a severioribus patrum avertant institutis. Hac ratione Mahometica quondam pestis invaluit. Hoc aucupio Lutherus plures illaqueat, dum simul cum culpa semper omnem injusti pœnæ temporalis reatum aboleri contendit. Purgatorium tollit, & quo laicos gravius in clericorum odium exasperet, sacrificia, oblationes, & omnes id genus pro defunctis orationes rectius esse sacerdotum commentum impudenter asseverat. Prævidit enim versutus artifex nihil esse quod effreni plebeculæ possit esse jucundius, quam si facillima prorsus in cælum prædicetur via, si omnis acerba illius purgatoriæ pœnæ demiatur metus; si quid habent quod aliquo tandem prætextu sacerdotibus impingat. Ne igitur incautus forte quispiam vafris hujusmodi blanditiis pellectus, errorum scopulis illidatur; sacro approbante provinciali Concilio, firmiter tenendum decrevimus, culpa per pœnitentiam abolita, frequenter superesse temporalis pœnæ reatum, velut superstites quasdam peccati reliquias quæ per dignos pœnitentiæ fructus veniant expiandæ; adeo ut, iniquitate & culpa peccati demissa, peccator adhuc pœnæ temporali sit obnoxius. Hinc murmuranti adversus Dominum Israelitica plebi, inde David dimissam primum adulterii noxam Scriptura commemorat, pro qua tamen subinde pœna temporalis irrogata est. Superabundans quidem atque exuberans est Christi satisfactio, cujus plenitudinem assequimur, dum sicut semel tantum mortuus est, ita simul illi consepelimur per baptismum. Peccata vero, quæ post baptismum commissa fuerunt, pœnitentia quidem expiantur, sed quæ morienti Christo non semper consignent. Cum autem hujusmodi pœna temporalis, aut venialis tantum peccati reus repente [illegible] intereat, de omni verbo etiam otioso rationem redditurus; nec illi pateat aditus in cælestem illam Jerusalem, in quam nihil intrat coinquinatum; nec eum gehennæ subjaceat, quippe qui gratiæ sit particeps, & pœnæ temporalis tantum debitor sit, ut primum purgetur ex iis quæ gessit in corpore, salvus tandem aliquando futurus, sic tamen quasi per ignem, de sua semper interim salute, ex remanentibus in eo fide, spe & charitate, securus. Neque enim ex eorum est numero, quorum blasphemia non remittitur neque in hoc sæculo, neque in futuro; quorum superbia ascendit semper; sed eorum potius, quos sub terra Dei laudem acclamantes sacer Apocalypsis liber commemorat.

Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. Non abs re ab Apostolis traditum, ut in tremendis & vivificis mysteriis agatur commemoratio defunctorum. Sciebant enim illis inde multum contingere lucrum, utilitatem multam. Cum igitur tam sanctum Apostolorum institutum ab initio nascentis Ecclesiæ a sancto Dionysio legamus observatum, & in Cabillonensi ac pluribus subinde Conciliis promulgatum; quisquis Catharorum, Armenicorum, VVicleffi, Bohemorum, Lutheri, aut Valdensium exemplo, hos errores cum sacro Constantiensi Concilio non damnarit, hæretica pravitatis pœnas incurrat. (Concil, Senonense, an. 1528. Decret. *Fidei*, cap. 12.)

Ex eadem lege charitatis, qua nobiscum adhuc cohærent, qui, in fide & communione Christi ex hac vita migrarunt, credendum est, defunctos vivorum pietate & orationibus adjuvari, saltem eos qui, cum viverent, ut eis hæc prodesse possent, meruerunt; qui non ita boni ex hac vita discesserunt, ut iis non indigeant, nec ita mali, ut eis hæc prodesse non queant. (Concilium Moguntinum, an. 1549. cap. *Ad fidem pertinens.* 46.)

Est autem consentiens Ecclesiæ doctrina, multarum Scripturarum collatione, & evidenti ratione firmata, talem esse quemdam medium decedentium statum, qui non mox ut carnem hanc exuerint, aut æternis cruciatibus tradantur, aut ad beata illa Sanctorum consortia admittantur; in quos moderata & mixta clementia severitate, vindicat ad tempus is qui & misericordia sua, & tormentorum modum & mensuram novit. Alioqui, cum ex iis qui peccaverunt, & per pœnitentiam sanantur, alii in hac vita multas adversitates, alii aut parvas aut nullas experiantur, & cum multi ex hac vita migrent a lethalibus quidem criminibus immunes, levioribus tamen, alius aliis magis implicatus, quorum tamen nemo sibi ob plura, sive pauciora hæc delicta quotidiana, damnationem æternam sustinebit; non facile modus inveniri possit, quomodo Deus (qui est in omnibus & erga omnes justissimus) non injustus videretur, si non post hanc vitam, per temporales, & non æternas pœnas, omnium compensatio expectaretur.

Cum Catholica Ecclesia, Spiritu Sancto edocta, ex sacris litteris, & antiqua Patrum traditione in sacris Conciliis, & novissime in hac œcumenica synodo docuerit purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari; præcipit sancta synodus Episcopis, ut sanam de purgatorio doctrinam, a sanctis Patribus, & sacris Conciliis traditam, a Christifidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari diligenter studeant. Apud rudem vero plebem difficiliores ac subtiliores quæstiones, quæque ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur. Incerta item, vel quæ specie falsi laborant, evulgari & tractari non permittant. Ea vero quæ ad curiositatem quamdam, aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tamquam scandala, & fidelium offendicula prohibeant. Curent autem Episcopi, ut fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynæ, aliaque pietatis opera quæ a fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri consueverunt, secundum Ecclesiæ instituta, pie & devote fiant, & quæ pro illis ex testatorum fundationibus, vel alia ratione debentur, non perfunctorie, sed a sacerdotibus & Ecclesiæ ministris & aliis qui hoc præstare tenentur, diligenter & accurate persolvantur. (Concilium Tridentinum, sess. XXV. Decr. *de Purgator.*)

Curent Episcopi omnes hujus provinciæ, ut commemoratio animarum, pro iis præsertim instituta, quæ singulares apud Deum intercessores non habent, pie celebretur a populo, nullisque profanis operibus solvatur. (Concilium Bituricense, an. 1584. tit. 16. can. 1.)

Parochi officium sacrum pro fidelium requie, feria secunda cujusque hebdomadæ, si fieri possit, aut saltem feria secunda prima hebdomadæ cujusque mensis, festo duplici non impedita, vel alio commodiore die celebretur. (Can. 2.)

Non fiat officium defunctorum diebus dominicis, nisi pro depositione mortui. Vigiliæ autem quæ pro defunctis illa die dicuntur, tantum post dominicæ vesperas solemnes celebrentur. (Can. 5.)

QUA

QUADRAGESIMA. Hoc nomine designantur jejunii dies quadraginta qui ad Paschatis festum præparationis loco sunt, ejusque temporis spatium conficiunt quod quadragesimale, vulgo *quadragesima* nuncupatur. Haud divinæ institutionis quadragesima est, utpote quam Christus Dominus in Evangelio non præscripsit; at institutionis aut Traditionis apostolicæ saltem est, ita scilicet, ut, si minus Apostoli, quæ aliquorum opinio est, eam ipsi instituerunt, negari non possit eamdem a primis horum discipulis, ex ipsorum doctrina, statutam fuisse, quippe quæ jam inde a primis Ecclesiæ sæculis in usu posita cernitur, quin de ejus origine constet, tametsi ejus usus non eodemque tempore nec communis, nec idem, nec necessarius fuerit.

Fuere tempora & loca, quibus quadragesima ad unum & unicum diem ante Pascha redacta fuit; fuere, quibus ad hebdomadam; fuere, quibus ad hebdomadas duas, fuere quibus ad tres; fuere, quibus eadem ad dies protracta triginta sex. Solum ad nonum sæculum, omnino per quadraginta dies jejunari cœptum est, ut fideles Moysis, Eliæ, potissimum vero Christi Domini jejunium imitarentur; atque is universim mos obtinet, si quæ regiones excipiantur, cujusmodi Mediolanensis est in qua quadragesimale tempus a dominica quæ Quadragesima dicitur, inchoatur.

Græci abstinentiam quidem post dominicam Sexagesimæ, secunda vero post Quinquagesimam feria, quadragesimale jejunium inchoant, cujus spatio non ovis tantum & lactariis, sed etiam piscibus & oleo abstinent. Præter hanc Paschalem quadragesimam, servabant iidem alias quatuor; Apostolorum unam, Assumptionis alteram, Dominici Natalis tertiam, & Transfigurationis quartam; at erant hæ singulæ dierum non amplius septem. Peracta sunt etiam quadraginta dierum quadragesimalia jejunia tria, apud Latinos singula; primum ante Natale Domini, quod S. Martini nomine designabatur; secundum ante Pascha; tertium ante S. Joannis Baptistæ festum diem; visa sunt etiam alicubi in usu posita quadragesimalia jejunia quatuor, alibi quinque ipsa atque adeo sex.

Ea maxime vigebat olim per quadragesimam jejunandi ratio, ut a carne & vino abstineretur, & semel tantum comederetur in die post vesperas quæ pomeridiana quinta aut sexta hora dicebantur; in quo positum erat discrimen inter quadragesimale jejunium, & cætera per annum jejunia, qualia vigiliarum erant ante festa quædam, Quatuor Temporum, Adventus; sumebatur his diebus refectio post Nonam, pomeridiana scilicet hora tertia vel quarta; quod appellabatur parvum jejunium, cum quadragesimali magni jejunii nomine designaretur. *Vide* JEJUNIUM.

Si quis Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel lector, vel cantor sanctam Paschæ quadragesimam non jejunat, vel quartam diem, vel parasceven, præterquam si propter imbecillitatem corporalem impediatur, deponatur: si sit autem laicus, segregetur. (48. canon. Apost.)

Quod non oporteat in quadragesima, in ultima septimana quinta feria jejunium solvere, totamque quadragesimam sine veneratione transire, magisque conveniat omnem quadragesimam districte venerari jejunio.

Canon hic qui Laodiceni Concilii quarto sæculo habiti quinquagesimus est, quadragesimalis jejunii antiquitatem probat; ostendit præterea jam tum extitisse Christifidelium nonnullos qui temere arbitrentur jejunium feria quintæ majoris hebdomadæ, in memoriam cœnæ Domini, intermitti posse. Nos tamen S. Augustinus suæ 54. Epistolæ cap. 7. docet hanc in Africa consuetudinem toleratam fuisse, atque adeo duas eo die Missas dici consuevisse; unam mane pro iis qui non jejunabant, alteram vespere in eorum gratiam qui jejunabant.

Hoc autem decrevimus observandum, ut quadragesima ab omnibus Ecclesiis æqualiter teneatur, neque quinquagesimam aut sexagesimam ante Pascha quilibet sacerdos præsumat indicere; sed neque per sabbata absque infirmitate quisquam solvat quadragesimæ jejunium, nisi tantum die dominico prandeat; quod sic fieri specialiter Patrum statuta sanxerunt. (Concilium Aurelianense, an. 541. can. 2.)

Cum quadragesima dies anni totius decima deputentur, quæ in oblatione jejunii Domino consecrantur, quibus etiam saluberrime conditio humani generis expiatur, dum a quatuor mundi partibus ad hanc homo religionem credi-

diturus adducitur.... quisquis absque inevitabili necessitate, atque fragilitatis evidenti languore, seu etiam aetatis impossibilitate, diebus quadragesima esum carnium præsumpserit attentare, non solum reus erit resurrectionis dominicæ, verum etiam alienus ab ejusdem diei sancta communione. Et hoc illi cumuletur ad pœnam, ut ipsius anni tempore ab omni esu carnium abstineat gulam, quia sacris diebus abstinentiæ oblitus est disciplinam. Illi vero quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non ante prohibita violare præsumant, quam a sacerdote permissum accipiant. (Concilium Toletanum, an. 635. can. 9.)

Quoniam intelleximus in Romanorum civitatibus, in sanctis Quadragesimæ jejuniis, in ejus sabbatis jejunare, præter ecclesiasticam traditam observationem; sanctæ synodo visum est, ut in Romanorum quoque Ecclesia inconcusse vires habeat canon qui dicit: Si quis clericus inventus fuerit in sancto die dominico vel sabbato jejunare, præter unum & solum, deponatur; si autem laicus, segregetur. (Concilium *in Trullo*, an. 690. can. 55. & 56.)

Canon qui in Trullani Concilii quinquagesimo quinto laudatur, est in aliquibus collectionibus 64. & in aliis 66. canonum qui Apostolis tribuuntur. Trullani Concilii Patres qui canonem hunc vere Apostolorum esse pro certo ponunt, eum adhibent in Romanam Ecclesiam quæ Quadragesimæ & Quatuor Temporum sabbatis jejunare consueverat; & hanc ob causam Romana Ecclesia hunc canonem non recepit. Nicolaus Papa I. ad Galliarum Episcopos scribens S. Silvestrum ait instituisse in Romana Ecclesia jejunium sabbati, ut honoraret sepulturam Christi Domini, jejuniumque quod Apostoli eo die servabant, inquit Pontificale quod ad Innocentii I. tempora pertinet. Ex quinquagesimo sexto Trullani Concilii canone perspicitur Græcos per quadragesimam diebus dominicis & sabbatis abstinentiam servasse, quamvis iisdem diebus non jejunarent, credebantque per abstinentiam a carne eam impediri quæ spectat quicquid a carne provenit, ut ova, butyrum & caseus.

Statutum est, ut nullus in quadragesima prandeat, antequam, hora nona peracta, vespertina incipiat. Non enim jejunat qui ante manducat. (Concilium Rothomagense, an. 1072. can. 20.)

Nullus omnino laicus post diem cineris & cilicii, qui caput jejunii dicitur, carnibus vesci audeat. Omnes tam clerici quam laici, tam viri quam mulieres die illo cinerem supra capita sua accipiant. (Concilium Beneventanum, an. 1091. can. 4.)

Ut nullus christianus a capite jejunii usque ad Pascha carnem comedat. (Concilium Claromontanum, an. 1095. can. 23.)

Sunt cum diebus jejunalibus, & maxime in quadragesima, non solum a carnibus, sed etiam ab illis quæ a carnibus fomentarium trahunt originem, sit penitus abstinendum .... ideo, approbante Concilio, prohibemus, ne aliqua persona ecclesiastica vel sæcularis butyrum, vel lac comedat in quadragesima; vel quomodolibet in pane, vel leguminibus utantur in casibus a jure non permissis, nisi super hoc privilegium habuerint. (Concilium Andegavense, an. 1365. can. 22.)

Quadragesimæ institutio antiquissima est, a temporibus Apostolorum ad nos usque deducta, cujus violatores plerisque generalibus Conciliis, præsertim Toletano octavo, acerrime redarguuntur, religionique contrarii monstrantur. (Concilium Coloniense, an. 1536. part. 9. cap. 6.)

Plures Gallorum Regum sanctiones suppetunt, quæ lanios, assarios coquos, gallinarum propolas, revenditores & quosvis alios vetant venalia exponere, quadragesimæ tempore, carnarii macelli cibaria, volatilia, venationes; mulctæ, vel corporalis etiam punitionis indicta pœna; ejusmodi sunt, inter alia, Henrici II. edictum diei 5. Januarii an. 1549. Ludovici XIV. declaratio diei 13. Decembris an. 1698. ejusdemque Regis mandatum diei 9. Januarii an. 1704. & Ludovici Regis XV. declaratio diei 1. Aprilis an. 1726. Hæc postrema declaratio confirmat magno Hospitali Parisiensi exclusivum vendendæ carnis jus, ferrei collaris per tres mercatus dies, carceris ad menses tres, & trium mille mulctæ librarum in refractarios statuta pœna. Vult Sua majestas lanios, assarios coquos, caupones, tabernarios, stabularios, eorum famulos discipulosque qui in transgressione capti fuerint, ipso jure & in perpetuum, magistros quidem sui magisterii jure, famulos autem discipulosque ad illud perveniendi spe; communitates sæculares & regulares hanc declarationem violantes suis omnibus privilegiis & franchisiis excidere, damnarique ad tria millia librarum mulctæ, &c.

Ut huic declarationi executionem adsciseeret, Politia constitutionem edidit, cujus hi sunt priores articuli quatuor.

Art. I. Interdicimus omnibus privatis hominibus, assariis coquis, tabernariis, cauponibus, stabulariis, obsonatoribus instructorumque cubiculorum locatoribus, ne comedenda jurulenta suis in domibus per quadragesimam iis tribuant qui apud eos diverterint, quin proprii parochi expressam veniam, a Nobis visam exhibeant, in tercentarum mulctæ librarum, & si reciderint, majorem pœnam.

Art. II. Iis injungimus, ut ad Hospitale magnum, vel ad lanienas Parisiis ab ejusdem hospitalis administratoribus statutas pergant, escas sumendi causa quibuscunque opus habuerint, sub pœnis præscriptis per dictæ declarationis Art. VII.

Art. III. Mandamus, ut in aliis culinis jurulenta, in aliis ad abstinentiam cibi parentur; quique apud memoratos stabularios, obsonatores aliosque carne vescentur, suis in cubiculis sine scandalo seorsim comedant, in pœnam tercentarum librarum mulctæ, pro unaquaque transgressione, in eosdem tabernarios, obsonatores, aliosque.

Art. IV. Apertissimas, sub iisdem pœnis, inhibitiones in eos edimus, ne cui jurulenta, nisi apud eos divertentibus, & in facultate quam a nobis obtinuerint, nominatis suppeditent, cave in urbe deferant, quacunque tandem causa prætexi possit.

QUADRAGINTA HORARUM PRECES. Ita nuncupantur solemnes preces, quæ eo spectant, ut divini numinis iram placent, ejusque misericordiam implorent, quoties gravis aliqua occasio suboritur. Divinum Sacramentum, harum quadraginta horarum spatio expositum remanet, ita quidem, ut semper adsint saltem personæ duæ quæ illud adorent. Ex usu quoque est in pluribus casibus, ut processio tum ante, tum post quadraginta horarum preces instituatur.

Quo uberiores ex oratione insitus fructus existunt, eo sæpius ad illius exercitationem fideles cohortandi sunt. Officium igitur parochi sit, quo magis illos proposito spirituali dono alliciat, crebro, cum occasio tulerit, indulgentiam evulgare eis concessam, qui orationi quadraginta horarum ordinariæ aut extraordinariæ, Episcopi jussu expositæ vacaverint. (VI. Mediolanense Concil. an. 1582. tit. 5.)

Quadraginta horarum oratio religiose instituta ut cum salutari animarum fructu retineatur, hæc etiam constituimus atque decernimus. (Concil. Avenionense, an. 1594. tit. 45.)

Fiat in conspectu sanctissimi Sacramenti, quod a tabernaculo expositum in majori aliove altari, si ita expedierit, palam collocetur. Id ut cum dignitate agatur, altaris vel capella, ubi exponetur, sit valde decens & religiosus.

Cereorum numerus in altari accensorum ejusmodi sit, qui & multitudine & recta dispositione cum Christi præsentiam exornet, tum intuentium oculos ad pietatem alliciat. Sex ad minimum cerei, & lampades duodecim, ac bini faces grandiores, durante precatione, ardeant. Dum Christi Corpus in altari propositum est, clerici duo, superpelliceo induti, capite aperto, ad altare semper assistant.

Qua hora frequens est ad orationem concursus, sermo, isque brevis, & ad pia meditationis studium inflammandum apposite accommodatus habeatur.

Nocte appetente, nulli mulieri liberum sit in Ecclesia manere.

Absque episcopi licentia non fiat quadraginta horarum precatio.

Harum quæ quadraginta horarum vocabulo designantur, precum institutio, seu potius instauratio summis Pontificibus Pio IV. & Clementi VIII. tribuitur.

QUÆSTIO. Licetne Ecclesiæ judici ad pœnam, seu torturam damnare, quæ Quæstio nuncupatur? *Quære* MULCTA, & PŒNÆ.

QUÆSTUS & QUÆSTORES. Quæstus quorum usus in diœcesibus pluribus obtinet, ne a religiosis quidem, sine diœcesanorum Episcoporum venia peragi possunt. Erant olim quæstores in officii titulum instituti, & a summis Pontificibus & Episcopis missi, ut ubique locorum indulgentias prædicarent, & fidelium, ad sacrum in infideles & hæreticos bellum, vel ad aliquod aliud bonum opus, cujusmodi erat Ecclesiarum vel hospitalium reparatio, contribuere volentium eleemosynas colligerent. De hujusmodi quæstoribus in Conciliis fit passim mentio, ab undecimi sæculi fine; quæ nimirum tempora prodire cœperunt, cum Urbanus Papa II. qui apostolicum solium an. 1088. conscendit, sacrum bellum instituisset. Eos tandem, ob absona gesta, Tridentina Synodus abolevit.

Præcipimus, quod quæstores non permittantur in Ecclesiis aliud populo prædicare, quam in indulgentiis domini papæ, & sui diœcesani litteris continetur; nec tortelli, vel cellula (forte, cedula, vel, sindalæ) recipiantur ab eisdem, nec ad hoc de cætero aliquis admittatur, nisi frater fuerit, vel alia persona idonea, majoris sui testimoniales litteras secum portans; cum certum sit, per venales ac conductores quæstores, tum ex pravo ipsorum vita, tum ex prædicatione erronea, multa scandala provenisse; damnatis in infectum libertationem pro modica pecunia promittentes. (Concil. Biterrense, an. 1246. cap. 5.)

Item inhibemus Sacerdotibus, ne quæstorem permittant in suis Ecclesiis, nisi de mandato nostro, sive apostolico, prædicare; sed ipsi exponant subditis suis id solummodo quod in apostolicis & nostris litteris viderint contineri. Caveant insuper, ne tortellos a quæstoribus recipiant, nisi primitus diligenter inspectas, quod in iis nec major indulgentia, nec ampliora beneficia exprimantur, quam in litteris supra dictis. (Concilium Burdigalense, an. 1255. tit. 2.)

Cum multa a diversis antea Conciliis, tam Lateranensi ac Lugdunensi, quam Viennensi, adversus pravos eleemosynarum quæstorum abusus remedia tunc adhibita, posterioribus temporibus reddita fuerint inutilia; potiusque eorum malitia ita quotidie, magno fidelium omnium scandalo & querela, excrescere deprehendatur, ut de eorum emendatione nulla spes amplius relicta videatur; statuit, ut posthac in quibuscunque christianæ religionis locis eorum nomen atque usus penitus aboleatur, nec ad officium hujusmodi exercendum ullatenus admittantur, non obstantibus privilegiis Ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, piis locis, & quibusvis cujuscunque gradus, status, & dignitatis personis concessis, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus. Indulgentias vero, aut alias spirituales gratias quibus non ideo Christifideles decet privari, deinceps per ordinarios locorum, adhibitis duobus de capitulo, debitis temporibus, populo publicandas esse decernit. Quibus etiam eleemosynas, atque oblata sibi charitatis subsidia, nulla prorsus mercede accepta, fideliter colligendi facultas datur; ut tandem cœlestes hos Ecclesiæ thesauros, non ad quæstum, sed ad pietatem exerceri omnes vere intelligant. (Concil. Tridentinum, sess. XXI. cap. 9. de Reform.) *Vide* PRÆDICATORES.

QUARTA CANONICA, seu FUNERARIA. *Quære* SEPULTURA.

QUATUOR TEMPORA, *Jejunium quaternarium*. Vocantur *Quatuor tempora* tres jejunii dies, quod quatuor anni tempestatum, quæ mensibus Februario aut Martio, itemque Junio, Septembri & Decembri contingunt, hebdomadæ feriis quarta, sexta & septima, seu mercurii, veneris & saturni, seu sabbati diebus Ecclesia servari jubet. Quatuor tempora semper incidunt in feriam quartam, feriam sextam & sabbatum, post Adventus dominicam tertiam, post Quadragesimæ dominicam primam, post dominicam Pentecostes, & post Festum Exaltationis sanctæ Crucis. Quatuor temporum jejunium vetus est, quandoquidem S. Leo, summus Pontifex, qui an. 461. supremum diem obiit, perspicue suis in Sermonibus jejunia exprimit, quæ tribus quos modo diximus, diebus ad singula quatuor anni tempora servari consueverant; nempe jejunium veris, jejunium æstatis, jejunium autumni, & hiemis jejunium. Quatuor temporum jejunium hoc a Romana ad cæteras Occidentis Ecclesias migravit; at non eadem semper fuit quoad tempus diesque jejunii ratio. Quatuor temporum jejunium vernum prima hebdomada mensis Martii; æstivum secunda hebdomada mensis Junii; autumnale tertia hebdomada mensis Septembris, denique hibernum tertia mensis Decembris hebdomada servabatur. Gregorius Papa VII. ad undecimi sæculi finem, mandavit, ut Martii jejunium prima Quadragesimæ hebdomada, & illud Junii in Pentecostes octava servaretur. Quatuor temporum jejunia instituta fuerunt, ut anni tempestates quatuor Deo per pœnitentiam consecrarentur, ut ejus supra quatuor has tempestates benedictio obtineretur, & ut Sancti Spiritus gratia in presbyterorum & diaconorum ordinationibus imploraretur, quibus peragendis horum quatuor temporum sabbatum addictum erat, ut ex Papæ Gelasii Epistola nona, quinto ad finem vergente sæculo, compertum fit.

Constituimus, ut quatuor tempora anni ab omnibus cum jejunio observentur, id est, in mense Martio, hebdomada prima; & feria quarta & sexta & sabbato veniant omnes ad Ecclesiam, hora nona cum litaniis ad Missarum solemnia. Similiter in mense Junio hebdomada secunda, feria quarta & sexta & sabbato jejunetur usque ad horam nonam, & a carne ab omnibus abstineatur. Similiter in mense Septembrio hebdomada tertia, & in mense Decembrio hebdomada quæ fuerit plena ante vigiliam Natalis Domini, sicut est in Romana Ecclesia traditum. (Concilium Moguntinum, an. 813. can. 34.)

Et jejunia quatuor temporum (quæ imbrea vocant), & cætera omnia, prout sanctus Gregorius genti imposuit Anglorum, conserventur. (Concil. Enhamense, an. 1009. can. 16.)

Quaqua etiam die veneris jejunandum est, nisi festum sit. (Can. 17.)

Item quatuor temporum observantia competenti tempore secundum divinam institutionem communi observantia a nobis servetur, id est, prima hebdomada Martii, secunda Junii, tertia Septembris, eadem Decembris ob reverentiam dominicæ Nativitatis. Indignum enim valde est, ut sanctorum institutio aliquibus occupationibus, vel mundialis sollicitudine destituatur. (Concil. Rothomagense, an. 1072. can. 9.)

Statuimus etiam, ut jejunia quatuor temporum hoc ordine celebrentur: primum jejunium in initio Quadragesimæ; secundum in hebdomada Pentecostes; tertium & quartum in Septembri & Decembri, more solito, fiant. (Concil. Placentinum, an. 1095. cap. 14.)

In Martio, prima hebdomada, jejunandum est feria quarta, sexta & sabbato. In Junio, in secunda, quod dupliciter observatur a pluribus; in prima hebdomada post litanias; aut in hebdomada Pentecostes; in Septembri per tres dies; in proxima septimana integra ante Natalem Domini.

RAP

RAPTUS est personæ ab uno in alium locum asportatio, seu matrimonii cum ea ineundi, seu illiciti commercium eadem habendi animo, sive a raptore ipso, sive ab aliis ejus nomine asportatio peragatur, sive asportetur persona per physicam vim, sive per moralem tantum, per metum scilicet minasque graves. *Quære*, ad verbum MATRIMONIUM, titulum, IMPEDIMENTUM RAPTUS.

Quicunque liberam mulierem, maecimonii causa, sibi violenter arripuerit, aut apem ei tulerit qui eo nomine capit, aut una cum ea rapuerit; præcipit modo sancta synodus, ut qui id fecerit, si sacerdos sit, sacerdotio suo deponatur, & gradu excidat; sin laicus, a congregatione expellatur, & ab Eucharistia arceatur. (Concil. Chalcedonense, an. 451. can. 27.)

Viduas quæ se Domino consecrari petierunt, vel puellas Domino consecratas, nullus neque per auctoritatem regiam, neque qualicunque potestate suffultus, aut proprio temeritate capere, aut trahere audeat. Quod si utrique consenserint, communione priventur. (Concil. Remense, an. 630. can. 27.)

Quicunque sanctimonialem, sive quamcunque feminam in matrimonium, vel concubinatum rapuerit, donec eam coram Episcopo civitatis, parentibus, vel civibus restituat, cum omnibus fautoribus suis excommunicatum se esse cognoscat. (Concilium Ravennatense, an. 877. can. 6.)

Raptores qui in rapiendo mortui fuerint absque canonica pœnitentia, non sepeliantur, nec pro eis Missa celebretur. (Concilium Namausense, an. 1096. can. 11.)

Tales, scilicet raptores, sæculi leges, cooperatoresque eorum capite ferire præcipiunt, & sacri canones, spiritu Dei conditi, non solum raptores, sed etiam omnes eorum cooperatores, eisque consentientes anathemata feriunt. (Capitul. *Reg. Francorum*, lib. 6. cap. 95.)

Sancitum est, ut hi qui rapiunt feminas, vel furantur, aut seducunt eas, nullatenus habeant uxores. (Ibid. lib. 7. cap. 325.)

„ Eos qui puerum aut puellam, viginti quinque
„ annis minorem, matrimonii specie, aliove colore,
„ sine patrum, matrum tutorumque approbatione, no-
„ titia, voluntate, consensu, subornasse comperti fue-
„ rint, morte puniri volumus, sine gratiæ & veniæ
„ spe, non obstantibus omnibus consensionibus quas
„ dicti minores, post dictum raptum, ejus tempore,
„ vel antea, a se præstitas allegare possent; pariter-
„ que puniantur extra ordinem, quicunque dicti ra-
„ ptus participes fuerint, quique consilium, subsi-
„ dium auxiliumque, quavis demum ratione, præ-
„ buerint.

„ Vetamus etiam omnibus viris nobilibus, dominis-
„ que, ne subditorum aliorumve filias, neptes, easve
„ quæ in pupillari statu sunt, suis famulis aliisve tra-
„ dant in matrimonium, contra voluntatem liberta-
„ temque, quæ in ejusmodi contractibus adesse de-
„ bent, privandi, ni paruerint, nobilitatis jure, pu-
„ niendique tamquam raptus criminis rei. “ *Vide* ar-

ticulum 42. Blefensis Constitutionis, declarationem diei 16. Novembris an. 1630. editum an. 1536. aliud Ludovici XIII. an. 1639. aliudque Ludovici XV. die 22. Novembris an. 1730. super seductionis Raptu editum.

RECLAMATIO in religionis vota. *Quare* RELIGIOSUS.

RECLUSI, solitarii qui intra cellulas monasteriis contiguas, vel desertis in locis, procul urbibus, versabantur. Qui cupiebat reclusi vitam agere, non poterat id facere sine Episcopi simul & abbatis consensu, aut saltem sine consensu abbatis, monachorumque monasterii in quo altus educatusque fuerat.

Ut reclusi non fiant, nisi quos ante Episcopus provinciæ, atque abbas comprobaverint, & secundum eorum dispositionem in reclusionis loca ingrediantur. (Concilium Francofurtense, seu Francofordiense, an. 794. canon. 12.)

Districtius inhibemus, ne inclusi, vel inclusæ constituantur alicubi, sine nostra licentia speciali, pensatis locis, moribus & qualitate personæ, & unde debeant sustentari. In domibus eorum, personæ seculares nullatenus hospitentur, sine causa honesta & manifesta. (Concil. Lambetanum, an. 1330. can. 9.)

RECONCILIATIO, in pœnitentiæ negotio, non semper in Conciliis pro sacramentali absolutione sumitur, per quam confessarii Deo peccatores pœnitentes conciliant; at sæpe accipitur pro ecclesiastica cæremonia, per quam peccatores qui publicam pœnitentiam susceperant & absolverant, Episcopus cum Ecclesia publice conciliabat. Quinta nimirum feriæ majoris hebdomadæ, seu *in Cœna Domini* publica reconciliatio addicta erat, quemadmodum ad primam Quadragesimæ diem spectabat publicæ pœnitentiæ impositio. Pœnitentes ergo ad reconciliationem designati, hebdomadæ sanctæ feria quinta, ad Ecclesiæ januam se conferebant; tum episcopo præsentabantur, qui super iis aliquas preces edebat, quarum tempore iidem sub cinere & cilicio prostrati jacebant. Episcopo deinde archidiaconus significabat justitiæ consonum esse, ut Ecclesia errantes oves susciperet eo misericordiæ tempore quo suum ea gregem per catechumenorum baptismum augebat. Eosque pœnitentes Episcopus, post brevem cohortationem, ita solemnem in modum cum Ecclesia, per manuum impositionem, reconciliabat. Hac absoluta cæremonia, pœnitentes omnia luctus signa deferebant, inter fideles locum sumebant, & cum iis sancta Mysteria participabant. Superest nobis hujus veteris cæremoniæ vestigium in solemni prece quæ hebdomadæ sanctæ feria quinta in cathedralibus Ecclesiis peragitur, & vulgo nuncupatur *absolutio*, solemnis nempe publica, generalis, minime vero sacramentalis, sed solum sancta quædam & pia cæremonia quæ justis cum contritione, ad veniales quibus obstricti sunt, peccatorum pœnitentiam, ad resipiscentiam per Ecclesiæ preces obtinendam inservire potest.

Qui recedunt de corpore, pœnitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicari; quod morientis sufficit consolationi, secundum definitiones Patrum, qui hujusmodi communionem congruenter viaticum nominarunt. Quod si supervixerit, stent in ordine pœnitentium; & ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione percipiant. (Concilium Arausicanum, an. 441. can. 3.)

Reconciliatoria porro hæc manuum impositio, de qua in laudato canone sermo est, de solemni & publica pœnitentium reconciliatione, quam supra memoravimus; intelligi debet.

RECONCILIATIO Ecclesiæ pollutæ. *Quære* ECCLESIA.

RECUSATIO est actus per quem qui ad tribunal suum judicium subiturus declarat eo se animo esse, ut quempiam sibi judicem nolit.

Lateranense gener. Conc. an. 1215. (cap. 48.) habitum, suam super judicum recusatione sententiam profert in hæc verba: *Statuimus, quod si (quis) allegaverit se judicem habere suspectum, coram eodem causam justæ suspicionis assignet. Et ipse cum adversario, vel si forte adversarium non habent, cum judice arbitros communiter eligat; aut, si forte communiter convenire non possunt, eligant absque malitia ipse unum, & ille alium, qui de suspicionis causa cognoscant; & si nequiverint in unam concordare sententiam, advocent tertium, ut quod duo ex ipsis decreverint, robur obtineat firmitatis. Sciant quoque se ad id fideliter exsequendum, ex injuncto a nobis in virtute obedientiæ, sub attestatione divini judicii, districto præcepto teneri. Causa vero suspicionis legitima coram ipsis infra competentem terminum non probata, sua jurisdictione judex utatur. At ipsa probata legitima, de recusatoris assensu, personæ idoneæ committat negotium recusatus, vel ad superiorem transmittat, ut in eo ipse procedat, secundum quod fuerit procedendum.*

Quia porro judex recusari potest, quoties suspectus est, tot justæ causæ recusationis subsunt, quot gravia suspicionis momenta suppetunt. In Gallia locum habet recusatio non solum cum de ordinario aut delegato judice agitur, verum etiam cum de universo aliquo judicum cœtu quæstio est, quoniam ibi admittuntur evocationes suspicionis causa, propterea quod inter eos quidam sunt, cognatione cum partium una conjuncti. Judex pronuntiare solus non potest super recusationis causis, a partium altera, apud eum agere coacta propositis. Ita judicatum in Parisiensi parlamento, die 22. Augusti an. 1631. contra judicem quemdam Montis Brissonii. Qui recusationis negotium, tam ex Romano, quam ex Gallico jure canonico penitius accuratiusque enucleare volunt, consulere possunt finem tertii Tomi Operis D. Giberti, quod hunc titulum præfert: *Corpus Juris Canonici per regulas naturali ordine dispositas*, &c. Consuli quoque possunt Gonzales & Fagnanus, super cap. 6. *Ad appellat. De la Hamaide*, in Lovaniensi Universitate Juris professor peculiarem *de Recusatione* Tractatum edidit, ubi is explicat, quod cujusque regionis jus in hanc rem statuit; in medium affert identidem auctor Gallicum jus quod an. 1667. constitutione, ad titulum 24. qui triginta articulis constat, potissimum continetur. Titulus hic explicatur, servata methodo, in generali Stilo, T. I. p. 414. tribuiturque ibidem in lectiones tres; in prima colliguntur omnes articuli qui recusationis causas alliciunt, nomine *Regularum ad Recusationes validas asserendas*; in secunda adduntur articuli qui agendi formam continent; in tertia ponuntur qui de recusationibus judicium spectant. Secunda & tertia continent etiam actorum formulas, quæ ad utramque finem necessaria sunt. Occurrunt similes formulæ in Officialitatum criminalibus agendi rationibus, I. Part. pag. 23. & seq.

REFORMATIO. Dicitur peculiariter de restitutione, seu redintegratione disciplinæ Ecclesiasticæ inter clericos seculares, & disciplinæ monasticæ in utriusque sexus religiosis ordinibus. Religiosorum ordinum reformatio quondam ad Episcopos pertinebat, quemadmodum e plurimis Conciliorum canonibus, iisque præsertim qui sequuntur, perspici potest.

Ut unusquisque Episcoporum potestatem habeat in sua parochia, tam de clero, quam de regularibus, ad corrigendum & emendandum, secundum ordinem canonicum spiritalem, ut sic vivant, qualiter Deo placere possint. (Concilium Vernoniense, seu Verneviliense, an. 755. can. 3.)

In omnibus igitur, quantum humana permittit fragilitas, decrevimus, ut canonici clerici canonice vivant, observantes divinæ Scripturæ doctrinam, & documenta sanctorum Patrum; & nihil sine licentia Episcopi sui, vel magistri eorum composite agere præsumant in unoquoque episcopatu, & ut simul manducent & dormiant.... & in suo claustro maneant.... & obedientiam secundum canones suis magistris exhibeant. (Concil. Moguntinum, an. 813. can. 9.)

Abbates item consuimus ita cum monachis suis pleniter vivere, sicut ipsi qui in præsenti synodo aderant, palam nobis omnibus promiserunt, id est, secundum doctrinam sanctæ regulæ Benedicti, quantum humana permittit fragilitas. (Can. 11.)

Abbatissas cum Sanctimonialibus omnino recte & juste vivere censemus. Quæ vero professionem sanctæ regulæ Benedicti fecerunt, regulariter vivant. Sin autem, canonice vivant pleniter, & sub diligenti cura custodiam habeant, & in claustris permaneant, neque foras exitum habeant. Sed & ipsæ abbatissæ in monasteriis sedeant, nec foras vadant, sine licentia & consilio Episcopi sui. (Can. 12.)

Monasteria monachorum, in quibus olim regula beati Benedicti patrio conservabatur, sed nunc forte, qualicunque negligentia subrepente, remissius ac dissolutius custoditur, vel certe penitus abolita negligitur, bonum videtur, ut ad pristinum revertantur statum; & abbates eorumdem in eodem habitu & vita, quam ipsa regula præcipit eos incedere, vivere studeant. (Concil. Turonense, an. 813. can. 25.)

Quoniam insolentia quorumdam, qui a religionibus, semel professione solemni accepta, temere resiliunt, his nostris calamitosissimis temporibus, disciplinam Ecclesiæ, adeoque totam religionem non parum perturbavit; nos huic calamitati, ex monastica disciplina neglecta provenienti, pro viribus occurrere volentes, prælatos monasteriorum per charitatem quæ est in Christo Jesu, hortamur, & serio requirimus, ut enca sibi tradita diligentius incumben-

cumbenere, personas regulares sibi subjectas ad monastica disciplina, & regularum suarum observantiam sollicitius inducant, aut refractarios etiam debitis pœnis compellant; alioqui, cessationem & negligentiam prælatorum nos juxta canonum sanctiones supplebimus. Cum vero personæ quædam regulares jugum jumdudum excusserint, & desertis monasteriis, & spreta suorum prælatorum obedientia, in seculo versentur; nos hujusmodi regulares, contra regulam divagantes, volentes ad sua monasteria reducere, ne alii ex prohibita illorum communione periculis involvantur, superiores eorum monemus, ut ejusmodi vagos monachos diligenter inquirant, & ad sua monasteria eos retrahere quoquo modo procurent. Similiter & omnibus personis ecclesiasticis nobis subjectis mandamus, ut omnes regulares, cujuscunque sint conditionis aut ordinis, in suis districtibus commorantes diligenter moneant & requirant, ut infra mensis spatium, post ejusmodi requisitionem, ad sua monasteria redeant, & obedientia superiorum suorum subdantur; aut dispensationes suas quarum prætextu obedientiam prælatorum suorum reliquerunt, intra idem tempus nobis, aut officialibus nostris examinandas exhibeant. Hujusmodi vero monitioni non parentes, & in rebellione & inobedientia sua perseverantes, sine mora nobis, aut officialibus nostris denuntient, quos nos per ecclesiastica censura pœnas, & omni severa animadversione, quantum nos justitia permiserit, ad suas regulas redigere, & sub prælatorum suorum obedientiam retrudere non omittemus. (Concilium Moguntinum, an. 1549. cap. 78.)

Cum vero aliquoties contingat, ut personæ aliquæ regulares, aut graviorum excessuum conscientia, aut ocium ex animi levitate, monasteria sua deserant, deinde pœnitentia ducta, redire ad sua monasteria volentes, a superioribus quibusdam nimis rigidis aut pœnarum asperitate absterreantur, aut prorsus non recipiantur; nos a quantacunque perversitate resipiscenti gremium misericordiæ non esse claudendum considerantes, ne hujusmodi repulsis etiam amplius delinquendi occasio præbeatur, præsenti statuto censemus & ordinamus, ut monasteriorum abbates & prælati, abbatissæ, præpositi, priores & magistratus, cujuscunque ordinis nobis subjecti, regulares personas in apostasiam ex quacunque causa lapsas, & cum humilitate redire volentes, juxta cujuscunque ordinis disciplinam, sive regulam & consuetudinem observatam, benigne accipiant, nec eis pro excessibus graviores pœnas, quam quæ in sacris canonibus & regulis ordinum expressa sunt, imponant; ita tamen, ne propter excessus suos nec victus nec vestitus necessarius eis subtrahatur. Prælatos vero, & quoscunque monasteriorum magistratus, huic constitutioni nostræ contravenientes, sententia suspensionis a divinis, simul etiam ab administratione tam spiritualium quam temporalium (quam in contrafacientes, præsenti canonica monitione præmissa, ferimus in his scriptis) volumus subjacere.

Ex præsenti disciplina, & peculiari Galliarum jurisprudentia, distinguantur, oportet, religiosæ domus quæ subsunt Episcoporum jurisdictioni, quæque huic minime subsunt. Ad priores quod attinet, Episcopi eo adhuc ipso eas reformandi jure fruuntur, quo fruebantur, cum absoluta supra omnes religiosos jurisdictione gaudebant. Quod autem religiosas domos ab Episcoporum jurisdictione exemptas spectat, pollent hi etiamnum eas reformandi jure, annuente principe, in multiplici facti specie; 1. cum de scandalis agitur, quæ religiosorum universa domus præberet, aut de criminibus quibus se religiosorum aliqui extra claustrum obstringerent; 2. in appellationis casu, & criminalibus in negotiis; 3. cum id quæritur, ut suppleatur abbatum aliorumque regularium superiorum negligentia seu connivantia, qui suæ nempe regulæ suique instituti neglectum violationemque ferunt aut firmant, postquam eos Episcopi frustra monuerunt, ut intra tres menses, atque adeo brevius temporis spatium in ordinem res redigerent. Ita statutum in Conciliis, in Regiis sanctionibus, in arestis, in parlamentis.

Regularis non subditus Episcopo, qui intra claustra monasterii degit, & extra & ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, a suo superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum severe puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat; sin minus, a suo superiore officio privetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit. (Concil. Trident. sess. XXV. cap. 14.). Vide etiam sessionis VI. cap. 3. quod attulimus *verb.* CORRECTIO.

Ut autem hæc omnia & singula, in superioribus decretis contenta, in omnibus monasteriis & domibus virorum seu mulierum, sub quavis gubernatione & subjectione existentibus observentur; præcipiunt Episcopis, ut in monasteriis sibi subjectis, & in aliis etiam non subjectis, in casibus, a sacris canonibus, præsertim Concilii Tridentini decretis, specialiter ipsis commissis, statim prædicta exsequantur. Quæ vero extra casus prædictos in monasteriis, & personis ab Episcoporum jurisdictione & subjectione exemptis ordinanda sunt, ea studeant abbates, aliique ordinum superiores, ad quos ea cura spectat, exsecutioni demandare; quibus negligentibus, juxta ejusdem Concilii Tridentini ultimum decretum de Regularibus, erit providendum, (Concilium Rothomagense, an. 1581. tit. *de Monasteriis.*)

Edicti an. 1695. articulus 18. injungit Episcopis, ut incolumitati regularis disciplinæ in omnibus tam virorum, quam puellarum monasteriis exemptis & non exemptis, ubi eadem servatur, ejusque restitutioni in iis omnibus, in quibus ipsa non vigebit, invigilent. Articulum hunc confirmavit & interpretata est declaratio diei 29. Martii an. 1696. quæ trium mensium procrastinationem per edictum an. 1695. concessam in sex mensium spatium mutavit, quod hæc superioribus regularibus exemptis concedit, suos ut religiosos reforment, antequam Episcopi id ipsi facere possint, nisi forte promptius remedium postulaverit mali gravitas.

Sanctionum constitutioni concinit arestorum jurisprudentia. Ita judicatum per arestum parlamenti Parisiensis, mense Januario an. 1589. Huic geminum est ejusdem parlamenti arestum, die 11. Januarii an. 1620. Ejusmodi quoque est arestum, ab Aquisextiensi parlamento, Maji die 31. an. 1623. editum; quibus omnibus congruit arestum contradictorium consilii privati, die 21. Junii an. 1624. allatum pag. 91. & sequent. Tom. VII. Monumentorum Cleri.

REGALE, REGALIA. Veniunt generatim hoc nomine temporalia jura quæ ad Regem pertinent, minusque generatim majora prædia & dominia quæ singulæ Ecclesiæ a liberalitate Christianorum principum tenent. Hac posteriore notione undecimi & duodecimi sæculorum auctores vulgo nuncupent *regalia sancti Petri*, magna dominia quibus Pipini, Caroli Magni, aliorumque Galliæ Regum liberalitas Romanam Ecclesiam locupletavit. In eamdem significationem accipi jusjurandum debet, quod Aquilejensis Archiepiscopus, in Concilio, an. 1079. Romæ habito, summo Pontifici Gregorio VII. præstitit in hæc verba; *Juravit Archiepiscopus Aquilejensis Henricus secundum hæc verba: Ab hac hora & in antea fidelis ero beato Petro, & Papæ Gregorio, suisque successoribus .... papatum Romanum, & regalia sancti Petri adjutor ero ad retinendum & defendendum, salvo meo ordine.*

In hujus temporis usu per id vocabuli jus intelligitur, cujus vi Rex vacantium episcopatuum qui in ejus ditione sunt, reditibus fruitur, statuitque de beneficiis quæ ab iisdem pendent, quin tamen animarum curam adjunctam habeant, usque eo dum novus Episcopus in episcopatus possessionem venerit, fidelitatis juramentum præstiterit, cæterisque ad Regaliæ clausuram in Gallia requisitis solemnibus formis satis fecerit.

Origo Regaliæ.

Regaliæ juris origo admodum in obscuro est. Eam alii primum in Aurelianensis primi Concilii, an. 507. aut 511. habiti quinto vel septimo canone nacti sibi videntur, eamdem alii referunt ad Adrianum Papam I. qui an. 795. ex hac mortali vita migravit, quique jus hoc, inquiunt, Imperatori Carolo Magno concessit; nec desunt qui asserant Gallos Reges non nisi an. 1122. Callixto II. Ecclesiam regente, & quidem quoad provincias tantum ab Imperio pendente hoc jure gaudere cœpisse; addentes omnium antiquissimum titulum qui quidem de regaliæ in Gallia jure mentionem faciat, ad annum 1161. pertinere, quo scilicet anno Rex Ludovicus junior, de Parisiensi episcopatu loquens; *Episcopatus*, inquit, *& regale in manum nostram venit.* Ita sentit Petrus de Marca in libello, quem Cleri cœtu an. 1655. rogante contexuit.

Aurelianensis porro Concilii primi laudatus canon, in quo auctores nonnulli regaliæ juris originem sibi detectam putant, his verbis conceptus est: *De oblationibus, vel agris quos dominus noster Rex Ecclesiis suo munere conferre dignatus est, vel adhuc non habentibus, Deo inspirante, contulerit, ipsorum agrorum, vel clericorum immunitate concessa, id esse justissimum definimus, ut in reparationibus Ecclesiarum, alimoniis sacerdotum & pauperum, vel redemptionibus captivorum, quidquid Deus in fructibus dare dignatus fuerit, expendatur, & clerici ad adjutorium ecclesiastici operis constringantur.*

Canon hic in P. Sirmundi editione quintus est, & in ea septimus, quam D. Gaspar Audulius, in Regis consiliis magni nominis advocatus secutus est, in Tractatu quem de Regaliæ Origine, ejusdemque Institu-

tionis

tionis Caufis elaboravit, Parifienfis editionis pag. 378. an. 1708. Idem auctor legis, *De obligationibus vel agris*; et P. Sirmundi lectio præferri debet.

Idem dicendum de eorum fententia, quibus cum D. Stephano Pafcherio, in camera rationum Lutetiæ Parifiorum, regnante Carolo IX. generali advocato perfuafum eft Aurelianenfis primi Concilii canonem quintum nec ad regaliæ juris originem, nec ad alias pofterioribus fæculis agitatas controverfias referri. (Gallicarum ejus Investigationum lib. 3. cap. 33. p. 262. edition. Parifienf. an. 1665.)

Lugdunenfe fecundum generale Concilium, ad hoc de quo agimus, jus quod attinet, in duodecimo canone fuam ita mentem aperit: *Generali constitutione sancimus, universos & singulos qui regalia, custodiam sive guardiam advocationis, vel defensionis titulum, in Ecclesiis, monasteriis, sive quibuslibet aliis piis locis, de novo usurpare conantes, bona Ecclesiarum, monasteriorum, aut locorum ipsorum vacantium occupare præsumunt, quantacunque dignitatis honore præfulgeant, clericos etiam Ecclesiarum, monachos monasteriorum, & personas cæteras locorum eorumdem, qui hæc fieri procurant, et ipso excommunicationis sententia subjacere; illos vero clericos qui se, ut debent, talia facientibus non opponunt, de proventibus Ecclesiarum, seu locorum ipsorum, pro tempore quo præmissa sine debita contradictione permiserint, aliquid percipere districtius inhibemus. Qui autem ab ipsarum Ecclesiarum, cæterorumque locorum fundatione, vel ex antiqua consuetudine, jura sibi hujusmodi vindicant, ab illorum abusu sic prudenter abstineant, & suos ministros in eis sollicite faciant abstinere, quod ea quæ non pertinent ad fructus, sive reditus provenientes vacationis tempore, non usurpent; nec bona cætera, quorum se asserunt habere custodiam, dilabi permittant, sed in bono statu conservent.*

Canon hic omnium celeberrimus, qui fuper regaliæ jure afferuntur, eo eft animadverfione dignior, quod qui jus hoc propugnarunt impugnaruntque, eum fibi finguli favere contendunt.

Qui in declarationem an. 1673. quæ ad ufus regaliæ amplificationem edita fuit, ftilum acuarunt, afferunt ejufmodi amplificationem per hunc canonem ipfum damnari, earumque diœcefeon Epifcopos, quæ huic fervituti non fuberant, ei fe fubdere non potuiffe, *quin excommunicationem ab hoc concilio inflictam subirent*. Qui, contra, laudatam an. 1673. declarationem fufcipiunt, duodecimum ejus Concilii canonem ajunt hujus receptioni obeffe non poffe, quippe qui non fupremos Principes, fed peculiares folum dominos afficit, qui diripiebant Ecclefiarum bona, quæ in eorum terris domiciliifque ftatutæ erant, titulum prætexentes, quem ufurpabant, fe fcilicet earum cuftodes, advocatos & defenfores effe, feu, quæ canonis verba funt, *advocationis, vel defensionis titulum in Ecclesiis, monasteriis, seu quibuslibet aliis piis locis de novo usurpare conantes*; quæ verba fpectare non poffunt fupremos Principes, quos jus officiumque, dignitati qua infigniuntur, addicta conftituunt Ecclefiarum, monafteriorum, aliorumque pietatis locorum cuftodes defenforefque. Addunt auctores hi nullam unquam memorati canonis mentionem in litigiis occurrere, quæ poft fecundum Lugdunenfe generale Concilium inter fummos Pontifices & Reges, quod ad regaliæ jus attinet, intercefferunt, eique femper alias interpretationes adhibitas fuiffe; eo ad Principes relato, damnari S. Ludovici Regis memoriam, quandoquidem ad querelam Epifcoporum Galliæ, & Angliæ contra bonorum ufurpatores, quæ ad eorum Ecclefias pertinebant, editus fuit; ad extremum, fi Principes canon impeteret, eos, inquiunt, nominaret. qui Conciliorum, fummorumque Pontificum qui eo fæculo fubfecutifque decreta quoad Principes edidere, ftilus ufufque eft. Per vocabulum ergo, *regalia*, in eo canone intelligi debent vacantium Ecclefiarum reditus quos peculiares domini, non una obducta caufa, ufurpabant, contendentes fibi fupra quafdam Ecclefias regaliæ jus effe, patientefque nonnullarum aliarum bonis, advocatorum, protectorum & defenforum titulo.

Regaliæ Fundamenta.

Super regaliæ fundamentis non convenit inter auctores. Afferunt alii jus hoc non nifi Ecclefiæ liberalitate niti, & ad Reges una & unica Ecclefiæ conceffione in eorum gratiam edita pertinere, ob eam caufam, quia beneficiorum collatio, cum fpiritalis auctoritatis exercitatio fit, ad temporalis poteftatis jurifdictionem non fpectat. Contendunt alii regaliæ jus fuapte natura fceptro conjunctum effe, & in unum quafi corpus cum eo coalefcere, tamquam fupremæ regum dignitatis, titulorumque confecutionem, quibus infigniti funt, ut Ecclefiarum fundatores, bonorum quæ earum proventum conficiunt, feudales domini jurium prærogativarumque quibus in eorum ditionibus Ecclefiæ gaudent, cuftodes, advocati, defenfores fint. Qui proinde e pofteriore fententia ftant; regaliæ jus æque vetus ac principatum, unaque cum hoc natum effe arbitrantur, ad ejus quidem vim & rationem quod attinet; verum quoad ejufdem ufus feu exercitationis initium, quoad tempus fcilicet, quo Galli Reges illud exercere cœperunt, certam accuratamque epocham ftatuere non poffunt.

Regaliæ Divisio.

Regalia dividitur, 1. in veterem & novam. Continetur vetus quibufdam juribus quæ fibi reges, quam late patebat eorum ditio, fuper Ecclefiarum temporalibus bonis, fuperque Epifcopis cæterifque præcipuis beneficiariis ftatuerant, cujufmodi funt jus fpolii, feu fucceffio in mobilia prælatorum bona, jus hofpitii feu procurationis fuper Epifcopatibus, feu nocturni ibidem diverforii, victufque, Epifcoporum fumptibus militaris, ob feuda; fervitii jus, aliæque ejufmodi fervitutes.

Regalia nova nihil eft aliud quam ipfum regaliæ jus, pro ut in præfentia fe habet, feu pro ut fupra definitum a nobis fuit; verum hæc regaliæ divifio in veterem & novam non tam divifio eft, quam ejufdem ftatus veteris cum præfenti comparatio.

Dividitur regalia, 2. in regale utile, & regale honorarium. Appellatur *regale utile* jus quo rex gaudet, ut vacantium Epifcopatuum fructus percipiat, quia fructus hi ad regis emolumentum vergunt. Nuncupatur *regale honorarium* jus quo rex pollet, ut, per Epifcopatuum vacationem, beneficia conferat, quibus adjuncta non eft animarum cura, quæque in Epifcopi difpofitione funt, cum fedes repleta eft. Non defunt auctores qui honorario regali etiam *spiritalis regalis* titulum tribuunt; at hunc titulum alii rejiciunt, utpote contrarium naturæ juris regaliæ quam tamquam temporalis Regum poteftatis jus quoddam mere temporale fpectant. Hæc oppofita placita duo, ope diftinctionis officii & beneficii in Ecclefiafticis titulis, inter fe conciliari poffunt. Non tribuunt Reges officium, hoc eft, facultatem obeundi ecclefiaftica munia, &, quoad caput hoc, eorum regaliæ jus nunquam *spiritale* vocari poteft; bene vero tribuunt beneficium, feu temporalem reditum qui officio, ecclefiafticarumque functionum exercitationi addictus eft; & hoc beneficii tribuendi jus poffet fortaffe minus proprie *regale spiritale* nuncupari, quia rei fpiritali addictum eft, & ut a regali utili diftinguatur, quod jure continetur quo rex gaudet, ut vacantium epifcopatuum fructus percipiat.

Regaliæ Effecta & Privilegia.

Regaliæ effecta & privilegia in meliore lumine collocare non poffumus, quam fi, præcipuos Gallos auctores fecuti, effata in regno recepta, hujufque temporis ufum, fuper hoc negotio, referamus.

I. Effatum.

In regaliæ negotio, ftatuatur, oportet, principii loco, femper ex ufu, ex eo quod eft in more pofitum, ex judicatarum rerum auctoritate, non autem ex Doctorum opinionibus, & Canoniftarum placitis difputandum effe.

II.

Nemo unus in regno quam ipfe Rex, gaudet regaliæ jure; eumque fuis reges filiis, fuifve fratribus magnum aliquod dominium in portionem, feu appanagium tribuunt, cum patronatus juribus, & facultate conferendi beneficia quæ ab eo pendent, nequaquam præfumitur eos in animo habuiffe beneficiorum in regalia vacantium collationem transferre.

III.

In beneficiorum collatione, quæ quidem animarum curam adjunctam non habent. Rex non folum in Epifcoporum jura fuccedit, pro ut per pofteriorum fæculorum difciplinam redacta fuere; verum in ea quoque quæ fecundum veteres canones ad Epifcopos pertinebant, quibus temporibus in re beneficiaria nihil non

iidem

iidem poterant, quibusque temporibus eorumdem jura diminuta non fuerant per resignationes in favorem, permutationes, præventiones in Romana curia, &c.

IV.

Justitium, seu fori prolatio quam Rex novo Episcopo tribuit, fructuumque fruitio, antequam is fidelitatis juramentum præstiterit, locum non habet nisi quoad temporalium rerum fruitionem, minime vero ad beneficiorum provisionem protenditur, ex Philippi Valesii constitutione.

V.

Regaliæ jus demandari aut cedi nemini potest, ut proprietatis titulo exerceatur.

VI.

Regaliæ exercitatio, in beneficiorum collatione, locum habet, quamdiu beneficium regaliæ obnoxium vacat & *de jure & de facto* simul, vel *de jure* solum, aut solum *de facto*.

VII.

Dum lis adest, quæ seria, & fundamento nixa præsumitur, quoad beneficii titulum, quod regaliæ subest, ei Rex providet per regaliæ jus, siquidem in diœcesi regaliam aperiri contigerit, dummodo tamen litigii constitutio & causæ inchoatio sex mensium spatio præcesserint Archiepiscopi, vel Episcopi mortem, per quam regalia aperta est. Ita statuit Ludovici Regis XIV. Februario mense an. 1673. edita declaratio. At si evidens aliunde foret, serium & bonæ fidei litigium esse, aperiendæ regaliæ causam præberet, tametsi mensibus sex antequam Episcopus decederet, intentatum non fuisset. Ita judicatum in Parisiensi parlamento, post memoratam declarationem, pro Burdigalensis Ecclesiæ canonicatu.

VIII.

Regaliæ juris vi, Rex omnibus episcopatus juribus & reditibus gaudet, quibus ultimus Episcopus fruebatur, atque adeo ecclesiasticis decimis, excepta beneficiorum collatione, quæ animarum curam adjunctam habent. Itaque Rex confert solus beneficia quæ Episcopus solus conferret; ad ea præsentat, ad quæ Episcopus præsentaret; dat eorum institutionem, pro quibus eam daret Episcopus; ubi Episcopus præsentaret tamquam canonicus, conjunctim cum capitulo, instituaretque tamquam Episcopus, utrumque Rex facit; si vox una tantum est in collationibus, in quibus Episcopus una tantum voce gauderet, itemque in electionibus, ubi canonicatus sunt electivi, confirmativi, in qua facti specie electionem confirmat, si confirmatio ad Episcopum pertinet; quemadmodum etiam institutionem tribuit, postquam cum capitulo præsentavit, si institutio ad Episcopum spectat. Post ejusmodi præsentationem, non tenetur, perinde atque Episcopus, in sua collatione, de aliis provisi beneficiis mentionem facere.

IX.

Præter hæc episcopalia jura quibus Rex fruitur regaliæ tempore, alia obtinet quæ ei peculiaria & propria sunt. Nimirum providet, *spreto patrono ecclesiastico*; resignationes in favorem recipit, ea conditione, si resignans viginti dierum spatio superstes fuerit. Pensionas creat, ea lege, ut in Romana curia firmandas caret. Confert in præjudicium præventionis Papæ. Dispensat super ætate, seu *conferendo dispensat*, nec capitulorum statutis subest, nisi vetera statuta sint per patentes litteras publica auctoritate munitas confirmata, aut per Ecclesiarum fundationem præscripta, & per publicam & ipsa auctoritatem firmata. Tum sane præsumitur eam Regi mentem esse, ut sarta tectaque ejusmodi statuta servet. Non subest cancellariæ regulis, nisi quatenus ipse voluerit; quamobrem cancellariæ regula, *de verisimili notitia obitus*, quoad provisiones in regalia locum non habet, & Rex conferre potest, apposita conditione, *si vacat*. Non tenetur diœcesim designare, aut exprimere regalistam clericum esse. Se ipse subdit regulæ *de triennali possessione*, quia vult. Potest valide regulare beneficium sæculari conferre, cum tres ultimi titulares in commendam libere provisi fuerunt. Reservatio vacationis in curia locum non habet in regalia. Papa non potest ulla ratione derogare Regis juri, nec cum eo concurrere, quibus in casibus cum ordinario concurrisset; ut proinde in iis omnibus casibus ad Regem confugi necesse sit, qua de causa dimissiones & permutationes in ejus manu fiunt. Non ei statum tempus ad conferendum sub devolutionis pœna. Si qua sunt beneficia *de facto*, aut *de jure* vacantia, hæc a Rege petuntur; prævenit Rex patronum ecclesiasticum, ut Papa faceret, quamvis Episcopus id in eumdem modum facere nequeat, ita scilicet, ut eum pro hac vacatione suo jure privet. Potest item Rex beneficium conferre *jure devoluto*; & reapse id facit pro re nata.

X.

Rex, per suum regaliæ jus, potest, in beneficiorum collatione, generatim quicquid Papa potest, consuevitque concedere, cum Romam ad collationem petendam mittitur. Omnia quoque beneficia confert, exceptis parœciis, aliisque pluribus quæ præterea Ludovicus Rex XIV. per suam mensis Januarii an. 1682. declarationem excepit; hujusmodi sunt dignitates & præbendæ quas conferendi possessione gaudent cathedralium & collegiatarum ecclesiarum capitula. Nec magis dignitates electivæ confirmativæ, quoad ipsam electionis confirmationem, regaliæ subsunt; cum tamen parœcia simplici beneficio unita est, ut prioratus, eam Rex conferre potest. E converso, cum beneficium simplex est unitum parœciæ, parœcia regaliæ non subest; ratio est, quia, in priore facti specie, parœcia simplicis beneficii accessorium est; at, in posteriore, beneficium simplex nihil est aliud quam parœciæ accessorium.

XI.

Si suum beneficii conferendi jus amisit Episcopus, *tempore elapso*, & jus ad metropolitanum, vel ad Papam devolutum est, Rex confert, dum beneficium *de facto & de jure* idonea persona repletum non est. Ita devolutio Regi non officit.

XII.

Omnes Galliæ archiepiscopatus & episcopatus regaliæ subsunt, iis exceptis quæ ab ea ad onerosum titulum exempta sunt, per titulos scilicet qui eas Ecclesias per cessiones aut commutationes, quæ ad earum onus, & ad Regis emolumentum faciunt, a regalia exemptas probant. (Declaratio a Ludovico XIV. edita mense Februario an. 1673.) Excipit etiam a regalia Gibertus Ecclesias, (Institut. Ecclesiast. Tom. II. pag. 116. 119.) in quibus Episcopo super beneficiis nil juris est, cujusmodi sunt cathedrales Ecclesiæ, Catalaunensis, Xantensis, Aptensis & Forojuliensis. Eamdem exceptionem adhibet quoad Ecclesias quarum una in aliam regaliæ jure gaudent, ut Lugdunensis & Augustodunensis. Excipit etiam Burgundiæ Comitatum, Concordati, mense Februario an. 1698. cum Vesontionensi capitulo initi vi.

XIII.

Per archiepiscopatus aut episcopatus vacationem patet regalia; hæc autem vacatio contingere potest per mortem, dimissionem, resignationem, translationem, promotionem Episcopi ad papatum, vel ad cardinalatum, etiam sine titulo, & *sub expectatione tituli*, dummodo Episcopus acceptaverit. Prælati mors, *in curia*, non impedit, quin regalia aperiatur.

XIV.

Episcopi translatio non efficit, ut episcopatus a quo transfertur pateat regalia nisi a die qua fidelitatis juramentum ob novum episcopatum præstitit.

XV.

Episcopatus dimissio simplex regaliam non aperit nisi a die qua eam Rex per successoris nominationem acceptavit.

XVI.

Regalia non clauditur nisi qua die ad archiepiscopatum, aut episcopatum successor significandum curavit œconomo, & D. Procuratoris generalis in locis substituto arestum registrationis juramenti fidelitatis a se editi in Parisiensi rationum camera, cum patentibus

bus litteris liberationis regaliæ, seque archiepiscopatus aut episcopatus personalem possessionem inisse. (Arestum constitutionis diei 15. Martii an. 1677.)

XVII.

Si beneficii, regaliæ obnoxii resignatio admissa fuit in Romana curia die ipso quo novus Episcopus suum registrationis arestum significandum curavit, hoc beneficium in regalia vacasse censetur. (Arestum diei 7. Maji an. 1699.)

XVIII.

Tituli accumulatio permissa est in regaliæ negotio; regalista scilicet provisiones tum ab ecclesiasticis collatoribus, tum a rege obtinere potest.

XIX.

Dum patet regalia, capitulum gaudet parœcias conferendi jure, quas conferret Episcopus, eoque præterea, ut litteras, *visa*, seu missionem, post necessarium examen iis tribuat quibus Rex de decanatu, de pœnitentiaria, de archidiaconatu, deque aliis beneficiis animarum curam adjunctam habentibus providat.

XX.

In negotio ad regaliam spectante non licet transigi sine generalis Procuratoris consensu.

XXI.

Petitio in regalia evocat ipso jure ad magnam Parisiensis parlamenti cameram lites ob possessorium apud alios judices intestatas, eo ipso momento quo contendenti significata est; jam vero ea tantum camera de regalia cognoscere potest. (Art. 19. 23. tit. 15. Sanctionis an. 1667.)

XXII.

In regaliæ negotio, quod dictum est in articulo primo, disputandum est ex usu, ex eo quod fieri consuevit, & judicatarum rerum auctoritate, non e Doctorum opinionibus, & Canonistarum placitis.

Consuli possunt, super regalia, DD. le Maitre, Duperray, Ruzè, Pinson & Audoul in suis de Regalia Tractatibus; Jouet, verb. *Regale*; Bardet, Tom. II. lib. 4. cap. 10. & undecimus Tomus Monumentorum Cleri, a pag. 178. ad usque 1092. Ceterum regaliæ jus non est Galliæ proprium & peculiare; obtinet etiam in Anglia & in Hungaria, si magni nominis auctoribus fides. Addunt nonnulli Imperatorem Phocam qui septimo sæculo ineunte regnabat, jus hoc ipsum in Orientis Ecclesiis obtinuisse. (Van-Espen, *Jur. Eccl. univ.* Tom. II. p. 916. & seq. La Combe, *Collect. Jurisprud.* verb. *Regale*.)

REGES. Veniunt Regum nomine supremi Principes seu Monarchæ quibus id juris est, suis ut subditis summa cum potestate imperent; quod satis perspicue innuit *monarchæ* vocabulum ipsum quod ex græcis vocibus duabus, *μόνος ἄρχω*, *solus jubeo*, seu, *impero*, significantibus conflatum est. Inter regiam ergo potestatem, seu monarchiam, & regiminum genera cætera id præcipue potissimumque discriminis intercedit, quod, in monarchia, summum jus supremaque auctoritas in unius persona residet; cum in cæteris regiminum generibus, proceres seu magnates, aut nonnulli ab aliis distincti & insignes, aut denique populus, dominentur. Non inde tamen inferri debet Monarchæ potestatem non alias regulas aliosve terminos quam suam ipsius supremam voluntatem agnoscere; minime vero gentium; est & ipsa limitata, certisque finibus circumscripta monarchica potestas hæc, tum naturali, tum divina lege, tum regni, ditionis, imperii primariis adeoque fundamentalibus legibus, hoc nimirum ex capite monarcha a despota differt; despota non aliam legem quam suam ipsius absolutam & arbitrariam voluntatem agnoscit; monarcha, contra, suum omnino esse ducit, voluntatem suam ad rectam rationem exigere, nec nisi secundum naturalem divinamque leges, fundamentalibus ditionis cujus ad eum regimen pertinet, legibus additas subditos regere; ita sane; super eos regnare non vult nisi ex legibus justitiaque, pro ut Dei rationes postulant, a quo suam potestatem tenet.

Legitima omnis potestas a Deo derivatur, inquit Apostolus S. Paulus in sua ad Romanos Epistolæ capite tertiodecimo: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non enim est potestas nisi a Deo; quæ autem sunt a Deo, ordinatæ sunt*. Quamobrem quamvis unumquodque regimen ex humana institutione sit, hoc est, quamvis ipsi sibi homines, aliam alii regiminis formam delegerint, secundum quam suprema potestas in una vel pluribus personis residet; hæc tamen ipsa potestas a Deo, non ab hominibus proficiscitur. homines quidem, si ita lubet, hanc illamve civilem societatem, hanc illamve regiminis formam instituunt; has illasve personas, a quibus regantur, eligunt; at supremam potestatem quæ harum societatum harumque regiminum veluti anima & essentia est, non homines tribuunt; qui nihil demum agunt aliud, quam eos, per suum delectum, determinant, qui eidem e Dei manibus recipiendæ idonei sint; ac vere ipse est qui hanc proxime cum iis communicat. Id ergo tamquam prorsus indubitatum spectandum est, Deum esse qui Principes efficit creatque, ut eum repræsentent, ejusque locum teneant in terris, ut imperent ejus nomine, regantque homines, in civilis societatis ordine, per supremam, absolutam, a nullaque alia potestate pendentem auctoritatem, quam iis communicare eidem lubet, ut ipsi proinde quoad caput ei tantum subsint, quia scilicet eorum potestas purum ejus est putumque opus. Est ergo Deus legitime omnis potestatis auctor; & quoniam extant in hoc terrarum orbe societates duæ quæ per supremam potestatem administrantur, consequens fit duo quoque potestatum genera existere, quas Deus ad eas administrendas instituit. Societas quæ se primam in mundo exhibet, civilis societas est, quæ ad præsentis vitæ bona refertur, ad quam quidem per corpus, & per quicquid externum ac temporale est, universi ac singuli pertinemus; societas altera quæ mundum partitur, est spiritalis societas quæ mentis seu spiritus & futuræ vitæ bona, animam, gratiam, æternam salutem spectat.

Prima ergo potestas quæ harum societatum primæ respondet, temporalis potestas est, cujus officium est supremum in modum moderari quicquid ad civilis societatis objectum pertinet, bona, corpora, honorem hominum, eorum arrogationes, eorum jura, eorum externas actiones, pro ut cives, Principis subditi, civilis societatis membra sunt, ac rectum ordinem, pacem, tranquillitatem publicam & peculiarem hujus societatis.

Potestas altera quæ ad alteram mondi societatem refertur, est spiritalis potestas quæ id omne pervadit quod a spiritalis societatis objecto est, nempe quicquid ad animum, conscientiam, salutem, novam, futuram, æternam vitam pertinet, & ad hominum acta, pro ut Christiani, cælorum cives, Christi Domini & Ecclesiæ ejus sponsæ filii, religionis & spiritalis societatis membra sunt.

Hujus Operis ratio fert, ut hoc loco Conciliorum decreta, & Galliæ constantia effata super supremis Principibus, duarum potestatum distinctione, & utriusque propriis facultatibus afferantur.

Jam quidem in antecedenti universali Synodo pro salute nostrorum Principum constat esse consultum; sed libet iterare bene sancita, & digna auctoritate munire salubriter ordinata. Ideoque contestamur coram Deo, & omni ordine Angelorum, coram Prophetarum, atque Apostolorum, vel omnium martyrum choris, coram omni Ecclesia Catholica, & Christianorum cœtu, ut nemo intendat in interitum Regis, nemo vitam Principis nece attrectet, nemo eum regni gubernaculis privet, nemo tyrannica præsumptione apicem regni usurpet, nemo quolibet machinamento in ejus adversitate sibi conjuratorum manum associet. Quod si in quopiam horum quisquam nostrum temerario ausu præsumptor extiterit, anathemate divino perculsus, absque ullo remedii loco, habeatur condemnatus æterno judicio. (Concil. Toletanum, an. 638. can. 18.)

Rex a recte agendo vocatur. Si enim pie & juste & misericorditer regit, merito Rex appellatur. Si his caruerit, non Rex, sed tyrannus est. Antiqui autem omnes Reges tyrannos vocabant. Sed postea pie & juste & misericorditer regentes, Regis nomen sunt adepti; impie vero, injuste crudeliterque principantibus non Regis, sed tyrannicum aptatum est nomen. Quia ergo Rex a regendo dicitur, primo ei studendum est, ut semetipsum, suamque domum, Christi adjuvante gratia, ab operibus nequam emundet, bonisque operibus exuberare faciat, ut ab eo cæteri subjecti bonum exemplum semper capiant; ipse etiam salutiferis Christi præceptis fideliter atque obedienter obsecundet; & recte agendo, eos quibus temporaliter imperat, in pace, & concordia, atque charitate, cæterorumque bonorum operum exhibitione, quantum sibi divinitus datur, consistere faciat; & dictis atque exemplis ad opus pietatis, & justitiæ, & misericordiæ, solerter excitet, attendens quod pro his Deo rationem redditurus sit; quoniam

que ita agendo, sanctorum regum qui Deo sincere serviendo placuerunt, post hanc peregrinationem socios efficiatur. (Concilium Parisiense, an. 829. lib. 2. cap. 1.)

Regale ministerium specialiter est, populum Dei gubernare & regere cum æquitate & justitia, &, ut pacem & concordiam habeant, studere. Ipse enim debet primo defensor esse Ecclesiarum & servorum Dei, viduarum, orphanorum, cæterorumque pauperum, necnon & omnium indigentium. Ipsius enim terror & studium hujuscemodi, in quantum possibile est, esse debet primo, ut nulla injustitia fiat; deinde, si evenerit, ut nullo modo eam subsistere permittat, nec spem delitescendi, sive audaciam male agendi cuiquam relinquat; sed sciant omnes, quoniam, si ad ipsius notitiam pervenerit quidquam mali quod admiserint, nequaquam incorrectum aut inultum remanebit, sed juxta facti qualitatem erit & modus justæ correptionis. Quapropter in throno regiminis positus est ad judicia recta peragenda, ut ipse per se provideat & perquirat, ne in judicio aliquis a veritate & æquitate declinet. Scire etiam debet, quod causa quam juxta ministerium sibi commissum administrat, non hominum, sed Dei causa existit; cui pro ministerio quod suscepit, in examinis tremenda die rationem redditurus est. Et ideo oportet, ut ipse qui judex est judicum, causam pauperum ad se ingredi faciat, & diligenter inquirat, ne forte illi qui ab eo constituti sunt, & vicem ejus agere debent in populo, injuste, aut negligenter pauperum oppressiones pati permittant (Cap. 2.).... *Isidorus:* „Principes sæculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adepta culmina tenent, ut per eamdem potestatem, disciplinam ecclesiasticam muniant. Cæterum intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi ut quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum cæleste regnum proficit; ut qui intra Ecclesiam positi contra fidem & disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore Principum conterantur, ipsamque disciplinam quam Ecclesiæ utilitas exercere non prævalet, cervicibus superborum potestas principalis imponat, &, ut venerationem mereatur, virtutem potestas impertiat. Cognoscant Principes sæculi, Deo debere se reddere rationem propter Ecclesiam quam a Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax & disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit.“

Ad peccatum regis pertinet, *quando judicibus ministrisque iniquis ministerium suum adimplendum committit.... Non ergo dicimus, ut solus jurgia & querimonias populi audiat, & investiget, & definiat, quoniam nequaquam ad hæc solus sufficere potest; sed magis, ut tales sub se timentes Deum, & avaritiam odientes constituat, per quos ergo regum non offendat.* (Cap. 3.)

Quod per justitiam stet regnum, Salomon in Proverbiis ostendit, ita inquiens: Justitia elevat gentes, & miseros facit populos peccatum. *Item:* Misericordia & veritas custodiunt Regem, & roboratur justitia thronus ejus.... *Sapientia:* Sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis. *Item:* Regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias, & injurias & contumelias, & diversos dolos. *Quibus verbis liquido claret, quod pietas, justitia & misericordia stabiliunt regnum, & læsiones viduarum & pupillorum, calumniæque miserorum, violentaque judicia, & perversa justitia evidenter illud evertant. Unde & multorum regnorum collapsio, quia pietatis, justitiæ & misericordiæ non habuerunt stabilimentum, his quæ præmissa sunt, patenter fidem attribuit.* (Cap. 4.)

Nemo Regum a progenitoribus regnum sibi administrari, sed a Deo veraciter atque humiliter credere debet dari, qui dicit: Meum est consilium & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo; per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt; per me Principes imperant, & potentes decernunt justitiam (Prov. 8.). *Quod autem non ab hominibus, sed a Deo regnum terrenum tribuatur,* Daniel Propheta testatur, *dicens:* In sententia vigilum decretum est, & sermo Sanctorum, & petitio, donec cognoscant viventes, quod dominatur Excelsus in regno hominum, & cuicunque voluerit, dabit illud, & humillimum hominem constituet super illud (Daniel. 4.).... *Quapropter quisquis castoris mortalibus temporaliter imperat, non ab hominibus, sed a Deo sibi regnum commissum credat. Multi namque munere divino, multi etiam permissu regnant. Qui pie & juste & misericorditer regnant, sine dubio per Deum regnant; qui vero secus, non ejus munere, sed permissu tantum regnant. De talibus Dominus per Prophetam:* Dabo, *inquit,* tibi regnum in furore meo (Osee 13.); *& Job:* Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi (Job 14.). *Ut enim Isidorus exponit, irascente Deo, talem rectorem populi suscipiunt, qualem pro peccato merentur. Constat ergo, quia non usu, non vota, neque brachio fortitudinis humanæ, sed virtute, immo occulto judicio dispensationis divinæ & regnum confertur terrenum. Et idcirco cuicunque ab eo committitur, ita illud secundum ejus voluntatem disponere & gubernare procuret, quatenus cum eo a quo illud suscepit, feliciter in perpetuum regnare valeat; quoniam nihil prodest cuiquam terreno regno principari, si, quod absit, cum æterno exterrum fieri.*

Ad quod etiam constituant sit Imperator, Fulgentius in libro de Veritate Prædestinationis & Gratiæ scribit: Clementissimus quoque Imperator non ideo est misericordiæ vas præparatum in gloriam, quia apicem terreni principatus accepit; sed si in imperiali culmine recta fide vivat, & vere cordis humilitate præditus culmen regiæ dignitatis sanctæ religioni subjiciat; si magis in timore servire Deo, quam in timore dominari populo delectetur, si in eo lenitas iracundiam mitiget, ornet benignitas potestatem; si se magis diligendum quam metuendum cunctis exhibeat; si subjectis salubriter consulat; si justitiam sic teneat, ut misericordiam non relinquat; si præ omnibus ita se sanctæ matris Ecclesiæ Catholicæ meminerit filium, ut ejus paci atque tranquillitati per universum mundum prodesse suum faciat principatum. Magis enim christianum regitur ac propagatur imperium, dum ecclesiastico statui per omnem terram consulitur, quam cum in parte quacunque terrarum pro temporali securitate pugnatur. (Concilium Aquisgranense, an. 836. cap. 3.)

Hæc namque sunt sacerdotalis officii, & regii ministerii (Gelasius Epist. 10.). *Quia sicut in sacris legimus litteris, duo sunt quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum & regia potestas. Solus autem Dominus noster Jesus Christus vere fieri potuit Rex & Sacerdos. Post incarnationem vero, & Resurrectionem & Ascensionem ejus in cælum, nec Rex Pontificis dignitatem, nec Pontifex regiam potestatem sibi usurpare præsumpsit. Sic actionibus propriis dignitatibusque ab eo distinctis, ut & christiani Reges pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium rerum cursu, Regum dispositionibus uterentur; quatenus spiritalis actio a carnalibus distaret incursibus, & ideo militans Deo minime se negotiis sæcularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset negotiis sæcularibus implicatus.* (Concilium Sanctæ Macræ, an. 881. cap. 1.)

Pontificalem sic exerimus auctoritatem, ut non obliviscamur regiam a Deo constitutam esse sublimitatem, dicente Apostolo: Subditi estote Regi, quasi præcellenti (1. Petr. 2.). *Sicut etiam regalis potestas sacerdotali religioni se devote submittit; sic & sacerdotalis auctoritas cum omni pietatis officio se regali dignitati subdere debet, sicut sanctus ostendit Papa Gelasius, ad Anastasium scribens Imperatorem,* (Concilium Troslense, an. 909. cap. 2.)

Cohærent optime cum allatis Conciliorum canonibus, super duarum potestatum distinctione, superque Principum juribus, Galliarum placita; quæ quidem firma & inconcussa, ad hanc rem quod attinet, ejusmodi sunt.

I. Omnis legitimæ potestatis Deus auctor est.

II. Statuit Deus ad hominum regimen potestates duas; spiritalem quæ *ecclesiastica* nuncupatur, & temporalem. Hæc duarum potestatum distinctio non solum in Conciliorum Decretis, summorum Pontificum oraculis, & sanctorum Patrum testimoniis, sed in Principum quoque legibus statuta comperitur. Eam continet celebre arestum, sub Caroli VI. regno, Augusti die 14. an. 1385. editum super orto Cabillonensem Episcopum inter & Burgundiæ Ducem litigio, in temporali negotio, ob ejus Episcopi in Ducis jura & jurisdictionem ausum; Rex nempe suam super re de qua controvertebatur, competentiam statuit his verbis: *Cum nos fons omnimodæ jurisdictionis temporalis esse dignoscamur, pro regimine vero & politia reipublicæ Deus Summus Conditor duo brachia, videlicet sacerdotium & imperium, ac duas jurisdictiones ab invicem separatas, distinctas & divisas, ab ipso Deo coæquali procedentes, quibus principaliter hic mundus regitur, desuper constituerit & ordinaverit, nostraque jurisdictio temporalis in nulla spirituali subsit, cum in terris superiorem non recognoscamus. Quare nos immerito Dei Vicarius, quoad jurisdictionem temporalem, appellari possumus & debemus, juraque nostra regia nobis ad causam nostræ superioritatis competentia præscribi, seu minui, vel aliter acquiri, etiam per quodcunque temporis curriculum abscidi, vel a nobis abdicari.* (Monum. Cleri, Tom. XI. p. 4. 5. 6.)

III. Voluit Deus potestatem spiritalem & potestatem

tem temporalem intra fuæ quamque jurisdictionis terminos fupremas esse, pastores itaque Regum potestati subfunt; at spiritalis auctoritas quæ iis a Deo concredita est, eidem nequaquam subest; christiani pariter Reges pastorum auctoritati subduntur; at suprema temporalis potestas ab eadem minime pendet.

Ad hanc distinctionem in meliori lumine collocandam, offerri solet exemplum filii-familias, qui consul erat. Hic filius-familias, suæ ipsius personæ ratione, patri suberat; et consularis potestas quæ ei demandata erat, paternæ non subdebetur.

Afferri potest in hanc rem quod ad Imperatorem Constantium qui Arianorum hæresi favebat, ajebat magnus Osius, Cordubensis Episcopus, quarto sæculo celeberrimus: *Tibi Deus imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ, concredidit; & quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ; ita & tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens, magno crimini obnoxius fias*: date, *scriptum est*, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo; *neque igitur fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu thymiamatum, & sacrorum potestatem habes, Imperator*. (Ibid. p. 6. & 7.)

IV. Christi Domini religio nihil detrahit potestati quam Deus principibus tradidit, cumque Princeps & subditi hanc amplectuntur, ei principi Deus supremam omnem temporalem potestatem servet, quam ante susceptam fidem eidem tradiderat.

Probe explicantur effata hæc in significationibus quas Gallicanus clerus qui an. 1665. convenerat, Aprilis die 12. sequentis an. 1666. Ludovico Regi XIV. contra arestum exhibuit, quod 30. Octobris die an. 1665. per magnos dies, Clermontii in Alvernia habitos editum fuerat. Referuntur hæ significationes in processu verbali, sessione pomeridiana diei 12. Januarii an. 1666. quod ad rem facit, quæ præ manibus est, a pag. 494. incipit, in hæc verba: „ Spiritale regnum quod Dominus Noster in mundo instituit, quodque hujus tamen mundi non est, nulla prorsus ex parte auctoritatem imminuit, qua Principes qui in terris regnabant, antequam is descenderet, instructi erant; qui æternam coronam iis oblaturus veniebat, non id inierat consilii, ut iisdem temporalem quam jam largitus erat, coronam eriperet, eorum subditos non avocavit, e contra, fideliores & obedientiores reddidit; ejus ipsi novi fœderis ministri qui suam missionem ab eo proxime receperunt, e cæterorum hominum conditione soluti exemptique non fuere; ac licet spiritalis imperii Principes evaserint, in temporali tamen imperio semper subditi persistere non desierunt .... adeoque possumus vere dicere, Spiritum Sanctum, quo plus libertatis & auctoritatis Evangelii ministris tribuit, eo plus obligationis iisdem imponere, ut principibus in temporalibus rebus obediant .... En ergo certa, Rex, & inconcussa fundamenta duo; primum, regendæ Ecclesiæ potestatem a Christo Domino Episcopis tantum traditam fuisse, & hanc quidem ad eos pertinere divino jure quod nec præscriptionem, nec dispensationem patitur; alterum, per hanc ecclesiasticam potestatem non imminui temporalium Principum auctoritatem, sed potius augeri, firmari, tutam reddi, &c." (Ibid. p. 8. & 9.)

V. Distinguuntur in Principibus qualitates duæ quæ iis peculiaria jura tribuunt, & peculiares obligationes imponunt; politicorum magistratuum una, patronorum fautorumve, custodum & defensorum Ecclesiæ decretorum altera. Reges, tamquam politici magistratus, sunt earum rerum supremi judices, quæ dominum iisdem concreditarum temporale regimen spectant; earum legislatores arbitrique supremi sunt. Qualitas protectorum Ecclesiæ, qua hi Principes insigniti sunt, ad ejus, cum impetitur, defensionem, & ad ejusdem legum ab iis violatarum qui eas contemnunt, executionem sua auctoritate utendi obligationem iisdem imponit; at eos in Ecclesia legislatores non statuit qualitas hæc, nec iis ejus regimen tribuit; si quid, ad hanc rem quod attinet, mandant, id non alio, quam ad Ecclesiæ mandatorum executionem spectare debet. Explicatur etiam hoc in Præfatione Sanctionis Pragmaticæ quæ regnante Carolo VII. edita fuit. (Ibid. p. 9. & 10.)

VI. Rex, in Gallia, quoad civilia & temporalia, unus & unicus dominus est; fons ipse est a quo aliæ omnes auctoritates effluunt; & quicunque aliquam auctoritatem habent, hanc ab eo tenent.

VII. Supremi Principes seu Conciliorum decretis, seu Romanorum Pontificum Bullis, quæ eos spectare videntur, non comprehenduntur, nisi cum ibidem disertis verbis designantur, & expresse nominantur.

(Monum. Cleri, Tom. VI. p. 978. Tom. X. p. 458. Tom. XI. p. 552.)

VIII. Bullæ quæ in Reges excommunicationem pronuntiant, in Gallia non recipiuntur; quæ vero hoc placitum impetunt læduntque, rejectæ fuerunt, aut solum ita receptæ, ut clausulis quæ eidem contrariæ erant, expresse derogaretur. (Tom. VI. pp. 1005. 1035. 1042. 1044. 1048. 1049.)

REGICIDA. *Quære* REX & TYRANNUS.

REGULÆ. Tribuitur id nominis legibus quæ in variis canonicorum & monachorum corporibus cœtibusve servantur. Hac notione Concilia canonicis quidem, ut canonicam, & monachis, ut monasticam regulam servent, passim præcipiunt.

Providendum necesse est unicuique Episcopo, qualiter canonici vivere debeant, nec non & monachi; ut secundum ordinem canonicum vel regularem vivere studeant. (Concilium Arelatense, an. 813. can. 6.)

Quoniam non ignorat sancta Synodus, quantum ex monasteriis pie institutis, & recte administratis in Ecclesiæ Dei splendoris atque utilitatis oriatur; necessarium esse censuit, quo facilius ut reparetur, ubi collapsa est, vetus & regularis disciplina instauretur, & constantius, ubi conservata est, perseveret, præcipere, prout hoc decreto præcipit, ut omnes regulares, tam viri quam mulieres, ad regulæ quam professi sunt, præscriptum vitam instituant, & componant; atque in primis quæ ad suæ professionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis & castitatis, ac si quæ alia sunt alicujus regulæ & ordinis peculiaria vota & præcepta, ad eorum respective essentiam, nec non ad communem vitam, victum & vestitum conservanda pertinentia fideliter observent; omnisque cura & diligentia a superioribus adhibeatur, tam in capitulis generalibus & provincialibus, quam in eorum visitationibus, quas suis temporibus facere non prætermittant, ut ab illis non recedatur; cum compertum sit ab eis non posse ea quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, relaxari. Si enim illa quæ bases sunt & fundamentum totius regularis disciplinæ, exacte non fuerint conservata, totum corruat ædificium, necesse est. (Concilium Tridentinum, Sess. 25. cap. 1. *de Regularib.*)

Olim *regulæ* & *constitutiones* minime distinguebantur; inter eas in præsentia ponuntur discrimina hæc. 1. Regulæ sunt leges quas ordinum fundatores, aut veteres Episcopi præscripserant, quæque in professionis formula, *regulæ* nomine, concludi solent; constitutiones vero statuta sunt quæ variis temporibus a regularium ordinum generalibus capitulis, seu congregationibus editæ fuerunt. 2. Regula nunquam, aut fere nunquam mutatur; constitutiones autem sæpe mutantur pro temporum & locorum circumstantiis. 3. Strictius quam constitutiones, obligat regula. *Vide* REFORMATIO, & RELIGIOSI.

RELAPSI, in religionis negotio, dicuntur qui bis Christianam religionem deseruerunt, aut in hæresim recidarunt, quam abjuraverant. *Quære* APOSTATÆ.

RELAPSUS in peccatum. Occurrunt canones qui peccatores, & potissimum clericos excommunicationi subdunt, qui impositam pœnitentiam ad exitum non perducunt, & in peccata pristina relabuntur.

Si quis vero post acceptam pœnitentiam, sicut canis ad vomitum suum, ita ad sæculares illecebras, derelicta quam professus est, pœnitentia, fuerit reversus; a communione Ecclesiæ, vel a communione fidelium extraneus habeatur, quo facilius & ipse compunctionem per hanc confusionem accipiat, & alii ejus terreantur exemplo. (Concilium Turonense, an. 461. can. 8.)

Hi qui altario Dei deserviunt, si subita in flenda carnis fragilitate corruerint, & , Domino respiciente, digne pœnituerint, ... maneat in potestate Pontificis, vel veraciter afflictos non diu suspendere, vel desidiosos prolixiore tempore ab Ecclesiæ corpore segregare; ita tamen, ut sic officiorum suorum loca recipiant, ne possint ad altiora officia ulterius promoveri. Quod si iterato, velut canes ad vomitum, reversi fuerint; non solum dignitate officii careant, sed etiam sanctam communionem, nisi in exitu, non percipiant.

RELIGIOSI EPISCOPI. *Quære* EPISCOPI.

RELIGIOSI & RELIGIOSÆ. Ita nuncupantur utriusque sexus Christifideles qui in ordine ab Ecclesia vel a Papa approbato per solemnia tria paupertatis, castitatis & obedientiæ vota sa Deo consecrarunt. Religiosa seu monastica vita non altius ascendit quam ad tertium sæculum in Oriente, & quartum in Occidente. S. Paulus, eremitarum primus, persecutionem effugiens, ad an. 250. in desertum secessit; & S. Antonius, ad an. 270. iis Evangelii verbis permotus, „ Si vis perfectus esse, vende quicquid habes; perceptum inde pretium pauperibus tribue; tum veni &

„ sequere me: “ S. Hilarion, aliique innumeri cum tertio ad finem vergente seculo, & ineunte quarto imitati sunt. Ad Occidentem quod attinet, monasticæ vitæ initia ad an. 340. vel circiter referuntur, quo tempore S. Athanasius, cum Romam venisset, ad Orientis monachos imitandos, per eorum quod contexuit, elogium non paucos impulit. S. Martinus, sub an. 360. Ligugense monasterium in Pictaviensi diœcesi, & biennio post, Marmutiersense prope Turonensem urbem extruxit. S. Benedictus Roma egressus est, ut se in Sublacense desertum reciperet, sub an. 495. crediturque suam regulam sub an. 515. scripsisse. Verum, quicquid de religiosi status initiis sentiendum sit, cujus epocham nonnulli in ipsis christianæ Ecclesiæ, vel etiam judaici nominis incunabulis, atque adeo longius quæsitum eunt; certum eum suapte natura sanctum & sanctificantem statum esse, quippe qui non alium propositum finem habet, quam ut homines a se ipsis & a creatis cæteris rebus abstractos, per constantem maxime heroicarum virtutum exercitationem, impresso ad eorum sine reservatione consecrationem immutabilitatis sigillo, indissolubiliter Deo addicat, ejusque cultui omnino consecret. Nec minus certum est, religiosum statum iis e quibus pro institutionis ratione suscipitur, emolumenta prorsus innumera comparare; recessum a mondo & ab ejus periculis; contra ejusdem illecebras tutum perfugium; ejus exemplorum contagioni, itemque ejusdem molestiarum ærumnarumque acerbitati impenetrabile asylum; longe plurima ad virtutis usum adjumenta, quæ non occurrunt in negotiorum tumultu, quæ sine intermissione mundum exagitant; jejunia, vigilias, sensuum afflictationem, propriæ voluntatis subjectionem per alienæ continuam executionem; documenta, lectionem, studium, orationem, precem, augustum privilegium canendi continenter Altissimi laudes, cum cælestibus spiritibus indefesse ad ejus tabernaculum vigilandi; intimi cum eo fovendi commercii, suavi in ejus sinu servata tranquillitate; cum eo & de eo tantum vivendi.

Ob hæc pretiosa nimirum & alia tam multa emolumenta quæ in religioso statu continentur, minime dubitant Ecclesiæ Patres eum cum baptismo & martyrio comparare, eique eadem effecta tribuere, eamdem mercedem ei certo polliciti. „ Sane, inquit S. Bernardus, (*Serm. 3. super Cantica.*) si martyrium „ quod efficit, ut sanguis effluat, est horribilius, quia „ corporis membra lethiferi ensis aciei tradit; religio„sa professio, ea scilicet alia martyrii species, dura„tione acerbior duriorque est. “ *Illo quo membra caduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius.* Quem quidem doctrinam fulcit scholæ Angelus in hæc verba: *Excedit omne genus satisfactionis .... sicut holocaustum excedit omne sacrificium, ut Gregorius dicit super Ezechielem .... unde legitur in vitis Patrum quod eamdem gratiam consequantur religionem intrantes, quam consequuntur baptizati.* (*2. 2. quæst. ultim. art. 3. ad 3.*)

Ejusmodi est super religiosi status excellentia & emolumentis constans Ecclesiæ Patrum doctrina quam quidem tam bene assecutus est, atque in tam bono lumine posuit eloquens Auctor (D. de Roquelaure, Episcopus Silvanectensis, unus e Quadraginta Academiæ Gallicæ.) sermonis pronuntiati, die martis 1. Octobris an. 1771. in religiosarum S. Dionysii Carmelitarum Ecclesia, ad professionis veli a D. Ludovica Maria Galliarum sumpti cæremoniam. „ Est is sane sermo ad „ eloquentiæ & veritatis typum excusus; aptissimus„que ad excitandam magis in dies magisque admira„tionem heroici animi roboris augustæ Principis, cu„jus insigne mirumque sacrificium & Ecclesiæ læti„tiam, & Religionis gloriam conficit. “ In hæc verba doctus & strenuus censor (*a*) approbat eum sermonem celebrem; adeoque idoneum ad ejus illustrem auctorem immortalitati commendandum, dum immortalitati commendat memorandam in omne tempus consecrationem christianæ virginis quæ ei argumentum præbet, olim *D. Ludovica Maria Galliarum*, nunc *spiritalis sororis Theresiæ S. Augustini*.

At quam excellens utilisque ipse per se religiosus status est, tam graves multiplicesque, quas suis ipse sectatoribus imponit, obligationes sunt; eas scilicet hoc loco, & generatim quicquid ad solemnis religionis vota, & ad religiosum statum refertur; prout hujus Operis ratio fert, discutere aggredimur.

(*a*) D. Riballerius, Domus & Societatis Sorbonicæ Doctor, & Theologicæ Facultatis Syndicus.

De religiosæ Castitatis Voto.

Religiosæ castitatis votum est solemnis promissio quam religiosi & religiosæ, professionem edentes obstringunt, fore, ut corporis integritatem Deo consecrent, ab omni carnis voluptate, seu intra, seu extra matrimonium, abstinentes, firmiterque præterea statuentes se, per occasionum fugam, omniumque tentationum victoriam, quæ castitatis virtuti repugnant, animi integritatem eadem sollicitudine servaturos. Hoc castitatis solemne votum, simul atque editum est, reddit nullum invalidumque, quodcunque deinde matrimonium inire quispiam contenderet; cum hoc ipsum simplici castitatis voto solum illicitum efficiatur; utrumque tamen in id conspirat, ut ad eamdem continentiam adigat, & qui alterutrum transgrediuntur, peccatum duplex, contra castitatis virtutem unum, contra religionis virtutem alterum, & quod inde consequitur, sacrilegium perpetrent, quoniam ejusmodi peccatum sacræ obligationis, Deoque obstrictæ promissionis violatio est.

De Paupertatis Voto.

Paupertatis votum in eo continetur, ut Deo quispiam se proprii nihil habiturum promittat, ita scilicet, ut nulla de re tamquam dominus, & sine superioris venia statuere possit. Hanc sancta Tridentina Synodus nobis religiosæ paupertatis notionem tradit: *Nemini igitur regularium, tam virorum quam mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine conventus, possidere, vel tenere; sed statim ea superiori tradantur, conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam. Administratio autem bonorum monasteriorum, seu conventuum, ad solos officiales eorumdem, ad nutum superiorum amovibiles, pertineat. Mobilium vero usum ita superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis quam professi sunt, conveniat: nihilque superflui in ea sit, nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur.* (Sess. 25. *de Regularibus*, cap. 2.)

Idem Concilium nos certos facit paupertatis votum non impedire, quominus religiosi in commune bona possideant, quandoquidem iis hujusmodi possessionem concedit: *Concedit sancta Synodus omnibus monasteriis & domibus tam virorum quam mulierum, & mendicantium, exceptis domibus fratrum sancti Francisci Capuccinorum, & eorum qui Minorum de Observantia vocantur, etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat.* (Cap 3.)

Consectationes quæ ex paupertatis voto, a Tridentina Synodo explicato suapte natura fluunt, hæ sunt, illud ab iis religiosis violari, qui dederint aut acceperint, commodaverint aut alienaverint; retinuerint, mutaverint, absumpserint, destruxerint temporalem rem, pecuniæ pretio æstimabilem, sine superioris venia, quia scilicet hi totidem proprietatis actus sunt.

Idem de religioso sentiendum, qui re quapiam, absque superioris nutu uteretur, nisi forte res hæc ei necessaria foret, injusteque a superiore denegaretur; itemque de eo, qui sibi liberum faceret ea uti secus ac concessa est, ex eave sibi partem, vel donandam, vel aliter impendendam decerpere, aut, ne superior repetat, eamdem celare. Eadem pariter est dotis ratio, quam religiosus remitteret, rerumve quas fomeret, bibendi solum licet aut edendi causa, superiore non annuente. Est etiam contra religiosi status paupertatem, modestiam, simplicitatem peccare, molliore & cariore indumenta gestare, picturas, supellectilem, vasa quibus pretii non parum insit, habere, pecuniam in ludum conferre, sumptuose & splendida convivia parare, aut quaslibet alias inutiles expensas edere. Superiores non minus quam simplices religiosi, paupertatis voto obstringuntur, ad ea omnia quod attinet, quæ eorum statui necessaria non sunt, quippe qui communium bonorum non absoluti domini, sed solum dispensatores sunt.

Est hic expendendi locus, an religiosi & religiosæ, quin emissum paupertatis votum violent, pensiones habere possint. Earum usus adeo communis est, ut tamquam intrinsece criminosæ vix ac ne vix quidem omnes damnandæ videantur, quæcunque tandem conditiones iisdem apponi possint. Videtur ergo dicendum cum bene multis gravibus casuistis, periculosas pensiones esse; ad abusum trahi posse, atque adeo

sæpe

sæpe trahi; non paucis accidentariam quidem, sed occasionem tamen esse, ut, quod edidere, paupertatis votum transgrediantur; denique hujus voti perfectioni, nullo autem pacto ejusdem essentiæ contrarias esse, dummodo eas, quæ sequuntur conditiones comitentur; ut nempe religiosæ personæ non iisdem addictæ sint; earum se dominas & proprietarias non putent; eas non recipiant, nisi superioribus annuentibus; acceptasque apud eos remittant, vel apud depositarios ad eas custodiendas præpositos; non eas pro suo ipsæ arbitratu, sed pro ut re vera opus habuerint, expendant, atque ex animo paratæ sint peti aliorum rationibus ex iisdem consuli.

Hujus decisionis peremptoria ratio ea demum est, per pensiones omnibus quas diximus, conditionibus insignitas paupertatis votum, quæ ejus vis & ratio est, nequaquam lædi, quandoquidem votum hoc promissione continetur, quam Deo religiosus obstringit, fore, ut ipse proprii nihil habeat, cujus scilicet proprietarius sit, quo tamquam e nemine pendens dominus uti possit, quo frui, quodque, pro ut voluerit, unquam bonum, quod ad eum pertinet, impendere liberum eidem sit; ejusmodi enim est proprietatis natura, quæ funditus paupertatis votum evertit. Jam vero pensiones conditionibus quas modo protulimus, insignitæ hanc proprietatem non continent, eam, contra destruunt, & necessario removent, quoniam *frui*, *possidere*, *disponere independentis domini jure*, *& uti solum subditi omnino submissi*, *subordinati*, *dependentis titulo*, notiones duæ sunt, quæ secum pugnant, se mutuo destruunt, & simul stare non possunt; ut proinde pensiones de quibus agitur in præsentia, non sint ipsæ per se malæ, nec paupertatis voto, quoad ejus essentiam, contrariæ.

Fieri ergo non nisi per oscitantiam, & ob non satis perspectam paupertatis voti naturam potuit, ut observantia dignissimi auctores duo (*a*) religiosas pensiones, tamquam suapte natura malas & criminosas damnarent. Hi quidem reapse paupertatis votum ita definiunt. „Paupertatis votum solemnis promissio est Deo, „ in probata religione, a quopiam obstricta, per quam „ is non solum suorum omnium temporalium bonorum, jurium, arrogationumque, quæ habere possit, „ proprietati & dominio, verum etiam sine superioris „ venia de iis statuendi, vel iisdem utendi facultati „ irrevocabiliter nuntium remisit. Ejusmodi est, in„ quit auctor, solemnis voti paupertatis a casuistis & „ canonistis tradita definitio; ex quo sequitur, una„ nimi quidem eorum sententia, r. monialem, sine „ antistitæ, aut superioris venia, nec possidere, nec „ sumere, nec accipere temporale quicquam, seu ad „ custodiam, seu ad usum, seu ad ullam prorsus dis„ positionem posse, quia nihil horum nisi ad eum „ pertinet, qui rei proprietarius aut est, aut esse po„ test.“ (Collationum Tom. I. p. 69.)

Nos vero audemus asserere hanc, quoad solemne paupertatis votum, definitionem non esse numeris omnibus absolutam; et siquidem ea ad casuistarum & canonistarum unanimitatem pertinet, hos super hoc sane capite unanimiter falli, quod autem dicimus, ita probamus.

1. Omnis definitio nitida claraque sit, oportet; hæc vero ambigua & obscura est ex duplici capite; quorum primum illud est, abdicationem quæ in paupertatis voto continetur, ad temporalia tantum bona referri, quæ deserit qui mundum relinquit, non item ad ea quæ deinceps vel suo ipsius labore & industria, vel consanguineorum amicorumve liberalitate acquirere posset. Alterum est, eam definitionem in dubio relinquere, ex ea verba: „ is non solum suorum om„ nium temporalium bonorum, jurium, arrogationum„ que, quæ habere posset, proprietati & dominio ir„ revocabiliter nuntium remisit,“ hanc, inquam definitionem in dubio relinquere, an ea verba *bonorum proprietatis* tantum, an vero omnium quoque jurium arrogationumque quæ vel in civili societate, vel in religione haberi possent, afficiant, quod ambiguitatem & obscuritatem parit, quæ maxime, si quid aliud, obvia, nec minus graves sunt, quoniam enorme discrimen occurrit inter hæc duo, *proprietati temporalis omnis boni*, & *proprietati omnis juris arrogationisque* vale dicere. Religiosa persona profecto jura plura, arrogationes plures habet; repugnatque in verbis ipsis justa jura, justas arrogationes adesse, quin eorumdam proprietas adsit, quandoquidem secus adessent ea simul & non adessent, quod repugnat. Est ergo definitio de qua agitur, obscura & ambigua, Vitium primum.

2. Omnis definitio vera, justa, exacta esse, nec plus minusve quam res definita patere debet. Jam vero paupertatis voti definitio, de qua sermo est, nec justa, nec vera, nec exacta est, & longius quam res definita protenditur. Non est justa, non vera, non exacta, quia paupertatis voti falsam notionem exhibet, statuens illud omnis temporalis boni, omnis juris, omnis arrogationis abdicatione essentialiter contineri; quod est absolute falsum, quoniam religiosa persona juribus & arrogationibus gaudet, quæ persequi & exigere potest, quin suum paupertatis votum violet. An vero non ea jus ad suam e monasterii bonis sustentationem obtinet, nec superior id ei denegans contra justitiam, contraque sui inferioris jus peccaret? Ergo definitio quæ est præ manibus, nec vera, nec justa, nec exacta est, multoque quam definita res, latius patet, quippe quæ definitam rem, hoc est, paupertatis votum & usque pertrahit, ut omnis juris, omnis arrogationis, omnis proprietatis, omnis dominii abdicationem, absque ullo discrimine complectatur; quod eo deveniret, ut renovaretur frivola quæstio, quæ *Franciscanorum panis* dicta, Joannis Papæ XXII. tempore, in eo versabatur, utrum hi religiosi gauderent dominio & proprietate rerum quas comedebant, quasque bibebant, quo ipso tempore iis utebantur, an vero earum dominium ad Papam, seu ad Romanam Ecclesiam pertineret, Dicetur dubio procul non id auctorem sibi velle, ejusque mentem bonam esse. Ut lubet, per me licet. At si ejus mens bona est, non proinde minus claudicat ab eo tradita paupertatis definitio; quod equidem unum contendo.

De Obedientiæ Voto.

Obedientiæ votum est solemnis promissio quam Deo obstringunt religiosæ personæ, se suis superioribus dicto audientes fore, quicquid justitiæ, rationi, divinæ legi, ipsorum regulis & constitutionibus consentaneum præceperint; id quod secum trahit abdicationem libertatis & voluntatis propriæ, ut hæc ipsa alienæ subdetur.

Mandat sacrosancta Synodus omnibus superioribus, ut diligentissimam operam adhibeant, ne votum castitatis inter subditos periclitetur. Quibus etiam omnes occasiones consortii ineundi, ac familiaritatis cum mulieribus adimere adnitantur. (Concilium Cameracense, an. 1565. tit. 18. cap. 8.)

Mandat hæc Synodus omnibus monachis, & monialibus, religiosisque, ut diligentissime paupertatis votum, tamquam ineffabilis cujusdam & dulcissimæ quietis cunsum custodiant, neque proprietatis vitio violent. Caveant igitur, ne quid pecuniæ, aut alterius rei sibi inveniant, vel retinere desiderent, ne communitati nolint esse commune; neve ad peculiares usus eo utantur sine superioris consensu. (Cap. 9.)

Religiosi ad regulæ quam sunt professi, præscriptam vitam instituere & componere debent, atque in primis observare obedientiæ, paupertatis & castitatis vota, & præcepta ad votorum respective essentiam, nec non ad communem vitam, victum & vestitum conservanda pertinentia; ab his namque nunquam recedendum. Neque enim possunt a superioribus ea quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, relaxari. Nam si illa quæ bases sunt & fundamenta totius regularis disciplinæ, exacte non fuerint conservata, totum corruat ædificium, necesse est. (Concilium Rothomagense, an. 1581. tit. *de Monasteriis.*

Superiores neque præpositi omnium monasteriorum & ordinum, omnem curam & diligentiam adhibeant, tum in capitulis provincialibus, quam in monasteriorum etiam commendatorum visitationibus, ut ipsorum inferiores ac subditi ex præscripto suæ professionis vitam instituant, & paupertatis, castitatis, obedientiæ, ac si quæ sunt alia cujusvis monasterii peculiaria vota & præcepta, fideliter & inviolate observent. Ea enim quæ ad essentiam monasticæ vitæ pertinent, certum est a superioribus nullo modo posse remitti. (Concilium Burdigalense, an. 1583. tit. 25. *de Monast.*

Et quia experientia docet, disciplinam religiosam eorum vitio ex parte collapsam esse, qui in religiosas familias intrusi, aut alia quavis ratione humana inducti potius, quam a sancto Spiritu vocati fuerunt; diligentissime superiores animam atque voluntatem eorum explorent, qui ad novitiatum, vel professionem admittendi erunt; nec quemquam recipiant, aut profiteri ullo modo permittant, nisi de divina ejus vocatione, atque etiam perseverandi

(*a*) P. Thorentierius, Oratorii, in *Dissertatione de religiosa paupertate*, Parisiis impressa, apud Barbutium, an. 1726. & D. Abbas Desvilarsius, Officialis S. Claudii, Tom. I. *Collationum* Theologic. & Moral. super *Officiis vitæ religiosæ*, Lugduni, apud fratres Perisse, an. 1763.

randi voluntate non obscura, sed perspicua argumenta habuerint, licet pauciores futuri sint religiosi. Sancta enim & religiosa paucorum congregatio, quantumvis magna ineptorum hominum multitudine, Deo & hominibus acceptior est, & Ecclesiæ utilior.

Religiosi ad regulæ quam sunt professi, præscriptum, vitam instituere & componere debent .... monasteria reformentur secundum regulam quam profitentur. (Concilium Aquisextiense, an. 1585. tit. *de Monasteriis*.

Ex his canonibus liquido constat religiosos & religiosas non sua solum vota, sed suas quoque regulas suasque constitutiones servare debere, cum hoc tamen discrimine, quod regularum aut constitutionum quædam sub mortalis peccati pœna obligant, aliæ sub venialis peccati pœna tantum, aliæ denique nec sub mortalis, nec sub venialis peccati pœna obligant, præterquam in scandali aut contemptus casu.

De Ætate ad solemnium Votorum Validitatem requisita.

Super ætate ad solemnium votorum validitatem requisita varietatis multum subiit Ecclesiæ disciplina. S. Basilius in suarum canonicarum ad Amphilochium Epistolarum decimo octavo canone id approbat, ut ad professionem virgines suscipiantur, cum ætatis annos sexdecim aut septendecim superant, cumque earum vocatio satis probata fuit.

Trullana Synodus ætatis anno decimo in religionem aditum patere sinit: *Qui ergo monachicum jugum est subiturus, ut sit minor quam decem annorum natus, ejus quoque rei examinatione in præsulis arbitrio sita, an augeri tempus conducibilius existimet ad introductionem & constitutionem in vita monastica.* (Can. 40.)

Triburiense, ad Rhenum, in Moguntina diœcesi, Concilium, an. 895. habitum voluntariam puellæ, ante ætatis annos duodecim, in monasterio obligationem approbat: *Quæcunque virgo sub patrocinio ante annos duodecim non coacta, sed propria voluntate sacrum velamen sibi imposuerit, eumque & diem, nullo repetente, velata permanserit, ab eodem sancto habitu alterius non recedat* (Can. 24.). Alia Concilia ad religiosæ professionis validitatem, regulæ loco, ætatem afferunt, quæ ad matrimonii validitatem requiritur: *Quæ solet apta nuptiis deputari*; atque Alexander Papa III. disciplinam hanc approbavit in capite *Ad nostram*, quod octavum est sub titulo *de Regularibus & transeuntibus ad Relig.* in Decretalibus. & in capite *Significatum*, quod undecimum est, eodem titulo. At Concilia quoque non defuere, quæ monialium professionem ad viginti quinque annorum ætatem usque protraherent; quemadmodum statuit Carthaginensis Concilii, an. 397. habiti canon quartus; vel ad quadraginta usque ipsos ætatis annos; cujusmodi est Cæsaraugustani Concilii, an. 381. habiti, can. 8. & Agathensis, an. 506. habiti, can. 10. constitutio.

Cardinalis Baronius (In Annalibus Ecclesiast. ad an. 458. n. 4.) memoriæ prodit, ad evitandas perturbationes in Ecclesia a parentibus excitatas, qui filias suas religioni nomen dare cogebant, summum Pontificem S. Leonem, hujus nominis primum mandasse, ut ne eædem ante quadraginta annorum ætatem velum sumere possent, atque, ut hujus disciplinæ executionem tutiorem redderet, apud Imperatorem Majorianum perfecisse, ut idem & ipse sanciret. Extat hujus Imperatoris lex ad Theodosiani Codicis calcem, in Supplementi modum, lib. 4. tit. 8. *de Sanctimonialibus & Viduis, & de Successionibus earum.*

Tridentina Synodus ad annos sexdecim ætatem retulit, quæ ad solemnium votorum validitatem requireretur, statuens, ut noviciatus, seu probatio saltem anni spatium a sumpto habitu complectatur, nec novitii ad edendam professionem recipi possint, antequam decimum sextum ætatis annum compleverint. Huic sanctioni concinunt Galliarum Concilia post Tridentinum habita. Blesensis constitutionis articulus vicesimus octavus similem dispositionem continet; & sæcularium Galliæ curiarum jurisprudentia hac in re constans & firma est. (Monumenta Cleri, Tom. IV. p. 78.) *Quære* verb. NOVITIUS, ubi Tridentini Concilii decretum attulimus.

Extat mense Martio an. 1768. Versaliæ datum Regis edictum quod religiosam professionem ad annos unum & viginti quoad viros, & ad octodecim quoad puellas statuit.

De Reclamatione, seu Restitutione contra Vota solemnia.

Ecclesiæ disciplina non eadem semper & una fuit, ad tempus quod attinet, quo liceret reclamare, hoc est, petere in integrum restitui contra vota quæ per coactionem edita fuerant. Ex noni, atque adeo decimi tertii sæculi disciplina, unus tantum annus ad reclamandum suppetebat: *Si intra annum non reclamaverint ad Principem, aut ad proprium Episcopum, vel ad missum dominicum, in clericatu permaneant.* Canon hic qui Moguntini Concilii, an. 813. celebrati vicesimus est, ad religiosos ordines productus fuit, additusque Collectioni Gregorii Papæ IX. sub titulo *de Regularibus & Transeuntibus ad Religionem*, cap. 2.

Annos quinque, a professionis die, ad reclamandum contra edita vota, concessit Tridentina Synodus in hæc verba: *Quicunque regularis prætendat se per vim & metum ingressum esse religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacunque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis; & tunc non aliter, nisi causas quas prætenderit, deduxerit coram superiore suo & ordinario. Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcunque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur; interim vero nullo privilegio suæ religionis juvetur. Nemo etiam regularis, cujuscunque facultatis vigore, transferatur ad laxiorem religionem; nec detur licentia cuiquam regulari occulte ferendi habitum suæ religionis.* (Sess. 25. *de Regularibus*, cap. 19.)

Hanc disciplinam Concilia post Tridentinum in Galliis habita receperunt; ejusque decretum iisdem propemodum verbis pleraque referunt, quæ proinde hoc loco referre inutile foret. His concinunt sanctionis Januarii an. 1629. articulus 9. sanctionis Februarii an. 1657. articulus 6. & sanctionis an. 1666. articulus 9. iisdem concinit curiarum quoque per regnum jurisprudentia. Ita judicatum per Parisiensis parlamenti arestum, mense Junio an. 1612. perque alia plura. At in iis notatum, cum ratio quæ nullam reddidit professionem, perpetua est, & post quinquennium perdurat, post quinquennium ipsum reclamari posse. Tridentina nimirum Synodus hoc temporis spatium quoad fixa solum impedimenta definiit, quia subest præsumendi locus quempiam non alia de causa passum esse quinquennium elabi, quin reclamaret, quam quia suam ipse professionem ratam habuit firmavitque; adeoque cum qui professionem edere coactus fuit, per eos annos quinque, aut etiam diutius perstitisse coactionem probat, ejus querela post eumdem terminum recipitur, quia tum quidem præsumi non potest suo eum juri cessisse. Est etiam in Gallia communis opinio, in eum qui reclamationem ab ætatis in qua professionem edidit, defectu repetit, annos quinque excurrere non debere nisi a die qua sexdecim annos complevit, non autem a professionis die, quemadmodum auctores quidam, Concilii textu ipso nixi contendunt. Sequitur etiam Gallia Tridentinum Concilium, dum ordinarium, quoad votorum abrogationes, judicem statuit; at illud non sequitur, dum mandat, ut regularis superior sit judex; hic solum debet in jus vocari, quia pars potius ipse est quam judex.

Religiosi qui contra sua vota reclamant, in ea sunt consuetudine, ut Romam confugiant, a Papa obtinendi causa reclamationis Breve ad diœcesis officialem missum, in qua professionis monasterium existit. At communis opinio est hoc rescriptum nequaquam necessarium esse, ne tum quidem, cum reclamans annos quinque a Tridentino Concilio præscriptos excurrere passus est; sufficit nempe, ut is recta pergat ad ordinarii officialem, qui, *auctoritate ordinaria*, competens judex est. At seu rescriptum ei suppetat, seu non, eadem est agendi ratio; mandatur æque partium quarum interest, propiorum consanguineorum scilicet, ac superioris regularis in jus vocatio.

Reclamationis causa trahuntur e multiplici facti specie, in qua religiosam professionem nullam esse contigit; videlicet, 1. cum quispiam eam emittere coactus fuit; 2. cum ea est edita ante completos sexdecim ætatis annos; 3. cum eadem ante noviciatus anni finem emissa est, nisi ad hoc temporis spatium quod continuum & sine intermissione esse debet, contrahendum impetrata fuerit a summo Pontifice dispensatio; 4. cum persona edendæ professionis, vel in tali monasterio edendæ incapax est; causa exempli, persona conjugata professionem edere non potest sine suæ partis consensu; mas in feminarum monasterio, in monasterio virorum femina; hermaphrodita in neutro; 5. nulla etiam professio est, quæ apud superiorem fit, qui non est legitimus, aut coloratum titulum non habet, ut Superioris munus obeat. Omnia hæc nullitatis

genera

genera in Gallia vim obtinent. Viget ibidem nullitas alia, si nempe publice, hoc est, coram aliquibus testibus qui alii quam religiosi sint, vota pronuntiata non fuerint, quia ibi professiones tacitæ non agnoscuntur; si præterea non est data opera, ut juridicum in modum professio in acta referretur, prout an. 1667. constitutum, an. 1736. a Ludovico XV. renovata præscribit.

Reclamationis causæ per authenticum actum, apud notarios transactum deductæ esse debent; & hic actus superiori vel ordinario significandus est, intra quinquennium, nisi probetur semper vim perstitisse. Judicatum fuit simplices denuntiationes super novitiatus defectu, apud notarios, intra quinquennium editas religioso non prodesse, qui sub professionis habitu decennium transegerat, omnesque ordines sub paupertatis titulo sumpserat. Judicatum etiam fuit in Tolosano parlamento, mense Aprili an. 1665. professionem quæ per vim edita fuit, quamque intra quinquennium reclamatio secuta est, per annorum quinque, postquam timor desiit, silentium firmari.

Religiosus qui intra professionis quinquennium reclamavit, & cujus vota declarata fuere nulla, est successionum, legatorum & donationum capax. Si monialis est, ei dos restituenda. *Vide* Monum. Cleri, T. IV. pag. 186. & seq.

De Dote, seu Dotatione religiosa.

Religiosa dos, seu *dotatio* nuncupatur pecunia, aliæve temporales res quas religiosi aut religiosæ recipiunt, eorum earumve nomine, qui ad professionem in eorum monasteriis edendam admitti petunt.

Nemo unquam prohibitus fuit sua temporalia bona monasteriis donare, quibus se per religiosam professionem addicere cupit, dummodo ejusmodi donationes sint omnino liberæ & voluntariæ, nec fiant tamquam pretium, aut vestitionis vel professionis intuitu, aut cum stipulatione, seu ex eorum earumve qui monasteria ingrediuntur, seu ex consanguineorum amicorumve, seu denique ex monasteriorum parte, qua novitios admittunt. At, seu vestitionis, seu professionis causa, pecuniam vel quodvis aliud temporale bonum exigere, semper illicita & simoniaca exactio fuit, æque reprobata a naturali jure, quod ullum temporale bonum ob rem spiritualem exigi vetat, atque a jure ecclesiastico, quemadmodum meridiana luce clarius fieri cuique poterit, siquidem summorum Pontificum decretales epistolas & Conciliorum canones legerit, in quibus hæ criminosæ exactiones acerrime gravissimeque, si quid aliud, interdicuntur. Ex omnibus, super hoc negotio, Pontificum Decretalibus eam unam laudabimus, quam ab Urbano V. (Extr. c. 51. *de Simon.*) editam adoptavit deinde renovavitque Gregorius XI. In hac igitur laudati Pontifices duo *execrandum* et *detestabilem abusum* esse pronuntiant, eb iis qui religiosæ vitæ professionem edunt, pecuniam, gemmeos aureosve ornatus, convivia, seu quidvis aliud, etiam ad pios usus conferendum, directe vel indirecte petere, aut exigere; prohibentque, excommunicationis indictæ pœna, ne quid horum in posterum fiat, eam unam veniam dantes, ut cum gratiarum actione recipiatur, quod ultro, ex plena integraque liberalitate, omnique pactione cessante, ab iisdem oblatum fuerit.

Non minus firmi, nec minus acres super hac Ecclesiæ gravi disciplina sunt Conciliorum canones. Nicænum secundum generale Concilium, an. 787. sub Adriani Papæ I. pontificatu, celebratum tamquam simoniacas, divinoque juri contrarias damnat pecuniæ exactiones quæ tum ob ingressum in religionem, tum ob ordinationes fiunt, pronuntiatque depositionis pœnam in abbates & abbatissas, qui hoc se crimine obstringunt: *In tantum invaluit avaritiæ facinus in rectores Ecclesiarum, ut etiam quidam eorum qui dicuntur religiosi viri atque mulieres, obliviscentes mandatorum Domini, decipiantur, & per aurum introitus (in græco, receptiones) accedentium tam ad sacrarum ordinem, quam ad monasticam vitam efficiant. Unde fit, quorum initium improbabile est, omnia fine projicienda, ut magnus ait Basilius. Neque enim Deo per mammona servire licet. Si quis ergo inventus fuerit hoc faciens, siquidem Episcopus, vel abbas extiterit, vel quilibet de sacrato collegio, aut desinat, aut deponatur, juxta secundam regulam sancti Chalcedonensis Concilii; abbatissa vero ejiciatur de monasterio, & tradatur in alio monasterio ad subjectionem, similiter & abbas qui non habuerit manus impositionem presbyteri. Porro quæ filiis a parentibus dantur more dotis, vel si quæ ex propriis rebus acquisita offeruntur, profitentibus his qui in ea offerant Deo dicanda (in græco, dicata), definimus, sive perseveraverint, sive exierint, manere illa in monasterio secundum repromissionem ipsorum, nisi fuerit culpa prælati.* (Can. 16.)

Audivimus, quod quidam abbates, cupiditate ducti præmia pro introeuntibus in monasterium requirunt. Ideo placuit nobis & sancta synodo, ut pro suscipiendis in sancto ordine fratribus, nequaquam pecunia requiratur; sed secundum regulam sancti Benedicti suscipiantur. (Concilium Francofurtense, seu Francofordtense, an. 794. can. 16.)

Quoniam simoniaca labes adeo plerasque moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in sorores, paupertatis prætextu volentes hujusmodi vitium palliare; ut id de cætero fiat, penitus prohibemus; statuentes, ut, quæcunque de cætero talem pravitatem commiserit, tam recipiens, quam recepta, sive sit subdita, sive prælata, sine spe restitutionis, de suo monasterio expellatur, in locum arctioris regulæ, ad agendam perpetuam pœnitentiam, retrudenda. De his autem, quæ ante hoc synodale statutum taliter sunt receptæ, ita duximus providendum; ut remotæ de monasteriis quæ perperam sunt ingressæ, in aliis locis ejusdem ordinis collocentur. Quod si propter nimiam multitudinem, alibi forte nequiverint commode collocari, ne forte damnabiliter in sæculo evagentur, recipiantur in eodem monasterio dispensative de novo, mutatis prioribus locis, & inferioribus assignatis. Hoc etiam circa monachos & alios regulares decernimus observandum. Verum ne per simplicitatem, vel ignorantiam se valeant excusare, præcipimus, ut diœcesani Episcopi singulis annis hoc faciant per suas diœceses publicari. (Concilium Lateranense, an. 1215. can. 64.). *Quære* SIMONIA.

Regni leges hac in re cum Ecclesiæ legibus congruunt; & declaratio mensis Aprilis an. 1693. apud Pariensia parlamentum, die 7. sequentis Maji in acta relata certam & uniformem super hoc capite jurisprudentiam statuit, quæ per universam Galliam regulæ loco est. Postquam enim, in præambulo, sancta decreta, edicta, statuta, ad personarum receptionem spectantia, quæ ingrediuntur in monasteria, ut ibidem religiosam professionem amplectantur, executioni mandari jussit; omnes prælatos prælatasque vetat, receptionis, sumptionis habitus, & professionis intuitu & consideratione, directe vel indirecte quicquam exigere. Carmelitarum tamen, monialium sanctæ Mariæ, Ursulinarum monasteriis, aliisque quæ fundata non sunt, quæque instituta sunt post an. 1600..... eam Sua Majestas veniam dat, ut ad personarum sustentationem, quæ ibidem habitum sumunt, & professionem edunt, pensiones fructuarias, seu ad vitæ tempus recipiant... ea lege, ut dictæ pensiones, Parisiis quidem & in cæteris urbibus quibus parlamenta sunt, 500. in reliquis vero per regnum locis, 350. librarum summam non superent. Eam quoque facultatem Sua Majestas memoratis monasteriis concedit, ut mobilia bona, vestes & alia, ad religiosarum ingressum prorsus necessaria recipiant ad summam usque librarum 2000. semel solutam, in urbibus, ubi parlamentorum curiæ institutæ sunt, & 1200. in urbibus locisque cæteris; quod si personarum quæ in dicta monasteria ingrediuntur, consanguinei & hæredes nolint, aut nequeant dictas in vitam pensiones certas tutasque reddere, dictis superioribus liceat pecuniæ, aut immobilium bonorum, dictarum pensionum locum tenentium summas recipere, modo dictæ summæ, seu ex pecunia, seu ex immobilium bonorum valore fuerint, non superent libras 8000. in urbibus, ubi extant parlamenta, alibi vero 6000.... Cæteris monasteriis, abbatiis etiam & prioratibus, quibus e fundatione reditus suppetunt, siquidem ad religiosarum ibidem existentium numerum sustentandum haud sibi satis in bonis esse contenderint, ea datur venia, ut suorum redituum onerumque statum Episcopis exhibeant, e quorum significatione concedi poterit, ut pensiones, pecuniæque, aut immobilium, ad valorem paulo ante expressum, bonorum summas recipiant.

At, inquiet fortasse quispiam, conventus qui pauperes sunt, subsistere non poterunt, quin id exigant, quod ad eorum earumve, quos recipiunt, sustentationem necessarium est. Ad hanc difficultatem respondit Tridentina synodus, (sess. XXV. cap. 3. *de Regular.*) mandans, ut monasteria, seu paupertate laborent, seu divitiis effluant, eum tantum numerum recipiant, cui vel per proprios reditus, vel per consuetas eleemosynas sustentando sint; *In prædictis autem monasteriis & domibus tam virorum quam mulierum, bona immobilia possidentibus is tantum numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel e reddititibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari.*

At, subderur & illud, repletis omnibus & singulis mona-

monasteriorum stationibus, ergo præter eum numerum accedentes quique, licet rite vocati, omnino rejiciendi erunt.

Responsio in promptu est, eos recipi licere, sequentibus conditionibus. 1. Nullus erit cum iis eorumve consanguineis pacto, aut stipulationi locus; iis solum significabitur, monasterium suppeditandæ sustentationi non esse, fore tamen, ut recipiantur, si, quod ad eamdem sustentationem necessarium est, conferre voluerint. 2. Fructuosa solum petetur pensio, tamdiu solvenda, quamdiu monasterium sine incommodo sustentationem præbere non poterit. 3. Si consanguinei per summam semel solutam se liberare, quam fructuosæ, seu annuæ pensionis onari subesse maluot, eorum votis acquiesci potest. 4. Seu accipiatur annua pensio, seu semel soluta summa, ita est componendus animus, ut monasterii indigentia, non accedentis vestitio aut professio acceptioni causam præbeat. 5. Nec perfici, ut dos omnino aut ex parte solvatur, antequam novitius ad professionem recipiatur, nec super eadem dote seu stipulatio, seu contractus, seu, per verba, conventio, ante id temporis, iniri potest, etiamsi de mala consanguineorum fide suspicioni locus esset; in hac facti specie, actum solummodo, qui petentis receptionem sequeretur, edi liceret, quo per annuam pensionem monasterio caveretur. Videri possunt, Hermanti Tractatus *de Ecclesia canonica ad puellarum in monasteria receptionem agendi ratione*, typis editus an. 1670. Parisiis, apud *Savreux; Christiana & Religiosa Perfectionis Principia*, Tom. II. pag. 378. & seq. Parisiis, an. 1748. apud *Desaint & Saillant; Collationes theologicæ & morales super religiosæ vitæ præcipuis officiis*, auctore Abbate Desvillart, Tom. II. Tomus IV. Monumentorum Cleri, pag. 1569. & seq. *Quære* SIMONIA.

De regulari Clausura.

Clausura vocabulum derivatur e *claustro*; & prout religiosorum religiosarumque communis est, obligationem designat ab utrisque initam, ut recessum custodiant, suisque in claustris permaneant, quin inde ipsi egredi, eove quempiam admittere nisi ex Ecclesiæ legibus, aut propriis constitutionibus possint. At religiosorum clausura ab ea quæ religiosarum est, quoad capita plura differt; & hanc ob causam de utraque seorsim agi necessum est.

Religiosorum Clausura.

Religiosorum clausura, prout in præsentis se habet, in eo est posita, ut iis haudquaquam liceat e suis monasteriis egredi, sine superioris venia, aut pati in ea ullam alterius sexus personam ingredi, quæ ad rationis usum pervenerit, præter personas aut casus, quibus Ecclesia exceptionem adhibuit.

Hujus assertionis prima pars generali consuetudine nititur, quæ vim legis obtinet, efficitque, ut in omnibus religiosis ordinibus, eorum temeritas qui sine superioris venia egrediuntur, tamquam grave, adeoque severe puniendum erratum spectetur. Eidem fulcro esse possunt, quæ sequuntur Tridentini Concilii verba, (Sess. XXV. *de Regularib.* cap. 4.) tametsi directe præcipueque eos tantum egressus spectent, qui ad itinera fiunt: *Non liceat regularibus a suis conventibus recedere, etiam prætextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint.* Egrediendi, facultate e superiore non impetrata, interdictioni fundamento est etiam obedientiæ votum quod superioris voluntati religiosum subdit, adeoque efficit, ut idem, eo invito, aut inscio, a veniam non dante, e monasterio pedem efferre non possit. Ejusmodi egressus suapte natura lethale peccatum est, quippe qui obedientiæ voto, & consuetudini in omnibus religiosis ordinibus universim servatæ contrarius est, ne quid de peculiaribus legibus dicam, quæ eumdem vetant.

Assertionis, quoad regularium clausuram, pars altera nititur Bulla, *Decet Romanum Pontificem*, Romæ datam die 16. Julii an. 1570. a Pio V. quæ explicat Bullam aliam quam idem sanctus Pontifex Octobris die 23. an. 1566. ibidem dederat, quæ incipit his verbis: *Regularium personarum*. Hæ Bullæ in regularium monasteria quamlibet puellam in rationis ætate versantem, aut mulierem ingredi vetant, indicta pœna excommunicationis majoris, ipso facto subeundæ, & Papæ reservatæ quoad eas quibus eo penetrandi temeritas fuerit, & suspensionis a divinis, itemque privationis officii, & habilitatis ad nullum in posterum possidendum quoad religiosos qui hujusmodi ingressibus favere ausi fuerint. Excipiuntur vulgo ab hac lege Imperatrices, Reginæ, supremæ Principes, aut quæ, quin supremæ Principes sint, regio sanguine cretæ sunt; excipiuntur etiam quæ sunt iisdem a comitatu, & monasteriorum fundatrices. Per monasterium porro, cujus aditu prohibentur feminæ, intelligi debent, claustrum, dormitorium, triclinium, culina, & interna monasterii officia cætera. Ecclesia, chorus, sacristia, colloquii exedræ, vulgo parlatoria, interiores areæ non censentur regularia loca quorum ingressus sit feminis interdictus, dummodo in ea, quin per monasterium transeant, ingredi possint. Sunt qui idem de hortis sentiant, qui monasteriis contigui sunt; at alii contra stant, & horum opinio est quoad usum tutior, itemque eorum qui ingressum in monasteria, si quod muri ruina contigerit, feminis interdictum putant.

Contendunt bene multi, quoniam Pii V. æque ac Gregorii XIII. quoad clausuram, Bullæ in Gallia receptæ sunt, feminas quæ virorum cœnobia subeunt, & religiosos qui eas in eadem admittunt, in censuras aliasque pœnas quas memoratæ Bullæ inferunt, non incidere, quamvis alioqui graviter peccent in consuetudinem generatim receptam quæ hujusmodi ingressus prohibet, & cui inest legis vis. Verum iis ipsis in locis, in quibus hæ bullæ receptæ sunt, feminis in religiosorum claustra ingredi licet, cum ibidem sacrum fit, aut habetur sermo, aut fit processio.

Clausura Monialium.

Etsi recessus nullo non tempore christianis virginibus Deo consecratis sedulo graviterque commendatus fuerit, clausura tamen, prout in præsentia quidem se habet, non semper iisdem, tamquam essentiale earum status officium, præscripta fuit. Fuere sæcula, quibus eæ suos apud consanguineos, aut in commoditatibus quidem, non iis tamen septis conclusisque vitam agebant. Accuratæ porro clausuræ vestigia cernuntur a sexto sæculo, & deinceps, quemadmodum probant ex eo tempore celebrata Concilia quorum canones afferendos suscipimus.

Monasteria puellarum non nisi probatæ vitæ, & ætatis provectæ (al. *perfectæ*) *ad quascunque earum necessitates, vel ministrationes permittuntur intrare. Ad faciendas vero Missas qui ingressi fuerint, statim, expleto ministerio, regredi festinabunt; alias autem nec clericus, nec monachus juvenis ullum ad puellarum congregationem habebit accessum, nisi hoc aut paterna, aut germana necessitudo probetur admittere.* (Concilium Epaonense, an. 517. can. 38.)

Ut nullus Episcopus, presbyter, diaconus, clericus, vel quicunque sæcularis, nisi probatæ vitæ, & ætatis provectæ, præter utilitatem, aut quamcumque reparationem monasterii, ad quascunque earum necessitates habitare, aut secretas collocutiones habere præsumant; nec ultra salutatorium, aut oratorium ulterius ingredi permittantur. (Concil. Matisconense, an. 581. seu 582.)

Ut nulla abbatissa duo monasteria præsumat habere, nec extra monasterium licentiam habeat exire, nisi hostilitate cogente.... similiter nec illa monacha extra monasterium exire debeant. (Concilium Vernevillense, an. 755. can. 6.)

Comperimus etiam quosdam canonicos & monachos, posthabito religionis suæ pudore, monasteria sanctimonialium, tam monacharum, quam canonicarum, inconsulto Episcopo suo, impudenter atque irreverenter adire.... quod factum, quia nec canonico, nec monastico congruit proposito, prorsus interdicimus; nisi forte causa prædicationis, aut certe inevitabilis necessitas id facere coegerit; & hoc nullatenus sine licentia Episcopi, aut illius qui vice illius fungitur, fieri præsumatur. (Concil. Parisiense, an. 829. Part. I. can. 46.)

Subsecuta Concilia easdem interdictiones continent; at lex, quæ a tertii decimi sæculi fine fuit veluti basis loco cæteris aliis quæ super monialium clausura post tempus illud editæ fuere, est Bonifacii Papæ VIII. celebris Decretalis *Periculoso*, inserta Libro primo Tomi XVI. *de Statu Regul. in Sexto*, & ad an. 1298. emissa, per quam summus is Pontifex „ omnibus monialibus *præsentibus & futuris*, cujuscunque religio-
„ nis & ordinis fuerint, & ubicunque degant, man-
„ dat, ut suis in monasteriis, sub perpetuæ clausuræ
„ lege, deinceps commorentur, nec monialium ulli,
„ tacite vel expresse professæ, quæcunque demum
„ causa seu ratio subsit, concessum sit, aut vero con-
„ cedi possit, ut e monasterio in posterum exeat, nisi
„ eo forte ac tam gravi morbo evidenter laboret, ut
„ sine gravi periculo aut scandalo cum cæteris versari
„ nequeat; & nulla minus honesta aut suspecta, atque
„ adeo nulla honesta, omnisque reprehensionis expers
„ persona, ulla unquam ratione, nisi ob æquam ex-
„ plo-

„ ploratamque eaufam, & cum peculiari ejus venia, „ ad quem pertinebit, ad moniales ingredi, vel accedere possit; ut eadem a mundi aspectu segregatæ „ possint Deo liberius servire, & ab omnibus remissionis occasionibus remotæ, suum ai animum suumque „ corpus in omni sanctitata accuratius sarvent."

Hanc prudentiæ consonam decretalem Epistolam Tridentina synodus (sess. XXV. cap. 5. *de Clausura Monialium.*) confirmavit, eamdemque toti christiano orbi agendi regulam esse voluit: *Bonifacii octavi Constitutionem, quæ incipit*, Periculoso, *renovans sancta synodus, universis Episcopis, sub obtestatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ, præcipit, ut in omnibus monasteriis sibi subjectis, ordinaria, in aliis vero, apostolica auctoritate, clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est, conservari maxime procurent; inobedientes atque contradictores per censuras ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacunque appellatione postposita, compescentes; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.... nemini autem sanctimonialium liceat post professionem exire a monasterio, etiam ad breve tempus, quocunque prætextu, nisi aliqua ex legitima causa, ab Episcopo approbanda; indultis quibuscunque & privilegiis non obstantibus. Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat, cujuscunque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda. Dare autem tantum Episcopus, vel superior licentiam debet in casibus necessariis; neque alias ullo modo possit, etiam vigore cujuscunque facultatis, vel indulti hactenus concessi, vel in posterum concedendi.*

Provincialia Concilia post Tridentinum habire easdem dispositiones contineni, & peculiariter Melodunensis cœtus, an. 1579. coactus qui semper in Gallia tamquam nationale Concilium spectatus fuit: idemque statuunt Gallorum Regum sanctiones & parlamentorum aresta. Videri possunt, ad clausuram quod attinet, Henrici III. ad Blesenses Regni Ordines, an. 1579. mandatum, art. 31. quod Ludovicus XIII. in suo mandato mensis Januarii an. 1629 art. 4. confirmavit; articulus 19. edicti Ludovici XIV. Aprili mense an. 1695. in omnibus parlamenti inter acta relati; articulus 33. constitutionis ad generalium regni Ordinum qui an. 1614. Lutetiam Parisiorum convenerant, ecclesiasticam cameram missæ; aresta parlamentorum, Parisiensis, die 18. Februarii an. 1697. Tolosani, die 13. Julii an. 1634. &c.

Hæc omnia monumenta & alia plura quæ a nobis afferri possent, probant, quam necessaria sit, & quam late pateat quoad omnes moniales clausure, cujus ne demum vis & ratio est; 1. ut ne moniales quidem quæ regularibus subsunt, a monasterio, sine urgentis necessitatis causis, & sine Episcopi de scripto venia, egrediantur; 2. ut moniales ipsæ pati non possint, ullam unquam personam ingredi, cujuscunque sexus ætatisque fuerit, sine Episcopi, vel regularis superioris in scriptis venia, & sine evidenti summaque *necessitate*, ut loquuntur sacri canones quos Ludovicus XIV. in edicto an. 1695. & Ludovicus XV. in declaratione an. 1742. servandos mandarunt. Ergo nec moniales, ubi externi versantur, nec externi, ubi moniales existunt, pergere possunt, quemadmodum Cardinalium, Tridentini Concilii interpretum sacra congregatio declaravit. Non ergo vel minimus est ibidem locus qui utrisque communis esse possit. Ex hoc nimirum principio ducenda oratio est, ut controversia quæ numero plures super rebus ad monialium clausuram spectantibus suboriri possunt, dirimantur. Consuli possunt in hoc negotio Tractatus P. Florentii Boullangerii, Recolleti e provincia S. Dionysii, super monialium clausura, qui superiore ineunte sæculo Parisiis prodiit; Josephi Gibalrni Tractatus alter qui an. 1648. lucem aspexit, hoc titulo: *De Clausura Regularium*; nec non Tractatus D. Thiersii, an. 1681. typis editus: potissimum vero D. Cherrerii, canonici regularis congregationis nostri Salvatoris, & propriis parochia S. Hilerii in Barresia, Tractatus Parisiis apud Desprez, an. 1764. ut ajunt, *in* 12. impressus, cujus compendium nos exhibuimus in Supplemento Dictionarii universalis Scientiarum ecclesiasticarum, verb. *Clausura Monialium.*

Monialium Confessarii.

Super hoc argumento suam ita mentem aperit Tridentina synodus: (sess. XXV. cap. 10. *de Regularib.*) *Attendant diligenter Episcopi, & cæteri superiores monasteriorum sanctimonialium, ut in constitutionibus earum admoneantur sanctimoniales, ut saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant, & sacrosanctam Eucharistiam suscipiant; ut eo se salutari præsidio muniant ad omnes oppugnationes dæmonis fortiter superandas.*

Præter ordinarium autem confessorem, alius extraordinarius ab Episcopo, & aliis superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat.

Ex articolo 35. constitutionis de Regularibus, nullus seu sæcularis seu regularis sacerdos, quæcunque demum exemptio prætexatur, deputari potest, tam ex ordine, quam extra ordinem, ut monialium confessiones audiat, quin id peculiariter a diœcesano Episcopo approbatus commissumque sit; quod si confessarios non, ut par est, officio suo fungi contingeret, Episcopi, postquam superiores monuerint, ut eos revocent, ni jussa fecerint, eos sua ipsi auctoritate amovare poterunt.

Articulus hic eum Gregorii XV. Bulla quæ incipit *Inscrutabili*, eumque provincialibus Conciliis pluribus, Tridentino posterioribus congruit.

Non deputentur monialibus confessarii, atque aliorum sacramentorum, & officii divini ministri, nisi de Episcopi consensu, & prævio examine, per eum, aut aliam vicarium faciendo. (Concil. Rothomagense, an. 1581. tit. *de Monasteriis*, n. 30.)

Confessores monialium, antequam ad suum munus admittantur, ab Episcopis examinentur, & præter confessores ordinarios, ab iisdem alii confessores extraordinarii deligantur, qui singulis annis bis aut ter earum confessiones audiant. (Concilium Bituricense, an. 1584. tit. 37. *de Monasteriis.*)

Burdigalense Concilium, an. 1624. celebratum recepit enuntiavitque Gregorii XV. Bullam *Inscrutabili*, quæ super hoc capite palmaris est.

De Monasteriorum, itemque Religiosorum & Religiosarum Translatione.

Tridentina synodus (sess. XXV. cap. 5. *de Regular.*) eam Episcopis aliisque superioribus auctoritatem tribuit, ut, cum necessarium aut expediens judicaverint, religiosarum monasteria ruri sita in urbes & oppida transferant: *Et quia monasteria Sanctimonialium, extra mœnia urbis vel oppidi constituta, malorum hominum prædæ, & aliis facinoribus sine ulla sæpe custodia sunt exposita; curent Episcopi & alii superiores, si ita videbitur expedire, ut sanctimoniales ex iis ad nova, vel antiqua monasteria intra urbes, vel oppida frequentia reducantur, invocato etiam auxilio, si opus fuerit, brachii sæcularis; impedientes vero, vel non obedientes per censuras ecclesiasticas parere compellant.*

Sanctionem hanc instaurarunt Concilia, Rothomagense, an. 1581. Remense, an. 1583. Bituricense, an. 1584. Narbonense, an. 1609.

Mandatum mensis Decembris an. 1606. injungit Episcopis, aliisque ordinum capitibus, ut sanctimonialium monasteria quæ in campestribus, nec satis tutis locis existunt, in ejusdem ordinis conventus alios, in urbibus sitos, quanto fieri commodius potuit, transferenda & iisdem unienda curent.

Possunt etiam moniales e suis cœnobiis ab Episcopo in alia transferri, cum in eo cœnobio in quo professionem ediderunt, bene valere nequeunt, ac tum quidem cœnobium hoc ea pensionem solvere debet quæ ab Episcopo præscripta est. Ita judicatum, die 17. Julii an. 1679. per arestum parlamenti Parisiensis, allatum cum D. Talonii disputatione, ad pag. 634. & seq. Tomi VI. Monumentorum Clari.

Quod autem religiosorum ab uno ad alium ordinem translationem spectat, Tridentina synodus (sess. XXV. cap. 19. *de Regularib.*) religiosis omnibus vetat, ne a strictiore ad minus strictum ordinem transeant: *Nemo etiam regularis, cujuscunque facultatis vigore, transferatur ad laxiorem religionem; nec detur licentia cuiquam regulari occulte deferendi habitum suæ religionis.*

Hæc Tridentinæ synodi constitutio quæ regularium translationem ab austero ad mitem ordinem absolute vetat, nequaquam servatur. Ea summo Pontifice possessio est, ut dei translationis Brevia, quorum vi a strictiore ad laxiorem ordinem transitus fiat; verum hæc Brevia sæpe sæpius subreptitia, vel obreptitia nil roboris habent ad tranquillandam & in tuto ponendam regularium conscientiam qui eadem obtinent, nisi eum nitantur vera, justa & rationi consona causa, cujus modi sunt vari nominis infirmitates, quæ eos reapse ferendæ quem amplexi sunt, regulæ ineptos reddunt. Translationes quæ innumeris aliis obducta causis, atque ad vitam commodius agendam, vel ad beneficia possidenda fiunt, illegitimæ sunt; in hujus nimirum posterioris generis translationem editum fuit in magno Consilio celabre arestum, die 28. Martii an. 1743.

RELIGIOSORUM exemptio. *Quære* EXEMPTIO, MONASTERIUM.

RELIGIOSORUM Confessarii & Concionatores. *Quære* APPROBATIO, CONFESSARII, PRÆDICATORES, QUÆSTORES.

RELIGIOSORUM Reformatio, *Quære* REFORMATIO,

RELIGIOSORUM Visitatio, *Quære* VISITATIO EPISCOPALIS.

RELIQUIÆ SANCTORUM. *Quære* SANCTI.

REPARATIONES ECCLESIARUM, seu BENEFICIORUM. *Quære* ECCLESIA.

RESCRIPTA ROMÆ. Sunt hæc Romani Pontificis super papyro exarata responsa. Extant rescripta justitiæ & rescripta gratiæ, rescripta in forma commissoria & rescripta in forma delegatoria. At, quæcunque clausula commissionibus a Papa ad Galliæ Episcopos datis inserta sit, & cujuscunque generis sit negotium ad cujus instructionem judiciumve Galli Episcopi commissi sunt, ut in eo procedant *auctoritate apostolica*, se tamen in eodem non interponunt nisi *vi & potestate ordinaria*. Ita Regis subditi, in appellationis casu, nunquam distrahuntur, & ad Episcopi qui commissus fuit, proximum superiorem pergunt. (Fevretius, lib. 9. cap. 3. n. 7.)

RESERVATIONES APOSTOLICÆ. Appellantur hoc nomine rescripta seu mandata per quæ summi Pontifices quorumdam beneficiorum nominationem & collationem, cum ea vacare contigerit, sibi reservant, prohibitis electoribus aut collatoribus ad eorumdem beneficiorum, cum vacaverint, electionem aut collationem procedere, sub nullitatis pœna. Harum reservationum aliæ generales sunt, particulares aliæ. Generales sunt quæ alicujus regni aut certi cujusdam loci beneficia omnia, aut certas quasdam dignitates afficiunt; particulares sunt quæ non nisi certum quoddam beneficium peculiariter spectant.

Beneficia quorum dispositionem sibi summi Pontifices reservarunt, canonistæ referunt ad capita quatuor; ut sit 1. reservatio ratione loci; ubi hæc beneficia vacarent; est hoc reservationis genus, quæ vacatione *in curia* nititur. 2. Reservatio tempore nixa, quo quorumdam beneficiorum vacatio contigit; hæc reservatio locum habet in Ecclesiis, ubi regula *de Reservatione mensium & alternativa* servatur. 3. Reservatio nixa personarum qualitate, quæ beneficia possidebant, quæ vacarunt; hæc beneficia complectitur, quæ vacarunt per mortem Cardinalium, domesticorum Papæ, & officiariorum Romanæ curiæ; nititur hæc reservatio cancellariæ regulis, & Extravaganti, *Ad regimen*; recepta non est in Gallia. 4. Reservatio quæ beneficiorum qualitate nititur; in ea continentur cathedralium Ecclesiarum primæ post pontificalem dignitates, & collegiatarum dignitates præcipuæ, quarum reditus aureorum decem florenorum valorem excedit. Cancellariæ tertia Innocentii VIII regula hanc reservationem statuit. Hæc in Gallia non est recepta.

Per apostolicas reservationes derogatur communi juri, & ordinariorum jus impetitur. Hæ porro quo potissimum tempore cœperint, ignoratur; id certo constat Clementem IV. qui sanctam Sedem an. 1265. conscendit, omnium beneficiorum *in curia* vacantium generalem absolutamque reservationem primum statuisse.

Cœpere primo reservationes per rogatorias a summis Pontificibus ad ordinarios missas litteras; iidem summi Pontifices quamprimum ad præceptivas seu monitorias litteras gradum fecerunt; hinc eo demum progressi sunt, ut sibi hac in re obedientiam reapse præstitam vellent, nominatis executoribus qui ordinariorum vices agerent, siquidem hi eorum votis jussisque se dedere renuissent. Hæc scilicet præventionis, mandatorum, expectativarum & reservationum apostolicarum origo est. Proposita in Constantiensi Concilio fuit reservationum abrogatio; at cum Gallorum præsulum nonnulli alternativam, a Martino Papa V. ad quinquennium propositam acceptassent, facta est Papam inter & ordinarios anni partitio. Conventione inter Martinum Papam V. & collatores Gallos elapsa, non amplius idem Pontifex nisi menses quatuor, sex mensium loco, ordinariis obtulit. Hæc partitio non nisi per declarationem firmata fuit, quam an. 1425. edidit Henricus II. Angliæ Rex qui sibi Galliæ Regis titulum tribuebat. Basileense Concilium reservationes & expectativas abolevit. *Quære* GRATIÆ EXPECTATIVÆ. Concilii decreta suscepit Pragmatica Sanctio quæ subsecutis temporibus abrogata Concordato locum dedit, quod inter Leonem X. & Franciscum I. an. 1516. initum non nisi præventionis jus Papæ reliquit. Ejusmodi fuere apostolicarum in Gallia reservationum initia, progressus & finis. Eæ vigent adhuc in Flandria & in Pannonia, quoad præbendas & canonicatus, non autem quoad dignitates quæ omnibus & singulis mensibus electivæ sunt, nec in veterum consuetudinum & privilegiorum præjudicium, quibus eadem provinciæ gaudent. In minore quoque Britannia disponit Papa, per menses octo, de beneficiis per mortem vacantibus, quorum plena collatio seu penes Episcopos, seu penes abbates, seu penes alios ordinarios collatores est. (Van-Espen, *Jur. eccl. univ.* Tom. II. pag. 844. & seq. La Combe, verb. *Reservatio*. Monum. Cleri, Tom. X. pag. 760. Tom. XII. pag. 2169. & seq.)

RESIDENTIA. Hoc vocabulo, quæ canonicæ jurisprudentiæ locutio est, designatur beneficiariorum in sui beneficii loco commoratio, eorumdemque ad omnes obeundas functiones quas illud exigit, assiduitas. Residentia ergo, de qua hic agitur; est beneficiarii in sui beneficii loco præsentia, non ea quidem mere localis sterilisque, sed laboriosa & activa, quæ omnium officiorum executionem secum trahit, quæ eidem beneficio seu per ipsius naturam, seu per fundationis titulum addicta sunt.

Olim inter beneficia simplicia, & beneficia animarum curam adjunctam habentia nihil discriminis, quoad residentiam, intercedebat, quia nemo unus ordinabatur, quin ei beneficium cui deservire deberet, quodque deserere non sinebatur, in titulum tribueretur, ex quo fit, ut, secundum commune jus, omnia beneficia residentiam postulent. Verum, ordinationibus sine titulo, aut super titulo patrimoniali in usum receptis, beneficia ab ecclesiasticis functionibus abstrahi, simpliciaque inter & curata seu parochialia, compatibilia inter & incompatibilia, seu inter ea quæ simul stare possent & ea quæ minus, distingui cœptum est. Perspectum fuit beneficia animarum curæ addicta personalem residentiam requirere; hæc residentia, quoad archiepiscopatus, episcopatus, parœcias, abbatias, prioratus conventuales & regulares, capitulorum primarias dignitates, & generatim quoad omnia beneficia quorum titulares animarum moderationem, & in interno quidem foro jurisdictionem obtinent, necessaria declarata est. Canonum plena Concilia sunt, qui, ad beneficia quod pertinet, quibus animarum cura est, residentiæ necessitatem statuunt; & quamquam rotundis verbis, seu formaliter non definiunt eam divini juris esse, id tamen satis innuunt, significantque. Eorum bene multos in medium attulimus ad verba, ABSENTIA, BENEFICIARII, CANONICI, CLERICI, PAROCHI, EPISCOPI, OFFICIUM DIVINUM; addemus hoc loco nonnullos alios.

Osius Episcopus dixit .... Memini autem superiore Concilio (Eliberitano Concilio scilicet) fratres nostros constituisse, ut, si quis laicus in ea, in qua commoratur, civitate, tres dominicos dies, id est, per tres septimanas non celebrasset conventum, communione privaretur. Si ergo hæc circa laicos constituta sunt; multo magis Episcopum nec licet, nec decet, si nulla sit tam gravis necessitas quæ detineat, ut amplius a suprascripto tempore absens sit ab Ecclesia sua. Universi dixerunt placere sibi. (Concilium Sardicense, an. 347. can. 14.)

Hoc quoque correctione, congruaque emendatione dignum comperimus, eo quod nonnulli prælatorum, nulla interveniente necessitate, non cum clericis, sed potius seorsum cum laicis, & quibusdam familiaribus suis sermocinari & convivari delectentur; similiterque a quibusdam abbatibus & abbatissis fieri didicimus. Quæ res quia valde a paterna sollicitudine abhorret, & subditos in contemptum magistrorum, murmurationemque, & in divinorum obsequiorum transgressionem pertrahit, prorsus resecandam esse censuimus .... Comperimus etiam quosdam socios ordinis nostri, non causa necessitatis aut utilitatis, sed potius avaritiæ & propriæ delectationis, sæpissime propria civitatis suæ sede relicta, cleroque neglecto, remotiora loca frequentare, de qua re & destitutio divini cultus, & prædicatio in plebibus, & cura subjectorum postponitur, & hospitalitas negligitur. Quod ne ulterius a quoquam sine inevitabili necessitate, & certa utilitate fiat, pari consensu inhibuimus. (Concilium Parisiense, an. 829. can. 21.)

Ut Episcopi in civitatibus suis proximum Ecclesiæ suæ claustrum instituant, in quo ipsi cum clero secundum canonicam regulam Deo militent; & sacerdotes suos ad hoc constringant, ut Ecclesias suas non derelinquant, & alicubi habitare præsumant. (Concil. Pontyonense, an. 876. can. 8.)

Ad hæc, quia inhonestum est nimis, ut Ecclesiæ propter minores reditus pastoribus maneant desolatæ; præsenti decreto statuimus, ut Ecclesiæ quæ in reditibus ultra quinque marcas non habent, non nisi personis talibus conferantur, qui residеant in eisdem, & in propria persona ministrent. Quod si tales admissi residere noluerint ....

Eccle-

Ecclesiis ipsis, praemissa monitione debita, per dioecesanum Episcopum spolientur. (Concil. Oxiniense, an. 1222. can. 14.)

Item ordinamus atque statuimus, ut praelati, & curam animarum habentes, in suis Ecclesiis corporaliter resideant, & ad hoc a suis Episcopis per subtractionem fructuum compellantur, nisi causa legitima se poterint excusare. (Concilium Viennense in Austria, seu Vindebonense, an. 1267. can. 12.)

Rectores Ecclesiarum .... compellantur per suffraganeos nostros, quoad fieri poterit, ad personalem residentiam; neque cum illis de non residendo, nisi causa probabili intercedente, dispensetur. (Concilium Senonense, an. 1528. Part. II. can. 11.)

Quorum fundationes personalem residentiam requirunt, illi aut ipsi resideant, aut a proventuum perceptione suspendantur, & fructus illi in alios pios usus convertantur, nisi qui reipublicae causa ex auctoritate nostra abfuerint. (Concil. Coloniense, an. 1536. Part. III. cap. 12.)

Ad restituendam collapsam admodum ecclesiasticam disciplinam .... se accingere volens, ab iis qui majoribus Ecclesiis praesunt, initium censuit esse sumendum. Integritas enim praesidentium salus est subditorum .... Omnes, patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis & cathedralibus Ecclesiis quibuscumque, quovis nomine ac titulo, praefectos monet, ut attentes sibi & universo gregi, in quo Spiritus sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, vigilent, sicut Apostolus praecipit, in omnibus laborent, & ministerium suum impleant. Implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant, atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus a supremo Judice requirendus, custodiae minime incumbant; cum certissimum sit non admitti pastoris excusationem, si lupus oves comedit, & pastor nescit. At nihilominus, quia nonnulli (quod vehementer dolendum est) hoc tempore reperiuntur, qui propriae etiam salutis immemores, terrenaque caelestibus, ac divinis humana praeferentes, in diversis curiis vagantur, aut in negotiorum temporalium sollicitudine (ovili derelicto, atque ovium sibi commissarum cura neglecta) se detinent occupatos; placuit sacrosanctae synodo antiquos canones qui temporum atque hominum injuria pene in desuetudinem abierant, adversus non residentes promulgatos innovari, quemadmodum virtute praesentis decreti innovat; ut alterius pro firmiori eorumdem residentia, & reformandis in Ecclesia moribus, in hunc qui sequitur, modum statuere atque sancire: si quis a patriarchali, primatiali, metropolitana, seu cathedrali Ecclesia, sibi, quocumque titulo, causa, nomine, seu jure, commissa, quacumque ille dignitate, gradu, & praeeminentia fulgeat, (legitimo impedimento, seu justis & rationabilibus causis cessantibus) sex mensibus continuis extra suam dioecesim morando abfuerit, quartae partis fructuum unius anni, fabricae Ecclesiae & pauperibus loci per superiorem ecclesiasticum applicandorum poenam ipso jure incurrat. Quod si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum similiter applicandarum eo ipso amittat. Crescente vero contumacia, ut severiori sacrorum canonum censurae subjiciantur, metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, metropolitanum vero absentem suffraganeus antiquior residens, sub poena interdicti ingressus Ecclesiae, eo ipso incurrenda, infra tres menses, per litteras, seu nuntium Romano Pontifici denuntiare teneantur; qui in ipsos absentes, (prout cujusque minor aut major contumacia exegerit) sua supremae sedis auctoritate, animadvertere, & Ecclesiis ipsis de pastoribus utilioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire. (Concilium Tridentinum, sess. VI. cap. 1. de Reform.)

Episcopis inferiores, quodvis beneficium ecclesiasticum, personalem residentiam, de jure sive consuetudine, exigentia, in titulum sive commendam, obtinentes, ab eorum ordinariis, quemadmodum eis pro bono Ecclesiarum regimine, & divini cultus augmento, locorum & personarum qualitate pensata, expedire videbitur, opportunis juris remediis residere cogantur; nullique privilegia, seu indulta perpetua de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis suffragentur: indulgentiis vero & dispensationibus temporalibus, ex veris & rationabilibus causis tantum, concessis, & coram ordinario legitime probandis, in suo robore permansuris; quibus casibus nihilominus, officium sit Episcoporum, tanquam in hac parte a Sede Apostolica delegatorum providere, ut per deputationem idoneorum vicariorum, & congruae portionis fructuum assignationem, cura animarum nullatenus negligatur, nemini, quoad hoc, privilegio, seu exemptione quacumque suffragante. (Cap. 2.)

Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est; oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in caetera munia pastoralia incumbere; quae omnia nequaquam ab iis praestari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt, sacrosancta synodus eos admonet & hortatur, ut divinorum praeceptorum memores, factique forma gregis, in judicio & veritate pascant & regant. Ne vero ea quae de residentia sancte & utiliter jam antea sub felicis recordat. Paulo III. sancita fuerunt, in sensus a sacrosancto synodi mente alienos trahantur, ac si vigore illius decreti, quinque mensibus continuis abesse liceat; illis inhaerendo declarat sacrosancta synodus, omnes patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis ac cathedralibus quibuscumque, quocumque nomine & titulo, praefectos, etiamsi sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia, vel dioecesi residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur; neque abesse posse nisi ex causis & modis infra scriptis. Nam cum christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiae vel reipublicae utilitas aliquos nonnunquam abesse postulent, & exigant; decernit eadem sacrosancta synodus, has legitimae absentiae causas a beatissimo Romano Pontifice, aut a metropolitano, vel, eo absente, a suffraganeo Episcopo antiquiori residente, qui idem metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas; nisi cum absentia inciderit, propter aliquod munus, & reipublicae officium episcopalibus adjunctum; cujus quoniam causae sunt notoriae, & interdum repentinae, ne eas quidem significari metropolitano necesse erit. Ad eumdem tamen cum Concilio provinciali spectabit judicare de licentiis, a se, vel a suffraganeo datis, & videre, ne quis eo jure abutatur, & ut poenis canonicis errantes puniantur. Interea meminerint discessuri, ita ovibus suis providendum, ut, quantum fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant. Quoniam autem qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt; sacrosancta synodus vult, illud absentiae spatium, singulis annis, sive continuum, sive interruptum, extra praedictas causas, nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere; & haberi rationem, ut id aequa ex causa fiat, & absque ullo gregis detrimento. Quod an ita sit, abscedentium conscientiae relinquit .... Eosdem interim admonet, & in Domino hortatur, ne per illius temporis spatium, Dominici Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item & Corporis Christi diebus, quibus refici maxime, & in Domino gaudere pastoris praesentia oves debent, ipsi, ab Ecclesia sua cathedrali ullo pacto absint, nisi episcopalia munia in sua dioecesi eos alio vocent. Si quis autem (quod utinam nunquam eveniat) contra hujus decreti dispositionem abfuerit; statuit sacrosancta synodus, praeter alias poenas adversus non residentes sub Paulo III. impositas & innovatas, & mortalis peccati reatum quem incurrit; eum, pro rata temporis absentiae, fructus suos non facere, nec, tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse; sed teneri, aut, ipso cessante, per superiorem ecclesiasticum illos fabricae Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare; prohibita quacumque conventione, vel compositione, quae pro fructibus male perceptis appellatur, ex qua etiam praedicti fructus, in totum aut pro parte, ei remitterentur, non obstantibus quibuscumque privilegiis, cuicumque collegio aut fabricae concessis. Eadem omnino, etiam quoad culpam, & amissionem fructuum, & poenas, de curatis inferioribus, & aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum, curam animarum habens, obtinent, sacrosancta synodus declarat, & decernit; ita tamen, ut, quandocumque eos, causa prius per Episcopum cognita & probata, abesse contigerit, vicarium idoneum, ab ipso ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam, in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant. Quod si per edictum citati non personaliter, contumaces fuerint; liberum esse vult ordinariis, per censuras ecclesiasticas, & sequestrationem & subtractionem fructuum, aliaque juris remedia, etiam usque ad privationem, compellere; nec executionem hanc quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cujuscumque beneficii, pactione, statuto, etiam juramento, vel quacumque auctoritate confirmato, consuetudine etiam immemorabili, quae potius corruptela censenda est, sive appellatione, aut inhibitione, etiam in Romana curia, vel vigore Eugenianae Constitutionis suspendi posse. (Concilium Trid. sess. XXV. cap. 1. *de Reform.*)

Provincialia Concilia, post Tridentinum habita, hujus decreta, quod ad residentiam attinet, renovarunt; & ad ea Gallorum quoque Regum sanctiones, itemque supremarum curiarum arresta se conformarunt. Ita

statuunt Constitutiones, Castri Briantii, an. 1551. Villersii Cotteretii, mense Majo an. 1557. Aurelianensis, mense Januario, an. 1560. art. 5. Blesensis, art. 14. cœtus Melodunensis, an. 1579. alia Constitutio mensis Januarii, an. 1629. arestum superiori Consilii, die 12. Decembris, an. 1639. arestum Consilii privati, die 18. Septembris, an. 1643. articulus 23. edicti an. 1695. &c.

Hæ singulæ ecclesiasticæ civilesque leges residentiæ gravitatem necessitatemque quoad omnes ecclesiasticos probant, quibus demandata est animarum cura, quorumve alioqui beneficia postulant, ut ibidem ipsi resideant, officia obeundi gratia, quæ iisdem addicta sunt, quæ canonicatuum ratio est; ex quo illud, omnium casuistarum judicio, consequens fit, residentiæ legis transgressionem mortale sitapte natura peccatum esse, quod beneficiarios ad beneficiorum fructus, pro absentiæ tempore, restituendos obligat. Peccatum tamen hoc esse potest veniale tantum, circumstantiarum ratione habita, quæ ejus malitiam imminuunt, ut si notabilis non fuerit absentia, aliive incommodo obnoxia.

RESIGNATIO. Resignatio, prout canonicæ jurisprudentiæ locutio fert, est ecclesiastici beneficii voluntaria cessio seu abdicatio quæ fieri potest vel per dimissionem puram & simplicem in superioris manu; vel per dimissionem conditionatam reciprocamque, quæ *permutatio* nuncupatur; vel per dimissionem, eam quidem conditione suspensam, non tamen reciprocam, quæ proprie *resignatio in favorem* dicitur, quia titularis ea solum mente suo se beneficio spoliat, ut certæ cuidam personæ gratum faciat, eaque conditione, ut illud ei conferatur; quod ni fieret, resignatio remaneret effectus expers.

De Resignationis origine.

Ecclesia, prioribus sæculis, titulares suis se beneficiis abdicare non patiebatur, atque adeo canon eas censuras, ut id impediret, adhibebat: *Si qui sint respectu agentes, & timorem Dei ante oculos non habentes, neque ecclesiastica statuta scientes, recesserint ab Ecclesia sua, sive presbyteri, sive diacones, sive in quocumque ordine ecclesiastico positi fuerint, hi nusquam suscipi debent in Ecclesia; sed cum omni necessitate cogantur, ut redeant ad Ecclesias suas; aut si permanserint, excommunicatos eos esse oportet.* (I. Concilium Nicænum, an. 325. can. 16.)

Sacerdotes, quando regendis proficiuntur Ecclesiis, de manu Episcopi curam animarum suscipiant, ubi & in tota vita sua Deo deserviant, nisi canonico degradentur judicio. (Concilium Nemausense, an. 1096. can. 9.)

Resignationes in favorem non altius ascendunt quam ad initium sæculi decimi quarti, ad Avenionensis schismatis tempus scilicet; atque adeo Ruzæus contendit nondum generatim approbatas fuisse Georgii Ambosiensis Cardinalis ætate, qui supremus regni minister fuit, regnante Ludovico XII. ad decimi sexti sæculi exordium. (Ruzæus, in Tractatu *de Jure Regalia*, privil. 32. n. 2.)

De Beneficiis quæ resignari possunt.

Capitulorum beneficia electiva collativa quæ in laico patronatu non sunt, itemque beneficia electiva confirmativa, siquidem hæc postrema non fuerint electiva confirmativa per fundationis titulum, resignari possunt; at beneficia quæ laico patronatui subsunt, resignari non possunt nisi cum expresso patronorum consensu, etiamsi beneficium in patronatu alternativo ecclesiasticum inter & laicum esset, & ea quidem vice ad ecclesiasticum patronum spectaret; opus nimirum foret in hac ipsa facti specie patroni utriusque consensu. Nec magis beneficia consistorialia, quæ videlicet in Regis nominatione posita sunt, sine Suæ Majestatis expresso consensu resignari possunt. Parinde res habet in beneficiis quæ certi cujusdam generis personis per fundationem, aut per statutum publica auctoritate firmatum addicta sunt; hæc nempe beneficia in ejusmodi affectionis præjudicium resignari non possunt. In hoc eodem genere sunt Melitensis Ordinis parœciæ quæ nempe & ipsæ resignari non possunt, quin Ordinis, aut saltem commendatoris patroni consensus adsit. Benedictini Congregationis S. Mauri, & religiosi caeterarum Congregationum Galliæ, communi jure, sua beneficia sæcularibus ipsis, *cum voto profitendi*, resignare sine suorum superiorum consensu possunt. Ita judicatum per arestum magni Consilii, die 3. Maji an. 1735. *Vid.* La Combe, verb. *Resignatio*, sect. 2.

De Personis quæ resignare possunt.

Minores beneficiarii, invitis consanguineis, sua beneficia resignare possunt, cum resignatione quam edunt, nec timor, nec vis, nec fraudes, nec minæ sunt, dummodo nec tutoribus, curatoribus, præceptoribus, nec aliis personis quarum potestati & moderationi subsunt, nec eorum, quos nominavimus, filiis resignent. (Arestum Constitutionis, die 18. Junii an. 1754. Monumenta Cleri, Tom. X. p. 1668.)

Beneficiarii criminum rei, quæ, ipso jure, beneficii vacationem inducunt, cujusmodi sunt hæresis, crimen læsæ Majestatis, animo concepta proditio, raptus, incestus spiritalis, simonia, & alia quæ in jure canonico commemorantur, resignare non possunt. At, quoad crimina quæ non efficiunt, ut beneficium jure ipso vacet, acriter controvertitur, an beneficiarius eorumdem reus beneficium quod possidet, resignare possit, cum forensia in eum acta inchoata sunt, atque adeo cum ipse per sententiam a qua appellavit, damnatus fuit. Super hac controversia, qui inter Gallos primas tenent, auctores secti sunt. Parlamenta duo, Parisiense & Burdigalense, ab affirmante parte stant; Rebuffus, (Num. 262. pag. 252. Edit. Lugdunens. an. 1581.) in suo *de pacificis Possessoribus* Tractatu, magni Consilii arestum quod ita rem hanc judicavit, in medium profert; Vaillantius in suis Adnotationibus quæ extant ad marginem animadversionum Loveti super Dumoulinii Commentario, ad regulam *de infirmis Resignantibus*, prævaluisse usum ait contra hujus celebris jurisconsulti sententiam, qui in facti specie de qua sermo est, resignationes *in favorem* damnabat: *Molinæus fundat opinionem suam validis rationibus; nihilominus contrarium obtinuit, & reus, pendente appellatione, potest beneficium resignare, nisi crimen ab eo perpetratum inducat vacationem ipso facto*, (Monum. Cleri, Tom. X. pag. 1675. & seq.)

Insani, cum libero præbendo consensui impares sint, validam nullam resignationem edere possunt, nisi forte alicujus lucidi intervalli momento, quod iis liberum rationis usum relinqueret, resignarent. Quod si subesset dubitatio, resignatarii esset probare resignantem in uno ex iis intervallis fuisse, cum resignavit. Occurrunt aresta numero plura quæ resignationes ab infirmæ mentis hominibus editas nullas prorsusque irritas declararunt; unum inter alia, quod, an. 1606. super Cenomanensis cathedralis Ecclesiæ canonico, Parisiense parlamentum edidit.

Clericus cui non alius quam beneficii super quo ordinatus fuit, titulus suppetit, illud resignare non potest, nisi aliunde habeat, quo subsistat: *Statuit sancta synodus, ne quis clericus sæcularis ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum, beneficium ecclesiasticum quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere; illud autem beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admittatur, nisi constito quod aliunde vivere commode possit; & aliter facta resignatio nulla sit.* (Trident. Concil. sess. XXI. cap. 2. *de Reform.*)

De Personis quæ Resignationes admittere possunt.

Certum est resignationes in favorem editas Conciliorum menti adversari, quippe quarum is proprius & peculiaris effectus est; ut beneficiarii sibi in beneficiis successores dent, quod expressis verbis vetant complures canones, & peculiariter Lateranensis primi generalis Concilii, an. 1139. habiti decimus sextus qui his verbis conceptus est: *Indubitatum est, quoniam honores ecclesiastici sanguinis non sunt sed meriti, & Ecclesia Dei non hæreditario jure aliquem, neque secundum carnem, successorem expectat, sed ad sua regimina, & officiorum suorum dispensationes, honestas, sapientes & religiosas personas exposcit. Propterea auctoritate prohibemus apostolica, ne quis Ecclesias, præbendas, capellanias, aut aliqua ecclesiastica officia hæreditario jure valeat vindicare, aut expostulare præsumat. Quod si quis improbus, aut ambitionis reus attentare præsumpserit, debita pœna mulctabitur, & postulatis carebit.*

Fit hinc, ut resignationes in favorem admittere nemo possit, nisi summus Pontifex, quia is unus super generalium Conciliorum legibus dispensandi facultate pollet. Raro contingit, resignationes in favorem admittendi facultatem summos Pontifices suis *a latere* legatis concedere; ac si concederent, ejusmodi facultates non agnoscerentur in Gallia; huic rei scilicet quinquagesimus sextus Gallicanæ Ecclesiæ libertatum articulus obluctatur. Minus etiam quam Papæ legati possunt

ſunt Epiſcopi cæterique ordinarii hujus generis reſignationes admittere, quoniam multo minus horum pateret juriſdictio. Unus excipitur ab hac regula caſus unionis beneficiorum ad ſeminaris, vel ad alia in Ecclesiæ utilitatem inſtituta loca; in hac ſcilicet facti ſpecie, reſignationes *in favorem*, etiam cum penſionum reſervatione, Epiſcopi admittere poſſunt. Hæc omnium canoniſtarum ſententia eſt. (Rel. Agemiæ Cleri, an. 1735. p. 50. & ſeq.)

Dum aperta regalia eſt, eo Rex jure & ipſe gaudet, ut ſuper reſignationibus in favorem beneficia regalia obnoxia conferat, tum quidem beneficii reſignatio a Papa admitti non poteſt; & quod Romæ fieret, nullum & irritum foret, etiamſi reſignatio a reſignatario acceptata eſſet. (Monum. Cleri, Tom. XI. p. 823. & ſeq.)

Eſt etiam conſtans juriſprudentia ſuper Regis facultate in eo poſita, ut ipſe ſuper reſignationionibus *in favorem*, eccleſiaſticos ſanctarum capellarum titulos, & cætera quæ fundationis plenæque collationis regiæ ſunt, beneficia conferat. (*Ibid.* pag. 1118.)

Ex hac juriſprudentia, decanatus electivus in collegiatis Eccleſiis, ubi Rex confert pleno jure, poteſt, permutationis cauſa, in Suæ Majeſtatis manu reſignari, poteſtque Rex ejuſdem reſignationem admittere. Ita judicatum in Pariſienſi parlamento, die 14. Januarii an. 1631. in cauſa decanatus collegiatæ S. Furcii Peronnenſis Eccleſiæ quæ regiæ fundationis eſt. (*Ibid.* pag. 1042.)

Sunt etiam nonnulla, ut Lingonenſis & Auguſtodunenſis Eccleſiarum capitula, quæ ſuper ægrotantis canonici dimiſſione, canonicatum, poſt ejus mortem, ei conferunt, qui eidem deſignatus fuit. (La Combe, verb. *Reſignatio*, ſect. 5.)

De Perſonis quibus reſignari poteſt.

Reſignari poteſt beneficium eccleſiaſticis omnibus qui qualitatibus ad illud poſſidendum requiſitis prædit ſunt, nec per legem ab ejus poſſeſſione impediuntur; jam vero qui lege impediuntur beneficia per reſignationem *in favorem* acquirere, ſunt, 1. beneficiariorum filii, ſeu naturales, ſeu legitimi, quia omnes ad unum canones vetant patres filiis ſeu naturalibus, ſeu legitimis beneficia directe vel indirecte reſignare: *Ne ſanctuarium Domini jure hæreditario poſſideri videatur*, 2. qui criminum rei ſunt, ob quæ pleno jure, vel ſolum per judicis ſententiam vacant beneficia, vel etiam qui de ejuſmodi criminibus accuſati ſolummodo ſunt, *pendente accuſatione*, vel qui appellarunt a damnationis ſententiis, vel qui ſeu per ſententiam, ſeu per areſtum, ad afflictivam pœnam damnati ſunt, quamvis hæc nec civilem mortem, nec beneficiorum privationem, nec abdicationis obligationem importet, ſeu qui reapſe perſonalis in jus vocationis, aut detentionis decreto ſubeſſet, etiamſi accuſatus decreto impetitus defenſionis areſtum obtinuiſſet, per quod ad ſua munia remiſſus eſſet, quia ejuſmodi areſtum non abluit decreti maculam; 3. exteri in civitatem non cooptati, ſpurii, niſi expreſſa diſpenſatione muniti ſint, judices, medici, tutores, curatores, publicani, juſtitiæ officiarii, apud quos beneficiariorum reſignare volentium lites pendent. Pœnitens tamen ſuo confeſſario reſignare poteſt. (Monum. Cleri Tom. XII. p. 1041. La Combe, ſect. 4.)

Rationum momenta qua Beneficiario ſuffragantur, ſuum ut beneficium per ſimplicem dimiſſionem, aut Reſignationem in favorem cedat.

Etſi voluntaria a beneficiario edita beneficii quod poſſidet, abdicatio canonibus, ſi generatim loquimur, adverſetur; legitima tamen rationum momenta ſuppetunt, quæ beneficiariis ſuffragari poſſunt, ut ſeu pure & ſimplici dimiſſione, ſeu in favorem reſignatione, ſeu permutatione ſuis ſe beneficiis abdicent; & hæc legitima rationum momenta ſunt, 1. crimen, ſeu publicum, ſeu ſecretum, quod ex Eccleſiæ mente uſuque veteri, beneficiarium ſuis obeundis functionibus ineptum reddit; 2. corporalis infirmitas, aut admodum provecta ætas, ob quas is cauſas Eccleſiæ deſervire non poſſit; 3. ignorantia, & ea quidem ejuſmodi, ut eum impediat, quominus brevi temporis ſpatio ſcientiam qua ad ſui officii executionem opus habet, acquirere poſſit; 4. obdurati & inemendabilis populi pravitas quæ non amplius ullius percipiendi fructus ſpem eidem relinquat, 5. magni ponderis ſcandalum, quod niſi per ejus receſſum adimi poſſit; 6. perpetua irregularitas cujus diſpenſationem obtinere nequeat. Inter hæc rationum momenta, quod facile intellectu eſt, quædam ſunt quæ non ſolum ad beneficii abdicationem beneficiario favent, ſed ei ſunt ad eamdem ineluctabilis legis loco.

De Conditionibus & ſolemnibus Formis ad Reſignationem requiſitis.

1. Beneficii, ſeu pura & ſimplex, ſeu in favorem reſignatio libera ſit, oportet. Si nimirum per ejus generis metum *qui cadit in virum conſtantem*, extorta eſſet, tametſi nulla non eſſet pleno jure, tamen abroganda foret, aut ait Alexander Papa III. *Quæ quæ vi fiunt, de jure debent in irritum mitti, mandamus, quatenus dicto R. reſtituas univerſa.* (Cap. *Abbas*, tit. *De his quæ vi* &c.)

2. Beneficii reſignatio a fraude, perinde atque a coactione & vi, immunis eſſe debet. Illud etiam non leve diſcrimen fraudem inter & vim intereſt, quod fraus quæ efficaciter præcipueque in reſignationem influit, eam pleno jure nullam reddit, quia impedit, ne libera ſit & voluntaria, cum coactio & violentia non eam jure ipſo nullam reddat, quia actus ei cauſam præbet, libertatem non tollit. Cabaſſutius, poſt Flaminium & Rebuffum, aſſerit, in ejuſmodi reſignationis caſu, nihil eſſe, cur ſumantur reſciſſionis litteræ; neceſſe tamen eſt, ut reſignans fraudis quam producit, apud regium judicem afferat, qui unus in Gallia de poſſeſſorio cognoſcit, & ſucceſſori mandat, ut initam beneficii poſſeſſionem deſerat.

3. In digni & idonei viri favorem facta ſit reſignatio, neceſſe eſt; quæ in indigni ineptique hominis favorem fieret, eumdem ac fraudulenta reſignatio effectum pareret.

4. Reſignatio eſſe debet ſimoniæ neſcia; ſimoniaca reſignatio pleno jure nulla eſſet: *Ad hæc ſtatuimus & ordinamus, ut in permutationibus & reſignationibus beneficiorum eadem cura adhibeatur examinandi eum, in cujus favorem permutatio, vel reſignatio concepta eſt; & præſertim diligens fiat inquiſitio, etiam per delata juramenta, num permutatio ſit ad contegendam ſimoniæ vitium fraudulenter excogitata & ſimulata. Quod ſi, vel examinis tempore vel in poſterum, compertum fiat, pactionem illicitam, & jure non probatam intercesſiſſe; uterque permutantium pro ſimoniaca fraude puniatur.* (Concilium Colonienſe, an. 1549. Part. II. cap. 7.)

5. Solemnes formæ ad omnem reſignationem neceſſariæ ſunt quæ ſequuntur. In primis, & ante omnia, tranſigenda eſt procuratio ad reſignandum apud regios apoſtolicos notarios duos qui e loco & diœceſi ſint, ubi reſignans degit, vel apud notarium unum & teſtes duos, notos, locique incolas, in quo procuratio tranſacta eſt, qui ſaltem viceſimum ætatis annum compleverint, qui mares ſint, regnicolæ civiliumque effectuum capaces, qui ſubſcribere ſciant, quique ſeu reſignantis, ſeu reſignatarii nec domeſtici ſint, nec famuli, nec conſanguinei, nec affines ad conſobrini gradum uſque, & hunc ipſum. Notarii recipi debent in regia loci ſede, recipique & examini ſubdi ab Epiſcopis, eorumve magnis vicariis aut officialibus, iidemque in actis de ſua ipſorum qualitate, habitatione, juriſdictione in qua eorum proviſiones in codicem relatæ fuere, mentionem, in nullitatis pœnam, facere debent. Notarii qui procurationem tranſigunt, ſub eadem nullitatis pœna, ſuis clericis, aut cujuſvis ordinis religioſis, novitiis, vel profeſſis, teſtium loco uti non poſſunt. (Edictum menſis Junii an. 1550. Edictum menſis Decembris an. 1691. Declaratio diei 4. Februarii an. 1737.)

Viderint etiam notarii reſignantem, ſuique animi ſenſu pronuntiantem & explicantem audierint, neceſſe eſt. Debent iidem procurationem ſcribere, in eaque reſignantis ſeu proſpera valetudine mentis, ſeu morbo laborantis ſtatum innuere, ei procurationem legere, & hac de re expreſſam mentionem facere. Actus ſubſcribere debent reſignans, notarii, aut notarius & teſtes; ac ſi forte reſignans ſe ſubſcribere non poſſe declaraverit, fiat, oportet, ea de re mentio. Proviſiones ſuper reſignatione a duobus trapezitis expeditionariis firmari debent ex autographo, & in locis ac temporibus inſinuari. *Vide* INSINUATIO.

Dum reſignans in vivis eſt, nec de reſignatione agitur, cui unice reſignati beneficii cum alio quod is antea poſſidebat, incompatibilitas cauſam præbuerit, reſignatario ad ineundam poſſeſſionem ſuppetunt anni tres, a curſoris Romam adventus die numerandi. At ſi de reſignatione agitur ob unam & unicam reſignati beneficii incompatibilitatem edita, reſignatario, ut poſſeſſionem ineat, ſemeſtre tantum ſpatium conceditur. Sin major eum vis impediat, ne poſſeſſionem ineat, men-

menses sex, quoad impedimentum perduret, non excurrunt. (La Combe, *ibid.* sect. 6. & 9.)

Omnis procuratio *ad resignandum* peculiaris esse debet, enuntians facultatem resignandi tale beneficium tali; necesse praeterea est, ut qui eam edit, quatuordecim aetatis annos compleverit, eademque intra annum ab adscripta die affectum sortiatur. Potest ipsa semper, re adhuc integra, revocari, quoad nempe in Romana curia admissa fuerit; destruitque per constituentis, ejusve mortem, qui eam acceptaverat.

RESTITUTIO. Restituere est illatam injuriam reparare, seu hæc reparatio per eamdem redditam rem quæ injuste sumpta est, aut retinetur, seu per aliquam aliam compensationem fiat. Itaque restitutio est justitiæ actio per quam redditur alienum bonum quod contra jus fasque sumptum est aut retinetur, vel per quam damnum quod injuste pariter alteri illatum est, reparatur.

Necessaria ad salutem est restitutio, & quidem naturalis, divini humanique, tam ecclesiastici quam civilis præcepti necessitate; ex quo illud consequens fit, eum qui alienum bonum injuste retinet, nec salvum esse, nec in pœnitentiæ tribunali absolvi posse, si restituere, cum potest, renuit: *Ecce quæ de rapinis & raptoribus Sanctus Spiritus per sibi organa digna comminatus est, & decrevit. Ecce quæ antecessores vestri Imperatores ac Reges, in diversis synodis ac placitis, consilio Episcoporum ac cæterorum fidelium suorum inde constituerunt .... & in evangelio legimus dixisse Zacchæum ad Dominum: dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & si quem defraudavi, reddo quadruplum .... Et sanctus Augustinus in epistola ad Macedonium dicit: quod dicis iniquum, sceleris culpam impune sibi homines relaxari, & id propter quod scelus admissum est, possidere; pessimum hominum genus commemoras, cui pœnitendi medicina omnino non prodest. Si enim res necessaria, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum; sed cum restitui potest; plerumque enim qui aufert, amittit .... nec aliud habet, unde restituat. Huic certe non possumus dicere: redde quod abstulisti, nisi cum habere credimus & negat.* (Concilium sanctæ Macræ in Ramensi diœcesi, an. 881. cap. 7.)

Perspicitur ex hoc canone restitutionem, cum fieri potest, ineluctabilem esse, & restituendi voluntatem sufficere, cum restitutio reapse fieri omnino non potest; quod quidem potest vel per impotentiam physicam, vel per impotentiam moralem contingere. Restituendi impotentia physica est, cum bona nulla suppetunt, quorum ope restitui possit; est autem moralis, cum sine magno aliquo incommodo restitui non potest, ut cum restituere debitor nequit, quin ipse sibi grave aliquod damnum afferat, aliud a subeunda rei jactura, quam reddere debet; causa exempli, si restituere non potest, quin suum bonum multo minoris vendat, quam valet, aut qui in graves expensas incidat quas, restitutionem differens, evitaret, aut quin se periculo exponat amittendæ famæ, vitæ, libertatis, proprii legitime acquisiti status, &c. Hæc moralis impotentia debitori sat causæ præbet, ut restitutionem differat, dummodo ejusmodi reapse sit, & is cui debet, grave damnum, ipsique debitoris damno par ex ea dilatione non patiatur.

RITUALE. Derivatur id nominis a Ritu, per quem *rationes, ceremoniæ, consuetudines* significantur. Quamobrem Rituale significat qui sanctarum cæremoniarum ordinem & rationem continet, quæ in sacramentorum administratione, & in divini servitii celebratione servandæ sunt.

Quando presbyteri in parochiis ordinantur, libellum officialem a sacerdote suo accipiant, ut ad Ecclesias sibi deputatas instructi succedant, ne per ignorantiam etiam divinis sacramentis offendant: ita ut quando ad litanias, vel ad Concilium venerint, rationem Episcopo suo reddant, qualiter susceptum officium celebrant, vel baptizant. (Concilium Toletanum, an. 633. can. 26.)

Libros autem, Missale, Breviarium, Antiphonarium, Gradale, Troparium, Manuale, Psalterium, Ordinale, in qualibet Ecclesia proprio volumus contineri. (Concilium, seu Synodus Vintoniensis, an. 1240. capit. 1.)

ROGATIONES. Ita nuncupantur dies tres qui Domini nostri Ascensionem proxime præcedunt, consecratique sunt in Ecclesia publicis & solemnibus precibus quas jejunia seu abstinentiæ, & processiones comitantur. Flagellis quæ Galliam vastabant, & peculiaribus calamitatibus quæ Viennam in Delphinatu vexabant, paulo post mediam sæculum quintum, suam rogationes originem debent. Ejus nimirum urbis Episcopus S. Mamertus in Concilio, quod an. 474. si Cameracensi chronico fides, ibidem habuit, rogationes, seu litanias; supplicationes, publicas preces, cum jejuniis & processionibus conjunctas instituit. S. Præsulis exemplum receptum quantocius propagatumque fuit, ut proinde, quinto labente sæculo, rogationum celebratio per totum propemodum terrarum orbem statuta conspiceretur. Hanc Aurelianense Concilium, an. 511. habitum expresso decreto firmavit. Ex Concilio, an. 517. Gerundæ celebrato compertum fit rogationes jam in Hispaniam migrasse, ibique non feriis ante Ascensionem secunda. tertia & quarta, sed secunda & sexta feria ac sabbato post Pentecosten peragi consuevisse. Romæ porro, sub octavi tantum sæculi finem, Leone III. Ecclesiam regente, receptæ fuere: ac tanquam additio spectari debet, quod in S. Gregorii Sacramentario inter quintam dominicam post Pascha, & Ascensionis vigiliam legitur, quoad trium processionum & trium Missarum officium, quod iis deinde tribus diebus addictum fuit.

Per aliquod tempus usus obtinuit, ut rogationum diebus tribus a servilibus operibus abstineretur, & jejunium servaretur; qui tamen nec communis fuit, nec diu viguit. Super hoc capite consuetudo multiplex extitit, tandemque satis habuit Ecclesia abstinentiam præcipere. Græci & Orientales nec rogationes, nec simile quidpiam habent. Tridui jejunium quod in suarum Ecclesiarum aliquibus Epiphaniam inter & Quadragesimam servant, sine litaniis seu processionibus agitur.

Rogationes, id est, litanias ante Ascensionem Domini, ab omnibus Ecclesiis placuit celebrari; ita ut præmissum triduanum jejunium in Dominicæ Ascensionis festivitate solvatur; per quod triduum servi & ancillæ ab omni opere relaxentur, quo magis plebs universa conveniat; quo triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis utantur. (Concilium Aurelianense, an. 511. can. 27.)

De litania, ut, expleta solemnitate Pentecostes, sequenti septimana, a quinta feria usque in sabbatum, per hoc triduum, abstinentia celebretur. (Concilium Gerundense, an. 517. can. 2.)

Sextodecimo condixerunt capitulo, ut litaniæ, id est rogationes, a clero omnique populo his diebus cum magna reverentia agantur, id est, die septimo Kalendarum Majarum, juxta ritum Romanæ Ecclesiæ; quæ & litania major apud eam vocatur. Et item quoque, secundum morem priorum nostrorum, dies ante Ascensionem Domini in tales cum jejunio usque ad horam nonam, & Missarum celebratione venerentur; non admixtis vanitatibus, uti mos plurimis vel negligentibus vel imperitis; id est, in ludis, & equorum cursibus, & epulis majoribus; sed magis cum timore & tremore, signo passionis Christi, nostræque æternæ redemptionis, & reliquiis Sanctorum ejus coram portatis, omnis populus, genu flectendo, divinam pro delictis humiliter exoret indulgentiam. (Concilium Cloveshoviense, anno 747.)

Litaniæ autem græco nomine appellantur, quæ latine dicuntur rogationes. Inter litanias autem & exomologeses hoc differt, quod exomologeses pro sola peccatorum confessione agimus, litaniæ vero indicuntur propter rogandum Deum, & impetrandum in aliquo misericordiam ejus. Sed nunc jam utrumque vocabulum sub una designatione habetur. (Concilium Moguntinum, an. 813. can. 32.)

Placuit nobis, ut litania major observanda sit a cunctis Christianis diebus tribus, sicut legendo reperimus, & sicut sancti Patres nostri instituerunt, non equitando, nec pretiosis vestibus induti, sed discalceati, cinere & cilicio induti, nisi infirmitas impedierit. (Can. 33.)

In litania majore jejunium, sicut in rogationibus ante Ascensionem Domini exerceatur. (Concilium Ingelheimense, an. 948. can. 7.)

SAB.

SAB

SABBATIANI. Fuit hæc Novatianorum secta, quod presbyter quidam ab aliis diviserat, ut Pascha secundum Judæos celebrarent. De hac secta in Constantinopolitani Concilii, an. 381. canone septimo sermo est. *Vide* canonem hunc in primo hujus Operis Tomo, pag. 315. & 316.

SABBATUM, septima seu postrema hebdomadæ dies. *Sabbat*, seu *quietis diem* Judæi nuncupabant, quia Dominus eo die requievit, cum per sex priores dies mundum creasset. Olim Sabbatum in Oriente festum erat, nec ibidem eo die jejunabatur. In Occidente vero Sabbati festum nunquam generatim obtinuit, aut diu viguit; ac mature interdictum fuit, quibus in locis inductum erat, ne videretur Ecclesia judaizare voluisse, Judæorum Sabbato celebrando. Laodiceni Concilii Patres rationem hanc attulere tamquam canonis causam, per quem Sabbatum ut festum coli vetuarunt: *Quod non oporteat christianos judaizare, & otiari in Sabbato, sed operari eos eodem die .... quod si reperti fuerint judaizare, anathema sint a Christo.* (Can. 29.)

SABELLIANI, haretici quibus id nominis a Sabellio qui eorum caput. Erat hæresiarcha hic ex urbe Ptolemaide in Lybia, vivebatque sæculo tertio. Is ab inferis excitavit Praxeæ & Noeti hæresin, qui Trinitatem divinarumque personarum distinctionem negabant, asserentes Patrem, Filium & Spiritum sanctum non nisi unam eamdemque, sub aliis nominibus, aliisque operationibus, personam esse. Cum Sabellius, causa exempli, Deum, tamquam sua decreta super hominum salute condentem spectabat, eum Patrem appellabat; cum eumdem, tamquam humanam carnem suscipientem, patientem & morientem considerabat, Filium nuncupabat; ei denique Spiritus sancti nomen tribuebat, cum ipsum, tamquam peccatores, suæ gratiæ vi, convertentem & sanctificantem perspiciebat. Quamobrem, eo judice, nulla erat inter divinas personas distinctio; tituli que Patris, Filii & Spiritus sancti nihil aliud quam denominationes erant, variis divinitatis operibus, quoad humani generis salutem, ut. xæ. Hos errores Sabellius sub annum 250. disseminavit. Ejus discipuli, in Oriente, ad quarti usque sæculi finem, *Noetianorum* & *Sabellianorum* nomine, subsliterunt; extinctique fuere, quinto ineunte sæculo, si S. Augustino fides in lib. *de Hæres.* cap 4. S. Epiphanius memoriæ prodit magnum Sabellianorum numerum in Mesopotamia, & Romam circum extitisse. Eos S. Dionysius Alexandrinus feliciter impugnavit, & aliqua Concilia damnarunt.

Fidem non violandam Patrum trecentorum decem & octo qui apud Nicæam Bithiniæ convenerunt; sed manere eam firmam & stabilem. Anathematizandam omnem, & specialiter Eunomianorum, vel Anomæorum, & Arianorum, vel Eudoxianorum, & Macedonianorum, vel Spiritui sancto resistentium, & Sabellianorum, & Marcellianorum, & Photinianorum, & Apollinarianorum. (Concil. Constantinopolitanum, an. 381. can. 1.)

Si quis secundum sanctos Patres consonanter nobis pariterque fide non respuit & anathematizat anima & ore omnes quas respuit, & anathematizat nefandissimos hæreticos cum omnibus impiis eorum conscriptis usque ad unum apicem sancta Dei Ecclesia Catholica & Apostolica, hoc est, sancta & universales quinque Synodi, & consonanter omnes probabiles Ecclesiæ Patres; id est, Sabellium, Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Polemonem, Eutychem, Dioscorum, Timotheum, Ælurum, Severum, Theodosium, Collathum, Themistum, Paulum Samosatenum, Diodorum, Theodorum, Nestorium, Theodulum Persum, Origenem, Dydimum, Evagrium, & compendiose omnes reliquos hæreticos qui a Catholica Ecclesia reprobati atque abjecti sunt .... hujusmodi condemnatus sit. (Concilium Lateranense, an. 649. can. 18.)

SACRAMENTUM. Derivatur hoc sacramenti nomen e *sacro*, seu *sancto*, sumiturque aut pro sancta sacraque re præcise in se ipsa spectata, aut pro sancta pariter & sacra re, prout hæc homines Deo devovet consecratque, aut pro sacro signo quod sanctitatem quamdam significet tribuitque.

Sacramentum, hac postrema notione sumptum, est signum sensibile, sacrum & permanens, a Deo institutum ad eorum sanctificationem qui illud suscipiunt, quatenus ea virtute præditum est, ut in iis sanctitatem pariat, vel internam, ut sacramenta novæ legis, vel externam & legalem, ut legis veteris sacramenta. Super sacramentis, in universum, Concilia complures canones edidere; quorum hi quidem præcipui sunt.

Decrevimus, ne opus Dei fiat ab aliquibus negligenter .... universa quoque ecclesiastica sacramenta, & præcipue baptismatis, & altaris, devotissime, prout Deus inspiraverit, celebrentur. (Concilium Oxoniense, an. 1222. can. 6.)

Cum sacramenta ecclesiastica debeant cum debita reverentia & veneratione, & gratis tractari, suscipi & conferri; statuimus, quod omnia sacramenta ecclesiastica, quantum possibile fuerit, a jejunis ministrentur, cum ornamentis necessariis seu paramentis, & gratis; illud rememorantes auctoritas: Quod gratis accepistis, gratis date. *Qui contra fecerit, præter divinam offensam quam ex hoc incurrit & incurrit, & pœnas a canonibus constitutas, in subsequenti provinciali Concilio acrius puniatur.* (Concil. Ravennatense, an. 1311. rubr. 6.)

Novæ legis septem sunt sacramenta; videlicet, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo & Matrimonium; quæ multum a sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant; hæc vero nostra & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt. Horum quinque prima ad spiritualem uniuscujusque hominis in seipso perfectionem, duo ultima ad totius Ecclesiæ regimen, multiplicationemque ordinata sunt. Per baptismum enim spiritualiter renascimur; per confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide; renati autem & roborati, nutrimur divina Eucharistiæ alimonia. Quod si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per pœnitentiam spiritualiter sanamur; spiritualiter etiam & corporaliter, prout animæ expedit, per extremam unctionem. Per ordinem vero Ecclesia gubernatur & multiplicatur spiritualiter; per matrimonium corporaliter augetur. Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus, tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum. Inter hæc sacramenta, tria sunt, Baptismus, Confirmatio & Ordo, quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum a cæteris distinctivum imprimunt in anima indelebile; unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt. (Eugenius IV. in suo pro Armenorum Institutione Decreto quod a Florentino Concilio, an. 1439. habito approbatum fuit.)

Ecclesia Catholica usus septem mysteria (quæ sacramenta appellantur) observat, veluti septem quædam parata remedia per quæ Deo visum est peccatis nostris mederi, ac nobis gratiæ suæ salutaris medicinam, diversa tamen ratione, infundere; quæ sunt, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo & Matrimonium. (Concilium Coloniense, an. 1536. Part. VII. cap. 1.)

Quia igitur in sacramentis aliud videtur, & aliud agitur, instruendus est populus, in cujuslibet exhibitione, quid in hujusmodi religioso arcano (id enim sacramentum sonat) agatur. Cum enim in sacramentis istis per signa quædam sensibilia infundatur insensibilis gratia, congruens externis signis, excitanda est fidelium fides & devotio in Deum; ut credentes ac divinum mysterium intelligentes, ad Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi participandam gratiam accedant. Quod fiat, cum Parochus sub administrationem cujuslibet sacramenti, sacra concione populum breviter admonuerit, quid in ea re agatur. (Cap. 2.)

Doceant etiam pastores nostri, septem esse Ecclesiæ sacramenta divinitus instituta, per quæ velut apta remedia atque instrumenta & peccatis nostris mederi, & sua gratiæ munera nobis impartiri Deus voluerit; eaque non esse ritus simplices, quod quidam impie confingunt, sed sacrosancta signacula, & efficacia signa quæ rite ea suscipientes, gratiam eis conferendo, sanctificent; gratiam vero sacramentorum non ex ipsa externarum rerum virtute, nec ex merito ministri, sed ex interna & divina operationis virtute æstimandam esse. (Concilium Moguntinum, an. 1549. cap. 11.)

Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere & proprie sacramentum, anathema sit. (Concilium Tridentinum, Sess. 7. can. 1.)

Si quis dixerit, ea ipsa novæ legis sacramenta a sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, & alii ritus externi, anathema sit. (Can. 2.)

Si quis dixerit, hæc septem sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit. (Can. 3.)

Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, & sine eis, aut eorum

vero,

vero, per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit. (Can. 4.)

Si quis dixerit, hæc sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit. (Can. 5.)

Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, & notæ quædam christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit. (Can. 6.)

Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi sacramenta semper & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando & aliquibus, anathema sit. (Can. 7.)

Si quis dixerit, per ipsa novæ legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit. (Can. 8.)

Si quis dixerit, in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione & ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit. (Can. 9.)

Si quis dixerit, christianos omnes in verbo, & in omnibus sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit. (Can. 10.)

Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit. (Can. 11.)

Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia quæ ad sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre sacramentum, anathema sit. (Can. 12.)

Si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit. (Can. 13.)

Quo major & uberior est sacramentorum fructus .... eo diligentius, & intimo animi pietate, & externo cultu, ac veneratione tractanda ac percipienda sunt. (I. Concilium Mediolanense, sub S. Carolo Borromæo, an. 1565. Part. II. cap. 1.)

Cum sacramenta Ecclesiæ non solum sine simoniæ labe, verum etiam sine avaritiæ suspicione præbenda sint; caveant omnes, ne in eorum administratione quidquam exigant, aut verbis, vel signis, directe vel indirecte petant.

Quoniam vero septem sacramentis, quasi mediis quibusdam præstantissimis cultus Deo sanctissimus plenissimusque pietatis exhibetur; in primis, parochis omnibus divinique verbi ministris præcipimus, ut sedulo doceant, quid sint sacramenta, quorsum instituta, quam vim habeant, seu quis eorum effectus, quæ utilitas, quæ virtus; ac simul intelligant fideles, quanta pietate, fide, & religione, ad eorum perceptionem accedere debeant. Deinde, ut eorum possit esse debita collatio, vel perceptio, vetamus, ne quis citra Episcopi, vel parochi licentiam, audeat conferre sacramenta, aut sine superpelliceo & stola, nisi aliud postulet instans necessitas. (Concil. Remense, an. 1583. tit. de Sacramentis.)

Cum Ecclesia nihil habeat pretiosius, nihil ad æternam salutem consequendam magis necessarium, quam a Christo septem instituta sacramenta, quibus omnis justitia vel cœpta augetur, vel amissa reparatur; ut demum Dei gratia quum ipsa sacramenta, ceu vasa quædam divinam contineant, eamque rite suscipientibus conferant, nobis abunde communicetur; pastores omni studio ac diligentia commissum sibi christianum populum exhortari debent cum ad singularem erga omnia sacramenta religionem & reverentiam adhibendam, tum ad frequentem augustissimi Eucharistiæ sacramenti & Confessionis usum. Quorum sacramentorum contemptus, ut ait Divus Augustinus, homines sacrilegos facit. Impie enim contemnitur, sine quo pietas constare non potest .... Ac ut Sacerdotum in sacris tractandis negligentia & incuria, populi pietatem imminuat, præcipimus, ut præscriptas a majoribus nostris in sacramentis administrandis cæremonias non solum diligenter, sed etiam summa cum animi attentione & religione observent, nihil omnino addentes, nihil detrahentes; in ipsorum etiam sacramentorum dispensatione manus puras ab omni simoniæ labe, & avaritiæ suspicione contineantur. (Concilium Burdigalense, an. 1585. tit. 8. de Sacram.)

Quia per primum parentem violata est originalis justitia, in quo creata fuerat .... providus Deus singulis morbis singula adhibuit remedia, sacramenta scilicet, quibus peccata remittuntur, hominis vita regitur, fides augetur, & totius Ecclesiæ politia continetur & conservatur .... Sacerdotes dum sacramenta administrent, usum & efficaciam illorum populo, & iis præsertim quibus ea conferant, exponant; adhibeanturque in eum usum, manualibus auctoritate & judicio Episcoporum edendis, piæ & religiosæ exhortationes, vernacula lingua conscriptæ quibus in eorum administratione Sacerdotes utantur. (Concilium Bituricense, an. 1584. tit. 18. de Sacram.)

Cum sacramenta omnia a Christo Domino, salutis nostræ causa, constituta sint, atque ex illius sanguine pretiosissimo vim sumpserint; ad virtutis culmen omni animi pietate, sanctitate ac religione contendere is profecto debet, cui illa tractanda sunt, vel ministranda. Parochi igitur, omnesque alii ad quos cujusvis sacramenti administratio spectat, quam diligentissime videant, ne lethalis peccati labe infecti, dum aliorum saluti student, sibi æternæ sint damnationis ministri. Atque ut intus candida innocentiæ stola exornati esse debent; ita etiam extrinsecus mundo superpelliceo; stolaque ejus coloris qui sacramento ministrando congruat, induti semper sint.

Ut autem a reliquis fidelibus ea qua par est, pietate, atque adeo cum animarum fructu sacramenta percipiantur, illorum virtutem atque admirabilem fructum parochi frequenter explicabunt, tum vero maxime, cum illa erunt administraturi. Sedulo quoque videbunt, ne ad sacramenta quævis aliquem, nisi armis depositis, modestoque habitu, ac composito corporis gestu, aliquod reverentiæ interioris indicium exteriori cultu præ se ferat, & fidei nostræ saltem initia recitare noverit.

Illud præterea diligenter caveant, ne pro illis administrandis ab alio vel omniam rerum inope Sacerdote verbis aut etiam signis quidquam prorsus, vel minimum modo, petatur, exigaturve.

Quod si quis contra fecerit, is graviter ab Episcopo pro culpæ ratione puniatur non avaritiæ tantum labe notatus, sed etiam simoniacæ pravitatis reus.

Quod si laici homines eleemosynas dare consuetas impendereque renuerint, eos Episcopus ex canonum jure ad piæ introductam consuetudinem perpetuo retinendam cogat atque compellat. (Concilium Aquisextiense, an. 1585. tit. de Sacram.)

Cum divina illa nunquam peritura salutis pignora sacramentis venerandis, illorumque pio usu contineantur; summa etiam sanctitate & veneratione christianis veniunt & tractanda & suscipienda. Nusquam igitur vel Episcopi vel Parochi ad eorum administrationem accedant, quin prius, ex Tridentini Concilii Catechismo profuturum illorum usum, admirandamque vim suscipientibus audientibusque explicaverint.

Ecclesiæ sacramenta non solum sine simoniæ labe, sed & sine avaritiæ suspicione præbeantur; nec ulli aut presbytero, aut ministro quidquam in eorum administrationem exigere, verbis etiam signisve, directe, aut indirecte petere liceat.

Et rituum & cærimoniarum varietas non mediocriter christianos offendere consuevit; id ne accidat, diligentissime est præcavendum. Uniformis itaque minimeque distincta sacramentorum administratio, quam fieri poterit, religiosissime ab omnibus observetur. Quod ut facilius assequantur, in rituum libro descriptas cærimonias, unusquisque perdiscere, & exsequi pro viribus conabitur. (Concilium Tolosanum, an. 1590. Part. II. de Sacramentis & Sacramentalibus.)

Cum tanta sit humanæ naturæ imbecillitas, ut ad divina capessenda animus vix possit assurgere, nisi quibusdam adjuvetur adminiculis, cumque carnali hoc & caduco corpore, velut carcere quodam inclusus sensuum ministerio plurimum utatur; divinæ sapientiæ visum est, mortalium infirmitati se accommodare; suam virtutem & gratiam per quasdam externas res & signa quæ sensibus percipiantur, nimirum per septem sacramenta Ecclesiæ conferre; a quibus omnis justificatio nostra incipiat, vel cœpta augeatur, amissave reparetur, & non ponentibus obicem conferatur. (Concilium Narbonense, an. 1609. cap. 13. de Sacramentis in genere.)

Causarum porro ad sacramenta, religionis votum, divinum officium, ecclesiasticam disciplinam spectantium, aliarumque mere spiritalium cognitio ad ecclesiarum judices spectat, omninoque & aperte, præter quam in appellationis casu tamquam ab abusu, sæcularibus curiis interdicta est. Ita statuit rotundis verbis edicti mensis Aprilis an. 1695. articulus 34. qui nihil novi mandavit, sed constitutionem an. 1539. artic. 4. Blesensem, art 4. aliam an. 1610. art. 4. rursusque aliam an. 1629. art 31. instauravit. (Monum. Cleri, Tom. VI. pag. 239 & seq.)

SACRIFICIUM. Est sacrificium, Deo super altaribus a legitimo ministro exhibita oblatio, ut ejus supra omnes creatas res supremum dominium profiteatur, eidemque obsequium cultumque præstet. A simplici oblatione sacrificium in eo differt, quod oblata res in sacrificio destruatur, oportet, cum integra prorsus in pura putaque oblatione remaneat. Sacrificium est hominis erga Deum essentiale officium, quia Ipse sibi

fibi ita indulgera non poteſt, ut ne fupremum quo is in sum inqua creatas res cæteras pollet, domininm teneatur; ex quo fane fit, ut facrificium non minus vatus quam homo ipfa fit, fempar in lage naturæ, in lege Mofaica, & in lega Evangalica religiofe fuerit in ufu pofitum fervatumque. Atque in hac quidem poftrema lege unum tantum & unicum facrificium adeſt, quod nihil eſt aliud quam Miſſæ facrificium, quodque Chriſti Domini fuper altari per Sacerdotum minifterium oblati immolatique corpore & fanguine continetur. *Quære* MISSA.

SACRILEGIUM. Sanctarum facrarumva rerum, per earumdem profanationem, abufus facrilegium dicitur; adeoque tot funt facrilegiorum genera, quot fanctarom facrarumve & Deo confecratarum rerum quæ profanari poſſunt, genera funt. Hæ porro res in triplici funt genere, videlicet: perfona, ut clerici, in facris quidem ordinibus conſtituti, & quicumque regulari cuipiam ordini addicti funt; locus, ut Ecclefia, cœmeterium; omnefque res Deo confecratæ, vel ejus cultui ab Ecclafia dedicatæ, cujuſmodi funt facramenta, facra vafa, indumenta altaris miniſtria defignata, fancti libri, Ecclefiæ bona, &c. Exiſtunt proinde triplicia generis facrilegia, perfonale, locale & reale. Itaque facrilegii reus fit, 1. qui percutit, aut lædit, facto ipfo, eccleſiaſticum facris ordinibus infignitum, aut religiofam alterutrius fexus perfonam; 2. qui profanat altaria, cœmetaria, aliaque fancta loca, facinora fcilicet in iis perpetrat obfervantiæ contraria, quæ iifdem debetur, cujuſmodi funt homicidium, mutilatio, furtum, &c. 3. qui facram Scripturam, facramenta, facra vafa, crucem, Sanctorum reliquias, eorumdem imagines, &c. profanat, polluitque; 4. qui veſtimenta quibus utuntur altaria miniſtri, vel alia quæcunque altarium Ecclefiarumque decorationi infervinnt, ad profanos ufus trahit; qui ufurpat, aut injuſte retinet Ecclefiæ bona.

Quiſquis inventus fuerit reus facrilegii, iſtam leviorem compoſitionem emendet Epiſcopis ipſis, vel Abbatibus, ſive perſonis, ad quas querimonia facrilegii juſte pertinuerit; & ſi ipſe reus facrilegii facere noluerit, tamdiu excommunicationi ſubjaceat, uſquequo prædictam compoſitionem ſexcentarum ſolidorum perſolvat; & ſi in hac obſtinatione mortuus fuerit, corpus ejus cum pſalmis & hymnis non deferatur ad ſepulturam. Et præcipimus, ne in fine codicis legis mundana ſcribatur hæc lex.

Nimirum Joannes Papa VIII. cum in Galliam migraſſet, an. 878. in urbe Trecenſi Concilium cogit, in quo allatam fuper facrilegis fanctionem edidit, aureorum quinque librarum mulcta quam Juſtinianus Imperator iis impoſuerat, in aliam fexcentorum ex argento folidorum mulctam commutata. Sanctionem hanc fummus Pontifex Gothorum legibus additam voluit.

Contra ſacrilegos quoque, juſtum eſt, ut canonica cenſura procedat. Et primo dicendum, quid ſit ſacrilegium. Sacrilegium eſt ſacræ legis violatio, quod cum per multa ſpecierum dividatur crimina .... ſpecialiter tamen nunc a nobis illud ſacrilegium denotatur, quod a prædonibus de rebus Eccleſiæ agitur. Eſt enim hoc ſacrilegium, res Eccleſiæ ſacratas auferre, poſſeſſiones ad jus Eccleſiæ pertinentes, vel aliquid Eccleſiæ conſecratum, vel donatum tollere, invadere, fraudare, vel rapere. Hoc namque agentes vero ſacrilegi ſunt & homicidæ .... Tales, ſi Eccleſiæ correctionem non accipiant, ethnicis & publicanis ſunt ſimiles, quibus nec vivis nec mortuis communicat Eccleſia Dei .... Et nullus ſacrilegus regnum Dei poſſidebit, niſi per puram, probatamque & publicam pœnitentiam, & ſancta Eccleſia, ejus præcipue quam læſit, ſatisfactionem, atque per manus impoſitionem Epiſcoporum, & reconciliationem. (Concil. Troslenſe, an. 909. can. 4.)

Item de ſacrilegis, & ſortiariis, quocunque nomine cenſeantur .... ſtatuimus, quod, ſi inventi fuerint, reddantur ſuo Epiſcopo; &, ſi moniti non reſipuerint, immurentur, vel ad arbitrium Epiſcopi puniantur. (Concilium Valentinum, an. 1248. can. 12.)

Non minus graviter facrilegos plectunt civiles leges: *Sacrilegi capite puniantur*, inquit lex 9. ff. ad leg. Jul. peculatus. *Mandatis cavetur*, dicitur & hoc in Romano Jure, *ut præſides, ſacrilegos .... conquirant, &, pro ut quiſque deliquerit, in eum animadvertant, & ſic conſtitutionibus cavetur, ut ſacrilegia, extra ordinem, digna pœna puniantur*; Lib. 4. ff. 2. t. 11. de Lege Jul. repetundar.

Galli Reges & Galliarum parlamenta fuam de facrilegiis, fanctarumque rerum profanationibus puniendis follicitudinem præ cæteris Principibus & Senatibus exhibuerunt. Videri poſſunt, Caroli IX. conſtitutio, die 14. Februarii, an. 1561. edictum Ludovici XIV. menfe Julio an. 1682. Regia declaratio, die 4. Martii, an. 1724. alia, Kal. Jul. an. 1727. cujus articulus 27. ſtatuit, ut „quicunque, feu pacis feu belli tempore, „ feu in regno feu in hoſtili regione, calices, cibo- „ ria, aliave Ecclefiæ bona expilaverit, furatus fue- „ rit, aut furripuerit, fufpendatur & fuffocatur, quod „ fi, ex furti circumſtantiis compertum fuerit, facra- „ rum rerum profanationem in eo locum habuiſſe, ad „ ignem damnetur."

Ricard Concil. Tom. IV.

Videri quoque poſſunt arreſta parlamentorum, Burdigalenfis, die 17. Martii an. 1527. Pariſienfis, die ultima Junii, an. 1562. ejufdem aliud, die 4. Junii an. 1766. in Abbavillæ reos adolefcentes aditum, qui falſi funt fe lectis nefcio quibus Gallorum fa philofophos jactantium fcriptis ad horrenda facrilegia perpetratos fuiſſe, quorum caufa damnati funt, ut iis caput abfcinderetur, eorumque corpora in ignem projicerentur.

SÆCULARIZATIO Monaſteriorum & Religioforum, feu eorumdem ad fæcularem conditionem tranfcriptio. Hæc ſtatus in monaſteriis mutatio non fpectatur ut favorabilis, ut firmetur, reddaturque legitima, magni momenti rationibus opus eſt, ac dum ibidem regularitas fervari poteſt, ex iis fæcularia capitula fieri Ecclefia non approbat. Eſt hæc Innocentii III. ad Conſtantinopolitanum Patriarcham, libro tertio Decretalium Collectionis, Gregorii IX. auctoritate editæ, cap. 5. tit. 36. *de Religioſis domibus*, relata reſponfio: *Inter quatuor, & infra, de Monaſteriis quoque Græcorum in ſæculares clericos convertendis, reſpondemus, quod quamdiu per regulares viros, ſive Græcos, ſive Latinos, remanere potuerint ordinata, non ſunt ad ſæculares clericos transferenda; ſed ſi regulares defuerint, propter eorum defectum in eis ſæculares clerici poterunt ordinari*. Huic Innocentii Papæ III. reſponfo Concilia concinunt. Satis fuerit hoc loco afferri generalis Chalcedonenfis Concilii, an. 451. habiti vicefimum quartum canonem: *Quæ ſemel voluntate Epiſcopi conſecrata ſunt monaſteria, perpetuo manere monaſteria, & res quæ ad ea pertinent, ſervari, eaque non amp.... fieri ſæcularia habitacula; eos autem qui hoc fieri permittunt, canonum pœnis ſubjici*. (Monumenta Cleri, Tom. IV. pag. 2037.)

Quod attinet ad caufas quæ fubeſſe poſſunt, quamobrem monaſteriorum (quæ quidem alia quam cathedralium Ecclefiarum regularia capitula fiunt) ſtatus mutatur, hæ fane variæ funt, pro ut locorum ratio regularitatis ibidem cuſtodiam difficiliorem reddere poteſt, & pro ut, circumſtantiarum ratione habita, cenfetur fæcularizationem Ecclefiæ utilem fore. (Ibid. pag. 2061.)

Quod autem ad auctoritatem ſpectat, per quam ad monaſteriorum fæcularizationem proceditur; certum eſt poſterioribus fæculis fummorum Pontificum Bullas impetratas eſſe pro iis omnibus quæ in Gallia quidem canonice facta fuere.

E Galliarum placitis, Regis confenſus neceſſaria præcautio eſt; adeoque in Bullarum ad regni monaſteria fæcularizanda fpectantium plerifque expreſſus cernitur confenfus hic. (Ibid. pag. 2063.)

Regii confenſus forma non una eſt. Ea fere obtinet, ut capitulum quod fe ad fæcularem conditionem redactum cupit petitque, impetret breve diploma per quod Sua Majeſtas ei veniam dat, ut apud Suam Sanctitatem pro Ecclefiæ fuæ mutatione a ſtatu regulari ad fæcularem inſtet. Poſtquam autem Bullæ impetratæ enuntiatæque fuere, capitulum alias patentes litteras a Rege obtinet, per quas Sua Majeſtas id confirmat quod actum fuit. *Ibid.*

Omnes ad hanc mutationem vocandi quorum intereſt; nemo autem eſt, quem propius apertiufque quam locorum Epifcopos hoc negotium attingat, afficiatque *Ibid.* pag. 2064. Proponemus hoc loco fuper monaſteriorum & religioforum fæcularizatione animadverfionem quæ fane naturæ congruit, quæque fe offert ipſe per fe. Si tam multis circumfpectionibus opus eſt, cum de regulari capitulo ad fæcularem formam redigando agitur, quamvis hoc fæcularizationis genus propius abſit a favore quam cætera; quanto magis circumfpiciendum, quamque confulto procedendum, cum de monaſteriis quæ capitula non funt, aut de congregationibus prorſus integris, aut etiam de integris ipſis ordinibus fæcularizandis agitur?

SALTATIO. Spectari poſſunt choreæ tamquam fimplices faltus quos nulla prava circumſtantia comitatur, aut quemadmodum ex ufu funt, nempe tamquam cœtus perfonarum fexus alterius, quæ fimul faliunt ad inſtrumentorum aut cantilenarum fonum, quæque, per faltationum intervallum, familiari de va-

nis & frivolis, seu periculosis criminosisque rebus colloquio detineotur. Si choreæ ad metaphysicam præcisionem quam earum primus aspectus exhibet, exigantur, dici non potest eas malas esse, quippe quæ religionis actis, penes Hebræos, miscebantur. Saltabat David ante fœderis Arcam pietate permotus; & Maria, Mosis soror, post rubri maris traositum, in Domini laudem cantica psallens, & ipsa cum cæteris feminis choreas agebat. At si saltationes seu choreæ, pro ut fere obtinent, & posteriore quidem notione sunt expositæ, perspiciatur, ita fane sacra Concilia de iisdem sentiunt.

Exterminanda omnino est irreligiosa consuetudo quam vulgus per Sanctorum solemnitates agere consuevit, ut populi qui debent divina officia attendere, saltationibus & turpibus invigilent canticis. (Concilium Toletanum, an. 589. cap. 23.)

Choreas in claustro nullatenus ducant (moniales), sed nec etiam in alio loco; nec etiam sæcularibus licere credimus. Teste enim Gregorio, melius est die dominico arare, vel fodere, quam choreas ducere. (Concil. Parisiense, an. 1212. Part. III. cap. 4.)

Quoniam .... nimis compertum est, depravatis his temporibus & moribus, ad choreas, tripudia, saltationes, & id genus alia nunquam fere conveniri sine multis & iis quidem gravissimis Dei offensionibus, idque tam ob turpes cogitationes, obscæna dicta, inhonestas actiones, morum corruptelas, & perniciosas ad omnia opera carnis illecebras, illis perpetuo conjunctas, tum propter cædes, rixas, dissidia, stupra, adulteria aliaque mala plurima inde consequentia quam sæpissime, his nos offensionibus & peccatorum seminariis locum dari, iis præsertim diebus qui diis propitiatoriis sunt, ... hoc certe gravissimum est in conspectu Dei & Ecclesiæ. Quare festis iis diebus, saltem horis quibus divina celebrantur officia, interdicimus, ne saltationes, tripudia, choreæ ducantur, aut fiant. (III. Concilium Mediolanense, sub sancto Carolo Borromæo, an. 1573. tit. *de Festor. dierum Cultu.*)

Comessationes, ebrietates, sumptus, lites, lusus improbos & inhonestos, choreas plenas infamiis, cantilenas turpes, breviter omnem luxum & lascivium, neque omnem festorum profanationem damnamus & reprobamus. (Concilium Rothomagense, an. 1581. tit. *de Cultu divino in genere.*)

Iisdem diebus (dominicis & festis) nemo lusibus aut choreis det operam, maxime dum divinum celebratur officium. (Concilium Remense, an. 1583. tit. *de diebus Festis.*)

Cum juxta divi Pauli præceptum, qui Christi sunt, sobrietatem semper sectari debeant, diebus dominicis præsertim & aliis festis, comessationes, convivia publica, tripudia, saltationes, strepitus & choreas fieri .... aperiri tabernas, ludos scenicos vel theatrales, & alia ejus generis irreligiosa spectacula agi, sub anathematis pœna, prohibet hæc Synodus. (Concilium Turonense, an. 1583. tit. 11. *de Festorum Cultu.*)

Tempus autem diei festi in audiendis concionibus, Missæ sacrificio & divinis officiis ponendum est, non in comessationibus; multo minus, peracto prandio, ad saltationes & lusus declinandum. (Concilium Aquilejense, an. 1596. tit. 14. *de Festor. Sanctif.*)

Ut dies festi .... a populo sancte custodiantur, neque ullis comessationibus, ludis, ebrietatibus, choreis & aliis excessibus profanentur; decretum ultimi provincialis innovantes præcipimus illud ab omnibus observari. (Concil. Burdigalense, an. 1624. *de Festis*, cap. 4.)

Galli Reges, ex Conciliorum mente, suum esse duxerunt choreas prohibere: *Illas .... balationes & saltationes, canticaque turpia ac luxuriosa, & illa lusa diabolica non faciat populus, nec in plateis, nec in domibus, neque in ullo loco, quia hæc de paganorum consuetudine remanserunt; & qui ipsa fecerit, canonicam sententiam accipiat.* (*Lib. 6. Capitular.*)

Franciscus Rex I. per patentes literas diei 7. Januarii an. 1520. publicas dominicis festisque diebus choreas vetuit. Legitur eadem prohibitio in artic. 23. edicti Caroli IX. mensis Januarii an. 1560. In articulo 38. constitutionis Henrici III. mensis Maji an. 1579. & in Blesensis constitutionis articulo 38. in edicto Ludovici Regis XIV. diei 16. Decembris an. 1698. in parlamenti Parisiensis arestis dierum 14. Decembris an. 1665. 3. Septembris an. 1667. & 4. Augusti an. 1745.

Contenderit perperam & frustra quispiam his canonicis & civilibus legibus eas tantum choreas improbari damnarique, quæ festis & dominicis diebus, sanctorum præsertim officiorum tempore peraguntur, quoniam certum est eas leges in choreas, tamquam innumerabilium perturbationum malorumque fontem & originem invehi; ac si super circumstantia festorum insistunt, id propterea facere, quia ejusmodi oblectamenta iis fere diebus, in primis per agros, locum habebant; quod ea multo magis crimini & scandalo obnoxia reddebat. Cæterum, est id certo certius choreas ipsas per se & ob adjuncta moraliter, in vulgari quidem usu, malas esse, quippe quæ suapte natura ad peccatum inducunt, ad licentiam pertrahunt, mores corrumpunt, innumera incommoda & mala pariunt; quod essentiale & radicale, quod ajunt, earumdem vitium probat. Neque aliter de saltationibus sentiebant ethnici ipsi. Exprobrabat Cicero Gabinio, consulari viro, qui saltasset; idemque non aliter se posse credidit ab inusta saltationum nota quas in Asia edidisset, Murenam purgare, quam si factum constanter negaret: *Nemo fere saltat sobrius, nisi insanit*, inquit hic celebris veteris Romæ orator. Testatur Æmilius Probus Romanos inter vitiosa choreas retulisse: *Scimus saltare etiam* in vitiis poni. Saltatores Roma expulit Tiberius; & senatorum aliques qui saltaverant, Domitianus a senatu ablegavit.

Ex his rationibus & auctoritatibus inferendum choreas, quemadmodum in communi usu peraguntur, suapte natura malas esse, proximamque occasionem longe plurimorum criminum, cujuscumodi sunt cogitationes, verba, desideria, gestus, motus, cantilenæ, aspectus, & alia ad licentiam plura pudori contraria; nec saltare, nec saltationibus interesse licere; eorum esse, penes quos auctoritas est, choreas impedire; superiores debere suis inferioribus eas interdicere; nec minus oportere confessarios suis pœnitentibus, seu viri seu feminæ sint, absolutionem negare, qui choreis abstinere noluerint; potissimum vero Parochos ei legi subesse, ut huic abusui pro viribus obluctentur, seu per absolutionis recusationem, seu per cohortationem & e suggestu declamationem, seu per legitimas omnes rationes quas iis gradus suppeditat quem suis in parœciis tenent, ut dum suorum Parochianorum saltationibus iidem intersint, id inepte ac ridicule prætexentes sua se præsentia eos in officio continere, & majora mala impedire; quasi vero malum minus ad impedienda majora fieri liceret; & Parochorum qui suorum parochianorum choreis se otiosos spectatores exhiberint, præsentia non esset ipsa malum cum scandalo conjunctum quod nulli prorsus malo remedium afferi. *Vide* Tractatum contra Choreas & pravas Cantiones, impressum Parisiis apud Boudetium, in 12. an. 1769. & Codicem Religionis & Morum, auctore Abbate Meusyio, typis editum *ibid.* apud Humblotium, an. 1700. T. I. titulo 15. *de Choreis.*

SANCTI. Intelliguntur *Sanctorum* nomine creaturæ omnes ratione præditæ, tum angeli, tum homines, quos Deus ad æternæ suæ gloriæ participationem admisit, & nominatim quos Ecclesia, aut summus Pontifex in sacra dyptica retulerunt, vel, ut vulgo dicitur, canonizarunt. Nos quidem sanctos in cælis regnantes, tamquam Dei amicos & famulos quos suis ipse gratiis cumulavit, honore prosequimur; & quod inde consequitur, cultus quem iis exhibemus, religiosus cultus est, supernaturali Sanctorum excellentia nixus, ad quos refertur; at non est latriæ cultus; neque enim adoramus Sanctos, quemadmodum divinitatem, ob ejus infinitam perfectionem, supremamque sanctitatem adoramus; eos tantum honoramus ob tenues aliquos Dei excellentiæ & sanctitatis effluxus quos receperunt. Cum ergo cultus quem iis reddimus, toto cælo, quod dicitur, ab eo differt, quem Deo, eorum dignitatis sanctitatisque supremo fonti persolvimus, idem profecto cum primo præcepto pugnare non potest, quod nobis mandat, ut prorsus solum Deum adoremus; seu potius Deus ipse est quem nos in Sanctis iis honoramus, quoniam id quidem non nisi per divinæ in eos sanctitatis reflexionem quamdam ejusmodi sunt, & huic adscititiæ sanctitati præstitus honos, in Deum, tamquam ejusdem originem & principium resilit. Ita fane, in Deum, omnis excellentiæ, omnis sanctitatis, omnis perfectionis ut causam, ita centrum desinit omnis gloria quam Sanctis tribuimus, itemque preces quas ad eos fundimus, ut omnium bonorum omniumque gratiarum supremum auctorem ipsi pro nobis orent. Sanctorum etiam exuvias, tamquam templorum Spiritus sancti qui adeo privilegiatum in modum in iis habitavit, pretiosas reliquias honoramus; nec magis excipimus eorum imagines a religioso quodam, sed solum relato cultu qui justo titulo iisdem debetur. Religiosus quidem hic cultus est, quia supernaturali excellentia, seu sanctitate nititur, quam beati per religionis subsidia & virtutem acquisierunt; relatus autem, seu respectivus est, quia non ad imagines terminatur, sed progreditur ad prototypa, ad Sanctos scilicet quos imagines repræsentant, adeoque

e Sanctis ad Deum usque, eorum sanctitatis auctorem ascendit. In cultu ergo quem imaginibus exhibemus, accurate veniunt distinguenda duo, externa reverentia, & interna dispositio. Imaginem aliquam salutamus, osculamur, ei thus adolemus, ad eam prosternimur; hæc externa reverentia est; at nostra cogitatio, nostra existimatio, affectio nostra, nostra fiducia ad prototypum, ad exemplar, ad sanctum pergunt, quem imago repræsentat; est hæc nostra intentio, nostra interna dispositio, quæ ne in Sancto quidem exhibito sistitur, sed extollitur ad eum usque, qui per suam omnipotentem gratiam eumdem Sanctum efficit. Ejusmodi omnino est, super Sanctorum, eorum reliquiarum, eorumdemque imaginum cultu, Ecclesiæ doctrina, quæ sane in sequentibus canonibus statuta, explicata enucleataque comperietur.

Definimus in omni certitudine ac diligentia, sicut figuram pretiosæ ac vivificæ crucis, ita venerabiles ac sanctas imagines proponendas, tam quæ de coloribus & tessellis, quam quæ ex alia materia congruenter in sanctis Dei Ecclesiis, & sacris vasis & vestibus, & in parietibus ac tabulis, domibus & viis, tam videlicet imaginem Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, quam intemeratæ Dominæ nostræ sanctæ Dei Genitricis, honorabiliumque Angelorum, & omnium Sanctorum simul & almorum Virorum. Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto qui hæc contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum eorum memoriam & desiderium, & ad osculum, & ad honorariam his adorationem tribuendam; non tamen ad veram latriam quæ secundum fidem est, quæque solam divinam naturam decet, impartiendam; ita ut istis, sicuti figuræ pretiosæ ac vivificæ crucis, & sanctis Evangeliis, & reliquis sacris monumentis incensorum & luminum oblatio, ad horum honorem efficiendum, exhibeatur, quemadmodum & antiquis pia consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum transit; & qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam. Sic enim robur obtinet sanctorum Patrum nostrorum doctrina, id est traditio sanctæ Catholicæ Ecclesiæ quæ a finibus usque ad fines terræ suscepit Evangelium .... Eos ergo qui audent aliter sapere, aut docere, aut secundum sceleslos hæreticos ecclesiasticas traditiones spernere, & novitatem quamlibet excogitare, vel projicere aliquid ex his quæ sunt Ecclesiæ deputata, sive Evangelium, sive figuram crucis, sive imaginalem picturam, sive sanctas reliquias martyris, aut excogitare prave aut astute ad subvertendum quidquam ex legitimis traditionibus Ecclesiæ Catholicæ, vel etiam quasi communibus uti sacris vasis, aut venerabilibus monasteriis, siquidem Episcopi, aut clerici fuerint, deponi præcipimus, monachos autem, vel laicos a communione segregari. (Nicænum II. generale Concilium, an. 787. act. 7.) Vide hoc ipsum Nicænum II. Concilium, itemque Francofordiense, an. 794. celebratum, p. 166. & 170. Tomi primi hujus Operis.

Mandat sancta Synodus omnibus Episcopis, & cæteris docendi munus curamque sustinentibus, ut juxta catholicæ & apostolicæ Ecclesiæ usum, a primævis christianæ religionis temporibus receptum, sanctorumque Patrum consensionem, & sacrorum Conciliorum decreta, in primis de Sanctorum intercessione, invocatione, reliquiarum honore, & legitimo imaginum usu fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, & ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum qui solus Redemptor noster & Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere; illos vero qui negant Sanctos æterna felicitate in cælo fruentes invocandos esse, aut qui asserunt vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius mediatoris Dei & hominum Jesu Christi, aut stultum esse, in cælo regnantibus voce vel mente supplicare, impie sentire, Sanctorum quoque martyrum, & aliorum cum Christo viventium sancta corpora quæ viva membra fuerunt Christi, & templum Spiritus sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda & glorificanda, a fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia a Deo hominibus præstantur; ita ut affirmantes Sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas, aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandæ causa, Sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse, prout jampridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Ecclesia; imagines porro Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas & retinendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam; non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quod ab eis sit aliquid petendum; vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quæ illæ repræsentant; ita ut per imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur; id quod Conciliorum, præsertim vero secundæ Nicænæ Synodi decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum.

Illud vero diligenter doceant Episcopi, per historias mysteriorum nostræ redemptionis, picturis vel aliis similitudinibus expressas erudiri & confirmari populum in articulis fidei commemorandis, & assidue recolendis; tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solum quia admonetur populus beneficiorum & munerum quæ a Christo sibi collata sunt; sed etiam quia Dei per Sanctos miracula ac salutaria exempla oculis fidelium subjiciuntur; ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem, vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum, & ad pietatem colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit, aut senserit, anathema sit. In has autem sanctas & salutares observantias si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri sancta Synodus vehementer cupit: ita ut nullæ falsi dogmatis imagines, & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes statuantur; quod si aliquando historias & narrationes sacræ Scripturæ, cum id indoctæ plebi expediet, exprimi & figurari contigerit; doceatur populus non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit. Omnis porro superstitio in Sanctorum invocatione, reliquiarum veneratione, & imaginum sacro usu tollatur; omnis turpis quæstus eliminetur, omnis denique lascivia vitetur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur, & Sanctorum celebratione, ac reliquiarum visitatione homines ad comessationes atque ebrietates non abutantur, quasi festi dies in honorem Sanctorum per luxum ac lasciviam agantur; postremo, tanta circa has diligentia & cura ab Episcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum, aut præpostere & tumultuarie accommodatum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat, cum domum Dei deceat sanctitudo. Hæc ut fidelius observentur, statuit sancta Synodus, nemini licere ullo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta ullam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit, nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente & approbante Episcopo, qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium theologis, & aliis piis viris, ea faciat quæ veritati & pietati consentanea judicaverit. Quod si aliquis dubius aut difficilis abusus sit extirpandus, vel omnino aliqua de iis rebus gravior quæstio incidat; Episcopus, antequam controversiam dirimat, metropolitani & comprovincialium Episcoporum in Concilio provinciali sententiam expectet; ita tamen, ut nihil, inconsulto sanctissimo Romano Pontifice, novum, aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur. (Concilium Tridentinum, Sess. 25. tit. *de Invocatione Sanctorum.*)

Ut abyssus abyssum invocat, & in aliud scelus ex alio labimur, in eam demum hæreticus incidit insaniam, ut, qui piis animabus quæ purgatorio detinentur, suffragia vivorum adimit, vicissim quoque vivos Sanctorum qui in cælis sunt, defraudet auxiliis, quasi vel preces nostras non audiant, vel nostris calamitatibus non tangantur; quasi divinæ clementiæ deroget, quod, qui Christo ministraverit, hoc honore dignus habeatur, ut pro cæteris intercedat. Sed quam sit primum horum non modo veritati, sed Scripturis quoque dissonum, facile intelligit qui beatis pervium esse non ignorat omniforme illud divinitatis speculum in quo quidquid eorum interest, elucescat. Etsi neque desunt nobis Angeli, Gabriele Danielis, Raphaele Tobiæ haudquaquam segniores, qui nobis ab exordio precum nostrarum assideant, ut illis mox offerant, quorum suffragium imploramus; nec pigrius quam olim porveniant Principes conjuncti psallentibus, e quorum manibus ascendat fumus aromatum de orationibus Sanctorum. Porro quod ad secundum attinet, qui fieri potest, ut nostris non afficiantur incommodis, quorum nunquam excidit charitas, quibus tantum gaudium in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente? Abraham cum hic diversaretur, pro salute Sodomitarum apud Dominum semel & iterum, quinimmo & sæpius interpellavit, ut pro certo justorum numero qui inter eos reperiretur, toti parceretur civitati; an nunc, cum cælo gloriosus regnat, usque adeo refriguit ejus charitas, & imminuta est, ut immemor filiorum factorum factus non oret pro eis qui in hoc procelloso mari adhuc constituti diris jactantur mundi fluctibus? Nec enim a beatorum communione, quorum alter alterius membra sumus, possumus aliquando separari, quin auctiore nobis chari-

charitate confulant, quam cum terrena adhuc eorum commoratione tenerentur. Hinc Angelus ille Zacharia, & Jeremias jamdudum in sinum Abrahæ receptus, multum orant pro populo, & universa sancta civitate; & pro præsentes impietate orabit omnis Sanctus in tempore opportuno. Nihil autem divinæ benignitati, vel omnipotentiæ deperit, quæ, summa & incomprehensibili sapientia, infima quæque per intermedia moderatur & regit. Neque minus unus est mediator Dei & hominum Jesus Christus, si juxta sacrum Aurelianensis Concilii, atque aliarum complurium institutionem, iteratis ad aliquos Sanctorum convertamur, Christo tamen accepta ferimus omnia, per quem omnis id generis interveniendi munus, cæteraque in humanum genus beneficia derivantur. Absit igitur, ut tanti fiant apud nos unquam hæreticorum prodigia, ut cum Manichæis, Catharis, Bohemis & Valdensibus, beatis illis cælestis aulæ proceribus, ea quibus non secus ac ab igne splendor, odor ex unguento, nostra omnium dimanat utilitas, cultum exhiberi non sinat, dicata Martyribus templa subfannet, dies festos insectari, & eorum, ut ajunt, passiones palam in Ecclesia legi, tabianis infectione. Placuit sic sacrorum Conciliorum auctoritas, quibus si quis pertinaciter obstiterit, hunc pœnis in hæreticos a jure statutis declaramus coercendum. (Concilium Senonense, an. 1528. tit. *Decreta Fidei*, cap. 13. *de Veneratione Sanctorum.*)

Si tam sordide, quam ejusce hæreticæ ea loca perlustrasset, quibus Scriptura passim ab idolorum & simulacrorum cultu revocat; nequaquam certe tanto strepitu christianos ab imaginum cultu deterreret. Neque enim dum catholicus quispiam sanctam Christi veneratur imaginem, aliquod numen illi inesse putat, aut quasi Deum colit; sed ob recordationem Filii Dei, ut in ejus amore invalescat, cujus imaginem videre desiderat. Et nos quidem non quasi ante divinitatem, ante imaginem prosternimus; sed illum adoramus quem per imaginem, aut passum in throno sedentem recordamur. Et dum nos per ipsam picturam, quasi per scripturam ad memoriam Filium Dei reducimus, animum nostrum de resurrectione lætificat, aut de passione mulcet, non majore quidem ideo maria pericula, quam cum in nomine Jesu omne genu flectitur cælestium, terrestrium & infernorum. Quorum enim oculis cuncta anteibat insinuat, hunc eumdem fidelibus oculis imago sedulo repræsentat. Accedit & ex imaginibus alia non inferior utilitas, idoneum videlicet atque accommodum indoctæ plebi rudimentum; ut, cum sacratissimæ Virginis Mariæ, aut Sancti cujusquam imago sese affert, ea, velut archetypo ad propositæ sanctitatis imitationem, & veram utcumque pietatem rudi quadam introductione rudis populus animetur. Et seposita tantisper distractione, dum ad unius imaginis contuitum se colligit, uno obtutu sibi plura proponit, quam diuturna librorum evolutione comprehenderet. Non abs re igitur Apostoli vivificam crucem, & sacras erexerunt imagines; quæ cum ab initio nascentis Ecclesiæ debita semper ab orthodoxis veneratione colerentur, nihil illis a sacrosanctis quatuor universalibus Conciliis derogatum est. Quin & ab Augustino moribundis proponi jubentur, & a Gregorio Magno cum ad Recharedum, tum ad Secundinum missæ leguntur. Et insurgentibus eumdem imaginum eversoribus, Romani Pontifices, Constantinus, Gregorius secundus & tertius, Paulus primus, Stephanus tertius, & Adrianus primus tanta animi constantia restitere, ut illi, septima eamdem apud Nicæam Synodo, concordi Patrum assensu damnarentur; & Carolus ille cognomento Magnus, Francorum Rex Christianissimus, Francofordiensi conventu ejusdem erroris suppressit infamiam quam infelicissimus quidam Felix in Gallias & Germaniam invexerat. Quisquis igitur de Christi, vel Sanctorum imaginibus aliter senserit, vis, Christo & Sanctis injurius cum Valdensibus pestiferam hæreseos labem se noverit incurrisse. (Cap. 14. *De Veneratione sacrarum imaginum.*)

Et ut nihil sine discretione in Ecclesia Dei fiat, expediens & rationabile visum est, propter lascivas imagines, & veritati Scripturæ non convenientes, si in posterum, præcedente Episcopi, aut commissi ejus judicio & visitatione, imagines in Ecclesiis collocentur.

Ex multorum fida relatione didicimus, simplicem populum aliquando levi assertione miraculorum ad unum & alterum locum populariter concurrisse, candelas & alia vota obtulisse. Ut igitur credulæ simplicitati nobis commissæ plebis consulamus, & novis impudentibusque hominum mente corruptorum ad quæstum occasionibus obviamus; sacro approbante provinciali Concilio, districte prohibemus, ne quis posthac miraculum de novo factum prædicet; neve, intra aut extra Ecclesiam, titulum, capellam, aut altare prætextu novi miraculi erigat, aut populi concursum in miraculi gratiam & venerationem recipiat, nisi prius loci Episcopus de negotio quid sentiendum tenendumque sit, causa cognita decreverit. (Cap. 40. *de Imaginibus in Ecclesia collocandis.*)

Cum seditionum rabie, & bellorum vi & injuria jam ab aliquot annis multæ Sanctorum reliquiæ combustæ, aliæ dejectæ fuerint, nonnulli etiam, avaritia, aut alio turpi quæstu invitati, aliunde ossa desumpserint, quæ Sanctorum esse reliquias ementiuntur; hæc Synodus ad tollendam omnem idololatriæ speciem & occasionem, ne quid, reliquiarum nomine, nisi adhibita diligenti cognitione & consultatione, juxta canonicas sanctiones, populo noviter colendum exhibeatur, sub anathematis pœna prohibet.

Et si quæ a dictis annis fuerunt proposita, a conspectu hominum auferri & recludi jubet, donec Episcopus illa vera esse Sanctorum judicaverit; fuerit quippe sanctitati magis adversari certum est, impurorum & scelestorum ossa aliqua honore colere, quam veras Sanctorum reliquias debita veneratione carere.

Abusum præterea qui sicut uti in omnibus fere parochialibus Ecclesiis invaluit, ut mulieres locis quibus populo colendæ reliquiæ proponuntur, assideant, tollentes: parochiarum Ecclesiarum rectoribus mandamus atque præcipimus, ut nullos in dictis locis qui solis viris, potissimum in sublimitate & honore consistentes destinati sunt, sedere patiantur.

Ne sanctæ crucis signum, Sanctorumque imagines in locis sordidis, aut ubi pedibus atteri & conculcari possint, neve quid in templis, Scripturarum veritati, aut probatis historiis ecclesiasticis contrarium sculpatur aut pingatur, quam districtissime prohibemus, ne quod ab omnibus summa est habendum in honore, hoc modo vilescat; fore enim quisque debet imaginis corpus, corporisve statum habitum ad sui prototypi dignitatem & sanctitatem esse accommodandum, ut ex imaginis inspectione excitetur pietas, non vero turpi cogitationi detur locus.

Propterea sacro Concilio œcumenico Constantinopolitano, & postremo generali inhærendo nullas imagines aut picturas, mentis corruptrices, & ad turpes voluptates invitatrices fieri sancimus, ne illas ab Episcopis non approbatas in suis Ecclesiis collocari, vel populo proponi prorsus sustineant, & si quæ sunt dudum in templis perpositæ quæ risum potius quam devotionem moveant Episcopi & visitatorum diligentia deponantur.

Optamus etiam, atque jubemus nullos deinceps ulios vel statuas vel picturas, quocumque consuetudinis aut juris prætextu, altaribus apponi, quam Sanctorum ab Ecclesia receptarum; quod si quæ viventium aut mortuorum hominum exhibenda sint, eo statuendas loco decernimus, ubi nullam incautæ plebeculæ idololatriæ causam præbere possint. (Concilium Turonense, an. 1583. tit. 11. *de Festor. Cultu, Veneratione Reliquiarum, & Imaginibus.*)

Honoramus reliquias Martyrum, ut Deum cujus servi sunt, adoremus; honoramus servos, ut honor servorum redundet in Dominum. Si enim ossa Martyrum pollutum contingentes, quomodo Elisæus propheta mortuus mortuum suscitavit? Ad honorem ergo reliquiarum retinendum, hæc de illis vult servari sancta Synodus. (Concil. Bituricense, an. 1584. tit. 10. *de Reliquiis Sanctorum, & aliis Festis.*)

Curent Episcopi, ut reliquiarum honor populo Dei prædicetur. (Can. 1.)

Reliquiæ non ostendantur extra capsam, nisi ex solemni more & ritu alicujus Ecclesiæ id fiat; sed cum honore & reverentia serventur. (Can. 2.)

Non transferantur Sanctorum reliquiæ sine auctoritate summi Pontificis, vel Episcopi, vel Concilii. (Can. 3.)

Si quæ Sanctorum reliquiæ suis capsis spoliatæ aut injuria temporum restitutæ non sint, novis vasculis & capsis recludantur & benedicantur; nec temere recipiantur, sed approbentur auctoritate summi Pontificis, aut Episcopi loci, qui juxta decretum Concilii Tridentini easdem prius agnoscat; si quæ in domibus privatis sine auctoritate Episcopi ad Ecclesiam reducantur. (Can. 4.)

Ab ecclesiasticis personis deportentur in supplicationibus publicis, non a laicis, nisi forte ex antiqua, aut laudabili consuetudine Ecclesiarum & locorum id illis concessum sit. (Can. 5.)

In imaginibus non materiam, sed imagine repræsentatam veneramur, imaginis honorem ad prototypum referentes; ad hoc enim serpentem æneum, non ad derogationem Moyses erexit. Colendæ ergo sunt imagines, non quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod in eis fiducia sit constituenda, ut olim fiebat a gentibus quæ in idolis spem suam collocabant, sed quoniam honor qui illis exhibetur, ad Deum & Sanctos refertur. (Tit. 2. *de Imaginibus.*)

Qui venerandas imagines idola esse dixerit, aut Christianos honorem imaginibus exhibentes in idololatriam incidere, anathema sit. (Can. 1.)

Episcopi, & qui verbum Dei prædicant, imaginum honorem juxta doctrinam sacrorum Conciliorum, & Ecclesiæ Catholicæ, sedulo doceant, populumque moneant, ut iis præter ritum Ecclesiæ institutum utantur. Benedicant autem Episcopi novas imagines, priusquam in Ecclesiis reci-

cipiantur, & nemo imaginem ponere audeat nisi ab Episcopo probatam. (Can. 2.)

Fracta autem imagines, mutilata, aut vetustate vitiata in sacrario reponantur, nunc, si fieri potest, reficiantur, ac restituantur. (Can. 3.)

Si quis pravus aut corruptus usus adhuc in populo circa cultum imaginum viget, curent Episcopi, ut omnino tollatur. (Can. 4.)

1. *Non parva in proponendis reliquiis, summo Christianorum dolore & scandalo, in dies, fraudes agnoscuntur. Singulas itaque diœceses suæ reliquias viris specitatæ integritatis & doctrinæ, prudentiaque conspicuis visitandas notandasque quamprimum Episcopi committant; earumque nomina, numerumque amplissimis testimoniis obsignatum libro in episcopali archivio asservando, adscribi curent; nullasque deinceps quas ipsi, præmissa sollicita inquisitione, non approbaverint, populo venerandas proponi sinant.*

2. *In Ecclesiis, loco honesto, binisque saltem clavibus occluso reliquiæ custodiantur. Harum clavium alterum habebit parochus, ædituus seu operariis alteram concedatur.*

3. *Appensa vel affixa singulis Ecclesiis tabella reliquiarum omnium nomina publice descripta proponantur. Hæ vero nuda passim populo non ostendantur; nusquam a laicis tangantur, nec ab iisdem in supplicationibus publicis deferantur.*

4. *Reliquiis assidere mulieres Episcopi non permittant.*

5. *Humi, aut sordidis in locis nec sanctissimæ crucis signum, nec veneranda Sanctorum imagines depingantur.*

6. *Apocrypha ethnicave templorum parietibus historia nulla appingantur, nec ulla tapetia, obscœnitatis speciem præseferentia apponantur. Absurdum enim est, impietatis, peccandique materiam ab iis rebus accipi, quæ ad pietatem pœnitentiamque excitandam sanctissime a Patribus fuerunt instituta.*

7. *Indecore non vestiantur, ornenturve imagines. Quæ vero aut rimis, aut fracta, aut vetustate consumpta aliqua parte fuerint, ea, si fieri possit, reficiantur; sin minus, sacraria recondantur.* (Concilium Tolosanum, an. 1590. cap. 11. *de Reliquiis & Sanctorum Imaginibus.*)

Imagines quæ rudium & imperitorum libri sunt, in Ecclesiis, prout semper probavit Ecclesia, asserventur; quibus honorem & reverentiam impertiendam docent Patres sancti; quas tamen in Ecclesia obscœnis figuris depictas, figmenta poetarum repræsentantes, aut alias indecentes non admittant Episcopi, ne in eis videre populus illorum imaginem, quarum lectio fidelibus est interdicta.

De novo non ponantur, aut depingantur pro Ecclesiis & piis locis imagines sine Episcopi aut vicarii generalis consensu, qui videant diligenter, ne quid apocryphum aut superstitiosum depingendum approbent.

Mutilas & semi [illegible] *imagines, aut quæ ad pietatis, vel Dei cultum non* [illegible] (Concilium [illegible]) cap. 7. *de imaginibus.*)

SANCTUARIUM est Ecclesiæ p[illegible] positum est, ubi sanctum Sacramentum [illegible] quæ ire ambitum clathrato septo ad [illegible] clusum continet. Occurrunt in Conciliis super sanctuario statuta plura.

Quod non oporteat mulieres ingredi ad altare, nec ea contingere, quæ virorum officiis deputata sunt. (Concil. Laodicenum, can. 44 & 36.)

Quod non oporteat presbyteros ante processionem Episcopi introire sacrarium & sedere; sed cum Episcopo debent ingredi, vel in subselliis sedere; nisi forsitan infirmitate detineantur, aut proficiscatur Episcopus.

Item placuit, ut intra sanctuarium altaris ingredi ad communicandum non liceat laicis, viris vel mulieribus, nisi tantum clericis, sicut & antiquis canonibus statutum est. (Concilium Bracarense, an. 561. can. 13.)

Quod non oporteat ingredi mulieres ad altare. (Concil. Aquisgranense, an. 816. can. 82.)

Quidam nostrorum virorum veterum relatu, quidam etiam visu didicimus, in quibusdam provinciis; contra legem divinam canonicamque institutionem, feminas sanctis altaribus se ultro ingerere, sacrataque vasa impudenter contingere, & indumenta sacerdotalia presbyteris administrare; & quod his majus, indecentius, ineptiusque est, Corpus & Sanguinem Domini populis porrigere, & alia quoque quæ ipso dictu turpia sunt, exercere. Miranda sane res est, unde ie illicitus in christianam Religionem irrepserit usus: ut quod viris sæcularibus illicitum est, feminæ quarum sexui nullatenus competit, aliquando contra fas sibi licitum facere potuerint; quod quorumdam Episcoporum incuria & negligentia provenisse nulli dubium est... quod autem mulieres ingredi ad altare non debeant, & in Concilio Laodiceno, capitulo 44. & in decretis Gelasii Papæ, titulo 26. copiose invenitur. Hoc ergo tam illicitum factum, quia ex toto a Religione christiana abhorret, ne ulterius fiat, inhibendum est. Proinde unusquisque Episcoporum solerter sagaciterque provideat, ne in sua parochia tale quid fieri deinceps sinant. (Concilium Parisiense, an. 829. can. 45.)

Perspicitur ex his canonibus, quantum laicos, & potissimum feminas dedeceat in sanctuaria nostra pedem inferre, & nonnunquam ad usque nostrorum altarium gradus ascendere, cum eorum omnium scandalo qui Religionem agnoscunt, quique eam reverentur. *Quære* CHORUS.

SANCTUS, Missæ pars quæ Præfationem excipit, quæque jam usui in Ecclesia erat, Tertulliani tempore, ut ex ejus de Prece Tractatu constat. *Sanctus* ergo laudis & gloriæ canticum est, per quod Ecclesia militans in communionem cum cælestibus spiritibus ingreditur, qui hanc divinam psalmodiam ad Majestatis Altissimi solium canere nunquam desinunt.

Placuit etiam nobis, ut..., in omnibus Missis, seu in matutinis, seu in quadragesimalibus, seu in illis quæ pro defunctorum commemoratione fiunt, semper Sanctus, Sanctus, Sanctus, *eo ordine, quomodo ad Missas publicas dicitur, dici debeat; quia tam sancta & tam dulcis & desiderabilis vox, etiamsi die noctuque possit dici, fastidium non possit generare.* (Concilium Vasionense, an. 529. can. 3.)

Ut ad Missam Sanctus *stantes, &* Pater noster *genu flectentes dicant.* (Concil. Aquisgranense, an. 817. can. 74.)

SCHISMA. Vox hæc quæ græca est, divisionem, separationem, fractionem, dissociationem, generatim, significat; & in communi usu actionem innuit, per quam christianus ab Ecclesiæ unitate se ultro segregat, quatenus hæc unitas, seu Ecclesiæ membrorum mutua inter se, seu eorumdem cum universali & supremo capite, communicatione continetur. Quamobrem schisma quispiam trifariam patrare potest; ut scilicet, 1. se a supremo capite separet, quamvis haud aperte se a membris sejungat, ut in eo contingit, qui pseudopapam seu anti-papam instituit aut sequitur, vel ipsum papatum usurpat; 2. se ab Ecclesiæ membris separet, quæ cum Papa communicat, etsi non aperte se a Papa segreget, ut accidit, cum se a suo quispiam Episcopo, vel ab aliquibus aliis fidelibus Papæ unitis dividit; 3. se aperte a Papa, eidemque unitis membris disjungat, quod faciunt Protestantes. Schisma est magni momenti crimen, quia Ecclesiæ unitatem abrumpit; schismaticique excommunicati, ordinibusque licite conferendis, atque ac beneficiis valide tribuendis & recipiendis inepti sunt.

Non oportet cum hæreticis, vel schismaticis orare. Concilium Laodicenum, can. 33.)

Item placuit, ut filii, vel filiæ Episcoporum, vel quorumlibet clericorum gentilibus, vel hæreticis, aut schismaticis matrimonio non jungantur. (Concilium Carthaginense, an. 397. can. 12.)

Divina manifeste clamante Scriptura: Ante examinationem ne vituperes, & intellige primum, & tunc increpa; *& nunquid lex nostra judicat hominem, nisi prius audierit ab eo, & cognoverit, quid faciat? Juste & congruenter hæc sancta universalis synodus definivit & statuit, quod nullus laicorum, vel monachorum, aut aliquis ex catalogo clericorum, ante diligentem examinationem & synodicam sententiam, a communione se separet proprii patriarchæ, licet criminalem quamlibet causam ejus se nosse prætendat, sed neque renuat nomen ipsius referre inter divina mysteria, vel officia. Similiter autem Episcopos & presbyteros qui in exterioribus civitatibus & regionibus sunt, erga proprios metropolitas affectare mandamus; quod etiam circa Patriarcham suum quæque metropolitas oportet. Si vero quis adversus hanc sententiam synodum deprehensus fuerit agere, siquidem Episcopus, aut clericus est, ab omni sacerdotali operatione decidat & honore, monachus autem & laicus segregetur ab omni ecclesiastica communione atque collegio, quousque conversus per pœnitentiam recipiatur.* (Concilium generale Constantinopolitanum, an. 870. can. 10.)

Illud etiam quod a prædecessore nostro Papa Innocentio statutum est, innovantes, ordinationes factas a filio Petri Leonis, & aliis schismaticis & hæreticis, evacuamus, & irritas esse censemus. (Concilium Remense, an. 1148. can. 17.)

Hoc in canone loquitur summus Pontifex Eugenius III. qui Remensi Concilio præerat. Utrum id est animadvertendum, cum ab eo nullæ declarantur ordinationes a schismaticis & hæreticis editæ, id solummodo de susceptorum ordinum exercitatione, vel de sanctarum functionum quæ eorumdem ordinum vi obitæ fuerint,

fuerint, legitimitate intelligi posse, minime vero de ordinationis substantia ipsa, perinde ac si esset intrinsece nulla, quique a schismaticis aut hæreticis ordinati sunt: ordinis nec characterem nec potestatem susciperent, quandoquidem certum est eos hæreticos, eosque schismaticos ordinatores, siquidem valide ipsi ordinati fuerint, valide, licet illicite ordines conferre, eosque quibus ordines conferunt, characterem & potestatem ordinis vere recipere, nisi forte in ordinationis materia vel forma essentialis aliquis defectus intersit.

SCHOLA. Nomen hoc quod usus ad parvas scholas parvulis utriusque sexus instituendis addictas redegit, omnibus olim publicis locis tribuebatur in quibus eminentes humilesque & infimæ scientiæ docebantur. Ita suæ quondam erant ethnicis, judæis & christianis scholæ in quibus peculiares scientiæ quas singuli colebant, tradebantur. Prima Christifidelium schola, in Græca quidem Ecclesia, Alexandrina fuit, quam S. Marcus instituisse creditur, & in qua non divinas solum litteras, sed mathematicas etiam scientias & philosophiam Origenes docuit. Scholæ Edessena, Cæsariensis, Antiochena, Laodicena, Nisibisna in Syria, Constantinopolitana, celebres & ipsæ extiterunt. In Occidente, scholæ Romana, Carthaginensis, Pictaviensis, Arelatensis, Aurelianensis, Parisiensis inter alias præstitere. Suas quoque scholas habuere monasteria, itemque episcopales ædes, regumque palatia; hinc *schola palatii*, quam Alcuinus, Caroli Magni præceptor cum Alexandrina comparabat. Quanti momenti majores minoresve scholæ sint, ignorare nemo potest. Hæ quidem puritatis fidei, sanctitatis morum, publicæ tranquillitatis civiumque felicitatis fons & origo sunt. Hinc editæ tot utiles ab utraque potestate constitutiones, quoad scholas, eosque qui præpositi sunt, ut eas moderentur aut regant.

Oportet etiam, ut sicut dominus Imperator Carolus.... præcepit, scholas constituant, in quibus & litteræ.... & sacræ Scripturæ documenta discantur. (Concilium Cabillonense, an. 813. can. 3.)

Quod collatores scholarum scholas ipsas personis astute, scientia & moribus probatis committant, & liberaliter ac sine exactione concedantur. (Concil. Rothomagense, an. 1445. can. 13.)

Voluit Concilium, ut quis scholarum administrationi præficiatur hac in provincia, publice vel privatim, nisi prius domino Episcopo, seu ejus vicario, aut alii viro ecclesiastico, ad quem jure vel consuetudine institutio pertinet, oblatus fuerit a consulibus, vel iis quorum est offerre; qui eum interroget de vita, moribus, fide & doctrina. Quem oportet litteras habere a judice ordinario loci, ubi alios erudiendæ juventutis provinciam susceperit; quibus se virum bonum esse testetur; neque quisquam, nisi idoneus admittatur; cui exacte præcipitur, ut singulis diebus dominicis & festis ad templum juvenes ducat; orationem dominicam & salutationem angelicam, ut supra, symbolum Apostolorum, confessionem, Salve, Regina, horarias preces beatæ Mariæ, septem psalmos cum litaniis, preces pro defunctis eos doceat; libris profanis in sedibus sacris nec uti nec gestare permittat. Magistris & scholarum rectoribus prohibetur, ne sacræ paginæ libros publico vel privatim interpretari audeant. Quæ omnia in litteris licentiæ a diœcesano concessæ exprimantur, nec pro litteris quibus de se fidem faciunt magistri, quicquam diœcesani, aut quilibet alii accipiant; sed eas gratis concedant. Quod si his exacte non observatis, ad regendas scholas admissi fuerint, & ipsi scholarum rectores, & qui illos admiserint, pœna excommunicationis plectantur. (Concilium Narbonense, an. 1551. can. 56. *De Magistris & Rectoribus Scholarum.*)

Episcopi per suas diœceses, veteres scholas instaurent, & contra occupatores rerum & possessionum quæ ad illas pertinent, procedant per censuras ecclesiasticas, tam in monasteriis & prioratibus, quam in collegiatis & parochialibus Ecclesiis. Et ubi desunt, omnem operam dent, ut aperiantur ad instituendam juventutem in viis Domini & bonis disciplinis. Ad normam autem & regulam seminariorum, quoad fieri poterit, in ipsis docendi methodum introducant, ut in eadem diœcesi omnes scholæ inter se consentiant. Omnes autem dictarum scholarum magistri fidei professionem, juxta formulam præscriptam, in hac synodo insertam, emittere teneantur. (Concilium Rothomagense, an. 1581. tit. *de Scholarum & seminariorum fundatione.*)

Recte olim a quodam hujus sæculi sapiente litteris mandatum est, nihil esse de quo Concilium diuinius iniri possit, quam de recta puerorum institutione. Juventus enim spes est ac soboles reipublicæ; quæ si, dum adhuc tenera est, diligenter excolatur, maximos & miræ suavitatis fructus feret; contra vero, si negligatur, aut nullos aut amarissimos. Quare optima, eaque facillima & maxime compendiaria restituendæ in pristinum statum reipublicæ christianæ ratio est diligens & accurata ac majorum instituti educatio juventutis. Quoniam autem præcipua cura debet haberi, ut puerilis ætas in timore Domini qui totius sapientiæ fons & initium est, nec non bonis & sanctis moribus, ante omnia, imbuatur; inprimis statuimus, ut nullus ad moderandas scholas, vel ad pueros & juvenes erudiendos admittatur, qui de fide & religione catholica male sentiat, hæresisque nomine sit suspectus, & fidei professionem, juxta formulam superius descriptam, non emiserit, vel sit pravis moribus imbutus. Tales enim ut plurimum evadere solent discipuli, quales fuerant ipsorum magistri.

A scholis christianorum libri non solum impii, verum etiam impuri longe arceantur. Auctorum tantum probatorum libri qui faciant ad solidam eruditionem & bonos mores, in scholis prælegantur, diligenterque & perspicue explicentur.

Præceptores, singulis diebus festis, de iis quæ ad religionem & bonos mores pertinent, aliquid ex christianis & catholicis auctoribus, præcipue vero ex catechismo Tridentino pueris proponant; eosque verbo pariter & exemplo hortentur, ut sacris Ecclesiæ ministeriis, verbi divini prædicationi, officioque divino, tum matutino, tum vespertino, diligenter & magna cum animi attentione & modestia intersint.

Providendum est omnique ratione efficiendum christianis atque catholicis, ut in singulis parochiis, vel saltem in celebrioribus pagis, constituatur ludi magister qui simul cum grammatica pueros ea doceat quæ spectant ad religionem, cujusmodi sunt articuli fidei, præcepta divina, oratio dominica, sacri hymni & psalmi, aliaque generis ejusdem. (Concilium Burdigalense, an. 1583. tit. 27. *de Scholis.*)

Id curet Episcopus, ut in singulis diœcesis suæ oppidis & vicis, doctrinæ christianæ sodalitates & scholæ quamprimum instituantur tum marium tum feminarum. (Concilium Aquisextiense, an. 1585. tit. *de Fidei rudimentis & scholis.*)

Constitutionem hanc quæ puerorum scholas a viris, puellarum autem a feminis habitas vult, sequuntur diœceseon pleræque, & quidem aliquæ, excommunicationis pœna in eos indicta qui secus egerint.

Declarationis diei 13. Decembris an. 1698. articulus IX. institutos, quoad fieri poterit, magistros & magistras vult, in omnibus parœciis, ubi non aderunt, qui omnes pueros, eosque nominatim edoceant, quorum parentes religionem quam reformatam dictitant, profiteurer. Quibus in locis aliis in id fundi non aderunt, omnino libræ centum quinquaginta in annos singulos ad magistros, & libræ centum ad magistras incolis universim omnibus imponentur. Magistros & magistras examinandi, approbandi & instituendi jus ad Episcopos, parochos aliasque ecclesiasticas personas pertinet, quibus illud locorum leges & consuetudines tribuunt.

Per ejusdem declarationis articulum X. jubentur patres, matres, tutores, &c. quoad ætatis annos quatuordecim nati fuerint, ad scholas & catechismos mittere, & nominatim eos quorum parentes religionem quam reformatam dictitant, professi sunt; & quidem in mulctæ pœnam. Hunc articulum confirmarunt subsecutæ declarationes duæ, una quidem diei 16. Octobris an. 1700. altera vero diei 14. Maji an. 1724. Posterioris hujus declarationis articulus VII. his verbis conceptus est: „ Injungimus omnibus patribus, matribus, tutoribus aliisque personis quibus demandata est puerorum educatio, eorumque nominatim quorum patres aut matres religioni jactatæ reformatæ nomen dederunt, quive religionariis parentibus nati sunt, ut eos ad scholas & catechismos mittant, ad quatuordecim annorum ætatem usque, atque adeo deinceps, ad usque vicesimum ætatis annum, ad institutiones quæ dominicis & festis diebus habentur; nisi iidem forte ea conditione sint, ut possint ac debeant eos apud se educandos curare, vel ad collegium mittere, vel in monasteriis aut communitatibus regularibus collocare. Parochis injungimus, ut super institutione dictorum puerorum suis in parœciis peculiari sollicitudine invigilent, quoad eos quoque qui non ad scholas ibunt. Hortamur, nihiloque minus jubemus Archiepiscopos & Episcopos de his sedulo inquirere; parentibus aliisque qui eorum educationi præsunt, & peculiariter iis qui natalibus & muneribus præstant, in mandatis damus, ut, quos apud se detinent, pueros ad Archiepiscopos aut Episcopos, ita in suarum visitationum cursu præcipientes deferant, institutionis rationem reddituros, quam super Religione perceperint; nostrisque & dominorum supre-

„ mum

„ mum jus exercentium judicibus, & procuratoribus, „ ut nullam non diligentem, perquisitionem, mandatumque necessarium ad nostræ quoad caput hoc voluntatis executionem edant, eos qui satis ei facere „ neglexerint, aut qui eo temeritatis devenerint, ut „ eamdem, quacumque demum ratione, violent, per „ mulctarum damnationes puniant, quas sequetur iu „ provisionis modum executio, appellatione non obstante, ad quascunque summas ascendere possint. “

Articulus VIII. Ut magis magisque præcedentis articuli executionem in tuto ponamus, volumus, ut nostri dominorumque jurisdicentium procuratores ad se per parochos, vicarios, scholarum magistros & magistras, aliosve ad hanc curam ab iis designatos, accuratum omnium puerorum indicem, qui scholis, catechesis & institutionibus deerunt, cum eorum nominibus, ætate, sexu, eorumdemque parentum nominibus, singulis mensibus, remitti jubeant, agendi deinde causa, prout opus erit, in parentes, tutores aut curatores, aliosve puerorum educationi præpositos, & cordi habeant, in sua quisque ditione, generalibus procuratoribus nostris diligentiæ rationem reddere, quam quoad caput hoc adhibuerint, mandata & documenta quæ res postulabit, ab iis suscepturi.

SCHOLARITAS. Designatur *Scholaritatis* vocabulo facultas quæ scholaribus suppetit, suas ut personales causas ad suorum privilegiorum conservatorem revocent. *Quare* UNIVERSITATES.

SCHOLASTICUS, SCHOLÆ MAGISTER. Id nominis, suapte vi, eum significat cui jus aliquod, inspectio aliqua, aliqua functio quoad scholas est. Sunt ergo duorum generum scholastici distinguendi; alii in publicas scholas aliquo jurisdictionis titulo ac jure gaudent; alii docent ipsi. Sæpe fit in Conciliis de utrisque mentio.

In his quos voluntas parentum a primis infantia annis clericatus officio manciparit, statuimus observandum, ut mox cum detonsi vel ministerio electorum contraditi fuerint, in domo Ecclesiæ sub episcopali præsentia a præposito sibi debeant erudiri. (Concilium Toletanum, an. 531. can. 1.)

Prona est omnis ætas ab adolescentia in malum; ob hoc constituendum oportuit, ut, si qui in clero puberes aut adolescentes existunt, omnes in uno conclavi atrii commorentur; ut lubricæ ætatis annos non in luxuria, sed in disciplinis ecclesiasticis agant deputati probatissimo seniori quem magistrum doctrinæ & testem vitæ habeant. (IV. Concilium Toletanum, an. 633. can. 24.)

Cernitur hoc in canone magister ad juventutis institutionem præpositus, qui non est alius quam magister scholæ, dictus etiam deinde primicerius, capischolius, dominus scholæ, scholasticus &c.

De cætero officia vel dignitates illa quæ scholastriæ dicuntur, nonnisi doctoribus, vel magistris, aut licentiatis in sacra pagina, aut in jure canonico, aut aliis personis idoneis, & qui per se ipsos, id munus explere possint, conferantur, & aliter facta provisio nulla sit & invalida. (Concilium Tridentinum, sess. 23. *de Reform.* cap. 18.)

Scholastici sunt dignitates in Gallicana Ecclesia, gradumque theologali præbendæ superiorem obtinent. Instituti non sunt, ut ipsi doceant; superioritate solum summaque præfectura scholarum gaudent. Vulgo institutionis & jurisdictionis omni jure pollent in urbanos scholæ magistros, iis exceptis qui, parochis mandantibus, in parochialibus charitatis scholis artem suam profitentur. Ita judicatum in Parlamento Parisiensi. die 23. Januarii an. 1680. pro Ambianensi scholastico, contra ejus urbis ædiles; contraque eumdem scholasticum, in Ambianensium parochorum favorem. (Monumenta Cleri, Tom. I. pagin. 999. & seq.)

Debet scholasticus permissionis litteras quas dat ad habendas scholas, gratis concedere. (*Ibid.* pagin. 1010, 1020. 1021.)

SCRIPTURA SACRA. Est hæc Dei verbum, eo inspirante scriptum, & in veteris novique Testamentorum libris contentum. Sacræ Scripturæ librorum catalogos edidere Concilia plura. Unum contexuit Laodicena synodus quarto sæculo; idem præstitit an. 397. Carthaginense Concilium in suo quadragesimo septimo canone qui in Ecclesiis quicpiam aliud legi vetat, præter quam Acta Martyrum, festo ipsorum die. Concilium quoque an. 494. Romæ habitum edidit sacrorum librorum catalogum, eique super apocryphis decretum addidit. Vulgo decretum hoc Papæ Gelasio tribuitur, Romanique Concilii catalogus est ei similis quem Tridentina synodus protulit, nisi quod in Romano Concilio unus tantum Machabæorum liber notatur, fortasse quia tunc erat ex duobus unus. Occurrunt etiam in Conciliis peculiares alii super sacra Scriptura canones.

Si quis dixerit, vel crediderit alias Scripturas, præter quas Ecclesia Catholica recipit, in auctoritate habendas, vel esse venerandas, anathema sit. (I. Concilium Toletanum, an. 400. *de Regula Fidei.*)

Quod oporteat eos qui præsunt Ecclesiis, in omnibus quidem diebus, sed præcipue dominicis, omnem clerum & populum docere pietatis & rectæ religionis eloquentia, ex divina Scriptura colligentes intelligentiæ & judicia veritatis, & non transgredientes jam positos terminos, vel divinorum Patrum traditionem. Sed & si ad Scripturam pertinens controversia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quam quomodo Ecclesiæ luminaria & doctores suis scriptis exposuerunt. Concilium *in Trullo*, an. 690. can. 19.)

Canon hic longe maximi momenti est, tum ut statuatur obligatio cui pastores subsunt, ut suæ curæ concreditos populos doceant, tum ut probetur necessitas in quos iidem sunt, ut sacram Scripturam non e proprio sensu suisque privatis notionibus, sed e mente sententiaque unanimi Patrum, eorum scilicet Ecclesiæ luminum, explicent. Proh! quis reapse nescit e privato demum spiritu, contemptuque Traditionis Patrum & Doctorum Ecclesiæ, omnes ad unum errores omnibus temporibus prodiisse? Hinc ea ad sapientiam exacta regula quam Pius Papa IV. in fidei professione præscribit: *Sacram Scripturam nunquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam & interpretabor.*

Nunquam a manibus eorum (ecclesiasticorum) liber legis, hoc est, Biblia, deponatur. Nam ut quæ legunt, & canunt, discant intelligere, tota vita vix sufficeret. (Concilium Coloniense, an. 1536. Part. II. can. 5.)

Præterea ad coercenda petulantia ingenia, decernit, ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi hujusmodi nullo tempore in lucem edenda forent. (Concilium Tridentinum, sess. XIV. Decret. *de Canonic. Scriptur.*)

Idem Concilium mandat, ut fiat sacræ Scripturæ lectio; 1. in omnibus cathedralibus & collegiatis ecclesiis, a theologo cui, in hunc finem, præbendæ reditus addicetur; 2. in monachorum monasteriis, ab idoneis viris qui ab abbate vel a capitulo selecti fuerint; 3. publicis in collegiis.

Hanc Tridentini Concilii constitutionem adoptarunt subsecuta Concilia, Bituricense, an. 1584. Avenionense, an. 1594. &c.

Non liceat cuiquam verba & sententias sacræ Scripturæ ad scurrilia, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, & diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos famosos, & alias ejusmodi impietates usurpare. (Concilium Bituricense, an. 1584. tit. *de Abusu Scriptur.* can. 3.)

In bonorum Operum numero, quæ egerunt de divinitate sacræ Scripturæ, poni potest illud cui titulus: *Revelationis sinceri primitivi, seu, super autographo sanctorum veteris Testamenti Librorum Textu, critica Animadversiones; in quibus ostenduntur emolumenta quæ Religio & Litteræ ex nova hujus Textus cum manuscriptis hebraicis Codicibus, græcisque, latinis & orientalibus antiquis Versionibus collati proposita editione percipere possunt. Auctore* R. P. Gabriele Fabricio, *a Fratrum Prædicatorum Ordine, Doctore Theologo Casanatensi, Academiæ Arcadum Romæ Socio*, Romæ, an. MDCCLXXII.

Auctoris is scopus est, ut hebraici sanctorum veteris Testamenti Librorum autographi textus puritatem & integritatem essentiales, hoc est, quoad dogma & moralem disciplinam ostendat. Ut ad hunc scopum perveniat, suumque consilium perficiat, incipit auctor a suo sermone qui proœmii loco est, secaturque in capita duo. Statuit in primo divinæ Revelationis necessitatem; agit in secundo de primitivorum titulorum authenticitatis & veritatis characteribus qui ejusdem revelationis existentiam evincunt. Hos porro characteres, has notas in Judæorum libris comperit, iis scilicet libris quorum antiquitatem & authenticitatem testatur omnium universi terrarum orbis populorum constans traditio, per veritates, etsi corruptas, quas ab iis ex his fontibus haustas fuisse evidens est; iis libris quos innumeri veteres, etiam profani scriptores, Phœnices, Ægyptii, Græci, Mosi Judaicæ nationis legislatori, ex parte, tribuerunt; iis libris quos omnes Judæi, ante omnem memoriam, tamquam sacros & divinitus inspiratos spectarunt, quamvis iisdem sobestent

ratio-

rationum momenta, cur eos rejicerent, quoniam eorum ingrati animi, oblocutionum, perduellionis, cæterorumque omnium in Deum criminum historiam continent; iis libris quos magnanimi Machabæi contra impii Regis furores, qui eos delere volebat, tam gloriose propugnarunt, tutatique sunt; iis libris quos Zorobabel, Esdras & Nehemias, sub quibus secundum templum restitutum fuit, facti sunt in sacerdotum & levitarum, ipsiusque populi manu, quicquid contra dicere philosophi possint, qui nihil intentatum reliquerunt, nullumque non lapidem moverunt, ut facta hæc certa extraque omnem dubitationis aleam posita inobscurarent implicarentque; iis libris qui, a Mosis tempore, ad templi, sub Tito, ruinam usque, religiose in sanctuario servati fuere; iis libris quos semper Judæi, ne schismaticis quidem tribubus decem exceptis, suis etiam in mediis prævaricationibus & perduellionibus, singulari veneratione prosecuti sunt; iis denique libris quibus hodierni Judæi, per totum licet terrarum orbem dispersi, tam firmiter & mordicus adhærent, ut se potius dilaniandos tradere, quam eorum divinitatem inficiari parati sint. Judæorum historia nihil est aliud quam fabula, si libri quos eorum legislatori, tamquam eidem a Deo inspiratos ea tribuit, iique qui ab iis necessario pendent, divini reapse libri non sunt; quod si Judæorum historia fabulosa est, ejusmodi non minus est vetus omnis & recentior historia. His animadversionibus positis, trahit hinc auctor consecutiones quæ sequuntur.

I.

Cum alius nunquam seu civilis seu religiosus codex Judæis fuerit quam Mosis lex, hæc ipsa lex æque vetus esse debet atque eorum respublica.

II.

Judæi omnium temporum omniumque nationum tam suæ religioni addicti esse non potuerunt, quam fuere & adhuc sunt, quin suum legislatorem, auctoremque librorum quibus hæc ipsa religio omnino nititur, Mosem fuisse semper crediderint.

III.

Vetus hæc Judæorum persuasio æque saltem solida & firma est ac Romanorum erat qui sibi pro legislatore Numam Pompilium habebant.

IV.

Fieri omnino non potest, ut ulla statuatur epocha, e qua Hebræus populus prorsus Mosis libros oblivisci, pariterque potuerit, ut iidem vel minimam essentialem mutationem subirent.

V.

Nullum profanum scriptum est cui tam certæ quam Mosis Pentateucho, authenticitatis probationes suppetant. Hujus libri natura, gustus quasique sapor qui in eodem ubique viget ac dominatur, candida, permovens, simplex simulque nobilis, elevata sublimisque ratio qua ibidem res gestæ referuntur, Jesu Christi & Apostolorum auctoritas, unanimis Judæorum & Christianorum consensus, publica sollicitudo quam utrique ad hunc sacrum librum servandum conferre debuerunt, ethnicorum scriptorum testimonia; hæc omnia suis omnibus expletam partibus demonstrationem conficiunt Moysem, prorsus ut sacra nobis historia testatur, extitisse, librorumque qui eidem ex annis amplius ter mille tribuuntur, auctorem esse. Mosis ergo & Pentateuchi antiquitas omnino explorata ac certa est, perinde ac Judæorum legislatio, constanti traditione nixa, publicis monumentis devincta, continuo per usus, ritusque sacros a primis temporibus instituta, & sine intermissione perpetuatos, cum rationum momentis quæ iis occasionem præbuerunt, exhibita & instaurata. Hæc præterea legislatio, hæc religio Judæorum, divinitasque librorum qui eas continent, cum eorum politica constitutione ad amussim congruere, eodemque recidere comperiuntur; atque, ad negandum Judaicam nationem privilegiatam nationem fuisse quacum Deus omnino singulare fœdus iniit, quamque rexit ipse moderatusque est, tribuens eidem leges, sacrificia, cæremonias, festa, per Mosis divinitus inspirati ministerium, omni etiam necessitate negetur, oporteret, eam unquam extitisse.

Id etiam Mosis inspirationem ejusque librorum divinitatem invicte probat, quod Hebræorum historia quam ipse contexuit, proprie nihil est aliud quam Dei erga eos illustrium beneficiorum, ingratique eorumdem in Deum animi, eorum improbitatum, eorum indocilitatis, eorum idololatriæ, tam denique ad ignominiam ac dedecus gravium longe plurimorum criminum, quæque maxime formidanda punitiones in eos traxerunt, historia. Jam vero, si Mosis libri non nisi humanis scripta essent, nonne supra omnem captum inter omnia phenomena maximum esset universæ nationis spectaculum, quæ vel cum vitæ dispendio semper propugnavit & adhuc propugnat eorumdem librorum divinitatem, qui eam apud totum terrarum orbem dedecorant, perpetuantes ejusdem flagitia cum ignominia quæ ab iisdem sejungi nequit, publicasque vindictas quas ex iis Dominus tam sæpe sumpsit? Existitne in natura hæc agendi ratio? Ejusne exempla suppeditat profana historia?

Post has adeo rationi consonas & ejusmodi plures alias animadversiones, auctor ad operis divisionem accedit, quod partitur in magnas Epochas quatuor, quæ peculiaria totidem Monumenta conficiunt.

Dicendi sumit initium, in Monumento primo, a communibus nonnullis notionibus universim receptis, ut aliquorum pseudo-criticorum oppositiones & hypotheses antevertat, ostenditque deinde hebraicum textum in sua omni, saltem essentiali integritate, sub Mosaica œconomia perstitisse.

Monumentum alterum super eodem argumento versatur, a Christi Domini adventu ad Origenis tempus usque.

Epocha tertia, seu Monumentum tertium complectitur temporum periodum quæ post Origenem ad usque decimum sextum Ecclesiæ sæculum effluxerunt. Christianorum super autographis nostrorum sanctorum codicum textibus labores auctor in hoc Monumento persequitur. Labores hi conficiunt traditionis veluti catenam quamdam quæ ad Apostolorum usque tempus assurgit. Gradum deinde facit ad emolumenta quæ religio & bona studia ex iis omnibus laboribus perceperunt, longamque sectionem impendit ad hebraicarum Scripturarum integritatem puritatemque firmandam per Judæorum labores, ab eversæ Jerosolymæ Epocha ad hæc usque tempora.

Redit auctor ad Christifidelium labores in Epocha quarta, tum ad litterarias disputationes progreditur, quæ inter decimi septimi & decimi octavi sæculorum præcipuos critices peritos viros super hoc argumento subortæ sunt. Æstimat æqua lance recentiorum labores, & emolumenta profert quæ ex iis religio & litteræ perceperunt. Id etiam ostendit eos omnes labores æque ac disputationes quibus iidem occasionem attulerunt, ad primitivorum nostrorum revelationis titulorum integritatem perinde atque authenticitatem tite probandas evidenter conspirare, quæcumque cæteroquin criticorum aberrationes extiterint. Demonstrat præterea incredulos & ad licentiam factos homines ejusmodi disputationibus uti non posse, suas ut dubitationes super nostrorum sacrorum codicum puritate & veritate fulciant. Critica hæc omnis discussio veluti proœmii locum est, ut ad novam editionem deveniatur annuntiatam in operis titulo, & ut melius ponderentur D. Benjamin Kennicotti perquisitiones. cujus consilium & ordinem sequitur, quin ejusdem seu emolumenta seu vitia dissimulet. „ Verum. inquit auctor, „ utcunque tandem nova hebraici textus editio quam „ hic doctus vir nobis parat, executionem sortiatur, „ nos quidem demonstramus hebraicæ veritati nihil timendum esse; quin e converso, absolute necessariam judicamus, ad religionis decus, litterarumque „ rationem, ejusmodi collectionem quamprimum confici. Id unum agitur, ut per hebraicorum qui noti „ sunt, manuscriptorum codicum collationem, facti „ veritas palam fiat; quod sane susceptum opus eo „ demum refertur, ut primordialibus revelationis titulis extremum authenticitatis & integritatis veluti „ sigillum apponat . . . . Utique, omnes hi litterarii „ thesauri qui labentibus sæculis feliciter evaserunt, „ omnes ii manuscripti hebraici codices, levibus iis „ foliis similes, quæ tempus abripit & vorat, quæ „ ignorantia proscindit quasique pedibus terit, quæ „ negligentia vermibus & pulveri derelinquit, omnes „ hi thesauri perire, si ita loqui licet, deinceps poterunt. Jacturam hanc, quantumvis ingens gravisque „ foret, editio quæ modo annuntiata est, repararet. „ Emissis in publicam lucem divitiis quas typographia in omne tempus constantes firmasque redderet, nova editio dispendium excidiumque suppleret „ quod eas ocius aut serius manet; easdem hæc a „ temporum injuriis, & ab hominum libidine in toto

„ pone-

„ poneret." Ita quidem auctor in sui preliminaris Sermonis paginis 202. & 203. suam mentem aperit. Suis animadversionibus finem imponit per aliquas super variantibus versionibus regulas quæ sunt veluti peculiarium adnotationum consecutio, quæ disseminatæ occurrunt in ejus Monumentis seu Epochis, adeo religionem afficientibus, ut nos quidem nostrum esse putemus, secundum auctoris viam ac methodum, nostris eas lectoribus compendiarium in modum ob oculos ponere.

Prima Epocha.

De hebraici, sub Mosaica œconomia, Textus integritate.

ID auctor, hac in Epocha, propositum habet, ut probet hebraicum veteris Testamenti textum, sub Mosaica œconomia, purum & integrum perstitisse, videlicet, a Mosis tempore ad Jesum Christum usque, & hæ quidem quas in id affert, probationes sunt.

1. Christus Dominus ejusque Ecclesia Mosaicæ legis finis scopus, & ut Scholæ loquuntur, objectum erant; & lex Mosaica universa nihil erat aliud quam perpetua & generalis figura Christi Domini & ejusdem Ecclesiæ; necesse ergo erat, ut Deus ad futuras stirpes transmitteret hebraicarum Scripturarum corpus in sua omni, quoad essentiam quidem, puritate & integritate; necesse etiam erat, ut illud existeret, Christi Domini tempore, prout e sacrorum auctorum manu prodierat, quo Christiani illud ipsum, tamquam sui cælestis Patris testamentum a Synagoga recipere possent; secus enim Deus suo fini defuisset, dans Christianæ Ecclesiæ quam efformare volebat, Scripturarum corpus essentialiter corruptum, & hac ipsa de causa ad eam decipiendam unice faciens, pro Scripturarum corpore perfecte puro, integro, adeoque ad eam illustrandam, omnibus salutis veritatibus imbuendam, tutoque ad veræ justitiæ regnum ducendam accommodato.

2. Christus Dominus Judæos ad sanctas Scripturas remittere non desinebat, ut ibidem ejus missionis æternæque vitæ probationes nanciscerentur: (Joann. v. 39.) *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Judaicarum ergo Scripturarum corpus, Christi Domini tempore, corruptum non erat, quandoquidem, si tunc corruptum fuisset, dicendum esset Christum Dominum misisse Judæos ad corruptos fontes, ut scirent, quid de eo ejusque missione ac doctrina sentire deberent; quod est absurdum, ut nemo non videt.

3. Quod faciebat Christus Dominus, Judæos ad eorum Scripturas remittens, ut scirent, quid de eo sentire deberent, id faciebant etiam Apostoli; eorum scripta plena sunt allusionum ad veteris Testamenti libros, quos citant adhibentque sæpissime, ut incredulitatem confundant. Ergo in hypothesi corruptionis Scripturarum veteris Testamenti, agendi ratio ab Apostolis inita, qui eas laudant, ad easdemque tam crebro remittunt, non minus absurda quam ea fuisset, quam Dominus ipse Christus inierat.

4. Suam Christus Dominus Ecclesiam instituens, ei solemnem in modum, ad seculorum usque consummationem, se præsto fore promisit, ita scilicet, ut eam veritatis firmam inconcussamque columnam redderet. Ei ergo tribuit, in sua omni puritate, divinorum Scriptorum corpus, quæ ejusdem fidei basis factura erant, quoniam evidens est adulterata corruptaque scripta veritati, aut Ecclesiæ quæ ejus columna est, basis loco esse non posse. Absurdus ergo error est contendere sanctarum Scripturarum hebraicum exemplar, ante Christi Domini adventum, corruptum fuisse; habendumque est indubitati principii loco, Deum non debuisse, nec vero potuisse hanc ejusdem exemplaris corruptionem permittere, sed, contra, ejus incolumitati, sub Mosaica œconomia, efficaciter invigilasse, per ministerium prophetarum, sacerdotum legisque doctorum qui sibi constanter & sine intermissione alii aliis ad usque adventum Christi Domini successerunt, quique, per totum ejus dispensationis tempus, docentem semperque subsistentem Ecclesiam constabant, ad quam unam pertinebat libros declarandi jus, quos ipsa in sacrarum Scripturarum canonem referens pro divinis habebat. Id probat auctor Judæum populum insequens in omnibus statibus per quos is ad usque Messiæ adventum migravit. Instituit in Mosis ad Judæos, e Dei mandato, expressa tamque rigida prohibitione, ne quid sanctis Libris adderent, aut detraherent. itemque in usu qui nullo non tempore apud eos viguit, ut religiosa iidem sancti Libri in templo, sub sacerdotum & levitarum custodia, servarentur. Judæi Babylonem captivi deducti, ibidem in plena cumulataque suæ religionis exercitatione perstiterunt eoque secum suarum Scripturarum corpus procul dubio detulerunt. Esdras, post captivitatem, omnia sacra Scripta quæ ejus ætate existebant, accurate congessit; at non ea rursus, per peculiarem quamdam Spiritus sancti inspirationem, elucubravit, perinde ac si omnino in Jerosolymæ templique incendio, aut Babylonicæ captivitatis tempore periissent. Cum hebræa desiit esse vulgaris lingua, quod seculis duobus cum dimidio circiter post Malachiam, prophetarum ultimum contigit; non eam unquam docti viri, nationis proceres, sacerdotes & levitæ neglexerunt, semperque in templo publicum servitium hebraico sermone peractum est, etsi Judæorum pleraque non eum intelligerent; & is quidem usus nostris quoque temporibus in Synagogis subsistit. Denique, semper extitere penes Judæos, per hujus Epochæ spatium, docti sacerdotes eruditique levitæ, ei unice curæ addicti, ut sanctos Libros exscriberent, eorumque exempla per populum disseminarent; ejusmodi erat Scribarum officium, de quibus in nostris Evangeliis tam sæpe sermo. Ita quidem sancti Libri ad Christum usque puri integrique servati sunt, opera & studio civilis religiosique regiminis, cum æqua utriusque interesset eos sartos tectosque servari, quandoquidem in theocratico regimine, cujusmodi Judaicum erat, Imperium & Sacerdotium perfecte inter se conspirantia, eademque simul effecta comperiebantur.

Secunda Epocha.

De hebraici Textus Integritate, post Christum Dominum ad Origenis tempus usque.

JUdæi, inquit auctor, nullo non tempore de sacra Scriptura, prout se habebat, ad apicem custodienda se apprime sollicitos exhibuerunt. Poni ergo non potest eos qui primis Christiani nominis seculis vivebant, suum proprium hebraicum textum, in christianæ religionis odium, corrupisse. Qui porro e Patribus id iis exprobrasse videntur, de jactatis ejusmodi corruptionibus non judicabant nisi quoad septuaginta interpretatum versionem quam cum Aquilæ, Theodotionis & Symmachi græcis editionibus comparabant, in quibus comperiebant loca suis animadversionibus digna, super capitibus tamen quæ seu dogma, seu mores non afficiebant. Tantum aberat, ut earum ætatum Judæi tale quidpiam auderent, ut potius Trypho dissimulare non posset per sibi mirum portentoque simile esse S. Justinum id in iis suspicari videri, spectaretque ejusmodi crimen tamquam longe gravius atrociusque quam fuerant aurei vituli adoratio, puerorum qui per ignem transire cogebantur, ad idolorum cultum, consecratio, prophetarum internecio.

Ex alia parte, si Judæi suas Scripturas in christiani nominis odium adulterassent ac vitiassent, ab iis expunxissent, quicquid eidem favere potest, nec operam dedissent, ut ibi relinquerent, quicquid eadem hoc ipso tempore continent, quod fidei nostræ fundamento est, eorumque incredulitatem confundit; aliter aeram verberassent, magnoque conatu magnas nugas egissent. At qua tandem ratione tam pravum criminosumque consilium exequi potuissent, siquidem ii fuissent qui illud mente perciperent? Non id ergo Christiani omnes, & in primis Judæi, recens christianam fidem amplexi perspexissent, nec inutilia eorum omnia molimina reddidissent? Noluerunt ergo Judæi suum proprium Scripturarum textum corrumpere, per christianæ Ecclesiæ priora secula, nec id, si voluissent, impune facere potuissent.

Tertia Epocha.

De autographi sanctorum nostrorum veteris Testamenti Librorum Textus integritate & Puritate, ab Origenis tempore ad seculum usque decimum sextum.

EO redigitur Epocha hæc, ut in autographo veteris Testamenti textu integritas & puritas ex laboribus ostendantur, quos conjunctis viribus Christiani & Judæi super hebraicis Scripturis nostris, ab Origenis tempore ad finem usque decimi sexti seculi susceperunt; & ejusmodi quidem in hanc rem est auctoris ratiocinatio. Christiani & Judæi qui suam ad sacros Codices operam contulerunt; ab Origene ad decimum sextum seculum usque, nunquam questi sunt hebraicum textum corruptum esse. Hujus generis est, inter alios mille, S. Hieronymus, qui tam bene possidebat he-

braicam linguam, quicquid in id dictitent magni nominis critici viri plures, quique peculiariter a Deo suscitatus fuit, ut sanctarum litterarum gustum & intelligentiam per totam Ecclesiam instauraret; quod aperto argumento est hebraicum textum, itemque eum quem Hexapla præferunt, purum tum & integrum fuisse, quoniam absurdum esset ponere S. Hieronymum voluisse corrupti textus versionem aggredi, cum ipsum qui tamquam inconcussam regulam tradit, cum versiones non sunt uniformes, ad hebraicum textum, tamquam ad fontem confugiendum esse. Non ergo fontem hunc S. Doctor corruptum putat, nec sane sine patentis absurditatis repugnantia putare posset. Quod de S. Hieronymo dicitur, de Procopio Gazensi, de Cassiodoro, de Eucherio, de Beda, de Alcuino, de Lanfranco, deque innumeris aliis ad decimum sextum usque sæculum ecclesiasticis auctoribus dicendum est, qui tum in commentariis, tum in explicationibus difficilium quorumdam Scripturæ locorum, ad hebraicum textum, quocunque caeteroquin in pretio versiones haberent, confugerunt; quod certo probat eos non credidisse textum corruptum esse. Iis ipsis sæculis quibus ignorantia & barbaries grassata sunt, non defuere docti ex Judæis viri fidem amplexi, christianique doctores qui se potissimum ad Scripturæ studium conferrent, & exemplaria consulerent. Ex hoc numero fuere Robertus Grosthedius, Episcopus Lincolniensis, Rogerius Baconius, Hugo de Sancto Charo, Nicolaus Lyranus, Paulus, Burgensis Episcopus, aliique plures qui græcæ & hebraicæ litteraturæ laude præstiterunt. Itaque hæ ferreæ ætates, quamcunque duritiem iis tribui lubeat, traditionis catenam, quoad primitivi sanctorum nostrorum Codicum textus puritatem & integritatem, infringere non potuerunt. Raymundi Martini liber cui titulus, *Pugio Fidei*, immortale hujus traditionis monumentum & ipse est, itemque Biblia polyglotta Complutensia & Antuerpiensia, denique quicquid Judæi præstitere ab eorum reipublicæ extremo excidio ad hoc usque tempus, ut ab omni depravatione suos sacros Libros in tuto ponerent.

QUARTA ET ULTIMA EPOCHA.

De Integritate primitivi Textus veteris Testamenti, evicta ex recentiorum laboribus, & litterariis disputationibus quæ, super eodem argumento, decimo septimo & decimo octavo sæculis subortæ sunt.

UT ad integritatem primitivi textus veteris Testamenti per id probandam perveniat, quod in hac Epocha quarta enuntiatur, quodque probationi ad quam refertur, adeo repugnare videtur, utitur auctor, in suæ assertionis favorem, eorum confessione consensuque, qui hujus textus adversarii, atque adeo celebriores sunt, cujusmodi sunt Vossius, Leclerc, Wilton, Lodovicus Capellus, Richardus Simonius, PP. Pezronius, Morinius, Houbigantius, &c. Omnes, inquit, hi docti viri, quamvis aperti omnium hebraici textus editionum hostes, quas tamquam incuriis & vitiis infartas spectant, uno ore fateri coguntur eum ipsum quoad dogmaticas & morales veritates, itemque quoad seriem historiæ populi Dei, purum & integrum perstitisse, nullumque affectabile vitium labentibus sæculis contraxisse. Subdit errata quæ in eum irrepsere, nec tam multa esse, nec tam gravia, quam hi pseudo-critici imaginantur; simpliciores maximeque communes grammatices regulas ad leves oscitantias reparandas & corrigendas sufficere, quæ in nostris impressis hebraicis textibus nonnunquam occurrunt; veram lectionem nunquam in hebraicorum manuscriptorum, tam veterum quam recentiorum codicum universitate evanuisse; eos æque corruptos non fuisse, nec esse potuisse, facileque e probatis manuscriptis codicibus id emendari posse quod in aliis vitiosum est; sæpenumero perspici varias lectiones ita se habere, ut ex iis promiscue, quam quisque maluerit, sequi possit; ad extremum, quæcunque sint hebraicarum Scripturarum hodiernæ lectiones, variantesque inter primitivum, seu manuscriptum, seu impressum hebraicum textum, ejusque versiones aliis aliisque temporibus editas, nihil non ejusdem essentialem nobis integritatem testari. Ita quidem auctor ad defensionem integritatis hebraici textus, litterarias disputationes ipsosque labores doctorum virorum trahit, qui maxime eidem adversari videntur. Confirmat id ex immensa variantium græcarum collectione quam super novo Testamento doctor Mill concinnavit. Post hanc enormem congeriem quæ variantes ad usque triginta mille continet, novi Testamenti græcus textus nec minus certus nec minus veneratione dignus evasit; & prodigiosa hæc variarum lectionum multitudo id unum præstitit, ut scilicet lectionum quæ vulgo universimque receptæ sunt, certitudinem & veritatem in meliore lumine poneret, sacrorum novi Testamenti librorum integritatem & authenticitatem testata. Perinde se res habebit de variantium non minus copiosa collectione quam D. Kennicottius super veteri Testamento nobis parat. Suum opus absolvit auctor per admodum appositas gravissimasque animadversiones super variantibus in universum, superque earum delectu qui in hebraicis manuscriptis codicibus & in antiquis versionibus fieri potest.

Longe maximi momenti est Fabriciani operis argumentum; atque adeo nullum esse potest eo majus graviusque, quippe quod eo demum spectat, ut sanctorum veteris Testamenti librorum qui basis & fundamenti loco christianæ religioni sunt, autographi textus puritatem, integritatem, authenticitatem, veritatem & divinitatem statuat vindicetque. Recte percepta recteque perspecta est ejus ratio. Bene digestæ sunt eodemque deductæ omnes & singulæ ejusdem partes. Emicare cernuntur ibidem innumera luminum specimina quæ gravem materiam quæ in eo pertractatur, eximia quadam luce perfundunt. Ibi cum admiratione suspicitur alta & selecta eruditio, doctarum linguarum doctorumque operum ampla cognitio, perspectio & sagacitas parum communes, expurgatus sensus, prudens critice, tutum judicium, a partium studio acriter alienus animus, candidus veritatis amor, ratiocinationis vis quæ ex una parte percellit, expugnat, prosternit, & ex alia convincit, persuadet, victrix trahit, efficitque, ut cum religioso auctore conclametur: *Religio! vicisti*. Nulla prorsus hoc in judicio fraternitati pars; illud mihi dictat una & unica veritas.

SCRUTATOR & SCRUTINIUM. *Quære* ELECTIO.

SCURRÆ, CLERICI SCURRILES. Agathense Concil. an. 506. celebratum mandat can. 70. ut clerici scurræ quique indecentes sannas dictitant, deponantur; *Clericum scurrilem, & verbis turpibus joculatorem, ab officio retrahendum.*

Histrionum, sive scurrarum, & turpium seu obscænorum jocorum insolentiam non solum ipsi (sacerdotes) respuant, verum etiam fidelibus respuenda percenseant. (Concilium Cabillonense, an. 813. can. 9.)

Clerici qui clericali ordini non modicum detrahentes se joculatores seu goliardos faciunt, aut buffones, si per annum artem illam ignominiosam exercuerint, ipso jure; si autem tempore breviori, & tertio admoniti non resipuerint, careant omni privilegio clericali. (Concil. Salisburgense, an. 410. can. 3.)

SECRETA, oratio quæ in Missa post offertorium dicitur. Est inter recentiores agitata quæstio, utrum *secreta* appelletur oratio hæc, quia submissa voce, & secreto, prorsus ut canon, dicenda est; an vero quia ad hunc Missæ locum catechumeni & pœnitentes recedebant; an quia prex hæc erat, quæ super oblationes, rebus scilicet quas fideles ad Missam obtulerant, edebatur, postquam consecranda a non consecrandis sejuncta fuerant; an denique quia hæc erat ipsa fidelium dimissio, qui ab altari discedere jubebantur, ad quod accesserant, suam ibi oblationem exhibituri; ut proinde, ex hac explicatione, vocabulum *secreta*, non esset, ut grammatici loquuntur, adjectivum orationis, videlicet *oratio secreta*, sed substantivum, quod *secretionem*, seu *separationem* significaret. Nos quidem neminem novimus, qui melius hanc controversiam pertractaverit, quam D. Robbe, in Opere cui titulus: *De ratione qua Missæ canon, aliæque nonnullæ ejusdem partes pronuntiari debeant, Dissertatio, in qua expenduntur quæstiones duæ; quarum prima est: quænam sit huic locutioni*, submissa voce, *subjecta notio in eo Tridentini Concilii loco, ubi hæc leguntur*: Pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa voce, alia vero elatiore, in Missa pronuntiarentur, instituit, *Sess. XXII. cap. 5.*

Altera est: an sit peccati reus, qui ritum non servat, quem Ecclesia super unius Missæ partis secreta pronuntiatione præscribit; auctore D. Robbe, Theologiæ doctore & professore Domus & Societatis Sorbonicæ. In Novo Castro, apud Monoyerium, Typographo-Bibliopolam, an. 1770.

Doctus dissertator ostendit opinionem quæ vocabulum *secreta* in substantivum *secretio*, *separatio*, transformat, omnino recentem esse, quæ fallat, docente P. le Brun, Tom. IV. dissert. 15. part. 2. art. 1. non nisi ad annum 1689. ex pura putaque conjectura originem traxit, quam forte D. quondam Bossuetius,

Mel-

Meldensis Episcopus in sua nonnullarum super Missa difficultatum explicatione proposuerat. Præsul hic, postquam animadvertit, dictam esse missam, *abrende facultatem*, *dimissionem*, *pro missione*, *ut*, *remissam pro remissione*, *venia*, *oblatam pro oblatione*, *subdit*, & *forsasse etiam* secreta *pro* secretione, *separatione dicta est*, *quia prex erat qua super oblatione edebatur*, *postquam separatum fuerat a reliquis id quod reservatum erat ad sacrificium*, *vel post catechumenorum separationem*. Probant verba hæc opinationem que de agitur, quand D. Bossuetium purem solum putamque conjecturam fuisse, ut Robbius animadvertit, qui deinde ostendit hane conjecturam impugnari, falsamque demonstrari per quicquid nobis veterum auctorum, liturgicorumque monumentorum suppetit, ordine retrogrado a postremis sæculis ad prima usque. In iis enim scriptis, inquit, ut legenti compertum sit, *secreta* ponitur modo in adjectivo singulari, *oratio secreta*, *collectio secreta*, modo in adjectivo plurali, *preces secreta*, *orationes secreta*; in aliquibus, est secreta & canoni commune nomen; secreta quippe nuncupatur *secreta minor*, *secretella*, canon *secreta major*; in aliis legitur *arcana secreta* loco, *mysterium secreti* loco; in plerisque enuntiatur eas preces propterea *secretas* vocari, quia submissis vocibus recitantur. Hi auctores & hæc monumenta sunt inter alia: 1. Ecclesiarum Galliæ Missalia plura, impresse sæculo sextodecimo, ante Trid. Concil. laudeta a P. le Brun, (Tom. IV. Disser. 15. Part I. art. 4.) in quibus legitur: *Orationes secreta dicantur sub silentio*; 2. Basileense Conc. quod ita loquitur: *Abusum aliquarum Ecclesiarum*, *in quibus*.... *Missa*.... *prater secretas orationes*, *ita submissa voce dicitur*, *quod a circumstantibus audiri non potest*, *abolentes*, *statuimus*, &c. 3. Gruner & Biel; 4. Durandus, Episcopus Mimatensis, *Rationale divinorum officiorum*, lib. 4. cap. 32. *Dicitur a quibusdam secreta*, *a quibusdam secretella*, *ad differentiam majoris secreta*; & cap. 36. canon.... *dicitur etiam secreta*, *qu a secrete & sub silentio dicitur*; 5. Stephanus, Augustodunensis Episcopus, in Tract. *de Sacramento Altaris*, cap. 12. *Orationes secreta dicuntur*, *quia secreta & humili voce proferuntur*; 6. Sacramentaria vetera numero plura, in quibus, *secreta* loco, *arcana* legitur; 7. Romanus ordo Gregorianus, impressus, Tomo II. *Musai Italici*, pag. 42. *Finito offertorio*.... *dicta orationes super oblationes secreta*, & *Episcopo alta voce incipiente*: Per omnia sæcula sæculorum; 8. Liturgia Ambrosiana: *Sequuntur orationes secreta ad munus oblatum*.

Postquam hæc & alia bene multa monumenta in medium attulit, concludit Robbius, mille tercentorum saltem annorum traditione palam fieri, *secretam tamquam* precis super oblationibus editæ adjectivum universim spectatam fuisse, precem hanc his vocabulis, *secreta arcana*, *mysterium*, designatam fuisse, *ratione prolationis*, seu recitationis; & quod inde consequitur, eum me a imaginatione ebripi, qui in eam opinionem abit, ut credat vocem *secreta*, in substantivo, pro *secretione*, seu separatione positam esse.

Quod si Robbio opponatur, in antiquis Missalibus, & apud liturgicos auctores veteres, cujusmodi est Amalarius, adverbium *secreto* non significare *submisse*, *in silentio*, sed *seorsim*, *separatim*; hoc est, sacerdotem, solum, *seorsim*, *separatim a populo*, quasdem Missæ preces, ut canonem, recitare; respondet, etiamsi vox *secreto* ambigua seu æquivoca esset ipsa per se, futurum tamen, ut locutiones quæ eam comitentur, explicationes quas ei tribuunt auctores ipsi, ejus cum aliis vocibus ratio, quæ ei opponuntur, nullam hoc loco dubitationem super ejusdem significatione relinquant.

Nobis sane persuasum est optime posse Robbii sententiam Bossuetii, & Trecensis Episcopi placito accommodari, & per hanc accommodationem id obtineri, ut enimi super hoc disciplinæ capite secti concilientur. Trecensis Episcopus a Senonensi Archiepiscopo accusatus, qui in novi Missalis rubricis, quod in suæ diœceseos gratiam ediderat, innovasset, ad innovationis exprobationem, super Missæ canonis recitandi ratione in ipsum propositam ita respondet: „ altera innovatio quam Senonensis Archiepiscopus nobis „ exprobrat, Missæ canonis recitandi rationem spe„ ctat... " *primum omnium*, inquit Senonensis præsul, *in dubium vocari non potest*, *quin novi Missalis auctor id sibi propesuerit*, *ut secretas orationes*, & *Missa canonem elata & auribus obvia voce recitatos vellet*. (Prima pastoralis institutio, ut ad Senonensis Archiepiscopi Mandatum Responsionis loco sit. 2. Art. p. 59. & seqq.)

„ Ut ad hanc exprobrationem respondeatur, (inquit Bossuetius) satis fuerit edicere nobis id consilii nunquam fuisse; eaque nos mente esse, ut secretæ preces, & Missæ canon submissa voce pronuntien„ tur.... Non id ingeritur, quod rejicitur. Vox notionem non ingerit, quæ ejus propriæ & naturali significationi adversatur. Jam vero horum vocabulorum, *voce submissiori*, propria & naturalis significatio recitationi repugnat quæ elata & intelligibili voce peragitur. Ergo verba hæc quibus nos usi sumur, secretarum precum, & Missæ canonis, elata & intelligibili voce, recitationem minime insinuant. Uno verbo, nos quidem per hanc locutionem, *voce submissiori*, non contendimus precum, elata & intelligibili voce, recitationem seu præscribere, seu proponere ac persuadere; idque nobis injuria Senonensis antistes imputat.... At cur, nos interpellabit fortasse quispiam, locutionem, *voce submissiori*, præ hac *voce submissa*, adhibuistis? Respondebimus, etsi per hæc vocabula, *voce submissiori*, idem ac per ea, *voce submissa*, scilicet humilem suppressamque vocem, elataque & intelligibili oppositam intelligamus, nos tamen priorem loquendi formam posteriori prætulisse, quia locutio, *voce submissa*, ambiguitati obnoxia evasit, & in abusum trahitur; cum altera, *voce submissiori*, cæteroquin auctoritate munita locutio non iisdem abusibus subsit.... Est hæc omnino simplex & candida ratio quæ nos movit, ut *voce submissiori potius* quam *voce submissa* uteremur, atque ita uno eodemque tempore tum elatam quam omnes adstantes audiant, tum humilem suppressamque quam nemo unus, ac ne proterens quidem percipiat, excluderemus. "

Ad oppositionem, ex Romano Ordine XIV. sumptam respondens Robbius ita suam mentem aperit, pag. 184. „ Locutio, *submissa voce*, hoc loco, ut alibi, depressam, nec adsistentibus intelligibilem vocem significat. Id ei certo constabit, qui vel obiter oculos in auctores paulo ante laudatos conjecerit. Agitur in hoc Romano Ordine de solemni Missa pontificaliter celebrata. Ad *Sanctus*, dum chorus id cantici concinit, illud ipsum Episcopus *submissa voce* cum diacono & subdiacono, itemque *submissa voce* canonem, sed omnino solus recitaturus dicitur.... Hæc in re nihil est, quod non cumulatissime cum significatione conciliatur, quam nullus non vetus auctor, nulla non liturgica monumenta quæ quidem nobis suppetunt, locutioni *submissa voce* tribuerunt. Episcopus una cum ministris canticum *Sanctus* dicere debet *submissa voce*, humili scilicet depressaque, sed ita nihilominus, ut eorum alter alterum audiat, quin iidem tamen audiantur a populo, qui in canendo per id temporis occupatur. Idem deinde Episcopus canonem *submissa voce* dicere debet, sed ita, ut se ipse quidem audire possit, non autem ab adsistantibus audiatur. "

Ex una ergo parte Bossuetius testatur se per eam locutionem, *voce submissa*, vel *submissior*, qua recitari debent secreta & Missæ canon, vocem intelligere tum alatæ in omniumque aures incurrenti, tum et oppositam quæ ita depressa esset, atque faucibus hæreret, ut in causa esset, ne sacerdos se ipse intelligeret; ex alia parte Robbius se quoque per demissam vocem nihil aliud intelligere perspicue & iisdem usus verbis ait; additque, quod majus est, hanc demissam vocem ei geminam esse qua sacrum faciens Episcopus utitur, dum canticum *Sanctus* una cum ministris recitat, ita scilicet, ut se invicem audiant. Super hoc ergo liturgico capite Bossuetium inter & Robbium optime convenit; utinam vero cæteri quoque omnes hujus tam simplicis quam naturalis conciliationis adminiculo in unam camdemque sententiam conspirent.

SECRETARIUS, officiarius qui expedit, sui domini jussu, litteras, provisiones, brevia Principis diplomata, vulgo breveta, quique ea per suam signaturam, seu chirographum authentica reddit. Tridentina Synodus & edicta statuere quod qui Episcopis a secretis sunt, ob litteras *Visa* dictas, & alia secretariatus acta, sumere possunt, ut ab iis nihil præterea citra peccatum percipi possit. Si legitima eorum jura, cujusmodi taxata sunt, ad eorum sustentationem non sufficiunt, Episcopi est e proprio reditu providere; ac ne ipse quidem peculiare ullum emolumentum e suo secretariatu trahere, eumve emptum locare potest.

Quoniam ab ecclesiastico ordine omnis avaritia suspicio abesse debet; nihil pro collatione quorumcunque ordinum, etiam clericalis tonsura, nec pro litteris dimissoriis aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacunque de causa etiam sponte oblatum Episcopi, & alii ordinum collatores, aut eorum ministri quovis prætextu accipiant. Notarii vero in his tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis litteris dimissoriis, aut testimonialibus decimam tantum unius aurei partem accipere possint, dummodo eis nullum salarium

sit constitutum pro officio exercendo, nec Episcopis ex honorarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem ordinum collationibus directe vel indirecte provenire possit. Tunc enim gratis operam suam eos præstare omnino teneri decrevit; contrariis taxis, ac statutis, & consuetudines etiam immemorabiles quorumcunque locorum (quæ potius abusus & corruptela, simoniacæ pravitati faventes nuncupari possunt,) penitus cassando & interdicendo; & qui secus fecerint, tam dantes, quam accipientes, ultra divinam ultionem, pœnas a jure inflictas ipso facto incurrant. (Concilium Tridentinum, Sess. xxi. cap. i. *de Reform.*)

Per articulum 2. edicti mensis Aprilis an. 1695. prohibentur qui Episcopis a secretis sunt, ultra tres libras pro litteris *visa* sumere. „ Hæc dispositio, in„ quit doctus auctor Commentarii super hoc edicto, „ quæ ex Blesensis constitutionis articulo 12. sumpta „ est, concinit statuto Basileensis Concilii, quod pri„ mum licere voluit Prælatorum actuariis seu graffa„ riis modicam mercedem solvi. At animadverti de„ bet, ex quo Episcoporum graffariis seu secretariis „ ea data est venia, ut modicam retributionem perci„ perent, quia hæc retributio tamquam eorum labo„ ris compensatio spectata fuit, semper Episcopos pro„ hibites fuisse id officii locare."

„ Nec nobis defuere Episcoporum exempla, qui ve„ terum Conciliorum puritatem servare volentes, fa„ cultate sibi a recentioribus legibus concessa, ut pro „ secretariatu retributionem sumerent, uti noluerunt, „ ad ejusque gratuitam administrationem mandata edi„ derunt. Nobis in hanc rem D. Amelotii, Turonen„ sis Archiepiscopi mandatum, an. 1673. editum sup„ petit; nec plus pro suis secretariatibus sumebant D. „ Feideau de Brou, Ambianensis Episcopus, an. 1706. „ vita functus, & D. quondam Cardinalis Noviliacen„ sis, Archiepiscopus Parisiensis, denique D. Cardi„ nalis de Coislin, Episcopus Aurelianensis."

SECRETUM CONFESSIONIS. *Quære* CONFESSARIUS.

SEMI-ARIANI. Tributum est id nominis Arianis mitigatis qui *consubstantialis* vocabulum non admittebant, etsi faterentur Filium Patri *in essentia* similem, aut *in rebus omnibus* similem esse. Secti erant inter se; nempe Filii cum Patre similitudinem alii in sola voluntate, alii in substantia positam esse volebant. Utrosque damnavit Constantinopolitanum an. 381. Concilium quod generale secundum est: *Non spernendam esse fidem patrum trecentorum decem & octo, qui in Nicæa Bithyniæ convenerunt; sed manere eam ratam oportet, & anathematizari omnem hæresim, specialiter autem Eunomianorum .... & Arianorum sive Eudoxianorum, & Semi-arianorum, nec non Pneumatomachorum (qui contra spiritum sanctum pugnant), & Sabellianorum, & Marcellianorum, & Photinianorum, & Apollinaristarum.*

Ariani & Semi-Ariani habuere Concilia seu potius Conciliabula numero plura, quarto sæculo, ut se tuerentur, & siquidem fieri per eos potuisset, super Christi Domini divinitate fidem everterent. Ejusmodi fuere Pseudo-Concilium Antiochenum, an. 327. seu 331. Cæsariense in Palæstina, an. 334. Tyriense & Jerosolymitanum, an. 335. Constantinopolitanum, annor. 336. & 338. Antiochena, annor. 339. & 345. jactatum in Illyria Sardicense Concilium, Philippopoli in Thracia ab Orientalibus habitum, an. 347. Antiochenum, an. 348. & aliud in eadem urbe habitum, an. 354. Mediolanense, an. 355. Biterrense, an. 356. Sirmiense, an. 357. Cæsariense in Palæstina, an. 357. seu 358. Antiochenum, an. 358. Ancyranum in Galatia & Sirmiense, eodem an. 358. Ariminense & Seleuciense, an. 359. Constantinopolitanum, an. 360. &c.

SEMINARIUM, locus in quo clericis ad Ecclesiam designatis super ecclesiasticis functionibus documenta traduntur. Distingui possunt seminariorum genera quatuor. Primi generis sunt quæ junioribus clericis formandis & educandis inserviunt, & *parva seminaria* vocantur; secundi generis sunt quæ eo spectant, ut iidem clerici ad ordines suscipiendos, & pastoralia obeunda munia comparentur; & hæc quidem *magna seminaria* nuncupantur; tertii generis seminaria sunt recessui, in ecclesiasticorum infirmorum gratiam, addictæ domus; quarti denique generis seminaria sunt domus in quibus certi quidam viri ad exteras missiones formantur.

Seminariorum, siquidem eorum vis & ratio spectetur, antiquissima in Ecclesia institutio est, quippe quæ ascendit ad S. Augustini ætatem usque, qui scilicet ipse tamquam seminariorum institutor suspicitur. Ad Galliam quod spectat, seminariorum ibidem institutionis vestigia cernuntur in Vasionensis Concilii, an. 529. habiti canone primo qui his verbis conceptus est: *Hoc enim placuit, ut omnes presbyteri qui sunt in parochiis constituti, secundum consuetudinem quam per totam Italiam satis salubriter teneri cognovimus, juniores lectores, quantoscunque sine uxore habuerint, secum in domo, ubi ipsi habitare videntur, recipiant; & eos, quomodo boni patres, spiritaliter nutrientes, psalmos parare, divinis lectionibus insistere, & in lege Domini erudire contendant; ut & sibi dignos successores provideant, & a Domino æterna præmia recipiant.*

Turonensis Concilii, an. 813. habiti duodecimus canon ad seminaria, cujusmodi quidem in præsentia cernuntur, propius accedit; ejus hæc verba sunt: *Presbyterum ordinari non debere ante legitimum tempus, hoc est, ante trigesimum ætatis annum; sed priusquam ad consecrationem presbyteratus accedat, maneat in episcopio, discendi gratia officium suum, tamdiu, donec possint & mores & actus ejus animadverti; & tunc, si dignus fuerit, ad sacerdotium provehatur.*

Tridentinum & Gallicanæ Ecclesiæ Concilia deinceps habita seminariorum institutionem, eorumdem administrationem, iisque parandæ dotationis rationem fusius explicant. Gallorum quoque Regum sanctiones luculentissima super iisdem statuta continent, quæ non omnino sunt Tridentinæ Synodi super hac re constitutionibus consentanea, quod mox videbimus.

Cum adolescentium ætas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas; & nisi a teneris annis ad pietatem & religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfecte, ac sine maximo ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina ecclesiastica perseveret; sancta Synodus statuit, ut singulæ cathedrales, metropolitanæ, atque his majores Ecclesiæ, pro modo facultatum, & diœcesis amplitudine, certum puerorum ipsius civitatis & diœcesis, vel ejus provinciæ, si ibi non reperiuntur, numerum in collegio ad hoc prope ipsas Ecclesias, vel alio in loco convenienti, ab Episcopo eligendo, alere ac religiose educare, & Ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur. In hoc vero collegio recipiantur qui ad minimum duodecim annos, & ex legitimo matrimonio nati sunt, ac legere & scribere competenter noverint, & quorum indoles & voluntas spem afferat eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros. Pauperum autem filios præcipue eligi vult, nec tamen ditiorum excludit, modo suo sumptu alantur, & studium præ se ferant Deo & Ecclesiæ inserviendi. Hos pueros Episcopus in tot classes, quot ei videbitur, divisos, juxta eorum numerum, ætatem, ac in disciplina ecclesiastica progressum, partim, cum ei opportunum videbitur, ecclesiarum ministerio addicet, partim in collegio erudiendos retinebit; aliosque in locum eductorum sufficiet; ita ut hoc collegium Dei ministrorum perpetuum seminarium sit. Ut vero in eadem disciplina ecclesiastica commodius instituantur, tonsura statim, atque habitu clericali semper utantur; grammatices, cantus, computi ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam discent; sacram Scripturam, libros ecclesiasticos, homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorum, maxime quæ ad confessiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum ac cæremoniarum formas ediscent. Curet Episcopus, ut singulis diebus Missæ sacrificio intersint, ac saltem singulis mensibus confiteantur peccata, & juxta confessoris judicium sumant corpus Domini nostri Jesu Christi; cathedrali, & aliis loci Ecclesiis diebus festis inserviant .... discolos & incorrigibiles, ac malorum morum seminatores acriter puniens; eos etiam, si opus fuerit, expellendo .... Et quia ad collegii fabricam instituendam, & ad mercedem præceptoribus & ministris solvendam, & ad alendam juventutem, & ad alios sumptus, certi reditus erunt necessarii; ultra ea quæ ad instituendos, vel alendos pueros sunt in aliquibus Ecclesiis & locis destinata, quæ eo ipso huic seminario sub eadem Episcopi cura applicata censeantur; iidem Episcopi cum consilio duorum de capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso capitulo eligatur, itemque duorum de clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad clerum pertineat; ex fructibus integris mensæ episcopalis, & capituli, & quarumcunque dignitatum, personatuum, officiorum, præbendarum, portionum, abbatiarum & prioratuum, cujuscunque ordinis, etiam regularis, aut qualitatis & conditionis fuerint, & hospitiorum quæ dantur in titulum, vel administrationem, juxta Constitutionem Concilii Viennensis quæ incipit: Quia contingit; *& beneficiorum quorumcunque, etiam regularium, etiamsi juris patronatus cujuscunque fuerint, etiamsi exempta, etiamsi nullius diœcesis, vel aliis Ecclesiis, monasteriis & hospitalibus, & aliis quibusvis locis piis, etiam exemptis, & ex fabricis Ecclesiarum, & aliorum locorum, etiam ex quibuscunque aliis ecclesiasticis reditibus, seu proventibus, etiam aliorum collegiorum; in quibus tamen seminaria discentium, vel docentium ad commune Ecclesiæ bonum per-*

mitten-

monentium actu non habentur ... etiam ex decimis, quacunque ratione ad laicos, ex quibus subsidia ecclesiastica solvi solent, & milites cujuscunque militia aut ordinis pertinentibus, fratribus sancti Joannis Jerosolymitani duntaxat exceptis, partem aliquam vel portionem detrahens, & eam portionem sic detractam, necnon beneficia aliquot simplicia, cujuscunque qualitatis & dignitatis fuerint, vel etiam prastimonia, vel prastimoniales portiones nuncupatas, etiam ante vacationem, sine cultus divini, & illa obtinentium prajudicio, huic collegio applicabunt, & incorporabunt; quod locum habeat, etiamsi beneficia sint reservata, vel affecta. (Concil. Tridentinum, Sess. 23. cap. 18.)

Hanc Tridentinæ Synodi constitutionem receperunt, ampliusque explicuerunt provincialia Gallorum Concilia, videlicet, Rothomagense, Remense, Burdigalense, Turonense, Bituricense, Tolosanum.

Blesensis sanctio, art. 24. edictum Melodunense, art. 1. & declaratio dies 15. Decembris an. 1698. sibique ad Tridentini Concilii constitutionem conformarunt, præscripta seminariorum, ubi non ederent, institutione; et horum edictorum seu mandatorum dispositiones, & generatim, disciplinæ ratio quam Gallicana Ecclesia sequitur, quod plura capita, eb ellata Concilii constitutione recedunt. 1. E regni usu est, ut Episcopi, in sue quisque diœcesi, quod congruere judicaverint, pro ut opus fuerit, & res tulerit, id ipsi ad suorum seminariorum regimen statuant, quin duorum e sua cathedrali Ecclesia canonicorum sententiam sumere necesse habeant. 2. Ad seminariorum institutionem, & ad impositionem super ecclesiasticis bonis, vel beneficiorum unionem, quæ ad seminariorum dotationem, quæ institui jubet, necessariæ fuerint, Regis patentibus litteris opus est. 3. Super diœceseos beneficiis, & ad seminariorum dotationem impositio fit ab Episcopis una cum syndicis deputatisque ad diœcesanarum decimarum tribunalia, qui tam quoad summam quæ imponi potest, quam quoad qualitatem reditumque beneficiorum quibus eadem imponenda est, ad patentes Regis litteras, ob seminarii erectionem impetratas sese conformant. 4. Ex Tridentino Concilio, non omnia solum beneficia, *beneficiorum quorumcunque*, sed etiam fabricæ, scholæ, collegia quæ ad clericos educandos statuta non sunt, taxæ ad seminariorum sustentationem subesse debent; & e communi Gallorum usu, nec parœciæ, nec fabricæ, nec collegia, nec decimæ quas laici possident, nec ullum beneficium cujus annuus reditus, omnibus deductis oneribus, sexcentarum librarum summam non superat, taxæ subduntur. 5. Ait Concilium Episcopos posse censuris uti, ut contributioni obnoxios ad summam solvendam adigant, quæ ad seminariorum sustentationem iisdem imposita fuerit; et e Gallorum Ecclesiæ usu non est, ut per censuras in Ecclesiasticos, vel in laicos ob civilia debita procedatur. 6. Si Archiepiscopus, aut Episcopus ad seminarii sustentationem contribuere renuerint, ad id ex Concilio cogi poterunt, scilicet Episcopus ab Archiepiscopo, & Archiepiscopus a provincia Concilio; in Gallia non servatur hæc procedendi forma; sed decimarum cameræ in regno institutæ de ejusmodi caussis cognoscunt; ac si, ob peculiares rationes non ibi proceditur, hæ caussæ ad regis consilium deferuntur. 7. Concilium approbat, ut in majoribus quidem diœcesibus Episcopi plura seminaria instituere possint, ea tamen lege, ut omnia ab eo pendeant, quod in Episcopali urbe institutum fuerit; in Gallia subordinatio hæc ab Episcoporum prudentia pendet. 8. Simplicium beneficiorum & præstimoniorum, seu præstimonialium portionum ad seminarii unionem tantummodo Concilium firmat; parœciarum, capitulorum & abbatiarum unionem Gallia, simplicibus beneficiis deficientibus, ratam habet. (Monumenta Cleri, Tom. II. p. 913. & seqq.)

Id etiam in Gallia constans firmumque est, seminaria non nisi Episcoporum, in sua cujusque diœcesi, jurisdictioni, auctoritati & dependentiæ subesse, eosque posse eorumdem regimen, cui voluerint, concedere, eos qui in iisdem degunt, expellere, & alios accire, quoties expedire judicaverint, quin sæculares aut regulares communitates quibus Episcopi suorum seminariorum moderationem addixerint, bona seminariis acquisita, itemque beneficia quæ his unita fuerint, vindicare possint. (Relatio Cleri, an. 1735. p. 148. & 149.)

SEMI-PELAGIANI, hæretici sæculi quinti, ita dicti, quia ex dimidia solum parte Pelagii hæresim admittebant. Docebat hæresiarcha hic bonum opus omne a solis liberi arbitrii viribus derivari, & ab homine ipsius salutem ipsiusque virtutem pendere volebat. In id ea sane vera Semi-pelagiani consentiebant, ut salutis opus, quoad prosecutionem & perfectionem, gratiæ deberetur, quia ad bonum opus hoc continuandum perficiendumque necessaria gratia est; at eodem tempore contendebant hominem solis liberi arbitrii viribus illud inchoare posse, &, quod inde consequitur, efficiebant, ut ab homine penderet ejus salutis ejusdemque virtutis initium. Ratio qua se in suarum Collationum decima tertia Cassianus explicuit, in causa fuit, ut idem tamquam Semi-Pelagianorum pater spectaretur. Is scilicet ibidem ait hominem e se ipso resipiscendi desiderium, pœnitentiæque & fidei inchoationem quamdam habere posse; eumdem orare posse, remedium quærere, tentationi obsistere, quamvis sanari, aut victor evadere sine gratia non possit.

Acres diuturnæque in Galliis disputationes Semi-pelagianos inter & S. Augustini discipulos exstiterunt. Summi Pontifices Cælestinus, Gelasius, Hormisdes sancti Doctoris de gratia doctrinam vehementer & mordicus propugnarunt, quin tamen impedire possent, quominus eam magnus hominum numerus impugnaret. S. Cæsarius, Arelatensis Episcopus qui e studiosissimis acerrimisque sancti Augustini discipulis erat, ei triumphum comparare volens, ad Felicem papam IV. confugit, qui ad eum misit articulos viginti quinque, Pelagianorum & Semi-pelagianorum erroribus ex diametro oppositos; articulos, inquam, e veterum Patrum, & S. Augustini potissimum Operibus ad verbum depromptos, & ab ipsa sancta Sede expeditos, ut probant secundi Arausicani Concilii præfationis verba hæc: *Cum ad dedicationem Basilica quam illustrissimus prafectus & patritius noster Liberius in Arausica civitate, fidelissima devotione construxit, Deo propitiante, & ipso invitante, convenissemus, & de rebus qua ad ecclesiasticam regulam pertinent, inter nos spiritalis fuisset oborta collatio; pervenit ad nos esse aliquos qui de gratia & libero arbitrio per simplicitatem minus caute, & non secundum fidei catholica regulam, sentire velint ... Unde id nobis, secundum admonitionem & auctoritatem Sedis Apostolica, justum ac rationabile visum, ut pauca capitula, ab apostolica nobis Sede transmissa qua ab antiquis Patribus de sanctarum Scripturarum voluminibus in hac pracipue causa collecta sunt, ad docendos eos qui aliter quam oportet, sentiant, ab omnibus observanda proferre, & manibus nostris subscribere deberemus, quibus lectis, hoc usque non, sicut oportebat, de gratia & libero arbitrio credidit, ad ea qua fidei catholica conveniunt, animum suum inclinare non differat.*

Ergo S. Cæsarius occasione usus est, quam ei secundum hoc Arausicanum Concilium, Julii die 3. an. 529. celebratum, & ex Episcopis tredecim conflatum suppeditabat, ut vulgandos curaret articulos seu canones quos acceperat a sancta Sede super liberi arbitrii & gratiæ negotio, quique a præclarissimis Ecclesiæ decisionibus unam conficiunt. In iis deciditur gratuitas, vis, efficacia & necessitas gratiæ Christi Domini, seu ad inchoationem, seu ad progressum & finem boni salutis operis, contra Semi-Pelagianorum omnes technas & omnia subterfugia. Hi articuli seu canones, in Arausicano Concilio, capitulorum nomen præferunt. Eos S. Cæsarius ad Felicem Papam IV. cum Concilii litteris misit; quos tamen, cum summus hic Pontifex interim obiisset, Bonifacius II. qui ei successerat, approbavit. Eos vide expositos enucleatosque in primo hujus Operis Tomo, sub secundo Arausicano Concilio, rursusque in hoc Tomo ipso, quibus editi fuere, verbis propositos, *verb.* GRATIA.

SEPULTURA, actio qua sepelitur mortuus, extremis officiis eidem exhibitis. Super animæ immortalitate intimus sensus, amori gratoque animo additus in causa fuit, ut mortuos sepulturæ dandi mos omnibus temporibus, & apud omnes mundi populos obtineret, quæcunque tandem esset eorum religio, quamvis non id omnes in eumdam modum, sed alii aliter exequerentur. Humabant alii defunctorum corpora, cremabant alii, lapideis aut ligneis arcis alii aromatibus condita includebant; erat hoc apud Ægyptios aliosque nonnullos populos in more positum. Defunctorum corpora Romani calida aqua abluebant, suffimentis spargebant, candida toga induebant, pedibus ad lucem conversis in portæ limine collocabant; cumque per dies septem ita exposita reliquissent, ea rogum ferebant, si defunctus se cremari petierat, vel ad sepulturæ locum, si humari cupierat. Judæi vulgarium hominum fere corpora humo condebant, et aliquibus notæ viros odoramentis conditos in sepulturis includebant. Suos Catholici mortuos in feretrum nigro panno tectum includere, & ad ædium suarum januam exponere consueverant, quo parœciæ clerus adveniret, eos ad parochialem Eccle-

Ecclesiam, ac deinde ad sepulturæ locum qui antiquis temporibus non alius quam cœmeterium erat, delaturos. Nec alii quam martyres eo privilegio gaudebant, ut in Ecclesiis sepelirentur, cumque primus Constantinus Imperator se Constantinopoli in templi portico, quod Apostolis dicatum erat, sepultum voluit. Eum imitatus Imperator Honorius Romæ in S. Petri Ecclesiæ vestibulo sibi tumulum erigi jussit. Inducto deinde sepulturæ in Ecclesiis usu, primo quidem insignis tantum pietatis fidelibus is honos concessus fuit, qui tamen quamprimum cæterorum indiscriminatim omnium communis evasit. Tum vero illustres viri in honorificentioribus Ecclesiæ locis sibi sepulturam petierunt; atque hinc in choro sepulcra quæ a primariis personis ad patronos & fundatores migrarunt, quibus hæc prærogativa in summum jus abiit.

Item placuit, ut corpora defunctorum nullo modo in basilica sanctorum sepeliantur; sed, si necesse est, deforis circa murum basilicæ usque adeo non abhorret. Nam si firmissimum hoc privilegium usque nunc manet civitates, ut nullo modo intra ambitus murorum cujuslibet defuncti corpus humetur; quanto magis hoc venerabilium Martyrum debet reverentia obtinere? (Concilium Bracarense, an. 561. cap. 18.)

Ut nemo quemlibet mortuum in Ecclesia, quasi hæreditario jure, nisi quem Episcopus & Presbyter pro qualitate conversationis & vitæ dignum duxerit, sepelire præsumat. (Concilium Meldense, an. 845. can. 72.)

Nemo in Ecclesia sepeliatur, nisi forte talis sit persona Sacerdotis, aut cujuslibet justi hominis qui per vitæ meritum, talem vivendo, suo corpori defuncto locum acquisivit. (Concil. Triburiense, an. 895. can. 27.)

Ante solis ortum, & post occasum, mortuum efferri, & ad sepulturam recipi prohibemus. Inter majoris Missæ celebrationem, mortuorum corpora sepulturæ causa in Ecclesiam ne inferantur .... Statuat Episcopus in civitate & diœcesi sua pro modo laboris, quantum mercedis causa dandum sit curatoribus exequiarum, cæterisque qui dant operam in funere, & iis qui campanas pulsant ... Miserabiles personæ quibus mortuis aut nihil superest, aut ita parum, ut sua impensa humari non possint, a Parocho sumptibus Ecclesiæ sepeliantur. Exequiarum *sepulturæ, & anniversariorum causa, nemini quidquam pacisci, aut exigere liceat; neque etiam petere, vel quid aliud committere, quod simoniacæ labis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem habeat. Pias tamen consuetudines in his servari jubemus; cujus rei Episcopus curam suscipiat. Pia etiam legata exigi volumus, neque ea quæ eleemosynæ causa ultro data fuerint, accipi prohibemus.* (I. Concilium Mediolanense, sub S. Carolo Borromæo, an. 1565. Part. II. tit. 60.)

Quantum autem attinet ad christianorum sepulturam, quam superbam, nec neglectam esse decet, aut despectam, curent in hanc officii sui partem diligenter incumbant, ut piorum funera christianæ simplicitatis ac modestiæ limites non excedant. Id autem fiet, si ipsi primum mercede contenti & honesto contenti, deinde superfluas expensas, quæ propter ambitionem ac fastum fiunt, vel hæredibus relinqui, vel pauperibus erogari suadeant. Pauperes quibus adeo tenues fuere facultates, ut propriis impensis humari nequeant, gratis, ac honeste tamen sepeliant, alioqui pœnas arbitrarias exsoluturi. Faces omnes ac cereos funebres, nisi ad certas personas de jure vel consuetudine pertineant, parochis competere decernimus, nec hæredibus licere eos repetere. Omnes christiani, præsertim laici, quibus ecclesiastica sepultura non est interdicta, in cœmeteriis, non autem in Ecclesiis sepeliantur, nisi forte de consensu superiorum. Superiores autem non passim omnibus id privilegii concedant, sed in hujusmodi concessionibus delectum habeant personarum .... nec liceat tumulos ipsa humo altiores erigere, nec ibi cuiquam statuas, aut vexilla militaria, vel trophæa ponere. Atque humata semel corpora fidelium, & in alia loca quantumvis pia & religiosa deferri, sine expressa Episcopi licentia, vetamus. (Concil. Remense, an. 1583. tit. de Sepulturis.)

Ad Synodum delatum est, circa sepulturas Ecclesiasticas duos præcipuum, eosque gravissimos his temporibus abusus admitti; alterum, quod sine discrimine cadavera eorum qui extra Ecclesiæ communionem mortui sunt, in sacris locis humari soleant; alterum, quod in ipsis Ecclesiis defunctorum corpora, cujuscumque conditionis fuerint, & qualitatis, passim sepeliantur. Nos .... sanctorum Patrum vestigiis insistentes decernimus, ne nulli post mortem communicetur, cui vivo communicare non liceat; cujus generis sunt hæretici, schismatici, publice excommunicati .... in Ecclesiis vero nulli deinceps sepeliantur, nisi fuerint Sacerdotes, pro ut jura præscribunt, vel sacris initiati, & religiosi, Ecclesiarumve patroni. Alii autem qui nobilitate, auctoritate, meritisque in Deum & religionem commendati fuerint, ad id cum licentia Episcopi admittantur. Cæteros vero in cœmeteriis & polyandriis, quæ olim etiam illustriores non aspernabantur, sepeliri mandamus. (Concilium Burdigalense, an. 1583. tit. 3. *de Sepult.*)

Laicis omnibus, etiam nobilibus minime liceat sepulturas in Ecclesiis jure proprio sibi vindicare; cum sepultura sit proprie & mere jus spirituale & ecclesiasticum; neque sepulturam in illis assumere & eligere, ad, juxta, vel prope majus altare aut sacrarium, quacumque prætensa in contrarium consuetudine, aut possessione non obstante; nisi forte sint Episcopi, aut Ecclesiarum rectores, vel fundatores ipsarum. Nullo autem modo in Ecclesiis sepultura effodiatur, nisi quæ non minore quam sex aut quinque pedum spatio, a majore aut digniore altari distat. (Concilium Turonense, an. 1583. tit. *de Sepult.*)

Candelæ omnes, cerei, & quæ intortitia vocantur, quæ circum crucem & cadaver ad Ecclesiam deferuntur, & alia quæ circa feretrum, & altaribus, & reliquis in locis, dum divina officia in funere celebrantur, hæredum impensa accenduntur, ita adeo oblata esse intelligantur, ut ejus Ecclesiæ sacristiæ, in qua mortuum corpus humatum erit, continuo addicta sint; nisi in alium Ecclesiæ usum ordinarii licentia convertantur. Excipimus autem quæ clericis cujuscumque generis, eleemosynæ causa, dari solent, & quæ funeralium nomine cathedralibus & parochialibus Ecclesiis ex certis canonibus debentur; quibus nihil obsit, quin quartam funeralium hujusmodi iis debitam consequantur.

Nemini quemquam in funere laudare liceat in Ecclesia, nisi & eum quem laudare velit, Episcopus dignum censuerit, & laudationem scriptam ante probaverit. (Concilium Aquisextiense, an. 1585. tit. *de Funeribus & Exequiis.*)

Mortuos intra Ecclesiam, multo minus prope altare sepeliri non ita facile permittatur, nisi eos quos ecclesiastica dignitas, aut generis prærogativa, aut omnibus perspecta virtus illustriores reddiderit; ita tamen, ne supra soli planitiem sepulcri moles non attollatur. Quod si hoc etiam mortui celebritas extorserit, ut sepulcra altari altiora nusquam deinceps excitentur. Sepulcris lemmata seu inscriptiones nulla, nisi adhibito Episcopi, aut Archidiaconi, aut rectoris Ecclesiæ judicio, apponantur. Episcoporum, aut omnium, aut certum saltem, qui pietatis insignibus meritis laudandum sui desiderium piis omnibus reliquerunt, memoria, insculptis eorum in Ecclesia nominibus, quam fieri poterit, diutissime conservetur. Pecuniarias super funere exequiisque defunctorum pactiones fieri non permittens; & si quæ factæ fuerint, irritas declarent Episcopi .... Domi per diem integrum mortuorum cadavera asserventur, nec nisi post horas viginti quatuor funus instruatur; in cujus apparatu lamenta illa, ejulationes, & ut ita dicam, adumbrata illa præficarum antiquarum nænia ab Ecclesia jussu Episcopi arceantur.

Nullus, inscio, vel non approbante Episcopo, mortuum in funere habita oratione laudabit; concio tamen aliqua haberi poterit, qua humana tantum miseria, statu mortis, judicii ejus necessitas, qualiscumque describatur. (Concilium Tolosanum, an. 1590. Part. II. cap. 10. tit. *de Cura pro mortuis agenda.*)

Non sepeliantur defunctorum corpora nisi post horas viginti quatuor, nisi fuerint parvuli .... Decedentes in parochia, si alibi sepeliendi, id non fiat nisi vocato Parocho; & tunc more Ecclesiæ præsententur, qui ex funeralibus juribus recipiat juxta consuetudinem. (Concilium Narbonense, an. 1609. cap. 24. *de Sepult.*)

In hoc conveniunt omnes populi, ut de sepulturis sit illis præcipua cura; sed præsertim Christifidelibus, ut ut in loco religioso, bene septo, & rite benedicto, ab omnibus sordibus alieno, membra, Spiritus sancti quondam templa, in resurrectionem vitæ e pulvere processura, sepeliantur, & ab iis quævis arceantur profana, & submoveantur procurare, semper commendatissimum.

Prohibemus autem Sacerdotes, Ecclesiarum patroni sive fundatores, & Domini temporales, parochiarum jurisdictionem sæcularem habentes, in Ecclesiis sepeliri; sed eorum funeribus funebres orationes haberi, sine Episcopi licentia, prohibemus. Quæ tamen si unquam fieri concedantur, caveant concionatores, ne vana commendare censeantur.

In sepeliendis autem fidelium corporibus, prohibemus, ne quis ex regularis domo efferat, aut stolam ad id gerat extra sui monasterii septa; neve sacramentum Eucharistiæ ad infirmos deferre, aut mulieres puerperas in Ecclesiam introducere præsumat; cum ea omnia ad Parochos pertinere dignoscantur. Qui secus fecerit, graviter ad arbitrium ordinarii puniatur. Nunquam autem quivis regulares, ad eligendam sepulturam in suis monasteriis, sub pœnis in Constitutione Bonifacii VIII, quæ incipit, Animarum periculis, *consentis ullos inducant.* (Concilium Burdigalense, an. 1624. cap. 20. *de Sepult.*)

Pœna

Pœnæ, in hac Bonifacii VIII. Constitutione, in regulares latæ, qui quempiam adducerent, ut in eorum monasteriis sibi sepulturam eligerat, excommunicatione majori ejusque consecutionibus continentur. Nec magis regulares possunt cadavera tollere, non præsentibus aut non annuentibus Parochis, vel Parochos impedire, ne usque ad eorum Ecclesiarum januas, aut in eorumdem Ecclesias ipsas, pro locorum usibus, corpora comitentur. (Monumenta Cleri, Tom. VI. p. 1455. & seqq.)

Quamquam vetus Ecclesiæ disciplina Parochos vetuit actionem intentare, sua ut funeraria jura sibi solvantur, hæ tamen apud judicem petitiones posterioribus sæculis toleratæ fuere, dummodo intra annum fierent, quo elapso non amplius recipiantur. (*Ibid.* Tom. III. pag. 495.)

Parochorum funeraria jura ex alio locorum usu alia sunt. Ea tamen in Gallia, quoad luminaria, prope communis disciplina est, ut Parochi sibi habeant cereos qui in eorum Ecclesiis super altari positi sunt, & dimidia ex parte cum religiosis faces & alia luminaria dividant, cum aliquod corpus in monasterii Ecclesiam duxerunt. Sunt tamen Ecclesiæ, in quibus horum luminarium quarta solum pars Parochis datur. Sunt & aliæ, in quibus funerum quæ in parœcia peraguntur, totum luminare ad Parochos pertinet; aliæ præterea, in quibus cerei qui circa corpus, aut repræsentationem sunt, quique a pauperibus aliisque personis deferuntur, omnes fabricæ cedunt; aliæ denique, in quibus iidem Parochos inter & fabricas dividuntur. (Ibid. Tom. III. p. 494.)

Huic articulo finem imponet sequens quæstio quam Gibertus suarum super Ordine Consultationum Tom. I. pag. 428. sibi proponit: „ conveniatne clerico presbytero, ut pœnitentis aut religiosi habitu indutum se „ humandum curet? “ Respondetur hunc usum vituperandum non esse, ibique, ubi viget, servari posse, quia si canones sunt, ut Carthaginensis Concilii, an. 398. undecimus, qui prohibeant, ne clerici publicæ pœnitentiæ subdantur, non desunt alii qui id, ipsis quidem optantibus, sinunt; ejusmodi sunt Arausicani, an. 441. canon 4. itemque Arelatensis, an. 452. cap. 29.

SERVITIUM DIVINUM. Qui eo jure gaudent, ut in parochialibus Ecclesiis visitationes peragant, id quoque juris obtinent, ut super divino servitio necessaria statuta edant, procurentque quicquid ejus celebrationem spectat, ad scamnorum seu subselliorum, & sepulturarum reductionem usque, siquidem illud hæc impedirent. Ita per edicti an. 1695. articulum 16. statuitur.

Ex hujus temporis jurisprudentia, Episcopi est, præ quovis alio, super Ecclesiæ statu, superque divino servitio, nova statuta, perpetuasque sanctiones edere, causa exempli, ad ejus celebrationem horas præscribere, ac distributiones canonicis adsistentibus concedendas statuere. Capitula etiam exempta nihil in cathedrali Ecclesia, quavis obducta causa, sine Episcopi consensu, approbatione & confirmatione, quoad divini servitii celebrationem, augmentationem aut imminutionem decernere possunt, nisi forte de aliquibus levibus fluxisque constitutionibus sermo sit, ut cum peculiares circumstantiæ postulant, ut officium, obitus seu anniversarium quod certa quadam die peragi consuevit, in aliam diem remittatur, scilicet antevertatur, aut protrahatur. (Monum. Cleri, Tom. VI. p. 374. Relationes, an. 1740. p. 27.)

Id etiam juris Episcopo est, ut horam parochialis servitii quod in regularibus Ecclesiis fit, itemque expositionis sancti Sacramenti tempus & locum statuat, quolibet privilegio, aut possessione contraria nihil obstantibus. Est hæc nona dispositio Declarationis diei 11. Januarii an. 1731.

Quod porro ad divini servitii perturbationem attinet, criminalis sanctio mensis Augusti an. 1670. tit. 1. de Judicum Competentia, art. 11. crimen hoc inter regios casus refert. Ut autem super hoc negotio nostri sæculi jurisprudentia, ejusque fundamenta explicentur, hæc distingui necesse est, quæ rixa, divini servitii tempore, in Ecclesia contigerit, quid ei occasionem præbuerit, quæ denique perturbatio fuerit. Super rixa duos inter laicos coorta judex Ecclesiæ non est competens; nec idem de ejusdem rixæ causa cognoscit, nisi hæc aliunde ex ejus competentia sit. Quæstio turbas tantum in divino servitio excitatas spectat, ut proinde si rixa, quin divinum servitium turbaretur, extiterit, nihil sit hac in re, quod Ecclesiæ judicem spectet. Jam vero divinum servitium tum demum perturbatum censetur, cum ob excitatam rixam ab eo desistitur, idemve intermitti necesse est. Non videtur impediri ecclesiasticus superior posse, quin super divino servitio, superque turbis quæ ad illud intermittendum adigunt, inspectionem habeat. Ejus est, hoc titulo, reis congruam pœnitentiam imponere, salvo & integro remanente seculari magistratui in eos ex judiciariis formis agendi, aliasque iisdem pœnas imponendi jure. In criminali sanctione an. 1670. nihil occurrit quod his effatis repugnet. (Monum. Cleri, Tom. VII. p. 588. & seq.)

SERVITORIATUS. Ita nuncupantur capellæ quæ clericis capitulorum servitoribus affectæ sunt. Servitoriatus porro, si proprie loquimur, beneficia non sunt, quia qui eos possidant, nec resignare eosdem, nec permutare possunt, quamvis ad ecclesiasticum patronatum pertineant, & beneficia ab ecclesiasticis patronis pendentia & resignari & permutari possint. (Gibertus, *Institut. Eccl. & Benef.* Tom. II. p. 296. & 297.)

SIGILLUM, signum cujus impressione authenticus actus redditur. Sua Episcopis sigilla sunt, quibus provisiones & cætera quæ tribuunt, acta notent obsignentque; atque ex eorum temporalibus juribus unum est in beneficiorum provisionibus, aliisque id genus actis sigilli jus. Percipitur id juris sub Episcoporum nomine, tamquam eorum auctoritatis significatio. Hoc porro jus cum eo confundi non debet, quod Episcopi tamquam suorum officiariorum mercedem percipiunt. Non licet Episcopis sigillum locare; sed illud ecclesiastico probo doctoque viro committere debent. Regalia dum patet, cathedralis Ecclesiæ capitulum, tam ob voluntariæ & gratiosæ, quam ob contentiosæ jurisdictionis acta, recipit sigilli jura; ea tamen lege, ut eorumdem perceptorum rationem reddere debeat. (Monumenta Cleri, Tom. VII. p. 187. & 987. Tom. XI. p. 889. ad usque 895.)

Statuimus, ut sigillum habeant non solum Archiepiscopi & Episcopi, sed etiam eorum officiales, decani rurales, necnon Ecclesiarum cathedralium capitula, & cætera quoque collegia & conventus, cum suis rectoribus, aut divisim, juxta eorum consuetudinem, vel statutum. Pro varietate quoque cujuslibet prædictorum, habeat uniuscujusque sigillum nomen, puta dignitatis, officii, collegii, & etiam illorum proprium nomen, qui dignitatis & officii perpetui gaudent honore, insculptum notis & characteribus manifestis, sicque sigillum authenticum habeant .... Sane de custodia sigillorum curam haberi præcipimus diligentem; scilicet unusquisque per se illud custodiat, vel uni soli, de cujus fide confidat, custodiendum committat, qui etiam juret, quod fideliter illud custodiat .... In facienda vero sigilli copia, fidelis & provida sit cautela; fidelis, ne indigentibus de facili præbeatur: provida, ut falsis & fraudulentis penitus denegetur. (Concil. Londinense, an. 1237. can. 18.)

Præsentis approbatione Concilii prohibemus, ne quis de cætero pro litteris sigillandis quæ conceduntur pro ordinatione clericorum, aliquod pecuniarium commodum, vel quidquid aliud exigat, vel recipiat temporale. Alioquin statuit hujusmodi transgressores, si sint in sacris, suspensi; si laici, vel in minoribus ordinibus constituti, excommunicationis sententiæ, hujus auctoritate Concilii, se noverint subjacere. (Concilium Andegavense, an. 1279. can. 2.)

Sacro approbante Concilio, prohibemus, ne quis, vel aliqui a personis ecclesiasticis per ipsos examinandis, vel præsentandis illis qui habent eorum commissionem, vel conferre, pro sigillo, vel littera aliquid recipiant. (Concilium Andegavense, an. 1365. can. 10.)

Non liceat Episcopis sigillum suum ad certum pretium locare, sed illud probo viro, nec indocto, tamen ecclesiastico committant. Præcipitur vero Episcopis, ut certum locum secretariis suis assignent, ubi registra ordinationum, provisionum, collationum, & aliorum actorum a dictis Episcopis, seu eorum vicariis emanatorum perpetuo custodiantur, ne eorum rerum pereat memoria, & inde exempla seu extractus, cum necessarium fuerit, petantur.

Actuarios quoque seu graffarios curiarum ecclesiasticarum & capitulorum, clericos, seu notarios, non uxoratos, & scribendi peritos instituant; quibus non liceat suum aliis delegare officium; quod si illud, aut morbo impediente, aut alia urgente necessitate, explere non possint, in eorum locum officiales notarium aliquem, aut probum virum substituant.

Sportularum & salarii, pro actorum expeditione, ac pro apparitoribus & cæteris ecclesiasticæ jurisdictionis ministris, & operis, moderata sit erogatio, & a curpi quæstu aliena, nec sit ejus major taxatio, quam in curia Archiepiscopali & Metropolitana esse consuevit. (Concilium Rothomagense, an. 1581. tit. *de Jurisdiction. Eccles.*)

SIMO-

SIMONIA. Simonia, a Simone Mago nomen sortita, qui Spiritus sancti dona, ut illud edendi miracula, ab Apostolis emere voluit, est, docente S. Thoma, spiritales, aut spiritalibus adnexas res vendendi aut emendi deliberata voluntas; en ejus verba: *voluntas studiosa vendendi aut emendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum* (2. 2. quæst. 100. art. 1.). Per venditionem emptionemque intelligitur omnis conventio, omnisve contractus, cujus ope beneficium obtinetur; ejusmodi esset canonicorum duorum conventio, quorum unus alteri se perfecturum promitteret, ut is in decanum eligeratur, ea conditione, ut eum ipse præceptorem eligendum curaret. Per rem spiritalem intelligitur quicquid supra naturam, seu supernaturale est, quicquid ad Dei cultum, vel ad proximi salutem refertur, cujusmodi sunt preces, sacramenta, sermones, catechismi, ecclesiastica munia, in religiosos ordines ingressus, eorumve professio, &c. Per res quæ spiritalibus adnexæ sunt, intelligi debent temporales res quæ ita spiritalibus devinctæ sunt, ut eæ vendi non possint, quin hæ quoque vendantur, ut beneficia.

Ut Simoniæ reus quispiam evadat, non est necesse temporalem rem, tamquam spiritalis rei pretium dari aut recipi; satis est eam dari aut recipi tamquam causam ob quam spiritalis res obtineatur, aut concedatur; ejusmodi sunt qui beneficium in temporalis servitii compensationem dant recipiuntve.

Nec magis, ut fiat quispiam simoniæ reus, id quod temporale est, pro eo quod est spiritale, reapse tradi necesse est; una & unica intentio, vel simplex conventio, licet eam executio non sequatur, ad id sufficit; quod simoniæ mentalis, conventionalis & realis distinctioni causam præbet.

Simonia est solum mentalis, cum quispiam, sine ullo vel explicito vel implicito pacto, & quin ulla prorsus ratione mentem suam patefaciat, temporalem rem dat, eo consilio, ut spiritalem aut spiritali adnexam recipiat, aut tribuit rem spiritalem aut spiritali adnexam, ut temporalem accipiat.

Conventionalis simonia est, cum quispiam stipulatur se spiritalem rem pro temporali daturum, quin effectus subsequatur. Sin ex una tantum parte effectus sequitur, hoc est, res temporalis datur, quin spiritalis accipiatur, aut datur spiritalis, quin accipiatur temporalis, simonia est mixta, seu partim conventionalis, & partim realis. Si effectus utrinque sequitur, per rei temporalis pro spiritali traditionem, & spiritalis receptionem, simonia realis est.

Est etiam duplex præterea simoniæ genus, ut naturalis & divini juris una sit, ecclesiastici juris altera. Prima quidem rei spiritalis, ut spiritalis, venditione aut emptione continetur; id quod naturali divinoque jure vetitum est. Altera est in eo posita, ut res spiritalis eo modo acquiratur, quem damnat Ecclesia, reverentiæ causa quæ sanctis rebus debetur; ut cum quispiam sua ipsius privata auctoritate beneficium permutat, cujus titularis est; aut emit officium quod ecclesiasticæ jurisdictionis exercendæ jus tribuit, vel sanctum chrisma, etiam quoad solam materiam, vendit; quod sancti canones vetant.

Gravissimum est simoniæ crimen, æque oppositum naturali juri, quod & vendi prohibet, quæ in commercium non cadunt, quorumque venditores haud domini sunt, cujusmodi sunt spiritalia; ac juri divino quod mandat, ut spiritalia gratis dentur quæ gratis accepta sunt; ac denique humano juri, quandoquidem illud tamquam execrandum crimen civiles & ecclesiasticæ leges damnant. Id etiam simoniæ proprium & peculiare est, ut nunquam culpa mere venialis ob materiæ levitatem fit, quia quicquid est spiritale, maximi momenti est; & quo minus, ut illud obtineatur, offertur, injuriæ plus eidem affertur; ex quo inferendum, eum qui doni aut servitii levissimi vi beneficium, vel admodum modicum assecutus esset, nihilominus fore lethalis peccati reum, & reservationem, siquidem simonia in ejus diœcesi reservata esset, subiturum.

Si quis Episcopus per pecunias hanc sit dignitatem assecutus, vel presbyter, vel diaconus, deponatur & ipse, & qui eum ordinavit, & a communione omnino abscindatur. (Can. Apost. 28. seu 30.)

Si quis Episcoporum, accepta pecunia, ordinationem fecerit, & sub pretium deduxerit impretiabilem gratiam, atque ordinaverit per pecunias Episcopum, sive Chorepiscopum, sive presbyterum, sive diaconum, aut quemcunque alium qui connumeratus inter clericos .... Si convictus fuerit, ipse quidem subeat gradus sui periculum; & qui sic ordinatus fuerit, nullum habeat fructum ex hujusmodi mercimonio, & creatione probrosa, sed sit alienus & dignitatis, & sollicitudinis ejus, quam per pecunias introivit. Sed & ille qui instans tam turpibus & illicitis dictis intercessor apparuit, siquidem clericus fuerit, de proprio decidat gradu; si vero laicus, sive monachus fuerit, anathema sit. (Concilium Chalcedonense, an. 451. can. 2.)

Si quis sacerdotium per pecunia nundinum execrabili ambitione quæsierit, abjiciatur ut reprobus: quia apostolica sententia donum Dei esse pracipit pecunia trutina minime comparandum. (Concilium Aurelianense, an. 533. can. 4.)

Ut quicunque per pretium gradum & Ecclesiam requisierit, deponatur. (Concil. Remense, an. 813. can. 21.)

Nonnulli Episcoporum, donum accepti Spiritus in usum solent negotiationis inflectere .... hi nimirum, quod gratis acceptum est, gratis non tribuunt; quia de impenso officio sanctitatis, nummum favoris expetunt; unde bene, cum justum virum describeret, Isaias propheta ait: Qui excutit manus suas ab omni munere. (Greg. *Homil. 4. in Matth.*) *Neque enim dixit, qui excutit manus suas a munere, sed adjunxit, ab omni; quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Munus quippe ab obsequio, est subjectio indebite impensa; munus a manu, pecunia est; munus a lingua, favor.* (Concilium Aquisgranense, an. 816. cap. 38.)

Nullus Episcoporum, vel ministrorum ipsorum deinceps pro distributione sacrorum ordinum, pro dedicatione sanctæ Ecclesiæ, seu pro acceptione sacri chrismatis, vel pro immutatione titulorum aliquid exigere præsumat; & qui fecerit, convictus canonica subjaceat disciplina. (Concil. Aquisgranense, an 836. cap. 5.)

Primo namque, inspectore Deo, sicut a sancto Papa Leone, & a sanctæ memoriæ Papa Nicolao primum statutum est, erga simoniacos nullam misericordiam in dignitate servanda habendam esse decernimus; sed juxta canonum sanctiones, & decreta sanctorum Patrum, eos omnino damnamus, ac ex Ecclesia non præsse apostolica auctoritate sancimus. (Concilium Romanum, an. 1063. cap. 1.)

Ecclesias & ecclesiastica beneficia, seu quaslibet ecclesiasticos honores vendi vel emi, auctoritate beati Petri apostolorum Principis & nostra, omnino prohibemus. Qui vero hoc præceptum violasse convictus fuerit, clericus quidem, etiamsi canonicus regularis sit vel monachus, ab ordine deponatur; laicus vero exlex & excommunicatus habeatur, & ejusdem Ecclesiæ vel beneficii potestate privetur. (Concilium Londinense, an. 1127. cap. 1.)

Exactiones earum pecuniarum pro recipiendis monachis, canonicis & sanctimonialibus, condemnamus. (Cap. 3.)

Dictum est solere in quibusdam locis pro perceptione chrismatis nummos dari, similiter pro baptismo & communione. Hæc simoniaca hæresis esse detestata est synodus, & anathematizavit. Statuimus ergo, ut de cætero nec pro ordinatione, nec pro chrismate, nec pro baptismo, nec pro extrema unctione, nec pro sepultura, nec pro communione, nec pro dedicatione, quidquam exigatur; sed gratis dona Christi gratuita dispensatione donentur. Si quis contra hoc facere præsumpserit, anathema sit. (Concilium Londinense, an. 1175. cap. 7.)

Nullus Prælatus in recipiendo monacho, vel canonico, vel sanctimoniali, pretium sumere, vel exigere ab his qui ad conversationem (al. *conversionem*) *veniunt, aliqua pacti occasione præsumat. Si quis autem hoc fecerit, anathema sit.* (Cap. 8.)

Nulli liceat Ecclesiam, nomine dotalitii ad aliquem transferre, vel pro præsentatione alicujus personæ, pecuniam, vel aliquod emolumentum, pacto interveniente, accipere .... Quod si quis fecerit, & inde in jure vel confessus, vel convictus fuerit, ipsum tam regia quam nostra freti auctoritate, patronatu ejusdem Ecclesiæ, in perpetuum, privari statuimus. (Cap. 9.)

Cum in Ecclesiæ corpore omnia debeant ex charitate tractari, & quod gratis receptum est, gratis impendi; horribile nimis est, quod in quibusdam Ecclesiis locum venalitas perhibetur habere; ita ut pro Episcopis, vel Abbatibus, seu quibuscumque personis ecclesiasticis ponendis in sede, seu introducendis presbyteris in Ecclesiam, necnon pro sepulturis & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, seu aliis sacramentis aliquid exigatur; & ille qui indiget, non possit ista percipere, nisi manum impletoris curaverit largitoris. Putant plures ex hoc sibi licere, quia legem mortis, (al. *moris*) *de longa invaluisse consuetudine arbitrantur, non satis, quia cupiditate cæcati sunt, attendentes, quod tanto graviora sunt crimina, quanto diutius animam infelicem tenuerint alligatam. Ne igitur hoc de cætero fiat, & vel pro personis ecclesiasticis deducendis ad sedem, vel Sacerdotibus instituendis, aut mortuis sepeliendis, seu etiam nubentibus benedicendis, seu etiam aliis sacramentis aliquid exigatur, districtius inhibemus. Si quis autem contra hoc ve-*

nire

nire præsumpserit, portionem cum Giezi se noverit habiturum, cujus factum turpis muneris exactione imitatur. (Concilium generale Lateranense, an. 1179. cap. 7.)

Quanta sit labes simoniacæ pravitatis, sanctorum Patrum decreta declarant, qui omnia crimina, hujus comparatione, quasi pro nihilo reputant. Simoniacos etenim præcipuos hæreticos a cunctis fidelibus novimus respuendos, & ipsos Judæ proditori comparandos. Nam sicut ipse Dei Filium, ita isti Spiritum sanctum, Patri & Filio consubstantialem vendere non formidant; & sic ejusdem rei facinorisque poenæ pro crimine erunt participes. Ne igitur avaritia quæ est idolorum servitus, ministrorum Ecclesiæ corda ad tam grande (crimen) alliciat; districtè inhibemus, ne ipsi pro sacris, vel quibuscunque sacramentalibus ministrandis, ut puta sepulturis & exequiis mortuorum, benedictionibus inhabitantium, installationibus Abbatum, vel Priorum, seu admissionibus clericorum in possessionem beneficiorum suorum, & consimilibus, quidquam præsumant exigere, cum id absque labe fieri non valeat simoniaca. Laudabilem tamen consuetudinem, si qua fuerit in hujusmodi pia fidelium introducta consuetudine, cum de ipsa nobis constiterit, faciemus, Domino inspirante, firmiter observari, juxta traditam nobis formam in Concilio generali. Ad hæc, in Dei nomine, lacrymosis obsecramus suspiriis, ut locorum archidiaconi, & cæteri Ecclesiarum prælati sic studeant excessus clericorum corrigere ut holocaustum pro peccato minime postulantes, lucra animarum pecuniam vel aliud nullatenus anteponant. (Concilium Exoniense, an. 1287. cap. 38.)

1. *Cum autem nihil adeo totum clerum deformet, quam simoniæ labes; non abs re pridem censuit Ecclesia omnes simoniacos & fiduciarios excommunicatione percellendos; quorum nequitia tam late jam diffunditur, ut universum pene corpus illius labefactare conetur. Contra quos ut omnibus viis juris & pœnis severissimis inquiratur & procedatur, optamus, volumus & decernimus. Præcipimus quoque, ut singulis diebus dominicis omnes simoniaci & fiduciarii denuntientur excommunicati eo ipso quod tales existant.*

2. *Beneficiis etiam adeptis utrosque privat sancta Synodus, & ea ipso facto vacare vult, eosdemque ad alia obtinenda declarat incapaces. Qui autem ex iis sunt ad sacerdotium promoti, noverint se contraxisse irregularitatem, si iis peccatis, ac eorum sententiis implicati rem sacram facere præsumpserint.*

3. *Confessarii de utroque peccato simoniæ & confidentiæ diligenter inquirant; & cum commissum audierint, absolutionem, excepto mortis articulo, ad summum Pontificem remittant.*

4. *Concionatores moneant frequentissime eos qui per simoniam, vel confidentiam beneficia capiunt, obligari ad integram restitutionem fructuum, quos suos facere nequeunt; nec prius posse culpæ remissionem consequi, quam beneficio cesserint.*

6. *Ut autem sciant omnes, quinam utriusve criminis rei habendi sint; illi in primis & proprie habeantur, prout sunt, simoniaci, qui beneficia, resque spirituales pecuniis comparant, vel conferunt, vel certe rebus quæ pecunia æstimari queant. Nam eorum impudentissimum prætextum detestamur, qui de solo proventu, reque temporali se pacisci dicunt; cum ea spirituali tam arcto sit annexa vinculo, ut non magis una ab altera divelli queat, quam in homine vivo manente corpus a sua anima.*

7. *Si quis beneficium propter obsequium, vel impensæ servitutis mercedem conferat, vel de retinenda pensione sibi vel alteri paciscatur, aut partem fructuum, vel aliud beneficium in compensationem collationis etiam alteri conferendum exigat, vel aliam quamlibet pactionem a Sede Romana non approbatam fecerit, simoniacus esse censetur.*

9. *Sacerdotes qui de pretio paciscuntur, ut Missas celebrent, & parochi qui pro Sacramentorum administratione, vel funere, vel sepulturis aliquid exigunt, præter ea quæ de jure, lege, vel consuetudine laudabili conferantur, habeantur simoniaci; non autem si sponte oblata recipiant.*

10. *Qui pro religionis, seu monasterii ingressu aliquid extorserit, simoniacus esse censeatur. Nam licet opes monasterii sint adeo tenues, ut vix ingredientem alere queant, utque oporteat aliquando pro alimentis & vestibus aliquid monasterio conferre, tuta conscientia, modo id fiat ante votorum emissionem; tamen ut deinceps omnis nequitia amputetur occasio, Synodi Tridentinæ decretis admoniti, statuimus, ne deinceps in quibuscunque monasteriis major monachorum, vel monialium numerus admittatur, quam qui ex propriis redditibus monasterii, vel eleemosynis assuetis educari queat. Approbamus tamen & laudamus eleemosynas etiam copiosas ab ingredientibus sponte collatas.*

11. *Rerum exactio, quæ pro canonicorum, & aliorum beneficiatorum ingressu in plerisque locis suspicione simo-*

niæ, vel sordidæ avaritiæ non caret, fieri nullo modo permittatur; quamvis laudabiles consuetudines in Concilio Tridentino non damnatas approbemus eorum, quæ in pios usus conferri solent.

13. *Quisquis autem accepturus beneficium, ut id postea cedat in favorem cujuscunque personæ capacis vel incapacis, sæcularis vel regularis, laica vel alicujus ex clericis, fiduciarius esse censeatur. Idemque esto judicium de eo qui per resignationem ejus beneficium recipit, cujus prius erat illi facta promissio.*

14. *Qui eamdem confidentiam verbo, vel facto juverit, vel procuraverit, ejusdem criminis particeps habeatur.*

15. *Qui beneficium accipiat, non ut cedat, sed ut alius fructibus, vel eorum portione, sub ipsius nomine, gaudeat, fiduciarius esse judicetur.*

16. *Patroni etiam, seu ecclesiastici seu laici, qui clericorum personas interponunt, ut ex pacto, vel expresso vel tacito, fructus beneficiorum quæ præsentant, vel eorum partem aliquam in proprios usus convertunt, vel qui aliquo supposito, vel etiam nullo titulario existente, fructus beneficiorum occupant, non solum hujus criminis rei, sed etiam injustissimi raptores censeantur, & jure patronatus ipso facto privati existant.* (Concil. Remense, an. 1583. tit. *de Simoniacis & Fiduciariis.*)

Occurrunt eædem dispositiones in Conciliis, Tolosano, an. 1590. Narbonensi, an. 1609. & Burdigalensi, an. 158. & 1624. Melodunensis cœtus, an. 1579. id Episcopis maxime, si quid aliud, cordi esse vult, ut contra simoniam prædicent, & ceu cleri pestem spectandam curent. Per Blesensis constitutionis articulum 21. Episcopi & regii judices perficere possunt, ut ad eorum obtinendam revelationem, qui simoniæ crimen patrarunt, monitoria publicentur.

Ex allatis canonibus perspicitur, Concilia in simoniacos pronuntiare trium generum pœnas; videlicet, excommunicationem majorem & censuras cæteras, simoniacorum actorum nullitatem, & restituendi obligationem. At super hac re plura veniunt animadvertenda. Id primum omnium animadversione dignum est, ex Romanæ curiæ usu quem Navarrus testatur, simoniacos tum solum in censuras incidere, cum simonia utrinque, saltem ex parte, completa est, nempe cum res spiritalis recepta est, & tradita saltem summæ pars, quæ ad eam obtinendam promissa fuerat. Animadvertendum secundo loco, censuris in simoniacos pronuntiatis ne eos quidem *ipso facto* obnoxios esse, qui realem completamque simoniam perpetrant, præter quam in ordinationis, beneficiorum, & in religionem ingressus negotio. Qui enim ordinem, quicunque fuerit, tonsuram ipsam, simoniaca ratione, conferunt, quique suscipiunt, excommunicationem majorem, Papæ, excepto mortis articulo, reservatam facto ipso subeunt. In Gallia, excommunicatio non est Papæ reservata, nisi cum simonia publica est.

Ad simoniacorum actorum nullitatem quod attinet, omnis ecclesiasticorum beneficiorum provisio, per simoniam edita, nulla est pleno jure, saltem in casibus ob quos in censuras inciditur. Qui in hunc modum beneficio potitus est, ne post viginti quidem, & amplius, possessionis annos, illud resignare potest, utpote cujus haud legitimus possessor est. Idem etiam beneficio possidendo, quod ei tradi laberet, ineptus est; at ea retinere potest, quæ legitima ratione prius possidebat. Quod triennalem possessionem spectat, simoniacus ex ea sibi fulcrum & perfugium quærere nequit. Ei tamen hæc prodest, qui per simoniam, se inscio, ab aliis patratam beneficium obtinuit. Vi obligationis ea restituendi, quæ per simoniam acquisita sunt, pretium ex spiritali re perceptum ei qui dedit, restitui debet, cum de beneficio non agitur; at si agitur de beneficio, restitutio pauperibus aut Ecclesiæ facienda est, saltem cum is qui temporale aliquid dedit, ut beneficium haberet, haud culpa caret. Beneficia quoque cum perceptis fructibus, & generatim ecclesiasticæ omnes per simoniam acquisitæ res, etiam ante judicis sententiam, restitui debent; & restitutio facienda est Ecclesiæ quæ potissimum læsa fuit, aut in piis operibus collocanda, quæ saltem indirecte ad Ecclesiæ emolumentum vergant. Simoniæ mediatores, in re quidem beneficiaria, pecuniam quam perceperunt, & beneficii fructus, beneficiario id non præstante, restituere tenentur ipsi, quia suam operam ad ejus injustitiam contulerunt. Quod autem simoniam mere mentalem spectat, Silvius, theologis numero pluribus contra sentientibus, hanc obligare ait ad restituenda beneficia quæ hac ratione acquisita sunt; atque ejus sententia est saltem in usu tutior.

Super simoniæ judicibus non eadem semper fuit Gallicanum jurisprudentia. Ante Blesensem constitutionem

simo-

simonia inter crimina mere ecclesiastica referebatur, & laici simoniaci Ecclesiæ judicibus suberant. Hoc tempore simonia spectatur ut crimen *mixti fori*, cujus cognitio in clericos quidem ad Ecclesiæ judices, in laicos vero ad seculares curias pertinet. Cum simonia per beneficii venditionem patrata est, directeque ac primario intentata est accusatio, ut obtineatur accusati ecclesiastici per canonicas pœnas punitio, de ea cognoscit Ecclesiæ judex. At si accusatio in beneficiaria querela est solum incidens, regius judex qui sibi querelam sumpsit, de ea incidenter cognoscit, vacansque & impetrabile declarare potest beneficium cujus occasione querela apud eum pendebat, tametsi vacantia declarare non possit alia beneficia quæ qui simoniam patrarunt, canonice possidebant, aut easdem personas cuivis in posterum possidendo beneficio ineptas pronuntiare. (Monumenta Cleri, pag. 516. & seq.)

Recensentur sex rationum momenta, seu tituli, quibus quispiam a simoniæ crimine excusatur, eximiturve, tum quoque, cum res temporalis, occasione rei spiritalis, datur, accipiturque; videlicet, libertas seu donum mere gratuitum, stipendium legitimum, ministri sollicitudo seu labor, jactura temporalis emolumenti quo is se privat, spiritalem functionem peragens, laudabilis consuetudo, & necessitas efficiendi, ut injusta cessatio finem habeat, ut accidit, cum potens adversarius ecclesiasticum injuste impedit, ne beneficio fruatur, ad quod habet id quod dicitur *jus in re*, non autem id unum quod *jus ad rem* appellatur, propterea quod canonice electus aut nominatus fuit. In hac facti specie, potest ecclesiasticus de quo sermo est, se a vexatione redimere, pecunia, aliave temporali re tribuenda, quia tum quidem non dat temporalem rem pro spiritali quæ jam ad eum pertinet, sed ideo dat, ut ab injusta vexatione se liberet. Operam tamen dare non potest, ut, rem spiritalem, aut spiritali adnexam tribuens, vexationi finem afferat, causa exempli, beneficium conferens, quia tum id esset spiritalem rem pro temporali tribuere.

Papa permittere potest acta simoniaca quæ ecclesiastico tantum juri contraria sunt, non autem quæ naturali aut divino juri repugnant. Cum per occultam, inscioque proviso patratam simoniam beneficium impetratum est, Episcopus cum eo dispensare, eumdemque ad hoc ipsum beneficium possidendum habilem reddere, post puram tamen & simplicem in ejus manu dimissionem, potest; at si provisus simoniam agnovit, quin ei se opponeret, aut eam ipse patravit, eum solus Papa, post puram & simplicem in ipsius manu dimissionem absolvere & Beneficio quod dimisit, idoneum reddere potest.

SORTES SANCTORUM. Erat hæc olim divinatio quædam apud Christianos in usu posita, & a Conciliis damnata. In eo continebatur, ut sacræ Scripturæ liber aliquis aperiretur, versiculusque qui primus occurrisset, tamquam rei quæ futura erat, prognosticon sumeretur.

Ac ne id forsasse videatur omissum, quod maxime fidem catholicæ religionis infestat, quod aliquanti clerici student auguriis; sub & nomine ficta religionis, quas Sanctorum sortes *vocant, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque Scripturarum inspectione, futura promittunt; hoc quicunque clericus detectus fuerit vel consulere, vel docere, ab Ecclesia habeatur extraneus.* (Concilium Venetense, an. 465. can. 16. & Concilium Agathense, an. 506. can. 42.)

Non licet ad sortilegos, vel ad auguria respicere, nec ad caragios, nec ad sortes quas Sanctorum vocant, vel quas de ligno, aut de pane faciunt, aspicere; sed quæcunque homo facere vult, omnia in nomine Domini faciat. (Concilium Antissiodunense, an. 585. can. 4.)

Vox *caragius*, seu *charagius*, seu *caragus*, seu *carajus* teste Ducangio, ariolum, præstigiatorem, magum significat, qui nempe magicis ad divinandum characteribus utitur. Legitur etiam in quodam veteri Pœnitentiali manu scripto, *carurios, corimos*; fortasse legendum: *curofes, cariofes*.

SPECTACULA. Per *spectaculorum* vocabulum veniunt oblectationes quæ in publicum exhibentur, distinctiusque theatri repræsentationes, dramma, vulgo *opera*, comœdia, tragœdia &c. Argumentum, itemque finis & effectus spectaculorum sunt, ut excitentur, alantur, accendantur animi cupiditates, affectionesque præposteræ, superbia, ambitio, iracundia, zelotypia, invidia, vindicta, & in primis profanus amor qui tamquam nobilis imbecillitas, nec sine omnibus eum vehementius inspirare natis illecebris ac titillationibus in theatro se prodit. Ibidem prodeunt, & in arenam descendunt actores & actrices, quorum omnis ars in eo est posita, ut ad spectatores transferant vitiosas sensationes quarum specimen exhibent per seducentem sermonem, lascivam musicen, molles cantus, effrenosque ad ethnicæ superstitionis deorum & semideorum laudem, gestus ad significandum aptos, nativas picturas, ad vivum expressas ac veluti loquentes & animatas imagines, opulentos, splendidos, immodestos, & plus minusve indecentes, pro ut scena postulat, ornatus apparatusque. Id nimirum, & quidquid ad afficiendos, permovendos, abripiendos, seducendos, & corrumpendos animos summopere facit, in theatro spectatur. Atque id ipsum etiam in causa fuit, ut ejusmodi spectacula, tamquam innumeris depravationibus occasionem originemque suppeditantia non ab Ecclesiæ solum Patribus Conciliisque, sed a summis quoque Principibus, seu fidelibus, seu infidelibus, a philosophis, ab ipsis eorumdem fautoribus qui resipuerant & ad sanam mentem redierant, damnarentur. Hujus Operis ratio requirit, ut ipsi nos hoc loco ad paucos Conciliorum canones redigamus, quos excipiat pravorum obtentuum confutatio, qui ad fulcienda, in tuto ponenda, & purganda spectacula afferri solent.

Quod non oporteat Sacerdotes aut clericos quibuscunque *spectaculis in scenis, aut in nuptiis interesse.* (Concilium Laodicenum, can. 54.) Legitur canon hic ad verbum exscriptus in Aquisgranensis Concilii, an. 816. habiti octuagesimo tertio canone.

Omnino prohibet hæc sancta & universalis synodus eos qui dicuntur, mimos & eorum spectacula; deinde venationum quoque spectationes, atque in scena saltationes fieri. Si quis autem præsentem canonem contempserit, & se alicui eorum quæ sunt vetita, dederit, si sit quidem clericus, deponatur; si vero laicus, segregetur. (Concilium in Trullo, an. 692. can. 51.)

Fabulis, comœdiis & hastiludiis, aliisve profanis & inanibus spectaculis non intersunt (clerici), *ne aures & oculi, sacris officiis addicti, lubricis & impuris actionibus, sermonibusque distracti polluantur.* (Concilium Mediolanense I. sub S. Carolo, Borromæo, an. 1565. Part. II. cap. 23.) His Conciliis aliisque addenda peculiaria ritualia quæ comœdos tamquam infames & ab Ecclesia excommunicatos homines exhibent.

At, inquiunt, sacra Scriptura nequaquam vetat spectacula. SS. Patres & Concilia non ea damnant, nisi idololatriæ, superstitionum, crassarumque impuritatum ratione habita, quæ eorum temporibus in iisdem dominabantur. Recentiora theatra pura & modesta sunt; atque adeo sunt veluti quædam virtutis schola, quandoquidem ejus elogium texitur, dum vitium vituperatur & censoria virga notatur. Adiri possunt spectacula sine pravo consilio, & quin malus ullus effectus ex iis percipiatur. Ecclesiasticæ & seculares potestates spectacula sinunt. Sinuntur in primis in Hispania, & in Italia, summis Pontificibus consentientibus. Honestos plures homines scrupuli nihil impedit, quominus spectacula frequentent, animarum moderatores plures ea tolerant, aut sinunt; ad extremum, ejusmodi est consuetudo; hæc tenenda, aut inenodus in humana societate singularis agendi & sentiendi modus.

Sacra Scriptura, inquiunt, *nequaquam vetat spectacula*. Dici potius deberet universam sacram Scripturam, quam late patet, spectaculorum expressam apertamque damnationem esse; eam nempe, quæ non nisi de tristitia, coarctione, privationibus, abdicationibus, violentia, immolatione, sacrificio loquitur; eam quæ precem, animi collectionem, silentium, recessum, modestiam, pœnitentiam, mundi odium, periculorum & occasionum peccati fugam, sensuum castigationem, & contra carnem, triplicem concupiscentiam, omnesque præposteros animi motus qui nullibi magis quam in theatro triumphantes se produnt, tam sæpe præcipit; eam quæ non solum impuros, scurriles, ambiguos, immodestos sermones, sed verba simpliciter inutilia, gestum ipsum, incessum, leviorem oris & corporis habitum, a regulis quas omnibus promiscue Christifidelibus Religio præscribit, recedentem damnat proscribitque.

SS. Patres & Concilia non damnant spectacula, nisi idololatriæ, superstitionum, crassarumque impuritatum ratione habita, quæ eorum temporibus in iisdem dominabantur. „ Falsum est, inquit magnus Bossuetius, Pa„ tres in spectaculis nihil aliud quam idololatriam, „ & apertas impudicitias vituperasse; vituperarunt „ inutilitatem, dissipationem, commotionem animi „ excitatas cupiditates, alios videndi & oculos trahen„ di desiderium, honestas res quæ malum involvunt, „ cupiditatum jocum, contagiosam vitiorum expressio„ nem vituperarunt. “ *Mittamus* Idololatriam, ajebat Tertullianus, de spectaculis loquens, *super his contro-*

versam per alia rationum momenta, veluti ex abundanti, quod dicitur expendamus (Lib. *de Spectac.* cap. 14.). Hoc edito examine, Tertullianus ad spectaculorum damnationem concludit, propterea quod pravos animi motus excitant, donis Spiritus sancti contraria sunt, nec conciliari possunt cum officiis in baptismo initis, cumque obligatione cui omnes Christiani subsunt, sua ut acta omnia ad Deum referant, & in continua precum, attentionis, vigilantiæ & pœnitentiæ dispositione vivant. Similia rationum momenta cæteri Patres & Concilia congerunt, ut spectacula fidelibus interdicant.

Recentiora theatra pura & modesta sunt, subditur; *atque adeo sunt veluti quædam virtutis schola, quandoquidem ejus elogium texitur, dum vitium vituperatur, & censoria virga notatur*. Apparens tantum & illusoria quæ recentioribus theatris tribuitur, puritas est; quæ si vitii imagines temperare videtur, non aliam propositam finem habet, quam ut illud minus odiosum reddens, tutius ingerat; est hæc leve tectum quod acriorem in modum ea perspici sinit, quæ apertius exhibita non possent, quin fastidium afferrant, everterentque. Est aureus crater, inquit S. Augustinus, in quo doctores ebrii vinum suaram depravationum libidinumque veneno infectum cum voluptate bibendum præbent. Theatrum, quæcunque tandem ponatur ejusdem puritas, nihil est aliud, quam in usum redacta cupiditates fucandi ars, quæ eædem amore dignæ reddantur, & ejusmodi, ut de pudoris oblectationibus mieus ægra triumphant. Est ipsa locutio, picturaque animi motuum, sed pictura affabre elaborata, ad vivum expressa, pathetica, seu ad movendum idonea, animata, cujusque delicata, expolita, elegantia lineamenta, dubio procul, periculosiora sunt, acutiora, vehementiora, & ad spectatorum animum intime subeundum aptiora, maxime funestis eidem inustis notis. Quicquid ibi cernitur, & quicquid auditur, ornamenta, decorationes, gestus, oris & corporis habitus, motus, sermones, narrationes, cantus, lacrymæ, suspiria, declarationes, secreta nuntia, furtivæ schedulæ, familiaritates, machinationes, disrupta & instaurata vincula, nihil non ad placendum, ad afficiendum, ad abripiendum, ad afferendum conspirat. Ibi nonnisi de catenis, de captivitate, de servitute, de votis, de homagiis, de adoratione, de thure, de oblationibus, de sacrificio, de immolatione, de altaribus, de victimis sermo. Fabulosum ergo systema, quantum est, ibidem regnat; ac, siquidem illinc cætera omnia flagitia expulsa essent, idololatria spiritalis, per quam infamibus creatis rebus divina natura tribuitur, in eas profusa, per sacrilegium & monstrosum facinus, divinitatum seu numinum titulo, non satis efficeret, ut theatralia spectacula sine ulla prorsus venia damnarentur. Nobis, quæso, post hæc dicatur, virtutumne schola theatrum sit, an potius exsecrandorum vitiorum, impietatum, indignitatum, cupiditatum, cujusmodi sunt profanus amor, mollities, immoderatum placendi studium, invidia, zelotypia, suspiciones, odium, indignatio, vindicta, stomachus, rabies, furor, desperatio, vafrities, avaritia, ambitio, vanitas, superbia, ut verbo expediam, præposterorum omnium animi motuum; atque heroes actionum quoque in quibus profanus amor non dominatur, non alii sunt quam tyranni, usurpatores, fanatici, enthusiastæ, perduelles, insano impetu abrepti, furiosi, ultores; quorum a ratione aliena sensa ad suæ pravitatis extremum deducta, tamquam magnanimitatis prodigia exhibentur. Hæ nimirum perpetuæ lectiones sunt, quibus avidos spectatores omnium maxime castum depuratumque theatrum imbuit; eique ita quidem, postquem iis per totam actionem, in molli & ad seducendum accommodata vitii pictura, venenum propinavit, meretur illud tamen *virtutis schola* gloriosum titulum, quia eam aliquando languida commendatione prosequitur, quæ nunquam non serius advenit, semperque etiam infirmior est, ut magico veneno quod haustum est, suumque jam omnem effectum edidit, antidoti loco sit.

Itur ad spectacula sine pravo consilio, cujus aditus fuit, exitus quoque est, ab implicatione, a cupiditatum titillatione, a malo quovis affectu prorsus immunis. Ut ita se res haberet, male semper ageret qui ad ea se conferret; violat enim, ad ea pergens, Dei & Ecclesiæ leges; periculo sine causa se exponit; publicum scandalum parit; ad comœdorum comœdarumque, infamis apud omnes nationes generis hominum, sustentationem confert; agitque rem quæ suapte natura ejusmodi est, ut eam agens Deo offerre nequeat, quod ad eamdem criminosam reddendam sufficit; est enim ex evangelicæ moralis doctrinæ principiis extra omnem dubitationem positum, non posse christianum hominem licita quicquam facere, quod Deo offerre, & ad ejus gloriam referre non possit. At malum semper effectum aliquem e spectaculis derivari, id certo evidentique argumento est, haud sane fore, si ita se res haberet, ut ad ea pergeretur, quoniam tum quidem nulla prorsus ex iis voluptas perciperetur, ac voluptas tantum quæ ex iis percipitur, ad eadem veluti invicte pertrahit, omnibus rationum momentis quæ illinc avocant, avertuntque, nihil obstantibus. Malum ergo quod ad spectacula semper patratur, hæc ipsa voluptas est, hæc criminosa voluptas, quæ semper ex iis percipitur, & sine qua dubio procul eadem deserarentur; est attentio voluntaria quæ sermonibus cantibusque præbetur, quos actores & actrices plus minusve ad licentiam componunt, perinde ac plausus laudesque quæ in eos profunduntur; est perturbatio, emotio, emollitio, quæ sentiuntur, dum ii spectantur, audiunturque; est ea denique malarum cogitationum, malorum desideriorum, indecentium repræsentationum farrago, quam in spectaculis quæsitum itur, quæ certo in iis comperitur, quæque diu etiam postea perdurat. Ejusmodi malum est quod spectatores minus mali semper in theatro perpetrant; malum summopere periculosum, quod omnibus officiis suavitatem quasique saporem adimit, quod virtutis fastidium parit, quod ad vanas & frivolas oblectationes omnium pertrahit. Est ergo theatrum omni dubitatione procul, & vere dici potest contagiosus innumerorum malorum fons, absurdumque est dicere illud imminuendis criminibus inservire, quasi vero reapse plura perpetrarentur in urbibus in quibus spectaculorum nihil est, quam in iis in quibus hæc instituta sunt, atque in his posterioribus, cum sunt intermissa, quam cum in consueto cursu versantur.

Ecclesiastica & sæculares potestates spectacula sinunt. Minime vero; ea damnant, tolerant, restringunt. Romanæ leges declarabant actores infames, Romani civis titulum & jus iis adimebant, & actrices in prostitutarum ordinem rejiciebant. Imperatores Valentinianus, Valens, Gratianus & Theodosius haud spectaculis favere significarunt, vetueruntque, ne quis seu theatri, seu circi ludus, dominicis, Natalis, Epiphaniæ, Paschatis, & quinquaginta ad Pentecosten usque diebus exhiberetur. Histriones & mimos Carolus Magnus, (*Capitul. Reg. Franc.* Tom. I. col. 229. artic. 44.) lege an. 789. lata, infames declaravit. Ludovicus XIII. Gallarum Rex per declarationem diei 4. Aprilis an. 1641. omnes comœdos vetat ullas minus honestas actiones repræsentare, ullisve lascivis verbis uti, vel quæ duplicem interpretationem patiantur, &c. Imperatrix-Regina cujus sublimem sapientiam universus admiratur terratum orbis, an. 1754. comœdias, dramata, vulgo operas, concertus, & alia publica spectacula prohibuit, singulis anni feriis sextis, per Adventum, initio ducto a 14. Decembris die, in Natali Domini, toto Quadragesimæ tempore, Paschatis die, Rogationum, Pentecostes, Trinitatis diebus, per octavam Corporis Christi Domini, sanctæ Virginis diebus festis, eorumque vigiliis, diebus Quatuor Temporum, omnium Sanctorum, &c. Cardinalis Aguirræus qui Salmanticæ diu theologiæ professor fuit, acriter in sua magna Collectione Conciliorum Hispaniæ, in spectacula invehitur; & P. Concina, doctus Dominicanus, in latino de Spectaculis Tractatu, an. 1752. Romæ impresso, nos certos facit Benedictum Papam XIV. Kal. Januar. authenticam declarationem dedisse, per quam testatur se invito solum animo spectacula tolerare, eademque in suis variis operibus impugnare; constat præterea eumdem Papam theatra in urbe Roma imminuisse. Ecclesiastica igitur & sæculares potestates, si minus sua semel utuntur auctoritate ad spectacula absolute damnanda, ea damnant tamen, ut summum, tolerant & restringunt. Quid ergo refert *honestos homines ea frequentare, non deesse animarum moderatores, qui ea tolerent, vel etiam permittant, per consuetudinem ea firmari, nec ab iis abstineri posse, quin singularitatis nota subeatur?*

Qui spectacula frequentant, esse possunt honesti homines, quoad mundum, & mali christiani, quoad Evangelium. Animarum moderatores qui ea tolerant, aut permittunt, ignorant, aut negligunt officium suum. Christiani hominis regula non consuetudo est, sed lex & veritas; & quia multitudo, quasi torrente quodam abrepta, consuetudinem sequitur, is se necessario singularem exhibeat, oportet, si æternam salutem consequi vult, persuasumque habeat, atque adeo probe convictus sit, ad spectacula pergere, peccatum suapte natura mortale esse, quicquid possint eorum fautores dicere vel sentire. *Vide* S. Carolum Borromæum, in *suis ad Confessarios Institutio*

entientibus; Tractatus de Comœdia Principis Contiacensis, D. Nicolii, D. Bossuetii, & Patris le Brun, ex Oratorio; Epistolam D. Bordelonii, ubi ostendit eleemosynam pio hospitali generali ex iis exactam qui spectacula adeunt, eos in tuto non ponere; *Confutationem cujusdam scripti comœdiis faventis*, in 12. Parisiis, apud Edmum Couterot, an. 1694. Epistolam ejusdem doctoris Sorbonici ad quamdam haud e vulgo personam, super Comœdia, in 12. Parisiis apud Claudium Maznel, an. 1694. *Ecclesiæ & sanctorum Patrum sensus super Comœdia Comœdisque; Historia & Compendium latinorum, italicorum & Gallicorum operum, quibus Comœdia & quæ vulgo dicitur Opera, defenduntur & impugnantur*; ubi concluditur ad comœdiam pergere neminem posse, quin peccet, in 12. Aureliani, an. 1697. Scriptum D. Rousseau, Genevæ, ad D. Alembertum, super ejus articulo *Geneva*, in Encyclopediæ Volumine septimo, Amstelodami, apud Marcum-Michaelem Rey, an. 1758. Epistolas D. *Desprez de Boissy*, advocati in Parlamento, super spectaculis, cum historia Operum pro & contra theatra; editione quarta, revisa, correcta & aucta ab auctore; Parisiis, apud Butard, an. 1771. Opus hoc merito in pretio habitum id habet singulare, quod theatri defensores auctor propriis eorum armis impugnat, aut per testimonia a scriptis in spectaculorum favorem elucubratis deprompta; nec nisi humanam sapientiam contra theatri pericula loquentem inducit, per argumenta quorum probatio residet in eorum animo, qui illud acrius tuentur. Videri etiam possunt Epistola D. Gresetii, super Spectaculis; & libellus, inscriptus, *Dialogus super Spectaculis*, Amstelodami (Parisiis) an. 1772.

SPOLII jus. Spolii seu funerum jus universim est jus colligendi quædam personæ bona post ejus mortem. Spolii jus, inquit Fleurius, (Institutio ad Jus ecclesiasticum, t. 2. p. 423. Edictum an. 1762.) incepit a monasteriis, ubi, prioribus aliisque beneficiariis peculium non nisi per tolerantiam habentibus, post eorum mortem nihil non ad abbatem redibant. Illud Episcopi quoque sibi supra presbyteros & clericos tribuerunt; denique Clemens VII. schismatis tempore, illud ipsum in omnes Episcopos Papæ tribuit, quorum se hic unum & unicum hæredem esse contendit. Gaudet hoc jure Papa in Italia & in Hispania; at Gallia se nunquam huic juri subdidit; quin potius, ex annis prope trecentis, id moris ibidem receptum est, ut Episcoporum omniumque beneficiariorum (sæcularium) consanguinei iis succedant *ab intestato*, quin illorum patrimonium ab eorumdem beneficiorum reditibus distinguatur.

Spolii jus quod olim Episcopi, post beneficiariorum ad cujusque diœcesin spectantium mortem, quoad mobilia omnia eorum bona, sibi arrogabant, a Conciliis pluribus damnatum fuit. Cabillonense quidem, an. 643. seu 644. seu 650. celebratum, canone septimo, ita pronuntiat in hanc rem: *Ut defuncto presbytero, vel abbate, nihil ab Episcopo, vel archidiacono, vel a quocumque, de rebus parochiæ, vel xenodochii, vel monasterii aliquid debeat minuere. Quod qui fecerit, juxta statuta canonum debeat coerceri.*

Porro spolii jus quod archidiaconorum nonnulli possident, in eo est positum, ut e defuncti parochi mobilibus bonis aliquod a consuetudine designatum ii sibi sumant. Jus hoc possessione nititur, oportet, quæ supra omnem memoriam sit; fere æstimatur ad certam summam. Archidiaconis, quibus in locis eo fruuntur, suppetit privilegium supra defuncti supellectilem quæ iisdem præ cæteris omnibus ejus creditoribus affecta est. Ita judicatum per arestum diei 18. Martii an. 1711. quod Duperray, super articulo 14. edicti mensis Aprilis an. 1695. In nonnullis regionibus, ut Aureliani, spolii jus pertinet ex parte ad archipresbyterum cathedralis Ecclesiæ, quoad parœcias quæ in magni archidiaconatus ambitu sitæ sunt. Quod ad Jura in Parisiensi Ecclesia archidiaconum spectat, *vide* quod in id diximus verb. ARCHIDIACONUS, §. V.

SPONSALIA. Veteres Canonistæ duorum generum sponsalia distinguebant; ea videlicet quæ per verba *de præsenti*, & ea quæ per verba *de futuro* transigebantur. Priora quidem erant ipsa conventio per quam vir & femina invicem declarabant eo se animo esse, ut se tamquam sponsos reapse sumerent. Ante Tridentinum Concilium sponsalia hæc per verba *de præsenti*, erant veri nominis matrimonia; verum ea hoc ipsum Concilium proscripsit, nulla declarans matrimonia clandestina quæ non in facie Ecclesiæ, & coram contrahentium partium parocho, tribusque aut duobus testibus fiunt: *Qui aliter quam præsente parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi, seu ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat* (Sess. XXIV. Decret. *de Reform. Matrimonii*, cap. 1.). Per Blesensis Constitutionis articulum 44. ejusmodi sponsalia recipere prohibentur notarii, corporalis punitionis indicta pœna; atque ea sane inter Gallos nullum amplius effectum obtinent.

Sponsalia porro per verba *de futuro*, quæ tantummodo probantur Gallis, reciproca promissione continentur, quam sibi obstringunt alterius sexus personæ duæ, fore scilicet, ut deinde se in maritum & conjugem sumant, simul inito matrimonio. Hinc nimirum sponsalia, in civili jure, leg. *Si pœnam, de verb. oblig. Tractatus de futuris nuptiis* appellantur. Sponsalia ergo matrimonium præcedunt, & tantum quidem inter ea & matrimonium, quantum inter ineundi matrimonii obstrictam fidem, ejusdemque fidei executionem, discriminis intercedit.

§. I.

De Sponsalium usus antiquitate, & rationibus.

RAchelem Jacobo multo ante desponsatam fuisse, quam in matrimonium ei traderetur, nos docent sacræ Litteræ; ac Philone, in lib. *de Special. Legibus*, propemodum ita solemnem in modum, ut nuptias Hebræi celebrabant. Mos hic ad Latii populos penes Romanos migravit; & a Græcis quoque servatus fuit.

Rationum momenta quæ ad eum suscipiendum Christianam Ecclesiam impulerunt, prudentiæ consona & solida sunt. Consuetudo nimirum hæc personis nubere volentibus subsidii multum affert, ut ad gratias in matrimonii sacramento recipiendas se comparent, iisdemque suppetat satis temporis, ut ejus status gravitatem & obligationes sedulo expendant. Eadem proinde innumeris malis quæ fere præcipitatione quadam inita & male consociata matrimonia consequuntur, avertendis inservit, eo futuris sponsis concesso temporis spatio, quo honeste se invisant, ut natura ipsa duce se mutuo explorent, perque suorum morum, & quemadmodum affecti sint, animorum examen deinceps aditum, probe perspiciant, sit, necne, ipsis sperandi locus fore, ut se invicem per matrimonii perpetuum & insolubile vinculum conjungentes, tranquille, & prout humanarum rerum ratio fert, feliciter vivant.

§. II.

De personis quæ Sponsalia inire possunt.

CUm sponsalia sint ad matrimonium obligatio veluti quædam, de personis quæ sponsalibus ineundis idoneæ sunt, perinde propemodum loqui possumus, ac de iis quæ matrimonium inire possunt. Ex hoc principio, ut sponsalia quispiam inire possit, eum oportet ineundo matrimonio idoneum esse, aut saltem se idoneum evasurum decenter sperare posse. Jam vero, quoniam incapacitates, ut ajunt, seu defectus qui matrimonio sunt obstaculo, naturales alii sunt, canonici & civiles alii, hi defectus ipsi, seu incapacitates sponsalibus quoque obicem ponunt. Itaque, 1. qui rationis usu penitus carent, valide sponsalia contrahere nequeunt, quia præbendo consensui qui necessario rationis usum ut certum ponit, inepti sunt.

2. Eadem est eorum ratio qui per impotentiam insanabilem perpetuamque impotentes sunt, aut qui nondum ætatis annum septimum compleverunt.

3. Qui sponsalia jam inierunt, alia inire non possunt, quia non amplius liberi sunt, & quia nova obstricta fides justitiæ quæ personæ prius desponsatæ debetur, adversaretur.

4. Non solum dirimentia, verum etiam prohibentia matrimonii impedimenta, cum perpetua sunt, invalida sponsalia reddunt. Ejusmodi essent sponsalia ab eo inita, qui perpetuæ castitatis, aut in religionem ingrediendi simplex votum ediderit, quia cum voto quod Deo factum est, ea pugnarent, idque quod Deo consecratum est, nec licite nec valide alteri obstringi potest.

5. Frater & soror inter se sponsalia valide contrahere non possunt, quia nunquam possunt mutuo matrimonium inire; at id consobrinus & consobrina, prohibito licet in gradu, possunt, quia decenter sperare possunt se necessariarum dispensationum ope matrimonium inituros.

6. Conjugatus sponsalia valide cum alia femina contrahere non potest, propterea quod, etsi post uxoris suæ mortem ejus ducendæ capax evadere possit, suæ

tamen

tamen uxoris mortem, aut alterius ducendæ capacitatem decenter sperare non potest.

7. Impuberes qui annos septem nati sunt, valide sponsalia inire possunt, accedente consanguineorum, aut tutorum, seu curatorum auctoritate, & non aliter, quia tametsi nondum contrahendi matrimonii capaces sint, se tamen aliquando capaces fore decenter sperare possunt.

8. Parentibus per jus licet filios in matrimonium promittere, quamvis pubertatis ætatem minime attigerint; & impuberes a parentibus desponsi eo jure gaudent, suis ut sponsalibus reluctari possint, statim ac pubertatis ætatem attigerunt, nisi forte expressum aut tacitum in modum consentientes, eadem firmaverint: *Porro ex sponsalibus quæ parentes pro filiis puberibus, vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expresse consenserint vel tacite, ut, si præsentes fuerint, nec contradixerint, obligantur, & ex eis oritur justitia publicæ honestatis.* (Bonifacius VIII. cap. *Si infantes, de desponsat. impub. in Sexto.*)

Quod si dicatur, ex constitutione capitis, *Tua fraternitas*, oportere, ut impuberes matrimonii promissiones, eorum nomine a parentibus editas exequantur, responderi cum glossa potest, hanc quoad filios non nisi congruentiæ & honestatis obligationem esse, aut novum canonicum jus, super hoc capite, veteri derogare, quemadmodum eidem derogavit quoad monasticam professionem, quam filii ex jure veteri amplecti tenebantur, cum eos infantiæ tempore, parentes alicui monasterio devoverant.

9. Quamvis tutores & curatores, parentum quorum locum tenent, personam exhibeant; iidem tamen pupillos suos non ea ratione qua filios pater & mater, in matrimonium promittere possunt, quia canonicum jus seu tutoribus, seu curatoribus hanc potestatem non tribuit, certumque est longe majorem parentum in filios, quam tutorum curatorumque in pupillos auctoritatem esse.

§. III.

De conditionibus ad Sponsalium validitatem necessariis.

AD sponsalium validitatem theologi & canonistæ postulant conditiones quatuor. Sincera & vera, libera, reciproca, denique legitima sit promissio, necesse est.

Oportet 1. ut sincera & vera promissio sit, quia sponsalia nihil sunt aliud quam consensualis, ut vocant, contractus qui proinde verum sincerumque consensum ut certum ponit: Si externus tantum & apparens, fictus simulatusque consensus esset, in eo nec contractus adesset, nec obligatio, & sponsalia in interno conscientiæ foro nulla essent; in externo autem foro, ubi ex verbis de intentione judicatur, valida censerentur; & qui non nisi specie tenus promisisset, teneretur promissa facere, parti nubens quam fefellisset, eamve saltem sarcire, non vi sponsalium quæ nulla esse pro certo ponitur, sed injuriæ & detrimenti causa, quod deceptæ parti attulisset.

2. Libera & voluntaria, non autem minis, aut vi, aut dolo extorta promissio esse debet, quia cujusque contractus ea demum natura est, ut liber sit, in primis vero contractus qui tam gravis quam matrimonii contractus est, quod nihil minus quam temporalem æternamque contrahentium salutem afficit. Hoc fundamento nixa Parlamenta matrimonii promissiones abrogarunt, quas puellæ, aut viduæ, suis medicis, pharmacopolis, aut chirurgis obstrinxerant, quia promissiones has tamquam timoris quem morbus ægrotantibus incutiebat, aut imperii quod qui curam iis impendebant, in eorum animum intendebant, purum putumque effectum spectarunt.

3. Promissio debet esse reciproca, videlicet, necesse est, ut persona cui obstricta promissio est, non eam solum acceptet, sed & ipsa similem obstringat promittenti; cum enim sponsalia suapte natura *repromissio futurarum nuptiarum* sint, ea proinde est eorumdem vis & ratio, ut reciproca sit obligatio. Necesse præterea est, ut promissio inter personas duas certas, & nominatum designatas & determinatas fiat; adeoque si adolescens promisisset sororibus tribus se earum unam ducturum, quin ullam nominaret, hæc promissio nulla esset, quamvis a sororibus tribus acceptata fuisset. Id etiam requiritur, ut promissio affirmantibus verbis concepta sit; ex quo fit, ut si adolescens puellæ se non aliam unquam ducturum promitteret, & vicissim, uterque totius vitæ tempus in cælibatu transigere posset, quia ea non nisi conditionata promissio est, eoque redigitur, ut dicatur, personas has, si quando se ad matrimonium determinaverint, mutuo nupturas esse.

4. Legitima, a lege scilicet non prohibita, debet esse promissio. Quamobrem filiifamilias, & minores qui sub alterius potestate sunt, sponsalia sine patris aut matris, tutoris aut curatoris consensu valide celebrare non possunt: *In sponsalibus etiam consensus eorum exigendus est, quorum in nuptiis desideratur*, lib. 7. §. 1. ff. d. tit. *Prohibitio enim nuptiarum porrigitur ad sponsalia.* Ulpianus, in Lege *Oratio*, ff. *de Sponsalibus.* Blesensis constitutionis art. 40. huic sententiæ conformis est. Hinc illud consequens fit, minores, & filiosfamilias, si forte, insciis parentibus, mutuas matrimonii promissiones inierint, iisdem reluctantibus, ea exequi non teneri. Nec magis regio sanguine creati, cretæve Principes sponsalia, sine Regis consensu, contrahere possunt.

§. IV.

De Sponsalium Forma.

PEr sponsalium formam intelligitur externa ratio qua ea contrahuntur; & hæc quidem quintuplex est.

1. Perficitur per simplex verbale promissum, his, aliisve æquivalentibus verbis conceptum: „ Ego tibi „ promitto fore, ut te mihi uxorem sumam, & „ ego tibi promitto fore, ut te mihi maritum su„ mam. “

2. Per promissionem cum jurejurando conjunctam: „ Ego tibi promitto, Deoque juro futurum, ut te „ mihi conjugem sumam, &c. “ Leguntur veteres in hanc rem formulæ in quodam Ambianensis Ecclesiæ pontificali, & in antiquo rituali Lemovicensi, quas affert P. Martenne, part. 2. lib. 1. cap. 9. art. 15. *De antiquis Ecclesiæ ritibus.* Hæ promissiones apud presbyterum edebantur, qui deinde partibus dicebat: *Affide vos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, amen.*

3. Tribuendis arrhis, seu pecunia scilicet, seu anulo, seu alio munere, quo matrimonii promissio significetur. Anulum nimirum hunc Tertullianus appellat *anulum pronubum*, Lib. *de Cultu femin.* Penes Romanos, sponsus sponsæ, aut ejus patri, in cujus potestate erat, arrhas, seu pignora tribuebat. Veteres Galli sibi mutuo solidum & denarium spondentes dabant, quemadmodum ex quinta Marculfi formula compertum fit. In præsentia, apud Gallos quidem, sponsus & sponsa sæpe sæpius arrhas sibi invicem largiuntur; ea partium quæ quod promisit, exequi renuit, debet, quas recepit, arrhas alteri reddere, quasque dedit, amittere, dummodo tamen eædem non æquo majoris momenti sint, qualitatis, bonorumque partium ratione habita.

4. Per litteras, aut pecularem procuratorem, L. *Literis*, C. *fin. de Procur. in Sexto.*

5. Per consensum quem puer & puella, qui nondum pubertatis ætatem attigere, quorumve unus tantum eamdem attigit, vicissim præbent, in facie Ecclesiæ, ad matrimonii celebrationem, mutuo per verba quæ præsens tempus designant, seu, quod vulgo dicitur, *per verba de præsenti.*

Conjugium illud quod ex ætatis defectu nullum est, inter sponsalia refertur a Jure, prout Innocentius III. in capite, *Tua nobis, de Desponsat. impub.* & Bonifacius VIII. in capite, *Si infantes*, eodem titulo in Sexto definierunt. Ratio est, quia impuberes qui se per verba de præsenti obstringere nequeunt, eo saltem animo esse censentur, ut se quoad futurum tempus obstringant, quoad illud nempe, quo nubere per legem iisdem licebit. Juri per eas Decretales duas statuto Tridentina synodus minime derogavit; illudque ipsum usui est in urbe Roma, tum saltem, cum ejusmodi arrogatum impuberum matrimonium coram parocho, & non aliter, initum fuit.

§. V.

De Sponsalium necessitate.

ID convenit inter theologos, ad matrimonii validitatem sponsalia necessaria non esse; illudque non esse minus validum, quamvis ipsum nullius generis sponsalia præcesserint, non ea scilicet, quæ coram notario, & testibus, absque presbytero, nec item ea quæ in facie Ecclesiæ, coram parocho & testibus, non sine cæremoniis & benedictionibus in Rituali propositis peraguntur, quæque *Sponsalia ecclesiastica* nuncupantur.

Ad

Ad Ecclesiastici præcepti necessitatem quod attinet, Galliarum usus super hoc capite non idem ubique est. Diœceses nempe non desunt, in quibus ecclesiastica sponsalia abrogata sunt. Occurrunt aliæ, ut Alectensis, ubi eadem prohibentur, ut eorum abusus reprimatur, qui in animum inducunt credere, post sponsalia, præsente presbytero, celebrata, una vivere, perinde ac si jam conjuges essent, sibi licere.

Denique diœceses quædam sunt, ut Parisiensis, in quibus, ecclesiastici præcepti vi, sponsalia in parochiali Ecclesia præsente parocho qui ea suscipiat, benedicatque, contrahantur, oportet.

Hæc sponsalium benedictio antiquissima est. Forojuliensis, seu Aquilejense Concilium, an. 791. habitum, ita de ea loquitur. *Nemini liceat furtim nuptiasque nuptias contrahere, ne forte per erroris ignorantiam, vel certe, quod pejus est, diabolico instigante amore, illicita connubia celebrent, sed interveniat partis sponsalibus per aliquam dilationis moram.* (Can. 8.)

Eliberitana synodus, quarto sæculo ineunte habita, a communione, multo ante, ad triennium parentes abjiciderat, qui suorum filiorum sponsalia fregissent, modo partes aliquod insigne crimen haud perpetrassent: *Si qui parentes fidem fregerint sponsaliorum, triennii tempore abstineantur. Si tamen iidem sponsus vel sponsa in gravi crimine fuerint deprehensi, excusati erunt parentes.* (Can. 54.)

Quibus in diœcesibus ecclesiasticorum sponsalium usus servatus est, cum partes non ex eadem diœcesi sunt, hæc cæremonia in sponsæ potius quam sponsi parœcia peragitur, quia decet videri sponsum ad requirendam sponsam pergere.

§. VI.

De Sponsalibus conditionariis, ut vocant, seu *conditione suspensis*.

Iniri possunt sponsalia, vel pure & simpliciter, vel quibusdam additis conditionibus; quæ porro posteriore modo fiunt, *conditionata*, seu *conditionalia* dicuntur, utpote quæ conditione suspensa sunt.

Conditiones quæ sponsalibus apponi possunt, vel honestæ sunt & licitæ, vel inhonestæ & illicitæ, vel possibiles, vel impossibiles.

Si inhonestæ & illicitæ conditiones quæ matrimonii bono contrariæ sint, sponsalibus apponuntur, cujusmodi esset ducendæ puellæ promissio, ea conditione, ut ipsa se sterilem redderet, convenit inter omnes hujusmodi promissionem nullam esse, nullaque prorsus ratione obligare. At si sponsalibus appositæ conditiones non ejus inhonestæ & illicitæ fuerint, quin matrimonii bono adversentur; per eas alii quidem ajunt sponsalia non infirmari, easdemque perfici a partibus oportere, ita nihilominus, ut ab illicita conditione quæ tamquam non apposita censeri debet, abstineant; verum alii sponsalia per ejusmodi conditiones infirmari contendunt, propterea quod, ex juris principiis, omnis contractus, appositis id genus conditionibus initus nullus est; idemque judicium de impossibilibus conditionibus ferunt, quæ sponsalibus additæ fuerint.

§. VII.

De Sponsalium effectis.

Primus, & præcipuus sponsalium effectus est, ut in contrahendis partibus duabus mutuam matrimonii, alterutra parte requirente, ineundi obligationem pariant; ea quidem oritur utriusque partis in alteram actio, ut eam ad illud ineundum obliget.

Sponsalium effectus alter qui primum consequitur, prohibente impedimento continetur, quod efficit, ut ne partes, quoad sponsalia subsistunt, aliis licite nubere possint.

Tertius sponsalium effectus in eo est positus, ut ea tum quoque, cum dissoluta sunt, dirimens impedimentum inducant, quod publicæ honestatis impedimentum dicitur, quodque in causa est, ut partium neutra cum alterius partis consanguineis ad rectam lineam spectantibus, itemque cum iis qui primum in collaterali linea gradum obtinent, matrimonium inire seu licite seu valide possit.

§. VIII.

De Sponsalium Dissolutionis causis.

Sponsalia, etiam ecclesiastica, dissolvuntur 1. quemadmodum contractus cæteri, per mutuum partium consensum, ex eo contractuum omnium communi principio: *Quæ consensu contrahuntur, contrario consensu dissolvuntur.* id ita se habet, etiamsi sponsalia per jusjurandum firmata essent, quin partes absolutionem a jurejurando sibi conferendam curare debeant, quia cum jusjurandum ad matrimonii promissionem accessio tantummodo quædam sit, promissione cessante, jusjurandum & ipsum cesset, ex hoc alio juris principio: *Quæ accessionum locum obtinent, extinguuntur, cum principales res peremptæ sunt*, lib. 2. ff. *de Pen. leg.* Quod si, parentum, aut tutorum consensu, sponsalia minores inierint, hic idem consensus ad ea dissolvenda necessarius est, ejus regulæ vi: *Quoque eodem modo dissolvuntur, quo colligata sunt*, lib. 35. ff. *de Reg. jur.*

2. Temporis lapsu, quod matrimonii promissione designant, sponsalia dissolvuntur, cum neutra pars earum executionem petiit, cap. 22. *extr. de Sponsal.*

3. Dissolvuntur eadem per alterius partis longam absentiam. Ad sponsalium dissolutionem civiles quidem leges absentiæ annos tres, canonicæ vero duos tantum postulant; at penes officialitates id usu est, ut desponsatam puellam, cui potissimum voluerit, nubere sinant, cum sine colloquio, aut sine litteris, aut sine ullo voluntatis ad mutue promissa perficienda comparata specimine partes annum excurrere passæ sunt.

4. Sponsalia per tacitum consensum solvuntur, qui locum habet, cum, re ipsa, detrimentum futuri conjugii obligationem partes duæ contraxerunt, ut si quis, post inita sponsalia cum vidua quæ posthumum fœtum ventre gerebat, ea rogante, infantis ab ipsa in lucem editi patrinus fuisset.

5. Per ingressum in ordinem religiosum ab Ecclesia approbatum, ita nihilominus, ut persona quæ religiosum statum suscepit, si eum forte ante solemnem professionem deserat, non ea quidem libera quoad personam sit, cui matrimonii promissionem obstrinxit, facta hypothesi hanc ipsam nulli adhuc obligationi se subdidisse; Cap. *Commissum*. Docente quidem D. Thoma, in *Quart. Sentent.* dist. 38. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 2. simplex perpetuæ castitatis votum quod post sponsalia editum fuit, eadem dissolvit; & hæc decisio quæ quoad internum forum vera est, in externo foro nequaquam reciperetur.

6. Per sacrorum ordinum susceptionem; ex quo fit, ut si desponsus ad subdiaconatum promoveatur, ipso jure sponsalia quæ contraxerat, dissolvantur. Cap. *Quod votum, de voto, & voti redempt. in Sexto*

7. Per fornicationem. Cum e desponsatis partibus una post sponsalia in fornicationem incidit, innocens pars obstrictam fidem revocare potest, quia matrimonii promissis ea semper implicita conditio subest, partes nihil acturas, quod matrimonii honorem impetat. Innocentius III. in capite *Quemadmodum, de jurejurando*. Definitionem hanc auctorum plures ad involuntariam quoque coactamque, perinde atque ad spiritalem quam quispiam in hæresin, vel apostasiam incidens perpetrat, fornicationem protendunt.

8. Per affinitatis quæ e fornicatione oritur, impedimentum; ut cum sponsus cum sponsæ in primo aut altero gradu consanguinea rem habuit.

9. Per sponsæ raptum. In hac facti specie, sua sponsus obligatione solutus est, quia, licet suæ ipse sponsæ quæ rapta fuit, obstrictæ fidei violationem exprobrare non possit, ei tamen puellæ quamdam raptus notam relinquit, quæ sponsum, siquidem eam prævidisset, impedire potuisset, quominus sponsalia cum eadem iniret.

10. Per capitales inimicitias quæ inter sponsos suboriri possunt. Cap. *Requisivit*.

11. Per alterius partis cum alia persona matrimonium, aut etiam simplicia sponsalia.

12. Sponsalia toties dissolvuntur, quoties sponsorum alterutri supervenit novi quicquam, quod alterutrum impediisset, ne matrimonii fidem obstringeret, quia præsumitur eam tantum partibus mentem fuisse, ne se obligarent hac tacita conditione, partium neutram ulli mutationi obnoxiam fore, quæ eas impediisset, ne ejusmodi obligationem inirent, si eam prævidissent. Mutatio hæc in desponsatæ personæ, seu corpore, seu animo, seu honore, seu bonis contingere potest; ut si eidem accideret gravis diuturnaque infirmitas, causa exempli, hydropisis, lepra, paralysis, aut insignis deformitas, ut oculi, nasi, brachii jactura; si ea in demen-

mentiam incidat; si ad pœnam cum infamia conjunctam damnetur; si enorme crimen perpetret, quod eam in humana societate dedecoret; si tam grave bonorum dispendium subeat; ut non amplius rei familiaris oneribus sustinendis par esse possit. At si a converso partium uni, post sponsalia, ita sors arrisisset, ut inter earum bona multum discriminis interesset, non proinde fortunata pars alterius ducendæ obligationi subesse desineret, quicquid dicat Parisiensium Collationum auctor (Tom. I. p. 181.) qui nimis hac in re cupiditati patrocinatur, quoniam reapse non nisi cupiditas fortunatam partem adducere potest, ut impensis fidei quam alteri obstrinxit, majorem præterea fortunam inquirat.

13. Etsi partium neutri quicquam novi contigerit, si quid tamen una pars in altera detegat, quod existebat sponsalium tempore, sed quod ei tum quidem haud notum erat, quodque, si tunc innotuisset, eam, ne sponderet, impedivisset, ab obstricta fide soluta est. Ejusmodi esset, ut exemplum afferam, facti species, qua partium una ignoraret, sponsalium tempore, alteram judicis animadversioni obnoxiam fuisse. At si post detectionem hanc, ut si postquam partium uni quicquam accidit, quod alteram, ne sponderet, impedivisset, ea nihilominus ipsam frequentare, ac tamquam cum desponsata parte versari pergit; id proinde quod detexit, aut quod accidit, ut se ab obstricta fide solvendum curat, afferendo impar evadit, cum per eam frequentationem in plena causæ cognitione eamdem confirmasse censeatur.

§. IX.

De Judicibus competentibus ad cognoscendum de Sponsalium dissolutione.

UT, quinam in hoc negotio competentes judices sint, compertum fiat, hæc distinguenda veniunt; sponsalium validitas aut invaliditas, damna & lucra quæ ex eorum inexecutione derivantur, desponsatarum personarum qualitas, sponsalium solemnitas, eaque probandi, vel ad eadem executioni mandanda cogendi ratio, cum partium altera de iis non convenit eademve exequi renuit.

1. Cum sponsalia contractus sint, de iis perinde dicendum est ac de cæteris omnibus contractibus qui ad politicum ordinem pertinent, quorumque propterea sæcularis judex naturalis judex est. At, quoniam sponsalia ad matrimonium quod sacramentum, ac spiritalis proinde res est, referuntur, hac sane ratione, Ecclesiæ judices de sponsalibus, quoad eorum validitatem aut invaliditatem, cognoscere, videlicet, pronuntiare possunt, valida, necne, matrimonii promissa sint; at super damnis lucrisque quæ ex eorum inexecutione dimanant, statuere nequeunt, nisi forte personæ qualitas, ex qua ejusmodi damna & lucra petuntur, hanc competentiam ecclesiastico judici tribuat; quemadmodum contigerat, si canonicus, simplex clericus tonsuratus, causa exempli, matrimonii promissa edidisset, quæ exequi recusarat, & puella cui spopondisset, eum apud officialitatem in jus vocasset, ibique ad damna & lucra conclusum esset; officialis competens esset, ut super his ob personæ a qua petuntur, qualitatem statuerat, cum officialis in profana re competens sit, ut de actionibus mere personalibus, apud eum in ecclesiasticos intentatis cognoscat. Ita judicatum per arestum mensis Februarii an. 1690. quod Audientiarum Diarii Tomo V. in medium offertur. Præter hos casus, ad recusantis partis domicilii sæcularem judicem, quoad damnum emergens, & lucrum cessans, confugiendum est. (D. Puterius, in Tractatu, *de Contractu Matrimonii*, T. I. p. 54. & seq.)

2. Ecclesiæ judex de sponsalibus inter sponsum tantummodo sponsamque cognoscere potest, quod si filium, aut filiam pater in matrimonium despondit, in eum agi non nisi apud sæcularem judicem potest, propterea quod obligatio quam init, spiritalis nihil adjunctum habet. Nec magis Ecclesiæ judex de matrimonii promissionibus cognoscere potest, quas minores absque parentum, tutorum aut curatorum consensu ediderunt, quia in rebus quæ mere facti sunt, & spiritale non afficiunt, nullam supra laicos jurisdictionem obtinet; nec item, lite pendente, præcipere in promissionum executionem potest, ut puella sequestro mandetur.

3. Sponsalia non ecclesiastica, si generatim loquimur, absque Ecclesiæ auctoritate dissolvi possunt, non solum cum ea jus abrogat, sed tum quoque cum partium alteri justa, certa & notoria causa suppetit, nec scandali quicquam timendum est, quia prodens persona ad aliquid faciendum se non obligat, nisi cum id, prout rationi congruit, exequi potest. Ad ecclesiastica porro quæ coram parocho & testibus inita fuere, sponsalia quod spectat, dissolvi & ipsa sine Ecclesiæ auctoritate posse ajunt alii, negant alii. Semper ad certum est tunc ita licere, cum sponsalia ipso jure abrogata sunt. Diœceses tamen in Gallia non desunt, in quibus sponsalia, quæcunque fuerint, hoc etiam tempore non nisi per Ecclesiæ auctoritatem dissolvi possunt, quemadmodum enuntiat synodalium Cardinalis Cami Constitutionum titulus 6. art. 9. n. 28. qui ita habet: *Sponsalia, ne consentientibus quidem partibus, nisi auctoritate nostra solvuntur; interdicimus parochis & vicariis, ne partes, aut earum alterutram admittant ad alibi contrahendum, quin iis sponsalium resolutionis actus exhibitus fuerit.*

4. Cum desponsatarum partium una alteram apud officialem accivit, ut matrimonii promissiones exequeretur, si minus accita pars de his promissionibus convenit, earum probatio per testes; atque adeo per jusjurandum perfici potest, ex jure canonico, Cap. *Attestationes, de Desponsat. impub.* At hanc decretalem Gallia non sequitur; ubi non admittitur probatio per testes promissionum matrimonii, perinde ac supplementi loco jusjurandum, ex articulo 70. declarationis diei 26. Novembris an. 1639. his verbis concepto: „ Omnibus, etiam Ecclesiæ judicibus prohibemus, ne probationem per testes promissionum matrimonii recipiant, aliter quam per scriptum quod coram quatuor proximis utriusque partis consanguineis, licet eodem humili conditione sint, firmatum fuerit. “ Cum ergo probationes de scripto non suppetunt; partes, super alterutrius denegatione, officialis extra curiam ponat, necesse est.

5. Cum promissiones confessione partium, aut probatione nituntur, officialis causæ cognitionem suscipit super earum validitate, superque rationum momentis quæ nonnullam, ut earumdem dissolutionem persequatur, præsto esse possunt. Cum officialis validas promissiones comperit, sponsalia valida esse pronuntiat, hortaturque partem, ut eas exequatur; quod ea si renuat, quin aliam rationem quam suæ quoad hanc rem voluntatis mutationem afferat, eam ad promissa præstanda damnare, aut per ecclesiasticas censuras adigere non potest; id si faceret, appellationi tamquam ab abusu locus esset. Pœnitentiam solum parti quæ in recusatione persistit, ob fidei violationem imponere potest; ut aliquas preces, aut leves aliquas eleemosynas, resoluta promissa declarans, eamque ab obstricta fide liberans, Ejusmodi est constitutio capitis, *Requisivit 17. extr. de Sponsalibus & Matrim.* quod Lucii Papæ III. est, quodque ita habet; *Cum libera debeant esse matrimonia, monenda sunt potius quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.* Eadem est universim per Galliam jurisprudentia cui id sane fundamento est, minus malum esse obstrictam fidem frangere, quam una semper inter querelas, odium & inimicitias vivere. Itaque Ecclesia, & civile Regimen, tamquam minus malum, hanc obstrictæ fidei violationem tolerant ad evitanda longe majora mala quæ ut plurimum matrimonia per coactionem inita consequuntur.

STATUTA SYNODALIA. *Quære* SYNODUS.

STOLA, ecclesiasticum ornamentum ex duabus lanei aut serici panni latioribus tæniis, triplici cruce signatis, quæ pendent in anteriori parte, a collo ad brachia. Hæ teniæ sejunctæ fuere a veteri indumento seu pallio ad pectus aperto, *stola* dicto, ex quo retinuere stolæ nomen; eædem sumpsere nomen *orarii*, a voce *ora*, quæ limbum, terminum, extremam partem significat, quia vestis limbum hæ tæniæ finiunt. Stola est Episcoporum, presbyterorum diaconorumque ornamentum, Eam Episcopi semper pendentem gestant; presbyteri, dum sacrum faciunt, ad pectus decussant; diaconi ponunt a sinistro ad dextrum latus, in fasciæ modum, Sacerdotes etiam extra altare in occasionibus pluribus stolam deferunt, ut, dum sacramenta administrant, dum communionem ex alterius manu suscipiunt, ad funera, ad synodos, ad processiones, &c. Spectatur stola tamquam potestatis nota, quæ sacerdotali characteri addicta est.

Orariis duobus nec Episcopo quidem licet, nec presbytero uti; quanto magis diacono qui minister eorum est? Unum igitur orarium oportet levitam gestare in sinistro humero, propter quod orat, id est, prædicat; dexteram autem partem oportet habere liberam, ut expeditus ad ministerium sacerdotale discurrat, (IV. Toletanum Concilium, an. 633. can. 40.)

Cum sacerdos ad solemnia Missarum accedit, aut pro se Deo sacrificium oblaturus, aut sacramentum Corporis

& San.

& Sanguinis Domini nostri Jesu Christi sumpturus, non aliter accedat, quam orario utroque humero circumseptus, sicut & tempore ordinationis suæ dignoscitur consecratus, ita ut de uno eodemque orario cervicem pariter & utrumque humerum premens, signum in suo pectore præferat crucis. Si quis autem aliter egerit, excommunicationi debitæ subjacebit. Presbyteri sine intermissione utantur orariis propter differentiam sacerdotii dignitatis. (Concil. Bracarense, an. 675. can. 4. & Concil. Moguntinum, an. 813. can. 28.)

STRENÆ. Venit hoc nomine munus, anni primo die tribui solitum cujus origo ad Romulum et Tatium, Romanorum Reges refertur. Migravit hic usus ad Christianos, reclamantibus tamen Patribus & Conciliis a quibus tamquam abusus in contemptum adductus rejectusque fuit, dubio procul ob ethnicas superstitiones quæ eum comitantur; si enim e strenis amoveantur ejusmodi superstitiones, & generatim quicquid mali in eas irrepere posset, dici potest iis nihil inesse quod censoria virga notandum sit, easdemque ad pura putaque urbanitatis, comitatis, observantiæ, obsequii, necessitudinis, amicitiæ, charitatis argumenta redigi. *Vide* CALENDÆ.

SUBDIACONATUS, SUBDIACONUS. *Sacrorum*, seu majorum ordinum primus subdiaconatus est. Ordo hic non nisi sub Innocentio Papa III. ad duodecimi sæculi finem elatus creditur, eumdemque sacramentum esse non inter omnes theologos convenit. Ecclesia super hac re nihil definiit.

Subdiaconatus materia sunt patena & calix vacui quos ab ordinandis Episcopus tactos vult; urceoli pleni, pelvis, linteum. Formæ continetur Episcopi ad eos verbis, dum eosdem jubet calicem & patenam tangere.

Instituti fuere subdiaconi ad diaconorum subsidium, ut diaconi ad presbyterorum servitium, & presbyteri ad Episcoporum levamen adjumentumque. Subdiaconorum munia eo potissimum rediguntur, ut sacra vasa curent quæ sacrificio inserviunt, vinum & aquam in calicem fundant, epistolam quarant in solemnibus Missis, evangelii librum diacono sustineant, eumdemque ut osculentur, ad presbyteros deferant; crucem in processionibus gestant, aquam presbytero ad manuum ablutionem porrigant, diacono in omnibus ejusdem functionibus deserviant, populi denique oblationes recipiant.

Subdiaconi, perinde ac diaconi & presbyteri, ad continentiam, & breviarii recitationem tenentur. Comprehenduntur etiam cum diaconis in pluribus antiquis canonibus, *Sacerdotum* nomine, dubio procul quia sacerdotalia nonnulla, si presbyteri desint, munia peragunt, cujusmodi est populi, in necessitatis casu, institutio.

Quod non oporteat diaconum coram presbytero sedere, sed jussione presbyteri sedeat. Similiter autem & diaconis honor habeatur ab obsequentibus, id est, subdiaconis & omnibus clericis. (Concilium Laodicenum, an. 364. can. 20.)

Quod non oporteat subdiaconos habere locum in diaconico; & dominica vasa contingere (Can. 21.). (Vide explicationem hujus canonis ad pag. 69. Tomi primi hujus Operis.)

Quod non oporteat subdiaconum uti orario, nec ostia derelinquere. (Can. 22.)

Ut ea quæ scripta sunt superius, unusquisque secundum a Deo sibi collatum gradum operibus perficere valeret, residentibus cunctis lecta fuit epistola Pauli, qualiter subdiaconi ministerium est eumdem apostolum legere, ut officium sibi commissum implere rectius potuisset. (Concil. Remense, an. 813. can. 4.)

Subdiaconi, qui apud Græcos hypodiaconi *vocantur, in Esdra inveniuntur, appellanturque ibi* Nathinos, *hoc est, in humilitate Domino servientes.... Isti oblationes in templo Domini suscipiunt a populis; isti obediunt officiis Levitarum; isti quoque vasa Corporis & Sanguinis Christi diaconibus ad altaria Domini offerunt. De quibus quidem placuit patribus, ut quia sacra mysteria contrectant, casti & continentes sint ab uxoribus, & ab omni carnali immunditia liberi, juxta quod illis, propheta, dicente, jubetur:* Mundamini qui fertis vasa Domini. *Hi igitur, cum ordinantur, sicut sacerdotes & levitæ, manus impositionem non suscipiant; sed patenam vacuam & calicem de manu Episcopi, & ab archidiacono scyphum aqua cum aquamanili, & manutergium accipiunt.* (Concil. Aquisgranense, an. 816. cap. 6.). *Quære* ORDO.

SUBINTRODUCTÆ. Nuncupabantur olim *feminæ subintroductæ* quas ecclesiastici suis in domibus, vel charitatis ergo, vel ut domesticorum eorumdem negotiorum curam gererent, detinebant. Concilia sæpenumero clericos vetant, ne apud se subintroductas, seu extraneas mulieres habeant: *Omnimodis interdixit sancta synodus, neque Episcopo, neque presbytero, neque diacono, neque alii omnino clericorum permitti habere secum mulierem extraneam, nisi forte mater sit, aut soror, aut amita. In his namque personis, & harum similibus omnis suspicio declinatur.* (Concilium Nicænum I. generale, an. 325. can. 3.)

Nullus in clericatus officio manens mulierem subintroductam secum habitare permittat. (Concil. Augustanum, an. 952. can. 4.). *Quære* CLERICUS, FEMINA.

SUPERSTITIO; peccatum religionis virtuti contrarium, per quod ad creatam rem cultus transfertur, qui Deo soli debetur, aut per quod Deo cultus indebitus exhibetur, hoc est, per quod Deus haud, qua par est, ratione honoratur, inductis in ejus cultum modis, aut circumstantiis, aut cæremoniis quæ et non conveniunt. Posita est ergo superstitio in illegitimo & absono præposteroque cultu, seu quia cultus hic ex objecti parte falsus est, ut accidit, cum honos dæmoni, vel alteri creaturæ in Dei locum præstatur, seu quia culpæ obnoxia est objecti, licet veri colendi ratio, quemadmodum fit, cum honoratur quidem Deus, sed ejus cultui admiscentur rationes abjectæ, indecentes, vanæ, supervacaneæ & parum congruæ quas ipse rejicit.

Si ex parte objecti superstitio spectatur, ejus sunt genera quinque; scilicet, Idololatria, magia, maleficium, divinatio, & vana observantia. *Vide* verba hæc. Sin eadem ad circumstantias & rationes cultus exigitur, duplicis est generis, cultus falsus & cultus superfluus. Falsus is cultus est, per quem Deus honore afficitur, qui specie tantum ejusmodi est, ut si quis Deum honorare vellet, Mosis lege servanda, falsis miraculis prædicandis, veneratione falsis reliquiis exhibenda, &c. Cultus quem superfluum vocant tum exsistit, cum in religionis exercitationibus adhibentur quædam res quas Ecclesia non adhibet, quæque ejus menti, doctrinæ, usibus adversantur, ut si Missæ sacrificio, aut Sacramentorum administrationi addantur aliæ cæremoniæ quam quæ in rubricis notatæ sunt, aut si preces edantur, quarum effectus quibusdam vanis & frivolis circumstantiis tribuatur, ut si quis eas ederet corpore certum quemdam in modum composito, aut statis diebus, statis horis, &c.

Actus qui exercitur, aut verbum quod profertur, ut inde certus aliquis effectus oriatur, tunc superstitionem sapere judicantur, cum is actus eave vox, non spectato naturæ ordine, nec ex Dei Ecclesiæque institutione, ulla vi pollent, ut effectum pariant, qui ex iis expectatur, quia tum quidem ejusmodi effectus tribui non potest seu naturæ, quoniam ei nulla cum naturalibus causis conjunctio est, seu Deo aut bonis angelis, quoniam Deus nullibi significavit fore, ut eum effectum, ejus actus eorumve verborum occasione, vel proxime ipse per se, vel per bonorum angelorum ministerium ederet. Is ergo effectus dæmoni explicit vel impliciti pacti vi, tribuetur, necesse est. Censetur etiam superstitiosus actus cui miscetur aliqua vana & inutilis circumstantia, ut herbarum collectio ad initium diei Nativitatis S. Joannis, ea animum occupante opinione, peculiarem quamdam vim herbis ita collectis inesse. Superstitionis quoque notam subit, qui ridiculis, nullaque ratione christianam pietatem olentibus precibus ad aliquid obtinendum utitur, aut qui preces, sanctasque res adhibet, ut aliquem vanum & ridiculum effectum pariat, causa exempli, efficiendi gratia, ut annulus in orbem agatur, &c.

Superstitio, cujuscunque tandem generis fuerit, peccatum est, quia nullum est ejus genus quod non plus minusve religionis virtuti, cultuique qui Deo debetur, puritati repugnet; at non omnis superstitio lethale, suapte natura, peccatum est; superstitiones enim aliquæ non nisi veniales sunt. Mortales ipsæ per se superstitiones sunt, quæcunque magiam, fascinationem, maleficia, idololatriam, divinationem, vanam observantiam, seu obtemperantiam, implicite denique vel explicita cum dæmonibus pacta continent. Omnes hæ superstitiones suapte natura mortales sunt, quia Deo maximam injuriam irrogant, præceptorum primo contrariæ sunt, efficiuntque, ut homines ad creaturam honorem transferant, qui solum Creatori debetur. Porro superstitiones quibus inscitia aut simplicitas causam præbent, quæque ex supervacaneo cultu qui nec falsus, nec indecens, nec scandalo obnoxius, nec Deo aut Ecclesiæ injurius est, derivantur; hæ quidem suapte natura non nisi veniales sunt. Jam vero quam acriter vehementerque Concilia in superstitiones invecta fuerint, ex canonum qui sequuntur, lectione quivis convinci poterit.

Praescrutandum, si aliquis subulcus vel bubulcus, sive venator, vel caeteri hujusmodi, dicat diabolica carmina super panem, aut super herbas, aut super quaedam nefaria ligamenta, & haec aut in arbore abscondat, aut in bivio, aut in trivio projiciat, ut sua animalia liberet a peste & clade, & alterius perdat; quae omnia idololatriam esse nulli fideli dubium est; & ideo summopere sunt exterminanda. (Concilium Rothomagense, an. 878. cap. 4.)

Si quis in Kalendis Januarii aliquid fecerit, quod a paganis inventum est, & dies observat & lunam & menses; & horarum effectivo potentia aliquid sperat in melius, aut in deterius verti, anathema sit. (Cap. 13.)

Ne ossa mortuorum animalium, quasi pro vitanda animalium peste, alicubi suspendantur; nec sortes, vel auspicia, seu divinationes, vel aliqua hujusmodi opera diaboli ab aliquo exerceantur. Haec enim omnia sacri canones prohibuerunt, & eos qui talia exercent, dura sententia excommunicaverunt. (Concilium Londinense, anno 1075.)

In primo (mandato veteris Testamenti) prohibetur omnis idololatria, cum dicitur: Non habebis alienos deos coram me; *in quo implicite prohibentur omnia sortilegia, & omnes incantationes, cum superstitionibus characterum & hujusmodi figmentorum.* (Concil. Eboracense, an. 1466.)

Quidquid in ejuscemodi rebus ad abusum & superstitionem spectat, & quo populus a Deo ad collocandum *in creaturis istis aliquam fiduciam adduci possit, prohibemus. Quale inter alia est; quod Sanctorum imagines cum indulgentiis & impositione incertarum reliquiarum dedicantur; quod quidam aqua, sale, cereis, ac herbis benedictis in medicandis pecoribus superstitiosius abutuntur.* Agitur hoc in capite de Ecclesiae caeremoniis, deque omnibus externis & sub sensus cadentibus rebus quas ipsa adhibet, ut fidelium mentem ad Deum erigat. (Concilium Coloniense, an. 1536. Part. IX. cap. 16.)

Pastores frequentissime admoneant scelus exsecrandum eos committere, necnon a communione fidelium avulsos esse, qui magicas artes, & divinationem exercent, vel qui ejus generis ariolis fidem adhibent. Omnia enim haec, ut sacris litteris traditum est, abominatur Dominus; & propter istiusmodi scelera exterminantur populi a facie terrae.

Eos pariter increpent, qui alios dies faustos, alios infaustos credentes, in suscipiendis perficiendisque negotiis tempora & momenta observant; vel qui ex occursu quorumdam animalium, aut hominum ab operibus instituendis abstinent.

Sed non minus culpandi sunt qui ex astris, Chaldaeorum more, futura temere somniant potius quam praedicunt; & astrologia quam judiciariam vocant, usu sacrilego, arbitrii nostri libertatem, & Dei providentiam opprimunt. Quocirca si quae ephemerides, vel diaria ejus generis edita in lucem fuerint, quae aliud praeter annuas temporum vicissitudines, aerisque constitutiones contineant, eodem modo damnamus, quo libros improbatae lectionis, eosque ne quis legat, aut apud se retineat, vel illis fidem adhibeat, prohibemus.

Huc referenda sunt, ex sententia Divi Augustini, ligatura exsecrabilium remediorum, quae ars non commendat medicorum, seu in praecationibus, seu in quibusdam notis, quas characteres vocant, sive in quibusdam rebus suspendendis atque illigandis; in quibus omnibus superstitio & ars daemonum est, ex quadam pestifera societate hominum & angelorum malorum exorta; unde haec cuncta vitanda sunt christiano, & omni prorsus exsecratione repudianda atque damnanda. (Concil. Burdigalense, an. 1583. tit. 7.)

Damnat haec synodus omnes ariolos, incantatores, sortilegos, & eos maxime qui nomine Dei & rebus sacris in hujusmodi superstitionibus abutuntur. Qui tanti sceleris convicti fuerint, si clerici, ordine priventur, & brachio saeculari tradantur; laici excommunicentur, & judici denuntientur.

Et quia christiano nomine indignus error nostro saeculo inolevit, ut ligationibus, consignationibus, vinculis & nexibus matrimonia impediantur; haec synodus communione Ecclesiae interdicit omnes eos qui hujusmodi superstitionibus utuntur; monetque fideles, ne hujusmodi commentis fidem habeant; sed in Deo fiduciam certam constituant; nec idcirco matrimonia nocte fiant, sed in luce & frequentia hominum. (Concilium Bituricense, an. 1588. tit. 40.)

Magna in Deum verum committitur offensa, in quo totius nostrae miseriae consistit remedium, quique omnipotens est, summe sapiens, si sortilegi, magi, ariolive consulantur, ab eisque futuri inquiruntur eventus. Quae res acerrime in sacra Scriptura reprehenditur, & divina lege prohibetur. Eam ob causam haec synodus interdicit, ne quisquam, cujuscumque conditionis existat, auguriis, sortibusve utatur circulis, aut incantationibus, ad futurorum rerum eventus praenoscendos; nec cuiquam philtra, aut veneficia propinet, ut ad amorem, vel odium incitetur; alioquin, qui secus fecerint, flagellabuntur, mitraque capiti imposita, in publicae ignominiae signum, punientur.

Nemo etiam sortilegos, veneficos, incantatoresque hujusmodi adeat, ut eorum maleficiis seu veneficiis utatur; aliter solemnem aget poenitentiam in festivo, dum Missa conventualis in sua parochia celebratur; ubi detecto capite, sine pallio, & nudis pedibus, fune praecinctus, candelamque incensam in manibus tenens, stet, ibique publica sententia in eum lata legatur. (Concilium Mexicanum, an. 1585. lib. 5. tit. 6.)

Nemo ad morbos, vel vulnera hominum aut brutorum curanda superstitiosis remediis utatur; vel super rebus deperditis, aut super futuris eventibus, aut quibusvis secretis, divinos, seu pro divinis se venditantes consulere praesumat. Si quis aliquid horum fecerit, & monitus non abstinuerit, mox ipsi ordinario, vel officiali denuntietur, juxta Bullam Sixti quinti editam contra exercentes astrologiae judiciariae artem, quae incipit: Caeli & terrae Creator. (Concilium Mechliniense, an. 1607. tit. 15. cap. 1. *de Superstitione*.)

Et nihilominus haec synodus mandat omnibus judicibus ecclesiasticis, ut in ovilium mittant, vel mitti curent omnes qui super futuris eventibus, aliisque secretis responsa dant; eosque qui illos consulunt, graviter puniant; & multo gravius animadvertant in maleficos & incantatores, & etiam omnes qui vulgo Aegyptii vocantur. (Cap. 2.)

Et quoniam rudis populus saepe ex ignorantia superstitionibus inquinatur; parochi subditos suos diligenter de illis doceant; & inter caetera, superstitiosum esse, expectare quemcumque effectum a quacumque re, quem res illa nec ex sua natura, nec ex institutione divina, nec ex ordinatione, vel approbatione Ecclesiae producere potest.

SUPREMUS PRINCEPS. *Vide* REGES.

SUSPENSIO. Est haec ecclesiastica seu canonica poena, per quam clericus alicujus gravis culpae reus, sui ordinis, suive officii exercitatione, suive beneficii administratione, omnino aut ex parte, ad statum tempus aut in perpetuum privatur.

Ex hac definitione perspicitur suspensionis esse genera tria; ut alia nempe sit suspensio ab *ordine*, quae susceptorum ordinum exercitatione seu usu privat; alia ab *officio*, quae jurisdictionis, omniumque generatim functionum quae beneficii, vel alterius cujusvis ecclesiastici muneris vi ad clericum pertinent, exercitatione privat; alia denique a *beneficio*, quae omnibus fructibus, omnibusque emolumentis ei beneficio, sive muneri addictis eumdem spoliat.

Perspicitur praeterea, suspensionem, tametsi semper canonica sit, non semper tamen censuram esse, quia censura est semper medicinalis poena quam Ecclesia adhibet, ut suorum filiorum errata antevertat, sibique obsequentes reddat, cum suspensio sit interdum pura putaque poena quam clericis eadem imponit, ut eorum aliqua errata puniat, quae omnino praeterierunt. Suspensi & suspensionis vocabula in quinti & sexti saeculorum Conciliis adhibita nobis occurrunt: *Secundum institutum seniorum, si quis a communione, sacerdotali fuerit auctoritate suspensus, hunc non solum a clericorum, sed etiam a totius populi colloquio atque convivio placuit excludi, donec resipiscens ad sanitatem redire festinet.* (Concilium Arelatense, an. 443. seu 452. canon. 9.). Id tamen *convenit*, necesse est, *suspensi* vocabulum, hoc in canone, non de suspensione, prout accipitur in praesentia, sed de communionis privatione, seu excommunicatione intelligi. In eamdem significationem sumitur *suspensi* vox, *a communione ecclesiastica suspendatur*, ab Aurelianensi Concilio quinto, canon. 17. At idem Concilium quod an. 549. habitum fuit, sumit etiam *suspensi* nomen ea prorsus notione ipsa, qua nunc temporis a nobis sumitur: *Ut nullus clericum, seu lectorem alienum, sine sui sessione Pontificis, vel promovere, vel sibi quibuslibet conditionibus audeat vindicare. Quod si quis hanc constitutionem fuerit quacumque praesumptione transgressus, memorata persona ab eo cui fuit debita, seu ecclesiastico jure seu proprio, revocata, quae illicita vagatione discesserat, ab honore vel officio suscepto, juxta arbitrium sui Pontificis, suspendatur; Episcopus vero qui ordinaverit, sex mensibus Missas tantum facere non praesumat* (Can. 5.). Evidens est, verbum, *suspendatur*, intelligi debere de suspensione proprie dicta quae clericos ab extraneo Episcopo ordinatos suarum functionum exercitatione privat. Sunt & alia Concilia quae ad exprimendam suspensionem utuntur verba *sequestrare*; cujusmodi est Aurelianense Concilium tertium, an. 538. celebratum quod ita loquitur: *& ipse Episcopus ad agendam poenitentiam tribus mensibus*

sit a suo officio sequestratus (Can. 2.). Toletanum tertium Concilium, an. 683. habitum utitur verbo *removere*, ad suspensionem significandam. *Tanto tempore excommunicatum, & remotum se a suis officiis noverit esse, quanto eum qui fugit, sub sua potestate contigerit remoratum.* (Cap. 11.)

Quia vero suspensio privatione exercitationis functionum ordinum, beneficiorum officiorumque ecclesiasticorum continetur; non alii proinde quam clerici suspensioni sunt obnoxii, quoniam hi tantum ordinum, beneficiorum officiorumque ecclesiasticorum capaces sunt. Pronuntiari potest suspensio non in singulos solum homines, verum etiam in ecclesiastica corpora, seu sæcularia seu regularia, cujusmodi sunt cathedralium & collegialium Ecclesiarum capitula & monasteria. Quis porro regulares *clericorum* nomine contineantur, suspensiones in canonibus, aut summorum Pontificum bullis latæ hos æque ac sæculares clericos spectant, nisi forte legis materia his posterioribus peculiaris & propria sit. Quod attinet ad Episcopos, hi quidem suspensionibus a jure latis, ut ipso facto subeantur, non impetuntur, nisi cum id in decreto quod suspensionem pronuntiat, expresse notatum est.

Superior, regularum ratione habita, censuram in clericum, aut religiosum pronuntiare non potest, nisi ab iis mortale peccatum quod eorumdem statum dedecoret, aut saltem, si forte innotuerit, dedecorare possit, patratum fuerit. Ratio est, quia censura, cum gravis pœna sit, non nisi ob grave peccatum, spectatis quidem regulis, imponi debet. Ecclesiasticus tamen ob alterius culpam suspendi potest, cum justa ejusmodi censuræ pronuntiandæ causa subest; quod egit Honorius Papa III. adolescentis occasione, qui ætatis anno decimo tertio diaconus creatus fuerat. Suemus hic Pontifex adolescentem e suscepto ordine, quoad ætatem canonibus præscriptam attigisset, suspensum declaravit; idque ut Episcopum probro afficeret, qui eum initiaverat. Clericus quoque, quem publicus rumor in alicujus criminis suspicionem vehementer trahit, suspendi, dum se purgaverit, potest.

Totalis ordinum seu absoluta suspensio ecclesiasticarum functionum ad ordines, quoscunque suscepit, spectantium exercitatione privat; at superioris ordinis, ut sacerdotii suspensio non eumdem inferiorum ordinum, ut diaconatus, subdiaconatus, &c. obeundis muniis ineptum reddit. Quamobrem sacerdos a sacerdotii functionibus tantum suspensus potest diaconi officia peragere, ut evangelium ad Missam canere; & diaconus a diaconatus functionibus suspensus ad Missam & ipse epistolam canere potest. Nititur id Ecclesiæ veteri disciplinæ; videmus enim antiqua Concilia sæpenumero presbyterorum, diaconorum & subdiaconorum errata ita punivisse, ut eos ad minorum ordinum, ut lectorum, cantorum, &c. obeunda munia redigerent. *Ut presbyteri, & diaconi, & subdiaconi, sicut lex canonum præcipit, nec uxores, nec concubinas habeant.... qui vero derelinquere eas noluerint, a proprio gradu & officio cessent, & inter cantores & lectores permaneant.* (Concilium Bituricense, an. 1031. can. 5.). Lemovicense Concilium, eodem anno habitum non aliter statuit.

Jam super controversia, an inferioris ordinis suspensio ad superiores etiam ordines referatur, inter canonistas haud convenit. Id eorum alii absolute ac sine exceptione propugnant, ea nixi juris regula: *Cui non licet quod minus est, nec ei licere debet quod est majus.* Alii vero superioris ordinis munia distinguunt, quæ peragi nequeunt, quin aliqua inferioris ordinis munia peragantur, ob insolubile vinculum quo inter se continentur, & ea quæ seorsim ac sine aliis peragi possunt; adeoque, horum auctorum sententia, sacerdos e diaconatus ordine suspensus, non potest Missam dicere, quia eam dicens, necesse haberet evangelium legere, quæ diaconatus propria functio est; at idem posset, post evangelium, Missam ab alio sacerdote inchoatam prosequi ad finem usque, administrare solemnem baptismum, pœnitentiam, communionem, &c. Id hac in re tutius, ut priori sententiæ stetur, aut superior qui suspensionem pronuntiavit, cum potest, consulatur; & cum id fieri nequit, ex causa quæ præsulem ad inferioris ordinis suspensionem pronuntiandam impulit, de ejus mente judicetur.

Officii beneficio addicti suspensio secum non trahit beneficii suspensionem, nec beneficii suspensio suspensionem officii. Itaque clericus ab officio suspensus, a functionibus scilicet, quas obeundi jus obtinet, vi muneris aut beneficii quod possidet, sui semper beneficii fructus & emolumenta percipere potest, dummodo perficiat, ut ei deserviatur, ejusdemque ipse oneribus faciat satis; itemque qui a beneficio suspensus est, potest omnis ordinis & jurisdictionis, quibus in Ecclesia insignitus est, obire munia, ut, sacramenta administrare, ordinationes peragere, beneficia conferre, &c. Is etiam qui ab ordinibus suspensus est, non proinde ab ordinaria vel delegata jurisdictione quam obtinet, in foro externo, suspensus est; itemque qui a jurisdictione suspensus est, ob hanc causam ab ordinibus non est suspensus.

Cum ecclesiasticus suorum ordinum suspensionem in certa quadam diœcesi subiit, in quamcunque sit deinceps regionem contulerit, eum sequitur suspensio hæc, quippe quæ personæ quæ in eam incidit, addicta est; idemque ecclesiasticus non nisi per Episcopum qui suspensionem pronuntiavit, siquidem hæc ex earum genere est, quæ dicuntur *ab homine*, vel per ipsius Episcopi superiorem ab eadem absolvi potest. Si vero de suspensione *a jure* ageretur, hæc tolli potest e diœcesis Episcopo, in quam ecclesiasticus qui eam subiisset, se, domicilii ibidem statuendi animo, recepisset.

Qui suspensionem violat, aliquid, extra necessitatis casum, agens quod facere per eam prohibetur, lethaliter peccat, quia Ecclesiæ imperium in re gravi detrectat; ac si vetita res quam agit, sacri ordinis functio est, irregularitatem facto ipso subit; at in hanc non incideret, si minorum tantum ordinum functiones obiret. Idem contingeret, si solum e jurisdictione aut beneficio suspensus, jurisdictionem suam exerceret, suive beneficii fructus perciperet.

Ecclesiasticus a suis ordinibus suspensus in irregularitatem non incidit, cum cæteris in choro psallens, quia psalmodia non est sacri ordinis functio. at in eam tamen incideret, si collectam, seu orationem in choro dicens, versiculum, *Dominus vobiscum*, adderet, quia *Dominus vobiscum* tanquam ordinum presbyteratus & diaconatus functio spectatur.

Quia suspensio ecclesiasticum non sacramentorum participatione, sed solum suorum ordinum, sui officii, suive beneficii exercitatione privat; qui eam subiit, sacramenta percipere potest, quin in irregularitatem labatur; est id Ecclesiæ disciplinæ veteri consentaneum, quæ ad Eucharistiæ participationem suspensos, vel etiam depositos clericos admittebat ut nos docent, inter alios, sequentes canones: *De adulteriis autem honoratorum clericorum id observandum est, ut si quis adulterasse aut confessus fuerit, vel convictus, depositus ab officio, communione concessa, in monasterio, toto vitæ suæ tempore, recludatur.* (III. Concilium Aurelianense, an. 538. can. 7.)

Si quis clericus, post acceptam benedictionem cujuslibet loci, vel ordinis, ad conjugalem toram jam sibi illicitum denuo redire præsumpserit, usque in diem vitæ ab honore accepti ordinis, & sicut habent antiquorum Patrum canones, ab officio deponatur, ei tantummodo communione concessa. (V. Aurelianense Concilium, an. 549. can. 4.)

Ex jure canonico, beneficiarius e beneficio suspensus illud nec permutare nec resignare in favorem potest, nec ejus fructus reditusque percipere, eosdemve locare, quia omnia & singula ista hæc sunt totidem usus juris quod habetur in beneficium, & quia beneficii suspensio privat omnis juris, omnisque functionis ad beneficium spectantis usu, quamvis titulo non spoliet, & hunc quidem beneficiarius suspensus semper retineat, beneficii suspensione quam subiit, nihil obstante. At animadversione dignum est, id, in Gallis, non nisi quoad internum conscientiæ forum, locum habere; quod enim ad externum forum attinet, sæcularium curiarum jurisprudentiæ huic doctrinæ contraria est. Quare, ex hac jurisprudentia, beneficiarius, licet a beneficio suspensus, quoad per definitivum judicium ejus titulum non amisit, illud permutare, resignare, ejusdemque fructus administrare & percipere potest. (Cap. *Cupientes, de Electione, in Sexto, § Cæterum si.*) *Quære* CENSURA.

SYMBOLUM, summarium seu compendium articulorum Fidei, quos christianus quisque scire debet, corde credere, & ore confiteri. Symbolum est græca vox quæ ad litteram quidem, notam quamdam, signum, annulum, sigillum, figuram sigillo impressam, aut ejusmodi quidvis aliud, indicando inserviens significat. Est igitur omnino quod sentiatur ita dictum symbolum fuisse, quia est nota seu character qui christianos ab iis distinguit qui christiani non sunt.

Agnoscit Ecclesia symbola tria. Primum Apostolorum est, ita nuncupatum, quia Apostolorum doctrinam continet, & quia eorum quisque peculiarem ejus articulum edidit, contulitque, aut saltem universos approbavit. Symbolum hoc articulis duodecim constat,

Sym-

Symbolum alterum *Nicænum*, seu *Constantinopolitanum* est, illud nempe quod in Missa dicitur, appellaturque *Symbolum Nicænum*, quia editum fuit a generalis primi Concilii Patribus; quod an. 325. in urbe Nicæa, Bithyniæ metropoli habitum fuit. Idem quoque *Symbolum Constantinopolitanum* dicitur, quia generale Concilium an. 381. Constantinopoli celebratum ei incrementa præbuit. Eidem Latina Ecclesia addidit & ipsa deinde particulam, *Filioque*, ubi de Spiritu sancto sermo est, qui a Filio æque atque a Patre procedit.

Tertium Symbolum quod die dominica ad Primam recitatur, est illud quod *S. Athanasii* Symbolum dicitur, quia doctrinam continet, quam olim hic sanctus doctor tanto cum animi robore in Arianos defendit, non autem quasi ejus auctor sit. Illud ei nemo tribuit ante sæculum sextum; idemque unum temporis doctorum virorum plerique Vigilio Tapsensi tribuunt, qui sæculo quinto ad finem vergente vivebat. Occurrunt in Conciliis super Symbolo statuta plura.

Baptizandos oportet & fidei symbolum discere, & quinta feria ultimo septimanæ vel Episcopo, vel presbyteris reddere. (Concilium Laodicenum, can. 46.)

In primis, ut catholica & apostolica fidei symbolum firmiter teneamus. (Concilium Rothomagense, an. 1050. can. 1.)

Doceant autem clerici filios Ecclesiæ, & infantes, ut symbolum, & orationem dominicam memoriter teneant. (Concil. Coyacense, an. 1050. cap. 3.)

Diffinimus insuper, explicationem verborum illorum, Filioque, *veritatis declarandæ gratia; & imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter symbolo fuisse appositam.* (Concilium generale Florentinum, an. 1438. *in Definitione Fidei.*)

Agitur in hoc decreto de additione particulæ *Filioque*, significandi gratia Spiritum sanctum a Filio, ut a Patre procedere. Cum porro Florentinum Concilium definit particulam *Filioque* symbolo jure ac merito additam fuisse, Ephesino generali Concilio, an. 431. celebrato, quod vetat Nicæno symbolo quicquam addi, nulla prorsus ratione opponitur, quia ab Ephesini Concilii prohibitio omnino spectat alio atque additio quam Florentina synodus hoc loco approbat. Ephesinum Concilium scilicet prohibet, ne quid Nicæni Concilii symbolo addatur, quod ejus definitionibus adversetur; huc prorsus, & non alio spectat Ephesini Concilii interdictio. Florentina synodus, omnes quidem ejusdem generis additiones & ipsa damnat, easque tantum approbat, quæ in modum declarationis, enucleationis & explicationis fidei quæ in Nicæno symbolo continetur, editæ sunt. Hoc omnino, & non alio ejus approbatio refertur; adeoque, quod inde consequitur, hæc duo Concilia nulla ratione invicem pugnant, cum ad Nicænum symbolum additiones damnant, aut approbant.

SYNODATICUM. *Quære* CATHEDRATICUM.

SYNODUS. Vox *Synodus*, ad litteram sumpta, significat idem quod *Concilium*, videlicet plurium, super aliquo negotio deliberandi causa, *in* eodem loco personarum cœtum. Idem vocabulum, minus lata notione acceptum Concilia tam generalia, quam nationalia & provincialia significat. Stricto demum propriaque sensu sumitur hæc ipsa vox pro cœtu quem cogit Episcopus e suæ diœceseos parochis, ut in eo monita & documenta præbeat, edatve constitutiones seu statuta, ad fidem, ad mores, vel ad politiam ac disciplinam spectantia. Hac posteriore significatione sumpta synodus nuncupatur Synodus *episcopalis*, seu *diœcesana*. Hæc ipsa *presbyterium* & *concilium civile* apud veteres auctores appellata comperitur. Eam *presbyterium* appellabant, quia ex unius diœceseos presbyteris constat, & *concilium civile* vocabant, quia cœtus est, qui in episcopali urbe habetur, *in civitate episcopali*.

Gibertus & P. Thomassinus omnium antiquissimam synodum dant eam quæ Antissioduni an. 578. habita fuit; at Benedictus XIV. (*de Synodo Diœcesana*, p. 6.) eam diœcesanarum synodorum primam putat, quam Papa Siricius, Romæ, sub annum 389. contra Jovinianum habuit, & de qua ipse in sua ad Episcopos Epistola loquitur in hæc verba: *Facto ergo presbyterio, constitit doctrinæ nostræ, id est, christianæ legi esse contrariam; unde...., omnium nostram, tam presbyterorum & diaconorum, quam etiam totius cleri unam scitote fuisse sententiam, ut Jovinianus, Auxentius*, &c. Hard. T. I. col. 852.

In primitiva Ecclesia, diœcesanæ synodi crebro habebantur, & quin earum tempus designaretur, prout scilicet occurrentia negotia postulabant. Subsecutis temporibus habitæ fuere bis in anno, prorsus ut provincialia Concilia; diutiusque mos hic, in aliquibus saltem provinciis, perstitit, ut ex Hostiensi Concilio, an. 1425. habito compertum fit, ubi dicitur: *Statuimus, prout ab antiquo est consuetum, ut in qualibet Ecclesia cathedrali nostræ provinciæ bis in anno celebretur diœcesana synodus generalis*; ex Coloniensi, an. 1549. celebrato quod in banc rem ita suam mentem aperit: *Statuimus, ut synodus diœcesana quotannis bis, pro veteri quidem more, sed juxta reformationis formulam religiosius & meliori cum fructu celebretur.* (Tit. *de Synodorum Celebratione.*)

Hoc tempore, semel tantum in anno synodi habentur: *Synodi quoque diœcesanæ quotannis celebrentur; ad quas exempti etiam omnes qui alias, cessante exemptione, interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur; ratione tamen parochialium, aut aliarum secularium Ecclesiarum, etiam annexarum, debeant ii qui illarum curam gerunt, quicunque illi sint, synodo interesse.*

Perspicitur ex hoc canone, exemptos qui generalibus capitulis non subduntur, æque atque eos omnes, nemine excepto, quibus parochialium, aliarumve secularium, etiam annexarum Ecclesiarum regimen demandatum est, suarum diœceseon synodis interesse debere. Ita judicatum die 18. Junii an. 1650. contra parochum sancti Petri Montis sancti Michaelis, & ejus abbatiæ religiosos, in Abrincensis Episcopi favorem, per arbitrariam sententiam quæ magni consilii arestum confirmat. (Monumenta Cleri, Tom. VII. pag. 100.)

Quoniam ad Episcopum pertinet suam synodum cogere, & Episcopus quidem in omnia suæ diœceseos loca jurisdictione gaudet; indubitatum est eum posse in quocunque suæ diœceseos loco voluerit, synodum convocare, tametsi hanc in ejus episcopali urbe cogi magis deceat. Ejus cogendæ rationes, quæque ejusdem si minus absolutam necessitatem, maximam saltem utilitatem statuunt, sunt subsidia & adjumenta quæ synodi suppeditant primo pastori, ut suum gregem cognoscat, & bene regat, vitia eradicet, abusus corrigat, totum in modum, quem late protenditur ejus diœcesis, moderatur, quicquid fidem, mores, disciplinam, religionem, pietatem, divinum officium, Dei cultum spectat, & generatim quicquid ad fidelium salutem refertur: *Magnus status ecclesiastici, immo reipublicæ christianæ detrimento, fere querimur synodos vel intermissas, vel non recte hactenus fuisse celebratas. Quarum necessitas hinc intelligitur, quod ubi deficit visitatio, ubi officiorum non est cura, ubi examen & studia bona jacuere neglecta, sola restant synodi, seu Concilia in nomine Christi congregata; idonea non tantum ad bonorum morum plantationem, & exstirpationem malorum, verum etiam ad mediorum, seu viarum, quibus ad ista pertingimus, restitutionem, cum primis valentia. Siquidem in synodis redintegratur unitas, studetne corpori in sua integritate conservando, ubi ea quæ in visitatione non dabatur exsequi, exsecutionem studiis communibus assequuntur; ubi de capite & membris, de fide & pietate, de religione & cultu divino, de moribus, de disciplina, de obedientia, de judiciis, & rebus omnibus ad bene christianeque vivendum commodis vel necessariis tractatur atque statuitur; ut verissime in reformationis regula dicatur: salus Ecclesiæ, terror hostium ejus, & fidei catholicæ stabilimentum sunt synodi, quas etiam rectissime corporis Ecclesiæ nervos dixerimus. Neglectis enim synodis, non aliter ecclesiasticus ordo diffluit, quam si corpus humanum nervis solvatur.*

Statuimus...., ne in synodis, communibus consiliis decernatur de tollendis abusibus & moribus corruptis, quos contigerit ad synodi judicium referri, disciplina ecclesiastica castigandis. Et si opus sit, canones veteres renoventur, aut novi in novis casibus juxta sacram Scripturam, Patrum sanctiones, & rectæ rationis judicium condantur. (Concilium Coloniense, an. 1549. tit. *de Synodorum celebratione.*)

Cum in parochiis sacerdotes instituti ad synodum venire teneantur, rationem in primis reddituri, quomodo munere & officio suo fungantur.... statuit Concilium, ut Parochi, aliique omnes qui in synodis adesse debent, absentes & contumaces puniantur, geminatis etiam pœnis, præsertim si in nulla tertiæ anni synodo adfuerint. (Concil. Narbonense, an. 1551. tit. *de Synodo Diœcesana.*)

Synodi diœcesanæ quotannis suis temporibus celebrentur. Liceat tamen Episcopis ad levamen sui cleri, si ita expedire videbitur, de duabus in eodem anno unam remittere, & alteram diligentius convocare. Ad eas accedere teneantur exempti etiam omnes qui alias, cessante exemptione, interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur. Debent etiam illis synodis interesse, ratione parochialium, aut aliarum secularium Ecclesiarum, etiam an-

nonarum, qui illarum curam gerunt, quicunque illi sint. Non alium in hic presidere oportet quam vicarium generalem Episcopi in ejus absentia, nisi sede vacante; tunc enim ad decanum & capitulum Ecclesiæ cathedralis redit diœcesis administratio. In ipsis archidiaconi & decani rurales de curatis tam præsentibus, quam absentibus Episcopo debent reddere rationem, & omnia in visitatione & Kalendis audita & comperta referri, examinari, ac judicari, & statuenda publicari.

Curati ut deinceps in ipsis compareant sine superpelliceo, stola ac toto habitu sacerdotali: alias dure increpentur, & mulctentur; censura ibi fiat de singulorum moribus, & de offensionibus inquisitio; ac infligatur potius pœnitentia, quam pecunia. Adhortatio vero publica adhibeatur, sive ab Episcopo, sive ab alio, de vita & honestate clericorum, & rebus pro tempore statuendis. Ibi denique eligantur testes synodales, sive per decanatus, sive aliunde ad arbitrium Episcopi; qui omni exceptione majores explorent in tota diœcesi, per parœcias, singulorum, atque etiam archidiaconorum & decanorum actiones, de quibus in proxima synodo Episcopo renuntient. (Concilium Rothomagense, an. 1581. tit. *de Episcoporum officiis.*)

Synodi diœcesanæ singulis annis semel duntaxat ad cleri levamen tempore commodiori celebrentur.... In iis decani rurales rationem reddant eorum quæ in suis calendis & visitationibus egerint, & comperint;... legantur etiam statuta synodalia, ac pro temporis opportunitate, & ratione augeantur, minuantur, vel immutentur, prout Episcopo videbitur. (Concil. Remense, an. 1583. tit. *de Synodo diœcesana.*)

Synodi quotannis, statis temporibus, in qualibet diœcesi celebrentur, ad quas totius diœcesis beneficiarii, abbates, capitula, priores, archidiaconi, archipresbyteri, parochi, etiam exempti, omnes ad quos quovis animarum cura quoque modo pertinet, juxta sanctorum Conciliorum præscriptum, & cujuslibet diœcesis morem, interesse teneantur. Singuli autem in habitu ordini suo proprio & decenti compareant, omnesque synodum mane intrent jejuni... Peracta sacra Missarum celebratione, Episcopus, vel alius ejus nomine verbum Dei proponat, & omnes ad morum emendationem, & sua in futurum diligentius explenda munia cohortetur.... Episcopus sigillatim ab unoquoque, dum appellabitur, ministerii sui rationem reposcat, & de vita & moribus subditorum sollicite & diligenter inquirat; in simoniacos, fiduciarios, fœneratores, fornicatores, concubinarios, turpia ministeria exercentes, & illicita negotia gerentes, sine ulla dissimulatione animadvertat; alienationes a jure interdictas prohibeat, & jam factas, revocandas & irritandas curet; & officialium & ministrorum suorum offensiones, delicta & injurias patienter audiat, & severe coerceat. Clericorum in sacris celebrandis errores & negligentias corrigat, pravosque mores ac vestitum indecorum emendet; remediisque opportunis provideat, ne aliquod dogma quod falsum sit, neve aliquod præstigium, superstitionis, & diabolici figmenti genus diœcesim suam inficiat. (Concilium Burdigalense, an. 1583. tit. 33. *de Synodo Diœcesana.*)

Episcopus ad Tridentini Concilii præscriptum singulis annis diœcesanam synodum habens... censura ibi fiat de singulorum moribus, vestitu & vita; ac infligatur pœna potius personalis, etiam carceris, ubi opus fuerit, quam pecuniaria. Adhortatio vero publica quotidie, dum synodus celebratur, ab Episcopo, vel ab alio deputato, habeatur de rebus ad vitæ & morum honestatem, ac animarum regimen pertinentibus. Aliquot probati viri deligantur, qui testium synodalium officium præstent, & in ipsa synodo, se fideliter suum munus obituros sancte jurent; nullove aut odio, vel amore cujuspiam, pœnove metu, aut mercedis spe, aut quovis alio humano affectu adducendos, quominus omnia quæ correctione digna cognoverint, aliquot ante diœcesanam synodum diebus Episcopo significent. Odia, & animorum offensiones, quæ plerumque cum scandalo oriuntur, inter ecclesiasticas personas, in synodo Episcopus pro pastorali cura componat. In celebratione synodi diœcesanæ, cæremoniæ, ritus, & preces, & alia serventur, quæ in Pontificali Romano tradita sunt. (Concilium Aquisextiense, an. 1585. tit. *de Synodo Diœces.*)

Ad synodum diœcesanam convenire compellantur omnes & singuli, qui jure, vel consuetudine ad hoc tenentur, comparentes in habitu ordini suo proprio & decenti incertifine.... Deferat quisque archipresbyter in scriptis nomina omnium in suo archipresbyteratu beneficia obtinentium, qui non residentes fuerint; aut curam animarum habentes, se ad sacrum presbyteratus ordinem promoveri non fecerint. (Concilium Narbonense, an. 1609. cap. 28.)

Ex his peculiaribus canonibus compertum fit synodalia statuta eo spectare debere, ut vitia corrigantur, clericorum & laicorum mores reformentur, omnes abusus reprimantur, disciplina servetur & restituatur, præcipiaturque quicquid necessarium est, ut festi & dominici dies, qua par est, ratione sanctificentur, sacramenta rite ac recte administrentur, divinum officium, qua fieri potest, maxima cum dignitate celebretur, omnes pietatis & religionis exercitationes eo fervore qui exemplo sit, peragantur. Verum super diœcesana synodo plura quæri possunt.

1. Necesse ne est synodalia statuta a synodo conjunctim cum Episcopo confici, an vero sufficit a solo Episcopo edita esse, ut obligandi vim habeant?

2. Quid nominis potest synodalibus statutis tribui?

3. Quandonam hæc obligare incipiunt?

4. Quandonam obligare desinunt?

5. Quis titulus, seu quod honoris nomen diœcesanæ synodo convenit?

Respondetur ad quæstionem primam, satis esse synodalia statuta ab Episcopo edita esse, ut obligandi vi polleant. Hujus decisionis præcipua ratio est, Episcopos quoad ordinis & jurisdictionis potestatem divino jure simplicibus sacerdotibus superiores esse, utpote a Spiritu sancto institutos ad regendam Ecclesiam, condendasque, quod inde consequitur, leges quæ ipsæ per se, & absque inferiorum ecclesiasticorum consensu, vel etiam horum ingratiis obligandi vim habeant. Ex alia parte, cum super his inferioribus ecclesiasticis sæpe synodalia statuta versentur, quæ scilicet errata puniunt quæ ipsi patrarunt, cave antevertunt, quæ iidem patrare possent; perspicuum est fore, ut Episcopo identidem obstacula occurrerent, quæ maxime necessaria statuta impedirent, si, ut his obligandi vim tribueret, suæ ipse synodi consensu opus haberet. Atque hinc consequens fit oportere, ut parochi, cæterique fideles omnes ad statuta sese conforment, quæ jam exarata Episcopus in suam synodum defert, super quacunque re, ut super casibus reservatis, censuris, curialium jurium, & pro missis retributionum determinatione, ancillarum apud eos, intra 45. vel 50. ætatis annos, interdictione, &c. Quod si parochi dixerint, in hac hypothesi, necesse fore constitutiones in synodis editas *episcopalia*, non autem *synodalia statuta* nuncupari; iis reponitur, etsi Episcopi non amplius, ut olim, sui cleri sententiam sumant, ut ea mandent, quæ congrua judicant, eorum tamen in synodis mandata suum verum nomen semper servare. Ex quo fit, ut etiamnum in pluribus diœcesibus, e quadam solum forma, petatur, ut ecclesiastici qui synodo intersunt, per verbum, *placet*, statuta approbent, quæ iis proponuntur; quod est ita Romani Pontificalis verbis consentaneum: *Post hæc leguntur constitutiones, si quæ sint per synodum approbandæ.*

Respondetur ad quæstionem secundam, etsi, spectata quidem etymologia vocis *canon*, quæ regulam significat, synodalibus statutis tribui possit *canonum* nomen, usu tamen receptum esse, ut constitutionibus quæ ab œcumenicis Conciliis, vel a summis Pontificibus emanarunt, quæque universam Ecclesiam obligant, canonum nomen reservaretur. Itaque ad ea mandata quod attinet, quæ in synodis diœcesanis eduntur, satis habendum, ut *constitutiones synodales, edicta, decreta, statuta* synodalia nuncupentur.

Respondetur ad quæstionem tertiam, statuta synodalia obligare incipere, statim atque evulgata sunt, & post hanc enuntiationem, ad fidelium quos spectant, notitiam pervenerunt. Quod si statuta non nisi Clerum afficiunt, non alia indigent promulgatione quam quæ in ipsa synodo fit.

Respondetur ad quæstionem quartam synodalia statuta nec per dimissionem, nec per mortem Episcopi, qui ea condidit, sed unice per expressam eorumdem revocationem desinere, quam is ejusve successores ederent.

Respondetur ad quæstionem quintam, licet veteres plures synodi, ut Barcinonensis, an. 599. & Toletana, an. 653. *sanctarum* titulum sumpserint; *Sancta synodus præcipit, sancta synodus statuit*, hunc tamen titulum nunc temporis œcumenicis Conciliis reservatum esse. Ab hoc igitur abstinere synodi, aliumque sibi congruum titulum sumere debent. *Vide* excellens Opus Benedicti Papæ XIV. quod inscribitur: *De Synodo Diœcesana, libri octo*, & Tomum primum Institutionum ecclesiasticarum & beneficialium Giberti, pag. 82. & seq.

TABEL-

TAB

TABELLA CHORI. *Ut cuncta in divino ordinate procedant, & quilibet sciat, quid agendum immineat, statuatur tabula aliqua continue pendens in choro, in quid per unumquemque ex canonicis, vel aliis beneficiatis, in singulis horis, per hebdomadam, aut majus tempus, legendum cantandumve, sit. Qui autem, secundum quod ibi descriptus fuerit, facere per se, vel alium neglexerit, distributiones unius diei amittat.*

TABULÆ PICTÆ. In Ecclesiis potissimum, ac religionis quibusvis actis profanas & modestiæ contrarias tabulas seu picturas, perinde atque ejusdem generis statuas, & aulæa seu tapetes acu textos variatosque Concilia interdicunt. *Quære* IMAGINES.

TEMPLARII; militaris ordo Jerosolymis, an. 1118. ab Hugone de Paganis, Geofrido Audomaropolitano, aliisque septem viris nobilibus Gallis institutus, qui simul omnes sibi conjunctis opinionibus animisque proposuerunt, ut religiosam & militarem societatem statuerent, quæ in id incumberet, ut fideles qui ad Terram sanctam se conferebant, ad Palæstinam scilicet, ab infidelium insultibus & crudelitatibus tueretur. Ergo hi novem equites castitatis & obedientiæ votum apud Patriarcham Arnulphum, aut Gormundum ediderunt; hi enim Latini Patriarchæ Jerosolymitanam Sedem an. 1118. tenuerunt, Gormundo qui natione Gallus erat, suffecto in Arnulphi locum, qui hoc ipso anno vivere desiit. Strenui viri nobiles eam quoque obstrinxere fidem sua se bona ac vitam ipsam, ut Terræ sanctæ peregrinis servitio & præsidio forent, profuturos. Eorum zelo permotus Balduinus Rex II. iis domum Jerosolymis prope Templum donavit, a quo *Templarii* dicti fuere. Tracense in Campania Concilium, sub Honorii Papæ II. pontificatu, mense Januario an. 1128. celebratum iis regulam præbuit, quam a S. Bernardo, Claravallensi Abbate, uno e Trecensis Concilii membris exaratam Stephanus Carnutensis, Jerosolymitanus Patriarcha approbavit, & Honorius summus Pontifex confirmavit. Tum vero Templarii candidam, longam, & ad humum usque protractam vestem sumpserunt, eosque Eugenius Papa III. an. 1146. rubram super pallio crucem gestare jussit. Eorum regula fert, inter cætera, ut quotidie divinum, quam late patet, officium audiant, quique ei interesse non poterunt, pro matutino trecies, pro quaque parva hora septies, & pro vespera novies dominicam orationem recitent. Debent in communi triclinio cibum sumere, uno ut plurimum ferculo contenti esse, ibidem mensæ lecturam silentes audire, non nisi ter in hebdomada carne uti, post prandium ad Ecclesiam pergere gratias acturi, suis a panibus decimum quemque diebus singulis in eleemosynam erogare, post completorium silentium servare; singuli tres tantum equos unumque scutarium habere poterant, nec iis vel ad avium venationem ire licebat. Initio statim in eos beneficia certatim Reges, Episcopi, Proceres contulerunt: at iidem brevi temporis spatio immensas divitias adepti sunt, quæ eorum excidio causam præbuerunt, inductis inter eos luxu, voluptate, fastu, superbia, animi elatione, indipendentia, dominatione, innumerisque depravationibus, quæ in eos acria plurium Conciliorum statuta traxerunt, & Viennense impulerunt, ut an. 1311. eos omnino supprimeret, funditusque deleret.

Fratrum autem & Coepiscoporum nostrorum vehementi conquestione comperimus, quod fratres Templi & Hospitalis, alii quoque religiosæ professionis, indulta sibi ab apostolica Sede excedentes privilegia, contra episcopalem auctoritatem multa præsumunt, quæ & scandalum generant in populo Dei, & grave pariunt periculum animarum. Proponunt enim, quod Ecclesias recipiant de manibus laicorum, excommunicatos & interdictos ad ecclesiastica sacramenta & sepulturam admittant, in Ecclesiis suis præter eorum conscientiam & instituant & amoveant Sacerdotes .... Ecclesias sane & decimas de manu laicorum, sine consensu Episcoporum, tam illos, quam quoscunque alios religiosos recipere prohibemus ... excommunicatos, & nominatim interdictos tam ab illis quam ab omnibus aliis, juxta Episcoporum sententiam statuimus evitandos. In Ecclesiis suis quæ ad eos pleno jure non pertinent, instituendos presbyteros Episcopis præsentent, ut eis quidem de plebis cura respondeant, ipsis vero pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem; institutos autem, Episcopis inconsultis non audeant removere. Si vero Templarii, sive Hospitalarii ad ecclesiasticum interdictum (ad Ecclesiam interdictam) venerint; non nisi semel in anno ad ecclesiasticum admittantur officium, nec tunc ibi corpora sepeliant defunctorum. (III. Lateranense generale Concilium, an. 1179. cap. 9.)

Sane intelleximus, quod Templarii, & alii religiosi, privilegio exemptionis gaudentes, de regno Franciæ, hospites suos qui dati ordinum eorum seu oblati dicuntur, vel qui aliquem censum, etiam modicum eis solvunt, per se, ac conservatores a Sede apostolica deputatos, privilegiorum prætextu defendendi ne cum delinquunt, a suis ordinariis ecclesiasticis, sicut alii laici, pro furtis videlicet, adulteriis & aliis criminibus, quorum ad ordinarios ipsos spectare noscitur correctio, puniantur. Capellas autem & oratoria sine consensu & auctoritate diœcesanorum construunt; nec non & interdicti & suspensionis sententias quas ordinarii proferunt in loca & personas, sibi subjecta, damnabiliter contemnentes faciunt in locis eisdem, capellis & oratoriis, divina renitente justitia, celebrari; quamquam, quod hoc ipsis liceat, apostolicum privilegium, aut indulgentiam non ostendant .... Volentes itaque talium præsumptionibus, congruis, prout nostra incumbit sollicitudini, remediis obviare, apostolica auctoritate, de consilio fratrum nostrorum, statuimus, quod si hospites, vel homines qui dati dicuntur vel oblati, vel qui præfatis exemptis aliquem solvunt censum, si non se omnino iisdem exemptis reddiderint, sicut in propriaetatibus suis omnino duxerunt remanendum, propter hoc ab Episcoporum suorum sententia nullatenus eximantur; sed potestatem in eos ipsi Episcopi, sicut in alios suos parochianos, exerceant, cum pro suis excessibus fuerint corrigendi; nec ob hoc, exemptorum ipsorum conservatores quidquam contra Episcopos valeant attentare. Oratoria vero vel capellas in locis non exemptis, sine diœcesanorum locorum licentia, iidem exempti construere non præsumant; nec in sic constructis, neque in locis non exemptis, cum ab ordinariis fuerint interdicta, celebrent, vel faciant celebrari divina. Quod si talia præsumpserint, per locorum ipsorum ordinarios compescantur; & si quas, propter hoc, exemptorum ipsorum conservatores sententias in contrarium protulerint, illas penitus revocamus. (Concil. Senonense, an. 1269. cap. 6.)

Dudum siquidem ordinem domus militiæ Templi Jerosolymitani, propter magistrum & fratres, cæterasque personas dicti ordinis, in quibuslibet mundi partibus consistentes, variis & diversis non tam nefandis, quam infandis (proh dolor!) errorum & scelerum obscœnitatibus, pravitatibus, maculis & labe respersos, quæ propter tristem & spurcidam eorum memoriam præsentibus subticemus, ejusque ordinis statum, habitum, atque nomen, non sine cordis amaritudine & dolore, sacro approbante Concilio, non per modum diffinitivæ sententiæ, cum eam super hoc secundum inquisitiones, & processus super his habitos, non possemus ferre de jure; sed per viam provisionis seu ordinationis apostolicæ, irrefragabili & perpetuo valitura sustulimus sanctione, ipsum prohibitioni perpetuæ supponentes, districtius inhibendo, ne quis dictum ordinem de cætero intrare, vel ejus habitum suscipere, vel portare, aut pro Templario se gerere præsumeret; quod si quis contra faceret, excommunicationis incurreret sententiam ipso facto; universa etiam bona ordinis prælibati apostolicæ Sedis ordinationi & dispositioni, auctoritate apostolica, duximus reservanda. (Clemens V. in generali Viennensi Concilio, an. 1311.)

Sententia hæc, licet solum provisionis in modum edita, omnem peremptorii seu definitivi decreti effectum sortita est; & inscrutabile eventum hoc scindit adhuc animos, ac diu scindet. Illud alii Regis Philippi pulcri in Templarios odio & acerbitati, & Clementis Papæ V. avaritiæ tribuunt. Alii persuasum habent Templariorum ordinem reapse omnium execrationum reum fuisse, de quibus in omnibus christiani orbis regnis accusatus fuit, quæque extremam perniciem ei attulerunt. Alii denique mediam sibi viam ineundam putant, ajentes non totum quidem ordinem horrendis quæ ei imputete, flagitiis obnoxium, sed ejus aliqua solum membra eorumdem scelerum saltem ex parte patratorum convicta fuisse. Inter recentiores qui historiæ caput hoc pertractarunt, videri potest Abbas Vellius, in Tomo VII. suæ Galliarum Historiæ, p. 414. & sequentibus.

TEMPLUM, domus Dei, ædificium divino cultui consecratum. *Quære* ECCLESIA.

TESTAMENTUM. Testamentum, ita dictum, quia testatoris voluntatem testatur, est actus quo quispiam suam ultimam voluntatem quoad suorum bonorum dispositionem declarat. Testamentum porro non obtinet effectum suum nisi post testatoris mortem, qui ad extremum usque suæ vitæ momentum semper illud revocare potest. Testandi facultas, ad substantiam quasique

ſuique fundum quod attinet, eſt juris gentium ; at ſuper teſtamentorum forma & conditionibus conſtitutiones ad civile jus pertinent, & in aliis quidem regionibus aliæ ſunt.

Defunctorum ultimas voluntates ea Romani obſervantia proſequebantur, ut tamquam falſarios & ſacrilegos eos ſpectarent, qui teſtamenta ante teſtatorum mortem aperuiſſent, eademque, quo tutius ſervarentur, in templis & apud Sacerdotes deponerent, qui ea cuſtodiebant.

Vigebat olim & apud Chriſtianos uſus, ut Epiſcopis ſua teſtamenta concrederent; uſuſque hic, ut vero ſimile fit, juri Epiſcopis tribuendo locum præbuit, quod iidem longo temporis ſpatio retinuerunt, ut nempe teſtamenta executioni mandanda curarent, ac de omnibus quæ ad hanc rem referrentur, cauſis cognoſcerent, abſque ullo eccleſiaſticarum & civilium ſeu profanarum cauſarum diſcrimine. Inſtituta erat juriſprudentia hæc jam inde a decimo ſecundo ſæculo, ut ex Gregorii IX. decretalibus conſtat (In cap. 16. & 18. *de Teſtamentis*), quæ ſummorum Pontificum Innocentii III. & Alexandri III. ſuper teſtamentariis cauſis reſponſa & reſolutiones continent. Occurrunt in Conciliis, ſuper teſtamentorum negotio, canones plures quorum aliqui nec inter ſe conſentiunt, nec noſtræ hujus temporis juriſprudentiæ, ac ne juſtitiæ quidem & veræ ſolidæque pietati congruunt, quod animadvertendum proponere aggredimur.

Ut Epiſcopus tuitionem teſtamentorum non ſuſcipiat. (Concilium Carthaginenſe, an. 398. can. 18.)

Perſpicuum eſt hunc canonem conciliari non poſſe cum eo qui ſequitur, cum decimo nono ſcilicet Partis IV. Pariſienſis Concilii, an. 1212. habiti canone, qui demandat Epiſcopis perficiendi curam, ut teſtamenta executioni dentur : *Statuimus etiam, ut legitima teſtamenta morientium, & voluntates ultimas defunctorum nullo modo ſuſtineant infirmari* (*Archiepiſcopi & Epiſcopi.*)

Univerſi fideles in infirmitate poſiti, confeſſore ſuo, & vicinis adſtantibus, cum debita ſolemnitate teſtamentum condant ; bona ſua mobilia .... in tres partes dividant, unam liberis, alteram uxori legitimæ, tertiam propriis exſequiis relinquentes. (Concilium Caſſellenſe, an. 1172. cap. 6.)

Statuimus, quod de portione quæ defunctum contingit, Eccleſia jus percipiat conſuetum. (Concilium Lambethanum, an. 1261. tit. *de Teſtamento conjugata, ſive ſoluta.*)

Religionis hoſtes avide arripiunt hos canones, aliosque perpaucos qui fideles morientes adigunt, ut legatum aliquod clero relinquant, aut mandant, ut eorum bona, qui nullo edito teſtamento moriuntur, in cauſas pias ab Epiſcopis impendantur. Pronuntiaretur, ſiquidem iis aures præbeantur, Eccleſiam univerſam his acquirendi rationibus auctoritatem tribuere, & omnia bona quæ etiamnum poſſidet, ex hujuſmodi fontibus ad eam devenisse; ex quo inferunt eorumdem nec dominium, nec proprietatem penes eam eſſe : at nihil falſum, injuſtum, abſurdum magis quam eorum quoad hanc rem ratiocinandi & procedendi ratio.

Nos quidem haud ægre fatebimur canones qui morientes fideles jubent ſuorum bonorum partem clero largiri, aut qui omnia eorum bona qui inteſtati decedunt, piis cauſis adjudicant, nec juſtitiæ, nec veræ ſolidæque pietati conſentaneos eſſe. Verum aſſerimus propugnamuſque hos canones pauciſſimos eſſe, & ex majorum noſtrorum inſcitia ac ſimplicitate prodiiſſe ; eos aliquibus tantum particularibus Conciliis tribui poſſe, nullo autem modo Eccleſiæ univerſæ quæ ſuis miniſtris privatæ utilitatis oblivionem nunquam non commendavit ; eoſdem denique ex diametro opponi innumeris aliis canonibus qui ipſam avaritiæ, prope dixerim, umbram, leviſſimam quamque cupiditatis ſuſpicionem acriter eccleſiaſticis interdixerunt, quique iiſdem graviter prohibuerunt, ne fideles ſpoliarent, ut ſemetipſos locupletarent. Horum nos hoc loco duos tantum treſve e millibus afferemus, quia cæteri in omnibus hujus Operis partibus diſſeminati ſunt, qui quæ a nobis mox proferentur, a poſterioribus Conciliis ſæpenumero repetiti fuere.

Imputatur quibuſdam fratribus, eo quod, avaritiæ cauſa, hominibus perſuadeant, ut abrenuntiantes ſæculo res ſuas Eccleſiæ conferant ; quod penitus ab omnium mentibus eradicandum eſt. Animarum quippe ſalutem inquirere Sacerdos, non lucra terrena, debet ; quoniam fideles ad ea ſua dandas non ſunt cogendi, neque circumveniendi. Oblatio namque ſpontanea eſſe debet .... Eccleſia vero ſancta non ſolum fideles ſpoliare non debet, quin potius inopibus opem ferre ; ut debiles, pauperes, viduæ, orphani, & cæteri neceſſitatem patientes, a ſancta Eccleſia, ut patre a pia matre, & omnium gubernatrice, ſubſidium accipiant. (Concilium Cabillonenſe, an. 813. can. 6.)

Conſtituit ſane ſacer iſte conventus, ut Epiſcopi, ſive Abbates qui non in ſanctum animarum, ſed in avaritiam & turpe lucrum inhiantes, quoslibet homines illectos totonderunt, & res eorum tali perſuaſione non ſolum acceperunt, ſed potius ſubripuerunt, pœnitentiæ canonicæ, ſive regulari, ut pote turpis lucri ſectatores ſubjaceant.... Res namque quæ ab illectis & negligentibus datæ, ab avaris & cupidis non ſolum acceptæ, ſed raptæ noſcuntur, hæredibus reddantur, qui demencia parentum, & avaritia incautorum, exhæredari eſſe noſcuntur. (Can. 7.)

Oportet etiam, ut, ſi quando Sacerdotes fruges, *vel* quælibet *reditus terræ congregant & protelant, non ideo hoc faciant, ut carius vendant, & theſauros congregent, ſed ut pauperibus, tempore neceſſitatis, ſubveniant.* (Can. 8.)

Hæc mens, hoc votum Eccleſiæ, hæc ejus conſtans doctrina eſt, hæc ejuſdem perpetua communiſque traditio; quod ſane cenſores quoque qui ejus divitiis invident, animadvertere debuiſſent. At non apud eos quærenda bona fides, ingenuitas, ſinceritas. Contenti frivolas oppoſitiones congerere, non verentur reſponſa dare, quæ eos confunderent. Vitium aliud quod in ratione ſe prodit, qua hoc loco, ut alibi paſſim, ratiocinantur, eſt, e particulari ad generale concludere. Aliqua Concilia obſcura, admodum pauca, & quidem ignorantiæ ac ſimplicitatis ſæculis habita contenderunt morientes fideles adigere, ut ſuorum mobilium bonorum partem clero tribuerent ; ergo omnia Concilia, nullo non tempore, eamdem obligationem fidelibus impoſuerunt ; ergo Eccleſia univerſa exactiones has approbavit; ergo omnia bona quæ Eccleſia poſſidet in præſentia, ſunt male acquiſita bona, quorum proprietatem ipſa ſibi jure vindicare non poteſt, quæque ſine miſeratione reſtituere debet. Magiſne falſa & abſurda magis eſſe poteſt ratiocinandi ratio?

In commutationibus ultimarum voluntatum quæ nonniſi ex juſta & neceſſaria cauſa fieri debent, Epiſcopi, tamquam delegati Sedis apoſtolicæ, ſummarie & extrajudicialiter cognoſcant, nihil in precibus, tacita veritate, vel ſuggeſta falſitate, fuiſſe narratum, priuſquam commutationes prædictæ executioni demandentur. (Concilium Tridentinum, Seſſ. 22. cap. 6. *de Reform.*)

Licet ſupremæ defunctorum voluntati jura maxime faveant, eo tamen ſæpius eſt vel hæredum teſtamentive executorum avaritia, vel notariorum incuria, impietaſve, ut quæ in pios uſus eroganda teſtamenta fideles reliquerint, una fere cum ipſorum cadavere ſepulta videantur. Hoc, Epiſcopi, ne accidat, diligenter providebunt, & piæ teſtantium voluntates ſedulo exequentur. (Concil. Toloſanum, an. 1590. cap. 15.)

Prælati, viſitando diœceſim, inquirant de piis defunctorum legatis, ſuper quibus ſimpliciter & de plano ordinent, ut executioni demandentur ; quod ſi ambiguum aliquid ſit, aut præter naturam rei piæ fundata, in teſtamenta aut clauſula legati appoſitum, id auctoritate ſua interpretentur, explicent & moderentur Epiſcopi.

Executores teſtamentarii reddere debent rationem adminiſtrationis diœceſano, quem ut procuratorem animarum piarum vocare debent in diſtributionibus legatorum ; alioquin tales diſtributiones nullæ ſint ; & ad eaſdem hæredes iterum cogantur. (Concilium Narbonenſe, an. 1609. cap. 23.)

Cum in officio charitatis illis primo teneamur obnoxii, a quibus nos beneficium cognoſcimus accepiſſe ; e contrario eccleſiaſtici quidam clerici, cum ab Eccleſiis ſuis multa bona perceperint, bona per Eccleſias acquiſita in alios uſus præſumant transferre. Hoc igitur, quia & antiquis canonibus conſtat inhibitum, nos etiam nihilominus inhibemus. Indemnitati itaque Eccleſiarum providere volentes, ſive inteſtati deceſſerint, ſive aliis conferre voluerint, penes Eccleſias eadem bona præcipimus remanere. (Concilium generale Lateranenſe, an. 1179. cap. 15. *de Teſtamentis Clericorum.*)

Clerici bona, maxime immobilia, & quæ per Eccleſiam ſunt adepti, ſive per modum teſtamenti, ſive alias non transferant ad conſanguineos ; ſed relinquant eæ Eccleſiæ a qua ſunt profecta. Sed intuitu Eleemoſynæ, pauperibus, & religioſis & piis locis, & illis qui ipſis ſervierunt, ſive conſanguinei ſint, ſive alii, aliqua, juxta ſervitii merita, de mobilibus dare poſſunt. (Concilium Colonienſe, an. 1300. cap. 5.)

His canonibus explicationem modumque adhibet præſens Galliarum juriſprudentia, quæ ſtatuit, prout ſequitur.

Ut quiſpiam in Gallia teſtando ſit, haud ſatis eſt qualitates quas naturale humanumque jus in univerſum requirit, eidem ineſſe, cujuſmodi ſunt rationis & quorumdam ſenſuum fruitio, *ætas*, bonorumque proprie-

proprietas & liber usus, super quibus testari vult; in Gallia præterea natus, aut ibidem per Principis patentes litteras in civitatem adoptatus sit, oportet; ex quo illud consequens fit extraneos qui regium collatæ civitatis diploma non obtinuerent, esse testando impares, itemque furiosos, insanos, imbecilles, prodigos auctoritate judicis interdictos, impuberes, surdos & mutos, eos qui civiliter mortui sunt, filios-familias in scripti juris provinciis quæ patriam potestatem servarunt, nisi forte cum iis peculium in foro, aut bello, aut saltem belli occasione acquisitum suppetit. In his ipsis scripti juris provinciis testamentum semper fit cum hæredis institutione, hoc est, nominatione successoris in omnia testatoris jura, sub testamenti nullitatis pœna. In consuetudinariis regionibus universalis legatarii institutio locum tenet institutionis hæredis.

Articulus 31. constitutionis an. 1539. omnes, seu inter vivos, seu testamentarias dispositiones, quas donator, aut testator in suorum tutorum, curatorum, custodum, præsidum, aliorumque administratorum emolumentum & utilitatem adiderint, nullas declaret. In eumdem numerum referendi, quicunque aliquod in donatores imperium habent, aut habere censentur, et magistri quoad discipulos, medici, chirurgi & pharmacopolæ quoad suos ægrotantes, carcerarii & carcerum actuarii quoad eos qui in eorum carceribus detinentur, monasteria quoad eos qui ibidem professionem emittunt, confessarii & animarum moderatores quoad eos qui eorum moderationi subsunt, &c. Patres qui suorum filiorum tutores sunt, itemque tutores honorarii ab hac regula excepti sunt.

E Galliæ usu, nihil communitatibus legari potest, quæ per Regis patentes litteras institutæ non sunt, & monasteria, quamvis harum patentium litterarum vi instituta sint, ab iis legare recipere nequeunt, qui, probationis tempore, de suis bonis statuere valunt. Ex Gallicano consuetudinario jure, nec notario, nec parocho, nec vicario qui testamentum receperunt, ac ne testibus quidem qui subscripserunt, quicquam legari potest.

In Parisiensi consuetudine, vir & conjux nihil sibi mutuo per testamentum donare possunt. In eadem consuetudine, statuere nemo potest de suis mobilibus acquisitisque bonis nisi post viginti completos ætatis annos, nec de quinta eorum parte, quorum proprietate gaudet, nisi post ætatis annos viginti quinque; & cum testator nec mobilia nec acquisita bona possidet, statuere de propriis potest, postquam vicesimum ætatis annum explevit. Hujus consuetudinis articulus 294. ita definit. Si tamen testator ultra quintam propriorum bonorum partem statuerit, ejus testamentum non proinde nullum est; tantummodo ad eam quintam partem redigitur. In scripti juris regionibus, statui licet per testamentum de bonis ad testatorem pertinentibus, quæcunque tandem eorum natura sit; at in consuetudinariis regionibus de propriorum bonorum quinta solum parte statui licet. Ad mobilia quod attinet, de his quidem pro cujusque voluntate statui Galliæ consuetudines sinunt; eamdemque facultatem concedunt quoad immobilia quæ suus cuique labor & œconomia comparavit, & quoad immobilia generatim omnia, quæ suo quisque nomine sibi acquisivit. (De Ferriere, *Dictionar. Juris & Praxis*, verb. *Testamentum*, Tom. II. p. 1026.)

Ut testamentum validum sit, non sufficit testatorem testandi, eumque in cujus favorem testatur, recipiendi capacem esse; necesse etiam est, ut actus qui testamentum continet, externa forma ea sit, quam locorum in quibus editur, leges aut consuetudines, atque ipsa testamenti species requirunt. Sunt consuetudines quæ postulant, ut unus notarius, coram testibus tribus, aut Parochus, seu sæcularis seu regularis, coram testibus iisdem tribus, testamenta recipiant. Aliæ vero consuetudines testamenta recepta volunt a duobus notariis, vel a parocho, unoque notario, vel ab uno notario & duobus testibus: „ hi porro testes sint idonei, sufficientes, mares, actique viginti completos annos, „ & non legatarii."

Ex articulo 63. Blesensis Edicti, indefinita Parochis auctoritas, ut testamenta reciperent, suppetebat; at ex articulo 25. novæ sanctionis mensis Augusti an. 1735. de testamentis, hæc iidem recipere nequeunt nisi suis in parœciis, & in regionibus tantum, in quibus consuetudines, ut Parisiensis, expressis verbis hanc iis auctoritatem tribuit. (Art. 289. Per eumdem articulum 25. sanctionis an. 1735. possent Parochi testamenta recipere, secum accitis testibus duobus tantum; quod etiam in consuetudinibus quæ, ut Parisiensis, tres cum Parocho testes requirunt, locum habere debet. *Ibid.*

Ex articulo 27. Aurelianensis constitutionis, itemque ex articulo 63. constitutionis Blesensis, Parochi recipere non possunt testamenta, in quibus aliquid iis donatum aut legatum esset; testamentum, in hac facti specie, nullum esset ex omni parte; possunt tamen testamenta recipere, quæ ad pia opera, legata continent, dummodo legata hæc non in eorum suorumve consanguineorum favorem sint. Possunt etiam recipere testamenta in suæ ipsorum Ecclesiæ favorem edita, quamvis e legatorum fructibus, Parochorum titulo, emolumentum percipiant. (Arestum diei 3. Maji an. 1654. Ricardus, *de Donationibus*, Part. I. n. 1554. & 1555.) Docet idem auctor seculares presbyteros, ab Archidiacono, vel a magno Vicario ad parœciarum servitium præpositos posse & ipsos in parœciis quibus deserviunt, testamenta recipere; quod, pari ratione, perinde se habet, cum eos Episcopus parochiali servitio præfecit; quemadmodum constitutionis an. 1736. articulus 25. annuit.

Ex Parisiensis consuetudinis articulis 289. & 290. & ex aliis consuetudinibus pluribus quæ ante novam de testamentis sanctionem commune jus hoc in capite conficiebant, Vicarii quorum vicariatus litteræ in acta relatæ erant, testamenta recipere poterant; at memoratæ sanctionis articulus 25. definit, testamenta vel alias ultimas dispositiones nec a Vicariis, nec ab aliis quibusvis ecclesiasticis recipi posse; quod excludit omnes alios quam Parochos in titulum, & presbyteros seculares ad parœciarum servitium præpositos. Religiosi tamen parœciarum servitio præfecti, quamvis testamenta recipere in parœciis quibus deserviunt, non possint, in hospitalibus possunt, quia idem articulus exceptionem continet quoad hospitalia, ad quorum usum nihil innovandum propositum habet quoad eos qui ibidem testamenta, aliasve dispositiones, mortis causa, recipere possunt. Per ejusdem sanctionis articulum 33. Sacerdotes, tam sæculares, quam regulares qui, peste grassante, sacramenta administrent, testamenta, pestis tempore, recipere possunt.

Ex articulo 26. sanctionis an. 1735. Parochi & deservientes debebunt, statim a testatoris morte, nisi prius fecerint, testamentum, aliamve ultimam dispositionem, quæ receperint, apud loci notarium seu tabellionem, ac si nullus ibidem sit, apud propiorem regium notarium deponere, intra prætoris aut senescalli ditionem, in qua parœcia sita est, quin iidem Parochi aut deservientes ullam super expeditionem tradere possint, in pœnam nullitatis ejusdem expeditionis, damnique & lucri notariorum seu tabellionum, partiumque quarum interesse posset, quæque de injuria sibi illata conqueri possent.

Canones qui testari, aut donare, mortis causa, beneficiarios vetant, non servantur in Gallia, nisi quoad regulares; ac beneficiarii sæculares testari possunt; quod si intestati decesserint, ad propiores consanguineos pertinet eorum successio, quin id excipiatur, quod hi beneficiarii per beneficia ipsa acquisierunt; at hæc jurisprudentia quæ non alia de causa instituta est, quam ut lites impedirentur, & quia vix fieri fere potest, ut ecclesiastica bona a patrimonialibus discernantur, quoad externum quidem forum locum habet, quoad internum autem conscientiæ forum non item; ut proinde beneficiarii non minus apud Deum teneantur pauperibus seu Ecclesiis bona tribuere quæ ab ea tenent: *Cum in officiis charitatis, ac piæ remunerationis, primo loco illis teneamur, a quibus beneficium nos cognoscimus recepisse; facile intelligunt omnes Ecclesiarum nostrarum clerici & beneficiati, qui de Ecclesiæ stipendiis ac reditibus vivunt, ut de iis quæ ex justa suarum rerum dispensatione supersunt, in suprema voluntatis declaratione, non ex carnali affectione, sed pro Ecclesiæ Dei utilitate disponant. Licet enim, refrigescente charitate, & cupiditate ac cura carnis succrescente, paullatim irrepsisse videatur, ut clerici etiam de acquisitis per Ecclesiam testentur; attamen magno salutis periculo conjunctum est, ut mox ad tribunal Christi rapiendi, deque omnibus usque ad extremum quadrantem rationem reddituri, carnem & sanguinem Christo & ejus Ecclesiæ ac pauperibus præponant; magis vero sacrarum, voluntati & gloriæ divinæ, rationi & animarum saluti consentaneum, ut, quæ ipsis ex patrimonio Christi, & bonis ecclesiasticis quorum procuratores, administratores ac dispensatores (dicuntur & sunt), post honestam ipsorum sustentationem supersunt, ea in pios usus convertant, ac in cælum præmittant, in thesauris cælestibus invenienda, & præsertim Ecclesiarum (quibus adscripti sunt) pauperum, aliarumque piarum causarum rationem habeant; ne dum forte consanguineos suos ex bonis ecclesiasticis temporaliter locupletare contendunt, rectum charitatis & obligationis ordinem invertant, & sibi aliisque damnationem inquirant.*

(Syno-

(Synodus Osnabrugensis, an. 1628. Part. II. tit. 2. §. 1.)

Ad quæstionem porro quod attinet, an testamentum solemnibus formis destitutum, quas, nullitatis indicta pœna, lex aut consuetudo requirunt, vare in interno conscientiæ foro, ut in externo, nullum sit, sine piarum aut profanarum causarum distinctione, credendum est in utroque foro nullum esse, saltem in Gallia, quia ejusmodi est ejus regni jurisprudentia, quemadmodum ex constitutione an. 1735. articulo 78. licet intelligi, qui his verbis conceptus est: „ Quæcunque per hanc „ Sanctionem super testamentorum, codicillorum, alio„ rumque ultimæ voluntatis actorum forma, seu fun„ do statuta sunt, executioni mandabuntur, etiamsi „ dictæ dispositiones, cujuscunque tandem generis fue„ rint, ad causam piam referrentur.“

Extera autem regna quod spectat, quibus non eadem jurisprudentia est, videtur ibidem quisque posse sententiam sequi, quam theologorum præcipuorumque jurisconsultorum plerique, ut Carondas, Paponius, Menardus & Mornacius tuentur, qui nempe pia inter & profana legata distinguunt, asseruntque, tametsi testamentum necessariis conditionibus destitutum sit, oportere tamen fieri legatis satis, quæ in eo continentur, propterea quod ejusmodi legata non mera gratuitæ donationes censeri debent, sed debita quæ justitiæ titulo solvenda sint, quorumque solutio sæpe a confessariis mandata fuit. Consuli potest Opus cui titulus: *Tractatus de Testamentis, Codicillis, Donationibus mortis causa, aliisque dispositionibus ultimæ voluntatis, ex principiis & decisionibus Romani Juris, Sanctionibus, Consuetudinibus & Effatis Regni, tam quoad scripti, quam quoad consuetudinarii juris regiones, & Arestorum Jurisprudentia*; auctore D. Joanne Baptista Furgolio, advocato in Tolosano Parlamento. Parisiis, in Palatio, apud Joannem de Nulli, an. 1745.

TESTES SYNODALES. Vocantur *synodales testes* ecclesiastici merito & virtute præstantes, quos suis in Synodis designant Episcopi, ut statutorum quæ in iis edita fuere, quodammodo custodes & zelatores, seu solliciti fautores sint. Eorum officium est diœceseos visitationem peragere, ut videant, an reapse statuta quæ diximus, ibidem serventur; & quæ perspexerint, in proxima Synodo ad Episcopum deferant.

Sunt auctores qui synodalium testium originem referant ad visitatorum institutionem, qui *periodeutæ* in quinquagesimo septimo Laodiceni Concilii canone nuncupantur, & latine *circuitores* dicuntur. At visitatores de quibus in eo canone sermo est, jurisdictionem exercebant, edebantque mandata Episcopi nomine, cum synodales testes nulla prorsus jurisdictione polleant, nec nisi puri putique delatores sint. Non altius ergo Synodales testes quam ad medium sæculum nonum assurgunt. Eorum vestigia cernuntur in Tomo primo, pag. 716. Operum Hincmari, Rhemensis Archiepiscopi, qui ea ætate vivebat; & Regino, Prumiensis Abbas qui eodem sæculo labente florebat (*Lib. 2. de Eccles. Disc. cap. 2.*) disertis verbis ait oportere, ut Episcopus graves & prudentes viros septem, in unaquaque parœcia, synodales testes eligat, & jurisjurandi religione adigat, ut ad eum deferant, quicquid delatione dignum compererint. De synodalibus testibus hæc subdimus ex Conciliis.

Sacro approbante Concilio, ordinamus, ut omnes & singuli nostri suffraganei, in proximis ipsorum synodis, pro ut & nos in nostra proxima synodo Salisburgensi ordinabimus, sub pœna suspensionis a pontificali officio, studeant personas idoneas, probas videlicet & honestas, in testes publicos, sive synodales ordinare, qui per totum annum simpliciter, & de plano, absque ulla jurisdictione, sollicite investigent, quæ correctione & reformatione sint digna, & ea fideliter referant ad provincialia Concilia, aut synodum episcopalem, ut correctione digna, animadversione congrua puniantur. (Concilium Salisburgense, an. 1420. cap. 2.)

Ut testium synodalium munus, sicubi intermissum est, restituatur, atque non nomine solum, sed certis officii partibus recte per eos geratur, quibus in synodo, vel provinciali, vel diœcesana committatur; hæc de illis, eorumque officio statuimus.

Primo viri ecclesiastici ætate moribusque graves, prudentes, ac virtutum christianarum studiosi, & spiritualis vitæ amantes, in Concilio provinciali metropolitano ex unaquaque diœcesi duo saltem, in synodo diœcesana ab Episcopo e diœcesi sua septem pluresve, pro ut expedire viderit, testes synodales deligantur.

Qui a metropolitano delecti & nominati sunt in eodem provinciali Concilio, qui ab Episcopo in ipsa diœcesana synodo, jurati, allatis Sanctorum pignoribus, sancte spondeant, ex formula verborum infra præscripta, muneris sui partes infra constitutas se executuros esse.

Ego N. testis synodalis a Reverendissimo Episcopo nominatus promitto, spondeo, & juro, quod amodo in antea, quidquid novi, aut audivi, aut postmodum inquisiturus sum, quod contra voluntatem Dei, & rectam christianitatem, in diœcesi, vel regione mihi commissa factum sit, vel futurum erit, si in diebus meis evenerit, tantum ut ad meam cognitionem, quocunque modo, si scivero, aut indicatum fuerit mihi, synodalem causam esse, & ad ministerium Reverendissimi Episcopi pertinere, quod ego nec propter timorem, nec propter præmium, nec propter parentelam altatenus celabo Reverendissimo Episcopo, aut ejus Misso, cui hoc inquirere jusserit, quandocumque eu hoc me interrogaverit; sic me Deus adjuvet, & hæ Sanctorum reliquiæ.

Jurati testes hoc perpetuo meminerint, se non amore, non odio, non invidia, non spe, non metu, non pœna, non præmio, non cognatione, aut ulla denique re commoveri, aut impediri debere, quominus libere & integre munus suum, pro ratione infra præscripta, præstent.

Quo igitur tempore hoc munus gesserint, personas diversas interrogando simpliciter & de plano, absque ulla jurisdictione, sollicite investigent hæc quæ sequuntur.

An Parochi, Canonici, & alii quicumque ecclesiastici homines, quos residere oportet, præsentes in Ecclesiis suis adsint, anque rursus, si præsentes, in parochialibus, vel canonicalibus, clericalibusque ædibus habitent.

An Parochi præterea, aliique animarum curatores solliciti, ut debent, fidelium sibi commissorum saluti invigilent.

An in sacramentis sancte administrandis, in verbi Dei prædicatione, in salutaribus monitis, in rudium & puerorum ad doctrinam christianam institutione, & in ceteris omnibus cura parochialis officiis, diligentis muneris partes præstent.

An reliqui, quicumque sint, ecclesiastici ordinis homines, Ecclesiæ, si quam obtinent, aut in qua dignitatem, vel canonicatum, vel capellam, vel ecclesiasticum aliquod munus habent, aut in qua adscripti sunt, oneribus satisfaciant, & præscriptas sibi functiones obeant.

An Ecclesia sarta tecta stet, an ornamentis, & supellectili ecclesiastica necessaria & congrua instructa; an in illis, aut earum cœmeteriis, aliisve aliquid incultum sit, quodque sordibus obsolescat; anve aliquid a religioso cultu & pietate alienum.

Videant item, an populus in via Domini ambulet, frequensque adsit divinis officiis & sacris Concionibus, & in Ecclesia pie religioseque versetur, atque dies festos colat.

An in populo sacrilegi, blasphemi, concubinarii, adulteri, incestuosi, virginum raptores, aut excommunicati, aut hæresis & magiæ superstitionumve nomine suspecti sint; an denique alia in eodem morum corruptela quæ correctionem emendationemve requirant. (IV. Mediolanense Concilium, an. 1576. Part. III. tit. 6. *de Testibus synodalibus.*)

Benedictus Papa XIV. (*De Synodo Diœcesana*, lib. IV. cap. 3.) post Fiasoccum, in *Praxi episcopali*, part. 2. cap. 2. *Monit.* animadvertit, cum synodales testes, cujusmodi quidem eos esse oporteret, vix ac propemodum ne vix quidem inveniri possint, eorum proinde usum fere ubique desiisse. Iis archipresbyteri aut decani rurales suffecti sunt.

TESTIS is est, qui de rebus quas vidit vel audiit, ad accusati seu damnationem seu absolutionem testimonium reddit. Extant in Conciliis canones bene multi qui testes spectent: *In testimonium adversus Episcopum hæreticus nec admittatur; sed nec unus solus fidelis; in ore enim duorum vel trium testium stabit omne verbum.* (Can. Apost. 74.)

Summopere admonendi sunt comites & judices, ne viles & indigas personas coram se permittant ad testimonium accedere; quoniam multi sunt, qui pejerare pro nihilo ducunt; in tantum ut pro unius diei satietate, aut pro quolibet parvo pretio, ad juramentum conduci possint, animasque suas perjuriis perdere minime formidant. (Concilium Turonense, an. 813. can. 33.)

Causarum & litium dispendiosa protractio quæ plerumque per falsorum testium dicta, & advocatorum malitiam procuratur, quatenus fieri poterit, juris est auxilio restringenda. Ideoque statuimus, ut falsi testes, advocati, mediatores, & aliter eos inducentes ad falsa testimonia perhibenda, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant; a qua, nisi postquam iis satisfecerint, quibus damna per depositiones & inductiones hujusmodi illata sunt, nullatenus absolvantur. (Concilium Valdoletanum, seu Vallisoletanum, an. 1322. cap. 5. *de Testibus.*)

Testes in causa criminali ad informationem, vel indicia, seu alias in causa principali contra Episcopum, nisi concor-

venustes & bona conversationis, existimationis & fama fuerint, non recipiantur; & si odio, temeritate, aut cupiditate aliquid deposuerint, gravibus pœnis mulctentur. (Concilium Tridentinum, Sess. XIII. *de Reformat.* cap. 7.)

Cupiens hæc Synodus effrenatam eorum audaciam reprimere, qui cum testes producuntur, in judiciis ecclesiasticis hujus provinciæ, non sine gravi Dei omnipotentis offensa, ac justitiæ contemptu, suarumque animarum detrimento, & litigatorum præjudicio, falsum dicunt testimonium; statuit ac præcipit, ut si quis eorum quocumque ex officialibus, judicibus, aut aliis ministris, perjurii reatum commiserit, si clericus, quod absit, fuerit de perjurio convictus, solvere parti compellatur, in cujus damnum hoc crimen admisit, id omne quod ob tacitam veritatem, vel expressam falsitatem, in præjudicium & detrimentum dictæ partis cesserit; ac propterea condemnetur in medietate fructuum unius anni præbendæ seu beneficii ab eodem obtenti, & etiam in medietate fructuum omnium quos percipit, toto ex tempore, quo in perjurio perseveraverit .... ac si perjurus sæcularis sit, satisfacere parti cui perjurio nocuit, compellatur. (Concilium Mexicanum, an. 1585. lib. II. tit. 5. § 9.)

Si res non aliter spectentur, quam pro ut se habent ipsa per se, omnes utriusque sexus personæ testes esse, & apud judicem vocari possunt, ut super re quæ ad ejus tribunal delata est, quod sciunt, declarent. Sed quia testes possunt esse defectibus obnoxii, aut criminum rei, quæ impediunt, ne eorum testimonium recipietur; distinguuntur proinde testes integri; omnique exceptione majores, seu irreprehensibiles in quibus nihil est, ob quod eorum testimonium rejiciatur, & testes exceptione laborantes, seu reprehensibiles qui rejici merentur ob crimina, vel defectum cui fundamentum est vel in ipsa natura rei, cujusmodi est rationis defectus; vel in juris dispositione, cujusmodi est infamia quæ arte derivatur, quam aliquis profitetur, quamque jus infamem declarat. Quamobrem pueri & insani testes esse non possunt, itemque qui ejusdem reus est, quorumve, quæ comœdorum est, professio tamquam infamis spectatur. Idem de iis dicendum, qui pecuniam, ut testimonium ferrent, accepisse, aut factis affici quæ probari lubet, aut personis favere, quas ejusmodi facta spectant, convicti sunt. Hac postrema de causa non recipitur eorum testimonium, qui personis quarum res agitur, consanguinitate aut affinitate devincti sunt in prohibito gradu qui, tam apud ecclesiasticum quam apud sæculare forum, in civili quidem negotio, quartus est; in hoc enim rerum genere, consanguinei vel affines ad quartum gradum usque nec pro nec contra propinquos suos recipiuntur, excepta facti specie, in qua de ætate aut cognatione in matrimoniali re sermo est. Ita statuit articulus 2. tituli 22. sanctionis an. 1667. atque ex articulo 5. tituli 6. sanctionis an. 1670. infertur, quoad criminalia negotia, perinde esse.

Qui ab eo pendent, qui eorumdem testimonio uti vult, recusationi subsunt; adeoque respuitur famulorum testimonium, nisi forte de factis agatur quæ intra domesticos parietes contigerunt; horum quippe, præter eos, nemo prope alius notitiam habere potest. Horum testimonium in hac facti specie recipitur necessitatis vi; qui proinde *testes necessarii* nuncupantur. De Ferriere, *Dictionarium Juris & Praxis*, Tom. II. *verb.* TESTES.

Qui accitus non fuit, aut accitus jusjurandum non præstitit, ad deponendum in judicio admitti non debet, nisi forte sit a judice interpellatus, ut super peculiari facto deponat. At juridice accitus, aut interrogatus, ut quicpiam testetur, e veritate respondere tenetur; quod si dissimulat, aut respondere renuat, damni reparationi subest, quod ex ejus silentio derivatur, justitia eum adigente, ut in veritatis favorem loquatur, & judici legitimam rem e juris ordine præcipienti pareat. Debet etiam ultro se sistere qui in jus vocatus non est, cum id agitur, ut publicum malum impediatur, aut innocens liberetur, siquidem potest, quin grave ipse damnum subeat. Falsos testes jus canonicum ad septem annorum pœnitentiam, & civile jus ad mortem damnat.

In Gallia, ecclesiastici per temporalium bonorum obsignationem coguntur tam in civili, quam in criminali negotio tamquam testes deponere.

THEOLOGALIS. Insignitur hoc nomine canonicus institutus ad prædicandum docendumque theologiam canonicos in cathedrali aut collegiali capitulo. „Communis opinio est, inquit Redactor Monumentorum „Cleri, antiquiora quæ nobis supersunt, theologalium „in Græca Ecclesia institutionis vestigia occurrere in „Balsamonis Commentario super decimo nono Concilii canone, quod appellatur in Trullo, quodque „Constantinopoli, sub septimi sæculi finem, in aula „domus palatii Imperatoris habitum fuit. Balsamon „qui duodecimo sæculo ad finem vergente, Antiochenus Patriarcha erat, animadvertit, inter Constantinopolitanæ Ecclesiæ dignitates, unam *Doctorem* dictam extitisse, cui sedes in Ecclesia post Patriarcham erat, at non idem auctor ejus institutionis „tempus notavit. Ejusdem vestigia se alii nactos putant, jam inde e sæculo tertio, in Historiæ Eusebii „Cæsariensis libro quinto, & in S. Hieronymi Tractatu *de Scriptoribus ecclesiasticis*, cap. 36. 38. & 45. „ubi perspicitur in Alexandrina Ecclesia viros fuisse „ab Episcopo designatos præpositosque, ut sacram Scripturam & res theologicas explicarent."

Per Meldensis Concilii, an. 845. habiti canonem tricesimum quintum jubentur Episcopi doctum apud se inter ecclesiasticos virum habere qui presbyteros edoceat; verum canonum primus, qui propius theologales afficiunt, est Lateranensis quarti generalis Concilii, an. 1215. habiti undecimus, per quem theologi in omnibus metropolitanis Ecclesiis institui præcipitur: *Sane metropolitana Ecclesia theologum nihilominus habeat, qui Sacerdotes & alios in sacra pagina doceat, & in his præsertim informet, quæ ad curam animarum spectare noscuntur. Assignetur autem cuilibet magistrorum a capitulo unius præbendæ proventus, & pro theologo a metropolitano tantumdem; non propter hoc efficiatur canonicus, sed tamdiu reditus ipsius percipiat, quamdiu perstiterit in docendo.*

Perspicuum fit, theologum de quo in hoc canone sermo est, nec dignitatem, ac ne canonicum quidem metropolitanæ Ecclesiæ fuisse, solumque unius præbendæ fructum, dum docebat, percipere potuisse. Basileensa Concilium, an. 1438. longius progressum est, theologalem in canonicorum numerum referens, præbendam in beneficii titulum eidem efficiens, statuensque, ut suus singulis etiam cathedralibus Ecclesiis theologalis suppeteret: *Cum per generalis Concilii statutum sancte ordinatum existat, quod qualibet Ecclesia metropolitana teneatur & debeat unum habere theologum, qui sua doctrina & prædicationibus fructum salutis afferat; ordinat hæc sancta Synodus, quod extendatur etiam hujusmodi ordinatio ad Ecclesias cathedrales, taliter videlicet, quod quilibet collator ipsarum præbendarum teneatur & debeat canonicatum & præbendam, quamprimum facultas se obtulerit, & inveniri poterit, uni magistro licentiato, vel in theologia baccalaureo formato conferre, qui per decennium in universitate privilegiata studuerit, & onus residentiæ, ac lecturæ & prædicationis subire voluerit; quique bis, aut semel ad minus per singulas hebdomadas, cessante legitimo impedimento, legere habeat. Et quoties ipsum in hujusmodi lectura deficere contigerit, ad arbitrium capituli in subtractione distributionum totius hebdomadæ puniri possit; & si residentiam deseruerit, de alio provideatur. Verumtamen, ut liberius studio vacare possit, nihil perdat, cum absens fuerit a divinis.* (Sess. 31. can. 3.)

Decretum hoc in Pragmaticam Sanctionem a Gallicana Ecclesia editam, quæ sub Carolo VII. in urbem Bituricensem convenerat, in Concordatum inter Leonem X. & Franciscum I. tit. 1. *de Prabend. Theolog.* in articulum 8. constitutionis Aurelianensis, & 33. Blasensis.

Tridentina Synodus non modo decretum hoc instauravit confirmavitque, sed ad collegiatas etiam Ecclesias protulit in locis fundatas, ubi frequens clerus adest: *Eadem sacrosancta synodus, piis summorum Pontificum, & probatorum Conciliorum constitutionibus inhærens, easque amplectens, & illis adjiciens, ne cœlestis ille sacrorum librorum thesaurus quem Spiritus sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat, statuit & decrevit, quod in illis Ecclesiis, in quibus præbenda, aut præstimonium, sive aliud quovis nomine nuncupatum stipendium pro lectoribus sacræ theologiæ deputatum reperitur, Episcopi, Archiepiscopi, Primates, & alii locorum ordinarii eos qui præbendam, aut præstimonium, seu stipendium hujusmodi obtinent, ipsius sacræ Scripturæ expositionem & interpretationem, per se ipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneum substitutum, ab ipsis Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, & aliis locorum ordinariis eligendum, etiam per subtractionem fructuum, cogant & compellant. De cætero vero præbenda, præstimonium, aut stipendium hujusmodi non nisi personis idoneis, & quæ per se ipsas id munus explicare possint, conferantur; & aliter facta provisio nulla sit & invalida. In Ecclesiis autem metropolitanis, vel cathedralibus, si civitas insignis, vel populosa, ac etiam collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido, etiam nullius diœcesis, si ibi*

cleras numerosus fuerit, ubi nulla præbenda, aut præstimonium, seu stipendium hujusmodi deputatum reperitur, præbenda, quomodocunque, præter quam ex causa resignationis, primo vacatura, cui aliud onus incompatibile injunctum non sit, ad eum usum, ipso facto, perpetuo constituta & deputata intelligatur. Hoc decretum recepere provincialia Galliarum Concilia post Tridentinum celebrata; &, nominatim, Rothomagense Concilium, an. 1581. habitum theologalis institutionem in collegiatis Ecclesiis mandavit, in quibus adsunt præbendæ sex; & Burdigalense, an. 1624. decem præbendarum numerum, secundum Blesensem sanctionem, definiit. At in quæstione est, an, præter cathedralis Ecclesiæ theologalem, etiam collegiatæ in Episcopali urbe sitæ suum singulæ habere debeant. Is fere mos obtinet, ut in ejusmodi collegiatis Ecclesiis nullus theologalis instituatur; alicubi tamen contra res habet, ut Lemovici & Petricorii.

Theologalium delectus & approbatio,

Super theologalium delectu & approbatione nihil statuit Tridentina Synodus. Scribit Gonzalez in Hispaniarum cathedralibus & collegiatis Ecclesiis id moris vigere, ut theologales præbendæ per concursum, etiamsi mense Papæ reservato vacaverint, conferantur. In Gallia, theologalium, ut etiam aliarum præbendarum dispositio patronis & collatoribus servata est; qui proinde theologales seligere possunt; at theologales ipsi sine Episcopi approbatione & institutione quæ auctoritatem tribuat, suo munere fungi nequeunt, quemadmodum quoad parœcias fieri consuevit; ac si quæ ibidem diœceses sunt, quæ contrarium usum sequantur, abusus est, qui, nisi supposito Episcopi, saltem tacito, consensu tolerari non potest. (Monum. Cleri, Tom. III. pag. 1144.)

Theologalium Qualitates,

Theologales possunt ipsi in Ecclesiis in quibus instituti sunt, quin ulla magis peculiari facultate opus habeant, pro concione dicere; & alium in sui locum sufficere, absque Episcoporum venia, non possunt. (Edictum an. 1695. art. 12. 13.)

Basileense Concilium, Pragmatica Sanctio, & Concordatum postulant, ut theologales sint doctores, licentiati aut baccalaurei formati in theologia, perque annos decem in privilegiata universitate studuerint. Ex hujus temporis usu, qui ad baccalaurei gradum pervenit, secundum formas in Galliarum regno receptas, spectatur tamquam baccalaureus formatus, a baccalaureis gratiæ dictis distinctus, & is esse præsumitur, qui ad theologale munus eligi possit. Decem annorum studii tempus non amplius necessarium est; ac theologales plures baccalaurei in theologia gradu tantum insigniti sunt. *La Combe* juridicam Parisiensis parlamenti ditionem excipit, cujus jurisprudentia requirit, ut theologales sint doctores in theologia, postquam decem annorum spatio in aliqua regni universitate studuerint. Adsint, oportet, requisitæ qualitates, provisionum tempore; nec sufficit inter provisiones & *visa* ordinarii easdem adesse. Papa ipse super hac conditione cum proviso dispensare non potest. Regulares, tametsi doctores sint, theologales tamen nominari non possunt. (*La Combe*, in sua *Collectione Jurisprudentiæ canonicæ*, ad litteram Theologalis, sect. 3. Monumenta Cleri, Tom. III. p. 1085. & seq.)

Theologalium obligationes & munia,

Theologalium obligationes in eo continentur, ut resideat, ut prædicet, & ut lectiones tradat bis aut saltem semel per hebdomadam. Hæc capitis 4. sessionis tricesimæ primæ. Pragmaticæ Sanctionis & Concordati dispositio est. Blesensis constitutionis articulus 8. eos vult omnibus diebus dominicis festisque solemnibus e suggestu dicere, & ter in hebdomade sacræ Scripturæ publicam lectionem edere, cui canonicos, distributionum privationis indicta pœna, interesse jubet.

Quamquam statuta hæc non accurate serventur, atque adeo non desunt Ecclesiæ, in quibus trium tantum aut quatuor, per anni spatium, sermonum onus theologalibus impositum est, haud minus vere tamen pronuntiari potest, Sacerdotem nullum posse theologalem præbendam acceptare, quin omnibus qualitatibus, ad ejus explenda munia requisitis præditus sit; eumdem debere suo satis officio facere, hoc est, ipsum per se prædicare & docere, nec in concionatores, aut professores mercede conductos has functiones rejicere: debere denique, ut canonicos cæteros, residere & choro interesse, præter quam diebus quibus prædicat aut docet, aut saltem serio studet, ut ad prædicandum docendumve se comparet.

Theologales suam theologalem præbendam permutare, aut personis ad eam possidendam idoneis resignare possunt. Hæc theologalis præbenda regaliæ & expectativis quæ in Gallia locum habent, obnoxia est.

TITULUS CLERICALIS, seu ECCLESIASTICUS, seu SACERDOTALIS. Cum, ex veteri disciplina, nemo unus ordinabatur, quin peculiaris Ecclesiæ servitio addiceretur, *titulus* appellabatur Ecclesia ipsa cui clericus per suam ordinationem addictus erat, ut ei perpetuo deserviret, suamque ex eadem sustentationem traheret. Hac notione accipiendum est *tituli* vocabulum in duobus, inter alios numero plures, canonibus qui sequuntur.

Ut presbytero de minore titulo ad majorem non liceat transire. (Concilium Remense, an. 813. can. 20.)

Nullus in presbyterum, nullus in diaconum nisi ad certum titulum ordinetur; qui vero absolute fuerit ordinatus, sumpta careat dignitate. (Concilium Londinense, an. 1125. can. 8.)

Perstitit disciplina hæc ad usque Lateranense generale Concilium quod an. 1179. Alexandro Papa III. præside habitum fuit. Hoc igitur ita suam mentem aperit in capite seu canone septimo, super ordinatione: *Episcopus, si aliquem sine certo titulo de quo necessaria vitæ percipiat, in diaconum vel presbyterum ordinaverit, tamdiu necessaria ei subministret, donec in aliqua ei Ecclesia convenientia stipendia militiæ clericalis assignet; nisi forte talis, qui ordinatur, extiterit, qui de sua, vel paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere.*

Quamvis Lateranensi Concilio non ea mens fuerit, ut veterem disciplinam mutaret, quæ presbyteros aut diaconos ordinari prohibebat, quin certæ itaque Ecclesiæ servitio addicerentur, sed Episcopos tantum puniret, qui ab ea se eximebant; verum id tamen est, undecim priorum sæculorum, quoad hanc rem, disciplinæ mutationis hanc epocham esse, ac decretum hoc fundamento fuisse, ut ordinationum sine Ecclesiis paulatim usus induceretur, satis scilicet habebatur congruum ex beneficio, aut patrimonio proventum suppetere; qui *clericalis titulus* dictus fuit. Nuncupatur igitur hoc tempore *titulus clericalis* adjumentum necessarium, ut quispiam in sacros ordines ingrediatur; & hic quidem titulus triplex distinguitur; titulus scilicet beneficii, titulus patrimonii, & religiosæ paupertatis titulus.

Beneficii titulus continetur beneficii pacifica possessione, quod ad ejus sustentationem sufficit, cui de eodem provisum est. Patrimonii titulus continetur bono, quæcumque tandem ejus natura sit, quod ad ecclesiastici sustentationem sufficere potest. Religiosæ demum paupertatis seu religionis titulus nihil est aliud quam professio in religioso ordine qui suis subditis id suppeditat, quod necessarium est.

Titulus qui pluribus in locis admittitur, haud satis impedit, ne clerici, quod Ecclesiæ dedecori probroque est, victum mendicent; alicubi scilicet nihil amplius requiritur, quam annui census libræ quinquaginta, alibi capella tantum quæ minorem etiam reditum adjunctum habet, aut non alium quam Missarum stipendium quas dicendi jus tribuit.

Clericalis tituli finis, ne clericus nempe mendicet, impulit Galliæ Reges, ut inalienabilem, & hypothecis aut actionibus posterioribus minime obnoxium redderent, & Concilia, ut beneficii resignationem prohiberent, quod tituli loco ad ordinationem fuit nullitatis indicta pœna, nisi resignanti satis aliunde ad victum sit.

Cum non deceat eos qui divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere; compertumque sit, complures plerisque in locis ad sacros ordines nullo fere delectu admitti, qui variis artibus ac fallaciis confingunt, se beneficium ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere; statuit sancta Synodus, ne quis deinceps clericus sæcularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia & ætate, ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliunde vivere commode possit; & aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium vero vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum, eo quoque prius perspecto, patrimonium illud vel pensionem vere ab eis obtineri, ta-

linque

liaque esse quæ ei ad vitam sustentandam satis sint, atque illa deinceps, sine licentia Episcopi, alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint; antiquorum canonum pœnas super his innovando. (Concilium Tridentinum, Sess. 21. cap. 2. *de Reform.*)

Nemo sacros ordines consequatur, cui spectatim destinata ad victum bona non sint, sive a sacerdotio, sive beneficio aliquo, sive a patrimonio petantur . . . , jurabitque promovendus, apud Episcopum, se nullo modo alienaturum illud patrimonium, nisi forte ad pinguiorem fortunam pervenerit. Quod si fraude, aut dolo, aut alia quavis iniqua & non permissa conventione desierit possidere, ita ut mendicare, & egestate urgeri deprehendatur, officii administratione ab Episcopo privetur, quo usque ipsum recuperarit, ejusque fructibus omnino & libere gaudeat; poterit & alia pœna arbitraria puniri. (Concilium Narbonense, an. 1551. *de tit. a Promovendis exquirendo*, can. 8.) Galliæ provincialia Concilia cætera, itemque regiæ sanctiones, & parlamentorum arresta easdem dispositiones continent.

TONSURA CLERICALIS. Designatur clericalis tonsuræ nomine corona ipsa quam clerici deferunt, quorum capilli in capitis vertice abrasi, & in orbem recisi sunt; vel sancta initiatur cæremonia per quam Episcopus ei qui eam recipit, capillorum partem recidens in coronæ formam, nec sine aliquibus precibus, eumdem in ecclesiasticum statum inducit, beneficiisque sanctis ordinibus, & aliis clericorum privilegiis idoneum reddit.

Nonnulli cum S. Isidoro contendunt, tonsuram jam inde ab Apostolorum temporibus institutam fuisse, ad Nazaræorum imitationem, qui, expleto sui voti tempore, capillos sibi amputabant, & in sacrificium comburebant. Alii Tostatum secuti tonsuram a S. Petro institutam asserunt, ut sibi ab Antiochiæ incolis, derisionis ergo, amputatos capillos posterorum memoriæ commendaret. At Fleurius (Instit. ad Jus Canonicum Part. I. cap 5.) nos certos facit, primis Ecclesiæ sæculis, clericos inter & laicos, quoad capillos, indumenta, omnemque externam speciem, nihil discriminis intercessisse; id enim fuisset, persecutioni quæ semper in clericos durior acerbiorque quam in simplices fideles erat, se, quin opus esset, exponere. Subdit hic historicus, cum Barbari qui breves vestes & promissam comam gestabant, Romanum Imperium diruissent, clericos qui ex hoc omnes imperio erant, longum indumentum & breves capillos, prorsus ut Romanis ipsis usui erat, retinuisse; ex quo factum, ut qui e Barbaris, postquam ethnica abdicata superstitione, resipuerant, christianæ religioni dato nomine, in clerum ingressi sunt, sibi capillos recisos vellent, longamque vestam sumerent, quæ clericalis evaserat. Factum & illud, ut monachorum nonnulli qui, ut se in contemptum adducerent, sibi anteriorem capitis partem abraserant, & aliqui, cum alias clerici, Episcopi qui habitum sumpserant, quem tum quidem monachi tamquam magis christianæ modestiæ consentaneum gerebant, clericali tonsuræ ortum præberent. Id certum est, tonsuram clericalem fuisse in usu positam sæculo septimo, ut ex Toletani Concilii, an. 633. habiti canone 41. & ex Trullani Concilii, an. 690. celebrati canone 33. compertum fit.

Omnes clerici, vel lectores, sicut levitæ & sacerdotes, detonso superius toto capite, inferius solam circuli coronam relinquant; non sicut hucusque in Galliciæ partibus facere lectores videntur, qui prolixis, ut laici, comis, in solo capitis apice modicum circulum tondent. (Concilium Toletanum, an. 633. can. 41.)

Nulli ex omnibus permittatur, juxta ordinem eorum qui sunt in clericorum ordinem relati, populo in suggestu divinas Scripturas recitare, nisi is sacerdotali tonsura usus fuerit, & benedictionem a suo pastore canonice susceperit. (Concil. in Trullo, an. 690. can. 33.)

Triplicis generis tonsuræ in Conciliis & apud ecclesiasticos auctores occurrit. Prima quam S. Petri tonsuram appellant, totum capitis verticem occupat, & per capillorum circulum sic coronam subtus desinit; altera, sine ullo capillorum circulo, per totum caput protenditur, cujusmodi apud monachos Græcos & Orientales usui erat, quæ S. Pauli nuncupabatur; tertia tonsuræ species ea erat, quam olim ferebant Scoti & Hiberni quibus omnis anterior capitis pars in semicirculi formam, qui ad utramque auram patebat, abrasa erat, posteriore capitis parte capillis tecta. Ea prima tonsuræ forma quæ in eo est posita, ut superior tota capitis pars, cum capillorum paullo supra aures circulo, rasa gestatur, a Conciliis numero pluribus præ-

scripta fuit, & ad postremum usque sæculum perstitit.

Statuit hæc Synodus, ut clerici sacros ordines consecuti coronam gerant grandem, rotundam & apertam, ordinibus in quibus constituti sunt, congruentem. (Concilium Narbonense, an. 1551. can. 15.)

Presbyteri, diaconi, subdiaconi, cæterique clerici, clericali tonsura sint insigniti ad eam formam quam ratio uniuscujusque ordinis, Episcopi arbitrio, postulabit. Ita sint abraso capillo, ut tonsura conspicua sit omnibus. Comam vero & barbam ne studiose nutriant. (I. Concilium Mediolanense, sub S. Carolo Borromæo, an. 1565. Part. II. tit. 23.)

Per priora quinque aut sex Ecclesiæ sæcula, inquit P. Morinus (*De Ordinat.* Part. III. Exercitat. 15. cap. 3.), tonsura non nisi cum minorum ordinum primo conferebatur; ac solum ad finem vergente sæculo sexto, vel ineunte septimo, sejunctim ab ordinibus conferri cœpit, puerorum occasione, quos parentes Deo consecrabant, & Episcopis præsentabant, tam tenera ætate, ut, cum lectoris vel ostiarii officio fungi non possent, satis haberetur iis tonsuram & ecclesiasticam vestem tribui.

Ut ut de hac epocha sentiendum sit, quam PP. Mabillonius & Christianus Lupus, P. Morino repugnantes, altius extollunt; certum id semper est, tonsuræ seorsim ab ordinibus conferendæ usum ad veterem Ecclesiæ disciplinam non pertinere, eamque ne hoc ipso quidem tempore ab ordinum receptione sejungi in Orientis Ecclesiis, in quibus tonsura tantum insigniti ecclesiastici non agnoscuntur. Tondetur crucis in modum is cui lectoris ordo confertur, statimque Episcopus ei manus imponit.

Tonsura non est ordo, sed solum ad ordines præparatio, & janua, per quam in clericalem statum ingressus fit; ut, qui eam non susceperit, nullum Ecclesiasticum ministerium obire, nullum beneficium possidere, nullo clericorum privilegio frui possit.

Quoniam tonsura non est ordo, consequens fit eamdem non sacramentum a Christo Domino institutum, sed puram putamque cæremoniam esse ab Ecclesia statutam, quæ nec characterem, nec gratiam, ex *opere operato*, ut dicunt, parit.

Cum ad ordines præparatio, & ecclesiastici status janua tonsura sit, dubitari non potest, quin eadem in petentibus dispositiones requirat, quæ quidem ad hæc capita rediguntur; 1. ut ætatis annum saltem septimum nati sint; cum aliquando diœceses quædam annos duodecim aut quatuordecim postulaverint; 2. ut scribere & legere sciant, confirmati sint & in fidei præcipuis articulis eruditi; 3. ut Deo se consecrent ad ejus tantum gloriam, non autem superbia, ambitione, fastu, quietis & vitæ commodorum studio, denique lucro permoti; 4. ut vitæ e mundo, ab ejus illecebris & voluptatibus remotæ, & studio, preci, omnibusque sancti ministerii functionibus addictæ ducendæ desiderium & sinceram voluntatem in se ipsis sentiant; 5. ut se accurate ad Conciliorum canones, ad diœceseos statuta, & ad proprii Episcopi mandata conforment; 6. ut, quoad vixerint, ecclesiastici status notas deferant, quæ sunt, tonsura, breves capilli, & longa nigri coloris vestis; 7. ut in ecclesiastico statu persistere, in eoque ad mortem usque, pro ut clericum decet, vivere velint; ex quo sequitur, eos qui tonsuram sumunt in eum solum finem, ut obtineant beneficia, nec in animo habent ordines suscipere, ac, dum in vivis fuerint, vere ecclesiasticam vitam agere, se mortalis peccati reos reddere; idemque judicium de ecclesiasticis ferendum est, qui in ea sunt consuetudine, ut nec clericalem coronam, nec breves capillos, nec longam vestem deferant, propterea quod leges a Conciliis & Synodis prorsus innumeris renovatas violant, proprii status sanctitatem dedecorant, & scandalo fideles afficiunt.

Prima tonsura non initientur, qui sacramentum confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint; quique legere & scribere nesciant; & de quibus probabilis conjectura non sit, eos, non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse. (Concilium Tridentinum, Sess. 23. cap. 4. *de Reform.*)

Qui vel prima tonsura, vel aliis etiam majoribus ordinibus initiandi veniunt, eorum nomina, cognomina, parentes, patriam, eam in qua vel orti fuerint, vel proxime habitarint, parochialem Ecclesiam, patrimonium, pensionem, beneficia, cæteraque cujus nomine fuerit adscribendi sunt, diligentissime notari, eaque omnia litteris exarata, inter Missarum solemnia, in cathedrali, parochiali propria, & in ea in qua proxime habitarint, Ecclesia, die festo, a Parocho, aut alio, suo jussu, publice

Dd 2 propo-

proponi, promulgarique sedulo Episcopi procurabunt, (Concilium Tulusanum, an. 1590. cap. 7.)

Etiam rudimenta ignorantes, sacro chrismate non deliniti, legere & scribere nescientes, spurii aut illegitimi ad primam clericalem tonsuram absque Episcopi dispensatione non admittantur, (Concilium Narbonense, an. 1609. cap. 21.)

In nulla re profecto magis elaborant hujus saeculi homines, quam ut filios praecipue deformes, & ad negotia saecularia ineptos, in sortem Domini assumantur, ad beneficia certe, non ad officia ecclesiastica, quacumque ratione, tam eos non vocet Dominus, promovendos; unde omni capite languido, & omni corde moerenti, caetera membra vigent Ecclesiae Dei. Ut igitur vocatio vocis respondeat, probata prius & ex petitione Parochorum confirmata necessitate Ecclesiae, & utilitate, quicumque ad primam tonsuram eligi potest, ejus sine aetatis, in qua, quid agant, & quam viam sibi aperiant, plane dignoscere possint, oportet; cumque ea sit, quae circa duodecimum annum versatur, statuimus nullum deinceps ad primam tonsuram admitti debere, quin duodecimum aetatis suae annum attigerit; de qua, ac etiam de vita, moribus, conversatione, rudimentis fidei studiose memoriae commissis, legitimis parentibus, propensione denique ad vitam ecclesiasticam, debitam a Parocho & praeceptoribus scholae attestationem, afferre teneatur; & ne leviente ductus fines sibi putet casuros in praeclaris, ejus animum sentiat, ideoque certa cuidam Ecclesiae adscribi, ut in ea, diebus dominicis & festis solemnibus saltem, habitum clericalem gestet, & Sacerdotibus ministret, praecipimus; de quibus cum ab eodem aeditatio relata fuerit, ordinario suo tempore, ad tonsuram demum, si aliàs idoneus repertus fuerit, promoveri possit. Ita vero promotus, certae statim Ecclesiae inserviturus ab Episcopo ordinante addicatur, gestet quotidie habitum clericalem, sacerdotibus pareat ad nutum, obedientiam praestet, humilitatem prae se ferat, & vitam ecclesiasticam discat. Sin vero habitum clericalem ponat, Ecclesiae designatae non inserviat, & frequenter in ea sacramenta non sumat; privilegiis clericatus sui privari, ut de caetero inhabilem cum ad beneficia ecclesiastica, tum ad ordines suscipiendos censemus. (Concilium Burdigalense, an. 1624. cap. 6. *de Ordine*.)

D. Talonius, agens an. 1639. statuit affati loco quampiam a patrono ad beneficium praesentari posse, quin clericus tonsuratus sit, satisque esse, tonsura initiatum, caeterisque requisitis qualitatibus instructum fore provisionum tempore. Auctor Operis, cui titulus, *Effata Canonici Gallicarum Juris*, Tom. II. pag. 225. & seq. contrarium propugnat. In dubio, tutius ineundum consilium est, ut nempe tonsura, ante praesentationem seu nominationem ad beneficia, suscipiatur.

Proprius tantum Episcopus tonsurae dioecesano conferendae jus obtinet; proprii autem Episcopi nomine intelligi debet, ad tonsuram quod attinet, Episcopus originis, hoc est, Episcopus in cujus dioecesi quoad carnem nati, non is in cujus dioecesi quoad spiritum per baptisma renati sumus. Verum a quovis Episcopo, atque adeo Abbate iis collata in quos nulla conferentibus est jurisdictio, valida, quamvis illicita tonsura est, modo Abbas qui eam tribuit, ejusdem saltem cuidam personarum generi tribuendae privilegio gaudeat, tametsi personae quibus eam tribuit, eo privilegio non contineantur, ita non semel definiit sacra Congregatio, referente docto Pontifice Benedicto XIV. in Tractatu *de Synodo Dioecesana*, lib. 2. cap. 10. n. 13.)

Cum tonsura non sit ordo, ejus iteratio irregularitatem non parit, saltem ex communi doctorum sententia; quin in quibusdam casibus eam iterari necesse est, ut, cum recepta, nec ne, fuerit, haud satis constare potest, aut cum ante susceptum baptisma recepta est.

Ex Molinensis constitutionis articulo 55. nunquam tonsuratus admittitur, ut beneficium sibi vindicet aut impugnet, quin a prototypo suas tonsurae litteras in antecessum protulerit; nec recipiuntur in Gallia summi Pontificis Brevia quae super ejusmodi prototypi exhibendi obligatione dispensare possunt; haud satis est per ordinis litteras proprium statum firmari; si tamen exemplar illud per incendium, naufragium, vel aliter, amissum esset, ad id probandum liceret accedere.

Ex articulo 9. edicti de insinuationibus an. 1691, tonsurarum, ut ordinum, litterae insinuari debent intra mensem, & in dioecesano insinuationum tabulario, Teneantur etiam, oportet, tonsurarum ordinumque tum minorum, tum majorum, seu sacrorum registra.

Tonsura id proprium habet, ut quaque die, quaque hora, & quovis in loco, modo alioqui sacram caeremoniam non dedeceat, conferri possit. (Gibertus, in suis *Institut. Eccles. & Benefic.* Tom. I. pag. 222.)

In Italia, clerici tonsurati, licet conjugati, gaudent privilegio canonis & fori, dummodo clericalem in modum vivant, nec bigami sint; at in Gallia matrimonium clericali hoc privilegio privat. (*Ibid.* pag. 221. & 222.) Dicitur *privilegium canonis* illud quod clericos personalibus pluribus oneribus eximit, cujusmodi sunt tutelae, curatelae, obligatio ad bellum eundi, aut milites hospitio recipiendi, &c. Illud vero *privilegium fori* nuncupatur, quod clericos, ne apud laicum judicem in jus vocentur, in tuto ponit. Privilegium hoc locum non habet in Gallia ob reales causas, sed solum ob mere personales, seu civiles, seu criminales, in quibus nullus adest privilegiatus casus; nec magis ei locus est, nisi clericis de beneficio provisum sit, aut iidem alicui Ecclesiae addicti sint, aut suas in ea functiones obeant, aut in collegiis studiis reapse vacent. (Constitutio Molinensis, an. 1566. art. 40.)

Romanae curiae rescripta quibus tonsurae extra propriam dioecesim recipiendae facultas datur, recipere nolunt Episcopi Galli. (*Ibid.* pag. 222.)

Edicitur in Gratiani Decreti parte secunda, can. 7. causa 12. quaest. 1. clericos reges esse qui se ipsi, & secum alios in virtutibus regant; eorum regnum per rasuram in coronae formam, quam capiti impositam gerunt, designari; coronam hanc a Romanae Ecclesiae institutione esse, & regnum innuere, quod a Christo Domino expectant; denique capitis rasuram temporalium rerum abdicationis testimonium esse. Laudatur canon hic S. Hieronymi nomine, ductusque est e quodam Opere quod ei tribuitur, inscribiturque: *Hieronymus ad quemdam suum levitam, de duobus generibus hominum*. At, licet Epistola haec S. Hieronymum cui adscribitur, auctorem non habeat, haud minus verum est tonsuram clericalem admodum antiquam, & saltem, quod supra diximus, ad septimum pertinere, atque, ab institutione ipsa, semper tamquam praecipuam clericatus notam spectatam fuisse: *Insigne clerici tonsura est*, ut Aquilejense Concilium an. 1596. habitum loquitur; ex quo sequitur, ecclesiasticos qui eam non deferunt, summopere reos evadere, quippe qui per id testentur sui se status pudere, cujus ea praecipua nota est; atque hac ipsa de causa gravissimas poenas, quaeque non nisi magni ponderis erratis statui possunt, canones in eos infligunt. Hae poenae sunt anathema, suspensio, clericalis privilegii jactura, beneficii privatio, ad alia beneficia acquirenda inhabilitas, &c. *Si quis ex clericis relaxaverit comam, anathema sit; & responderunt omnes tertio: anathema sit.* (Vide Gibertum in suis canonicis Consultationibus super Ordinis Sacramento, Tom. I. pag. 434. & seq.)

Clericalis tonsura non in omnibus ecclesiasticis aequalis, sed major minorve esse debet, pro singulorum ordine: *Tonsura sit conspicua; non ea quidem in omnibus clericis una, sed major sacerdotalis, digitis tribus undequaque a vertice patens; duobus diaconalis; semidigito subdiaconalis angustior; minorum ordinum omnium minima, & digito undique sit diducta.* (Concilium Tulusanum, Part. 1. cap. 4. n. 5.)

TORNEAMENTUM, bellica & urbana exercitatio & oblectatio quam veteres equites agitabant, suam ut dexteritatem, magnanimitatemque ostentarent: *ludicrum equestre certamen, equestris pugna, hastiludium, trojamentum, troja ludus, trojanum agmen, decursio ludicra, torneamen, torneamentum, tournamentum*. Sunt auctores qui contendant torneamenta a Trojanis venisse, qui post eorum urbis per Graecos excidium in Italiam commigrarunt. At longe probabilius ejusmodi certaminum inventores Gallos fuisse, ut testatur Matthaeus Parisius qui torneamenta nuncupat *conflictus gallicos*, atque probat torneamenti nomen ipsum quod derivatur a gallico verbo *torner*, seu *tourner*, *in orbem circumduci, circumflecti*, quia in hujusmodi militaribus exercitationibus equi circulatim vertebantur. In S. Martini Turonensis chronico, ad an. 1066. memoriae proditur, Geofriddum hujus nominis II. Prulliaci seu Pruelliaci in Andegavensi tractu dominum torneamenta invenisse: *Gaufridus de Pruliaco, qui torneamenta invenit, apud Andegavum occiditur*. At omnino fit vero simile, Goefriddum nihil aliud egisse, nisi torneamenta perfecisse, legesque in id genus exercitationibus servandas redegisse; quandoquidem Nithar refert in collegio Carolum Calvum Galliae Regem inter, ejusque fratrem Ludovicum, Germaniae Regem Strasburgi habito equestria certamina inter viros nobiles qui utrique Principi a comitatu erant, ad dexteritatis in armis specimen, extitisse. Jam vero Carolus Calvus, die 20. Junii an. 840. solium conscendit. A Gallia in Angliam, Germaniam, Graeciamque ipsam, ut Cantacusenus, Gregoras, Bessarion, aliique nonnulli infimae Graeciae auctores tradunt, torneamenta migrarunt. Quae primum inventa fuere, continebantur equorum cursu,

ordi-

ordine retrogrado cum mundinibus, lancearum inſtar, quibus ſuffectæ deinceps obtuſæ lanceæ anſeſque qui *ludicri gladii* ob depreſſam aciem dicti. Quia porro circumſpectiones hæ non impediebant, quin dimicantes ſæpe alicujus membri, atque adeo vitæ in ipſo certamine jacturam facerant; ludi genus hoc graviter Concilia vetuerunt,

Deteſtabiles autem illas nundinas, vel ferias in quibus milites ex condicto convenire ſolent, & ad oſtentationem virium ſuarum, & audaciæ, temerarie congrediuntur, unde mortes hominum, & animarum pericula ſæpe proveniunt, omnino fieri interdicimus. Quod ſi quis eorum ibidem mortuus fuerit, quamvis ei poſcenti pœnitentia & viaticum non negetur, eccleſiaſtica tamen careat ſepultura. (Concilium Remenſe, an. 1131. can. 12.)

Per vocabulum *milites*, hoc in canone adhibitum, intelligantur, oportat, equites; a *viatici* nomine non ſancta Euchariſtia venire debet, ſed reconciliatio, quia non eſt vero ſimile eccleſiaſticam ſepulturam iis negatam fuiſſe, quibus ſancta Euchariſtia concedebatur.

Felicis memoriæ Papæ Innocentii & Eugenii prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, deteſtabiles illas nundinas vel ferias quas vulgo torneamenta vocant, in quibus milites ex condicto venire ſolent, & ad oſtentationem virium ſuarum & audaciæ, temere congrediuntur, unde mortes hominum & animarum pericula ſæpe proveniunt, fieri prohibemus. Quod ſi quis eorum ibidem mortuus fuerit, quamvis ei poſcenti venia non negetur, eccleſiaſtica tamen careat ſepultura. (III. Lateranenſe gener. Concilium, an. 1179. cap. 20)

Decreta de quibus hoc loco ſermo eſt, ſunt canones, 14. Lateranenſis Concilii an. 1139. ſub Innocentio II. & duodecimus Concilii Remenſis an. 1131. ſub Eugenio III. qui ad verbum in hoc 20. Lateranenſis Concilii tertii capita reperiuntur, niſi quod additur explicationis in modum, *quas vulgo torneamenta* vocant, cumque in ſuperioribus Conciliis duobus legatur, *ei poſcenti pœnitentia & viaticum non negetur*, in hoc ipſo ſecundo capite *viaticum* omiſſum eſt, ne quis forte hallucinaretur, viatici nomen pro eccleſiaſtica communione ſumens, putanſque hanc iis ipſis conceſſam fuiſſe, qui eccleſiaſtica ſepultura indigni judicabantur.

Haſtiludia & torneamenta clerici qui ſunt in dignitatibus, perſonatibus, ſeu in ſacris ordinibus conſtituti, hoc edicto perpetuo ſibi noverint interdicta; ita quod nulla perſona eccleſiaſtica in dignitate, ſeu perſonatu, & in ſacris ordinibus conſtituta, cum armis, vel ſine armis ipſa exerceat. Et ſi contra fecerit, anathematis vinculum eo ipſo incurrat. Abſolutionem eorum Epiſcopo metropolitano, ac aliis Epiſcopis reſervamus. (Concilium Wirzburgenſe, an. 1287. cap. 4.)

Omnia Conciliorum ſummorumque Pontificum anathemata baud ſatis ejuſmodi ludicrarum dimicationum favorem in Gallorum animo extinguere potuerunt; opus ad id fuit tragica Regis Henrici II. morte, quam in torneamento vulnus oculo inflictum, Julii die 12. an. 1559. a vivis eripuit. (Videri poteſt Tomus IV. Hiſtoriæ Galliæ, auctore abbate Welly, p. 205. & ſequentibus.)

TRADITIO. Quæcunque doctrina, verbo tenus, & ſine ſacræ ſcripturæ ſubſidio, emanavit & communicata eſt per ætates ſingulas, univerſim *traditio* nuncupatur. Diſtinguitur peculiariter in Chriſtiana religione traditio divina, apoſtolica & eccleſiaſtica.

Divina traditio eſt Dei verbum non ſcriptum, ſed ex ore ipſo Chriſti Domini derivatum, aut Apoſtolis a Spiritu ſancto revelatum, communicatumque per hos ipſos Apoſtolos primis fidelibus, & ab his ad ſucceſſores tranſmiſſum, a quibus id nos deinceps ac veluti per manus accepimus.

Apoſtolica traditio continetur quibuſdam uſibus per Apoſtolos inſtitutis, cujuſmodi ſunt triplex in baptiſmate immerſio, diei dominicæ cultus ſabbati loco, quadrageſimale jejunium, &c.

Eccleſiaſtica traditio poſita eſt in piis quibuſdam conſuetudinibus, quas initio quidem populi paſtoreſve induxerunt, deinde vero ſeu expreſſa, ſeu tacita Eccleſia approbavit, quæ vim legis iiſdem tribuit. Ejuſmodi ſunt Quatuor Temporum jejunia, plures feſti dies, &c.

Divina traditio ſemper neceſſaria fuit, ut libri canonici ab apocryphis ſecernerentur, ut ſacrarum litterarum ſenſus definiretur, ut nobis plura dogmata paterierent, quæ in iis expreſſe contenta non comperiuntur, cujuſmodi ſunt ſtatus certuſque ſeptem ſacramentorum numerus, infantium baptiſmus, &c. Divinæ traditionis neceſſitas & auctoritas nititur ſacris litteris, Patribus & Conciliis.

Ampla certe Scripturæ latitudo, ingens & incomprehenſibilis profunditas; perniciosum eſt tamen eo errore laborare, ut nihil admittendum putetur, quod non a Scriptura depromptum ſit. Multa quippe a Chriſto ad poſteros per manus Apoſtolorum, ore ad os & familiari colloquio tranſfuſa ſunt, quæ etſi in ſacra Scriptura expreſſe contineri non videantur, incunctanter tamen tenenda veniunt. Nam quod genua flectamus orantes ad Orientem; ſed & ſacroſanctæ Euchariſtiæ percipiendæ ritus, vel eorum quæ dicuntur in baptiſmo, verborum, geſtorumque, & ordinum, atque interrogationum & reſponſionum quis facile explicet rationem? Et tamen omnia hæc, aperta licet & velata, portamus ſuper humeros, atque ita implemus, ut a magno Pontifice Chriſto, aut primitivæ Eccleſiæ proceribus tradita. Ad hæc, ubi, quæſo, ſcriptum eſt illud, quod a Chriſto dictum commemorat Apoſtolus, Beatius eſt melius dare quam accipere? *Quis ſcripto redegit ea quæ per dies a reſurrectione quadraginta Dominus cum diſcipulis de regno Dei diſſeruit? Atque alia id genus multa.... A quibus non longe ſunt aliena, ſymbolum illud Apoſtolorum, & quod ſine unctione non ſit Confirmationis ſacramentum, & iiſque benedictæ Miſſæ ſacrificio aquæ miſceatur, aut fideles vivificæ crucis ſigno frontem communiant; pluraque id genus, quæ velut ex receptione quadam, & quaſi per manus; ab Apoſtolis emanarunt. Hinc Paulus non eas tantum traditiones jubet a Theſſalonicenſibus obſervari, quas per epiſtolam, ſed etiam quas per ſermonem ſermonem didiciſſent. Nec prætermiſiſſe putandus eſt cætera, quæ circa venerandum Euchariſtiæ ſacramentum Corinthiis ſe ſe diſpoſiturum, cum veniſſet, ultro ſpoponderat. Quorum plurima licet a Chriſto facta non ſint inſtituta, id tamen certum eſt, quod, dictante Spiritu ſancto, Apoſtoli tradiderunt, veluti quod Chriſtus ipſe tradidit, & in ſui commemorationem fieri præcepit. Oportet itaque eos auctoritati Patrum, conſuetudinique majorum; atque ad tantum tempus per tantam annorum ſeriem protelata, etiam non percepta ratione, credere, eamque, ut antiquitus tradita eſt, jugi obſervantia ac reverentia cuſtodire. Quam ſi quis eo prætextu pertinacius rejicit, quod non legitur in Scripturis ſacris, & hæreticus & ſchiſmaticus habeatur.* (Concilium Senonenſe, ſeu Pariſienſe, an. 1528. *in Decretis Fidei*, can. 5)

Populus docendus eſt ſanctorum Patrum regulam ſequi; qui diligenter admonent, traditiones eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiunt, ita obſervandas, ut a majoribus tradita ſunt. Sunt autem illa quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, non unius generis, quemadmodum divus Auguſtinus tradit. Alia enim toto terrarum orbe ſervantur, a Patribus nobis quaſi per manus tradita. Quæ quidem putanda ſunt vel ab ipſis Apoſtolis, vel ex plenariis Conciliis (quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas) commendata atque ſtatuta retineri, veluti quod Paſſio, & Reſurrectio, & Aſcenſio in cælum, Adventus Spiritus ſancti, & quadrageſima, annua ſolemnitate celebrantur; quod die veneris a carnibus abſtinetur; atque alia multa, quæ ab univerſis merito obſervantur. Alia vero quæ per loca terrarum, regioneſque variantur, ſicut eſt, quod alii jejunant diem mercurii, alii non; alii quotidie communicant Corpori & Sanguini Domini, alii certis diebus accipiunt; & ſi quid aliud hujuſcemodi animadverti poteſt, totum hoc genus rerum liberas habet obſervationes. (Concilium Colonienſe, an. 1536. Art. IX. cap. 1.)

Sacroſancta, œcumenica & generalis Tridentina ſynodus, in Spiritu ſancto legitime congregata .... hoc ſibi perpetuo ante oculos proponens, ut, ſublatis erroribus, puritas ipſa evangelii in Eccleſia conſervetur; quod promiſſum ante per prophetas in Scripturis ſanctis Dominus noſter Chriſtus Dei Filius proprio ore primum promulgavit, deinde per ſuos Apoſtolos, tamquam fontem omnis ſalutaris veritatis, & morum diſciplinæ, omni creaturæ prædicari juſſit; perſpiciensque hanc veritatem & diſciplinam contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus, quæ ex ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, ab ipſis Apoſtolis, Spiritu ſancto dictante, quaſi per manus traditæ ad nos uſque pervenerunt; orthodoxorum Patrum exempla ſecuta, omnes libros tam veteris quam novi Teſtamenti, cum utriuſque unus Deus ſit auctor, nec non traditiones ipſas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel ore tenus a Chriſto, vel a Spiritu ſancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia catholica conſervatas, pari pietatis affectu ac reverentia, ſuſcipit ac veneratur. (Concilium Trident. ſeſſ. IV. *in Decreto de Canonicis Scripturis*.)

Quoniam ſcriptum eſt, Chriſtum multa ſigna feciſſe, quæ non habentur in libris Evangeliorum; jubentur chriſtiani ſervare traditiones Eccleſiæ, ne juxta novatorum conſuetudinem ex ipſa tantum contenta Scriptura omnium rerum ſacrarum ratio petenda cenſeatur. (Concilium Bituricenſe, an. 1584. tit. 17. *de Traditionibus*.)

Si quis

Si quis universam doctrinam ecclesiasticam, ad expressum contextum Scripturæ, nihilque nisi quod in eo continetur, pro vera tenendum, & traditiones Ecclesiæ, quasi inventa humana, respuendas esse dixerit; anathema sit. (Can. 1.)

Quisquis negat traditionem esse duplicem, scriptam scilicet & non scriptam, anathemate feriatur. (Can. 2.)

Traditiones omnes diœcesanæ laudabili & antiqua consuetudine approbatæ serventur. (Can. 3.)

TRADITOR. Primis Ecclesiæ sæculis, *traditorum* nomen eos e christianis designabat, qui, ut tormenta & mortem vitarent, persecutoribus sacros Scripturæ libros tradebant. Africæ proconsularis Concilium, an. 304. habitum, excommunicationis imposita pœna prohibuerat, ne quis cum Episcopis traditoribus communicaret. At Cirthense, seu Zertense in Numidia Concilium, an. 305. celebratum eos declaravit absolutos, quia undecim seu duodecim Episcopi quibus illud Cirthense Concilium constabat, ejusdem criminis rei fere omnes & ipsi erant. Hos traditores Episcopos Donatistarum schisma primos auctores habuit. Arelatense Concilium, an. 314. habitum eos e clero expulerit, qui sanctas Scripturas & vasa sacra tradiderant, necnon eos qui suos, persecutionis tempore, fratres prodiderant, validas tamen ordinationes declaravit, quas Episcopi traditores ediderant: *De his qui Scripturas sanctas tradidisse dicuntur, vel vasa dominica, vel nomina fratrum suorum; placuit nobis, ut, quicunque eorum ex actis publicis fuerit detectus, non verbis nudis, ab ordine cleri amoveatur. Nam si iidem aliquos ordinasse fuerint deprehensi, & de his quos ordinaverint, ratio subsistit, non illis obsit ordinatio.*

TRANSLATIO, in re beneficiaria, de clerici e beneficio quod possidet, ad aliud transmigratione dicitur. Primis christiani nominis sæculis, clericorum translationes prorsus ignotæ erant, propterea quod eorum nullus ordinabatur, quin titulo, hoc est, Ecclesiæ cui per omne vitæ tempus deserviret, insolubiliter addiceretur. Id in primis quoad Episcopos servabatur, quorum sua cum Ecclesia conjunctio & obligatio semper assimilata fuit sponsi cum sponsa vinculo quod nonnisi per mortem desinit. Cum ergo episcopale vinculum sit matrimonii vinculo simile geminumque, Episcoporum translationes tamquam adulteria quædam, translatique Episcopi tamquam viri qui conjuges mutant, spectabantur; atque hinc Conciliorum canones qui ejusmodi translationes prohibent.

Præter multas perturbationes, & frequentes tumultus seditionum, quæ fieri solent, placuit omnimodo istam abscindi consuetudinem quæ contra regulam est, sicubi tamen fit; id est, ne de civitate ad civitatem transeat (al. *transferatur*) *vel Episcopus, vel presbyter, vel diaconus. Si quis vero post hoc statutum sancti hujus Concilii tale aliquid agere tentaverit, infringatur omni genere hujusmodi conatus; & restituatur propriæ Ecclesiæ, in qua ordinatus est.* (I. Generale Concil. Nicænum, an. 325. can. 15.)

Osius Episcopus dixit: Non minus mala consuetudo, quam perniciosa corruptela funditus eradicanda est; ne cui liceat Episcopo de sua civitate ad aliam transire. Manifesta est enim causa, qua hoc facere tentant; cum nullus in hac re inventus sit Episcopus, qui de majore civitate ad minorem transierit. Unde apparet avaritiæ eos ardore inflammari, & ambitioni servire, & ut dominationem exerceant. Si ergo omnibus placet, hujusmodi pernicies austerius vindicetur, nec laicam communionem habeat qui talis est. Universi dixerunt: Placet. (Concil. Sardicense, an. 347. can. 1.)

Hi canones aliique plures quos congeri inutile fuerit, quamquam graviter quidem omnes, sed alii plus alii minus Episcoporum translationes prohibeant, non impedierunt, quominus quamprimum perspiceretur legitimas causas, ut Ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem, subesse posse, quæ hujusmodi translationes firmarent, & ob hæc ipsa rationum momenta haud multo post earum facultas concederetur. De iis judicare ad provinciale Concilium spectabat; atque hic, si P. Thomassinio fides, in Gallia potissimum ad usque decimum sæculum viguit; quo quidem tempore Episcoporum translationes inter majores causas sanctæ sedi reservatas relatæ sunt.

Episcopo non liceat, sua relicta parochia, ad aliam transire, etiamsi a pluribus cogatur, nisi sit aliqua causa rationi consentanea, quæ eum cogat hoc facere, utpote ad majus lucrum, cum possit ipse iis qui illic habitant, pietatis verba conferre, idque non a se, sed ex multorum Episcoporum judicio, & maxima exhortatione. (Canon. 14. Apost.)

Ut Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quisquam inferioris ordinis clericus. Sane si id utilitas Ecclesiæ faciendum poposcerit, decreto pro eo clericorum & laicorum, Episcopis porrecto, in præsentia synodi (al. *per sententiam synodi*) *transferatur; nihilominus alio in locum ejus Episcopo subrogato. Inferioris vero gradus sacerdotes, vel alii clerici, concessione suorum Episcoporum, possunt ad alias Ecclesias transmigrare.* (Concilium Carthaginense, an. 398. can. 27.)

Episcoporum translationis reservatio quæ sub decimum sæculum ad provincialium Conciliorum exclusionem sanctæ sedi tribui cœpit, in commune jus abiit duodecimo sæculo quo suum Gratianus Decretum composuit, cui hæc reservatio inserta fuit. Episcoporum ergo translationes perinde ac cessiones hoc tempore summi Pontificis personæ ipsius per universam Ecclesiam reservatæ sunt; easque legati *a latere* permittere non possunt absque peculiari sanctæ sedis indulto quod hanc iis auctoritatem tribuat. Præter Papæ veniam ad Episcoporum translationes in Gallia Regis consensu & nominatione opus est. At id sedulo animadvertendum, Ecclesiæ disciplinam, tametsi quoad formam mutata sit, eamdem tamen esse quoad rem ipsam, videlicet, Episcoporum translationes non magis in præsentia permissas in conscientiæ interno foro esse, quam olim erant, & quidem reapse permissas non esse, nisi cum necessitatis vel utilitatis Ecclesiæ, non autem eorum quos transferri lubet, rationes suppetunt. Necessitatis ratio, causa exempli, tum locum habet, cum episcopalis sedes funditus eversa est, aut in infidelium manus devenit, aut Episcopus, ob aliquam ejusmodi causam Ecclesiæ suæ munia obire non potest. Translationes utiles sunt, cum Episcopus, sine causa populo quem regit, invisus ab alio expetitur, qui se ejus curis usurum promittit, aut, spectatis ejus non ita vulgaribus animi dotibus, plus boni pariet in eminentiori sede, &c.

Alia cui locus hic esse debet, animadversio est, benignam interpretationem Innocentii III. aliorumque nonnullorum Pontificum locutionibus adhibendam esse, qui nempe Episcoporum translationes divino jure ad se pertinere dicunt: *Non enim humana, sed potius divina potestate conjugium spirituale dissolvitur, cum per translationem, depositionem, aut cessionem, auctoritate Romani Pontificis, quem constat esse vicarium Jesu Christi, Episcopus ab Ecclesia removetur; & ideo tria hæc quæ præmisimus, non tam constitutione canonica, quam institutione divina, soli sunt Romano Pontifici reservata.* (Innocentius III. in cap. 2. *de Translat. Episc.*)

Certum est exploratumque, spiritalis matrimonii vinculum quod suæ Ecclesiæ, tamquam sponsæ Episcopum unit, ecclesiasticæ tantum institutionis esse, & ad duodecimum usque sæculum a provincialibus Conciliis dissolutum fuisse. Cum ergo Innocentius III. ait reservationem translationum, depositionum & cessionum Episcoporum, divino jure, ad Romanum Pontificem pertinere, nihil aliud dicit, nisi eam sibi congruere, utpote quæ a rerum numero est, quæ videntur eidem deberi primatus causa, qui divini juris est, quique effecit, ut ad eum Episcopi majorum causarum cognitionem referrent, inter quas Episcoporum translatio, depositio & cessio continentur. (Thomassinius, Part. IV. *De Discipl. eccles.* lib. 2. cap. 56. n. 7. Van-Espenius, *Jur. Eccles. univers.* Part. I. tit. 18. cap. 5.)

TREUGA, TREUGUA, TREVIA, *induciæ, armistitium*. His vocabulis designatur securitas, fides, quam hostes qui in bello versantur, mutuo paciscuntur obstringuntque, seu ab omni hostilitatis actu cessatio quam sibi pollicentur ad certum tempus, quin proinde tamen integram perfectamque pacem constituant. Ab ecclesiasticis scriptoribus & Conciliis memorantur induciarum genera tria; nempe treuga, ut vocant, *conventionalis*, de qua partes belligerantes inter se conveniunt, treuga *legalis*, quam civiles leges præscribunt, & treuga *canonica*, quæ etiam *treuga Domini*, *trevia Domini*, seu *Dei* dicitur, mandaturque per Conciliorum canones. His autem peculiaribus legibus locum præbuit privatorum bellorum licentia, quæ nono Ecclesiæ sæculo inchoata efficiebat, ut cives per arma querelas finirent, quæ inter eos etiam ob mere civiles, minimique momenti causas intercederent; ex quo contingebat, ut persæpe ob levissimum negotium se mutilarent, trucidarentque. Eo licentia progressa est, ut clerici & monachi qui congredi non poterant ipsi per se, homines in sui locum, qui finem eorum rixis & litibus per arma imponerent, sufficere cogerentur; cujus effrenæ licentiæ radicem ipsam cum extirpare, quod sane optassent, Concilia non possent, operam saltem dederunt, ut eam moderarentur, statuta *treuga Dei* nuncupata, quæ initio quidem eo tantum redacta fuit, ut a sabbati hora nona ad usque fe-

ria

riæ secundæ horam primam ab omni hostili violentoque facinore abstineretur, quemadmodum enuntiat constitutio quam super hac re primam edidit die 16. Maji an. 1027. in Elnensi Ruscinonensis Comitatus diœcesi habita synodus. Decem aut duodecim post annis producta est tregua Dei a vesperis diei mercurii ad mane diei lunæ; subsecutisque temporibus, etiam ad Adventum, ad Quadragesimam, &c.

Ut pax Dei, quæ vulgo dicitur trevia, sicut ipse eam initio constituerat, firmiter teneatur, & per singulas parochias dictis excommunicationibus renovetur. (Concilium Lillebonense, an. 1080. can. 1.)

Ut hic canon qui treguæ institutionem Deo ipsi tribuit, cujus nomen gerit, intelligatur, id scitu necessarium est, quod Sigebertus in Chronico ad an. 1033. tradit. Historicus hic Episcopos refert, cum aliquid remedii cædibus aliisque criminibus invenire vellent, quæ ex privata bella tam sæpe pariebant, in Aquitania potissimum convenisse, eorumque unum testatum esse se e cælo litteras accepisse, quæ mandabant, ut pax in terris instauraretur; & hinc extitisse nomen *pacis*, seu *tregua Dei*, quod hostilitatis cessationi de qua agitur, inditum fuit.

Treguas a quinta feria post occasum solis usque ad secundam feriam in ortum solis, & ab Adventu Domini usque ad octavas Epiphaniæ, & a Septuagesima usque ad octavas Paschæ, ab omnibus inviolabiliter observari præcipimus. Si quis autem treguam frangere tentaverit, post tertiam commonitionem, si non satisfecerit, Episcopus suus sententiam excommunicationis dictet in eum, & scriptam vicinis Episcopis annunciet; quorum nullus excommunicatum in communionem suscipiat; immo scriptam susceptam sententiam quisque confirmet. (Lateranense III. generale Concil. an. 1179. cap. 21.). Consuli potest Dominicy Dissertatio, cui titulus: *De Trenga & Pace, ejusque Origine & Usu in Bellis privatis*, typis edita Parisiis apud Cramoisium, an. 1649. ac deinde in Burcardi Gotthelfeji Bibliotheca rariorum Librorum, impressa Jenæ, an. 1719.

TRIA CAPITULA. Quære Concilium Constantinopolitan. an. 553. celebratum quod incipit ad pag. 126. Tomi primi hujus operis.

TRIBUTUM, onus, seu contributio subditis, ad subsidium politici regiminis rationibus afferendum, a Principe imposita. *Quære* IMMUNITAS, LAICUS.

TRINITAS significat propria unitatem trium. Trinitatis ergo mysterium, illud christianæ Religionis fundamentale dogma, omnium mysteriorum primum maximumque, est unius Dei in personis tribus mysterium, quæ sunt Pater, Filius & Spiritus sanctus. Est hoc divinarum personarum reapse distinctarum in eadem natura numerus. Natura est rei essentia, & persona est rei substantia; seu natura est ipsa res substantialiter, ut loquuntur theologi, seu quoad suam ipsius substantiam sumpta, & persona est ratio qua separata res, ab omni alia distincta subsistit. Hominis natura est ejus anima ejusque corpus; ejusdem persona est is ipse, quia ejus anima ejusque corpus in eo subsistunt. Divina natura est Dei infinitus spiritus qui prorsus integer in Patris, in Filii, & in Spiritus sancti persona subsistit; atque in hoc continetur augustum, ineffabile sanctissimæ Trinitatis mysterium, prout nempe eadem natura sine ulla partitione subsistit in peculiaribus personis tribus quæ non nisi Deum unum eumdemque conficiunt; ut proinde nec naturæ unitas personarum pluralitatem, nec personarum pluralitas naturæ unitatem impediat.

Sunt ergo in Deo personæ tres; & hæ tres personæ sunt unus tantum & idem Deus, quia non iis inest nisi una eademque divina natura, una & eadem essentia, una eademque divinitas, unus & idem spiritus, & quod inde consequitur, unus & idem Deus.

Pater nec procedit, nec emanat ab ulla alia *persona*; nullum omnino principium habet. Filius procedit a Patre, & Spiritus sanctus a Patre & Filio procedit. Itaque duæ tantum, Filii scilicet & Spiritus sancti, processiones seu emanationes, in Trinitate sunt.

Filii processio dicitur *generatio*, quia per intellectum fit, per facultatem scilicet quæ terminum parit, qui ei quoad naturam similis est. Ergo Dei Filius a Patre per cognitionem procedit, prout Pater, se ab omni æternitate cognoscens, ab omni pariter æternitate terminum, ideam suarum infinitarum perfectionum producit, quæ appellatur *ejus Verbum*, *ejus Filius*.

Spiritus sancti processio nuncupatur *spiratio*; quia Pater & Filius ab omni æternitate se amantes, producunt sui amoris terminum, qui Spiritus sanctus est, quique proinde emanat a Patre & Filio, tamquam ab uno eodemque principio, utpote unam tantum eamdemque voluntatem habente, in amoris, propensionis, impulsionis modum, id quod proprium voluntatis est, quæ non est assimilans, vel, ut scholæ dicunt, assimilativa facultas, non autem similitudinis in modum procedit; ex quo fit, ut Spiritus sancti processio non quidem *generatio*, sed *spiratio* nuncupetur.

Quamvis Pater principium non habeat, sitque ipse Filii & Spiritus sancti principium, qui ab eo procedunt; non prior tamen, antiquiorque, nec potentior, nec perfectior quam Filius & Spiritus sanctus est, hæ tres personæ perfecte cumulateque omnibus in rebus, in æternitate, in sapientia, in divinis omnibus attributis æquales sunt.

Sunt in Deo quoad originem relationes quatuor; videlicet, *paternitas*, per quam Pater ad Filium refertur, quem generat: *filiatio*, per quam Filius refertur ad Patrem, utpote a Patre genitus; *spiratio activa*, per quam Pater & Filius referuntur ad Spiritum sanctum quem per mutui amoris actum producunt; & *spiratio passiva*, per quam Spiritus sanctus ad Patrem Filiumque, tamquam ab utroque procedens, refertur.

Sunt item in Deo notiones quinque, quinque notæ scilicet seu characteres proprii, qui trium personarum unam ab alia distinguunt; nempe *innascibilitas & paternitas*, quæ Patrem a Filio & Spiritu sancto distinguunt; *filiatio*, quæ Filium distinguit a reliquis personis duabus; *spiratio activa*, quæ Patrem & Filium a Spiritu sancto distinguit; & *spiratio passiva*, seu *processio proprie dicta*, per quam Spiritus sanctus a Patre Filioque distinguitur.

Trinitatis mysterium probatur a sacris Litteris, Patribus & Conciliis. Hujus Operis ratio postulat, ut ipsi nos ad selectos aliquos Conciliorum canones qui magnum hoc mysterium statuunt & explicant, redigamus.

Ad roborandas autem fratrum & coepiscoporum nostrorum nuper promotorum mentes, proponenda sunt, quæ a Patribus certa depositione accepimus; ut Trinitatem quam in nostris sensibus (al. *finibus*) *consecratam retinemus, Patris & Filii & Spiritus sancti unitatem, quæ nullam noscitur habere differentiam, sicut didicimus, ita Dei populos instruamus. Ab universis Episcopis dictum est: plane sic accepimus, sic tenemus, fidem apostolicam* (al. *evangelicam*) *sequentes.* (Concilium Carthaginense, an. 390. can. 1.)

Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, æternus, & immensus, omnipotens, incommutabilis, incomprehensibilis, & ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; tres quidem personæ, sed una essentia, substantia, seu natura simplex omnino. Pater a nullo, Filius autem a solo Patre, ac Spiritus sanctus ab utroque pariter, absque initio semper & fine. Pater generans, Filius nascens, & Spiritus sanctus procedens; consubstantiales, & coæquales, coomnipotentes & coæterni; unum universorum principium; creator omnium invisibilium & visibilium, spiritualium & corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem.... Hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam individua, & secundum personales proprietates discreta, per Moysem & sanctos Prophetas, aliosque famulos suos, juxta ordinatissimam dispositionem temporum, doctrinam humano generi tribuit salutarem. (Generale Concil. Lateranense IV. an. 1215. can. 1.)

Damnamus ergo & reprobamus libellum, sive Tractatum quem *Abbas Joachim edidit contra* magistrum Petrum Lombardum, *de unitate, seu essentia Trinitatis, appellans ipsum hæreticum & insanum, pro eo quod in suis dixit Sententiis, quoniam quædam summa res est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & illa non est generans, neque genita, nec procedens; unde asserit, quod illa non tam* Trinitatem, *quam quaternitatem astruebat in Deo, videlicet tres personas, & illam communem essentiam quasi quartam; manifeste protestans, quod nulla res est quæ sit Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, nec est essentia, nec substantia, nec natura; quamvis concedat, quod Pater & Filius & Spiritus sanctus sunt una essentia, una substantia, unaque natura. Verum unitatem hujusmodi non veram & propriam, sed quasi collectivam & similitudinariam esse fatetur; quemadmodum dicuntur multi homines unus populus, & multi fideles una Ecclesia.... Nos autem, sacro & universali Concilio approbante, credimus & confitemur cum Petro, quod una quædam summa res est, incomprehensibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, tres simul personæ, ac singulatim quælibet earumdem. Et ideo in Deo Trinitas est solummodo, non quaternitas; quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina; quæ sola est universorum principium, præter quod aliud inveniri non potest; & illa res non est generans, neque genita, nec procedens; sed*

sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur, & Spiritus sanctus qui procedit; ut distinctiones sint in personis, & unitas in natura. Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, non tamen aliud, sed id quod est Pater, est Filius, & Spiritus sanctus, idem omnino; ut secundum orthodoxam & catholicam fidem consubstantiales esse credantur. Pater enim ab aeterno Filium generando, suam substantiam ei dedit, juxta quod ipse testatur: Pater quod dedit mihi, majus est omnibus. *At dici non potest, quod partem suae substantiae illi dederit, & partem retinuerit ipse sibi; cum substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino. Sed nec dici potest, quod Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando, quasi sic dederit eam Filio, quod non retinuerit ipsam sibi; alioquin desisset esse substantia. Patet ergo, quod sine ulla diminutione Filius nascendo substantiam Patris accepit; & ita Pater & Filius habent eamdem substantiam; & sic eadem res est Pater & Filius, nec non & Spiritus sanctus ab utroque procedens.* (Cap. 2.)

Principia, ut superbenedictae Trinitatis fidem simplici populo non anxia nimis & scrupulosa, sed plana & simplici oratione, juxta Scripturam sacram, & trium symbolorum, Apostolici, Nicaeni, & Athanasii traditionem exponant; & eos unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate credere & confiteri edoceant; unum eumdemque Deum in essentia, & in personis trinum, Patrem & Filium & Spiritum sanctum. (Concil. Moguntinum, an. 1549. cap. 1.)

Etsi Trinitatis mysterium nec comprehendi, nec demonstrari per rationem possit, non id tamen efficit, quin ea ipsa, fidei lumini suum addens, nobis ejus cognitionem facilem reddat. Ratio nos monet docetque Deum spiritum esse; intellectum & voluntatem habere; eumdem, quoniam intellectu praeditus est, cogitare, cognoscere, contemplari naturam suam, suasque perfectiones; in eo proinde cogitationem, cognitionem, internum verbum, imaginem, repraesentationem sui ipsius, suarumque perfectionum existere; jam vero fides nos certos facit, hanc cogitationem, seu hoc internum verbum, hanc imaginem naturae Dei ejusque perfectionum esse personam, ut eum, quae ejus Verbum est, ejus consubstantialis Filius.

Id etiam ratio ipsa nos monet, cum Dei voluntas nunquam otiosa fuerit, Patrem semper amasse Filium suum, nosque ipsos docet fides mutui eorum amoris terminum esse Spiritum sanctum, tertiam scilicet Trinitatis personam.

In ipsa quoque natura occurrit imperfecta aliqua Trinitatis imago. Intellectus, voluntas, memoria, eae tres animi nostri facultates, nihil tamen aliud sunt quam unus & idem animus, quemadmodum divinae personae tres non sunt nisi unus & idem Deus. Lumen & calor producuntur a sole, existuntque statim atque ipse sol, & cum eo unum & idem sunt, quemadmodum ex omni aeternitate genitus a Patre Filius, & a Patre Filioque procedens Spiritus sanctus, Deus unus idemque cum Patre sunt. Trianguli anguli tres, licet invicem distincti, non efformant tamen nisi unum idemque triangulum quod iis tribus angulis continetur.

TRISAGION, canticum ita dictum, quia vox *Sanctus* ter in eodem repetitur. Hujus cantici canendi usus an. 446. in Constantinopolitana Ecclesia coepit, & illinc ad caeteras Orientis & Occidentis Ecclesias migravit. Trullana synodus, an. 692. habita, per suum octuagesimum primum canonem sub anathematis poena prohibuit, ne trisagio adderentur verba haec: *Qui crucifixus es pro nobis*. Aequa est & rationi consona haec interdictio, si trisagion ad sanctam Trinitatem refertur, quoniam certum est Trinitatis personas tres pro nobis crucifixas non fuisse. At si trisagion ad unum & unicum Christum Dominum referatur, nihil impediet, quin ipse pro nobis crucifixus fuisse dicatur.

TUTELA, TUTOR. Tutelae nomine designatur onus, alicui aut *tutoris*, seu *tutricis* nomen, impositum quod in eo continetur, ut tutor seu tutrix minoribus eorumque bonis defendendis & servandis invigilent. Tutelas clericis canones interdicunt. *Quare* CLERICUS. Sinuntur iidem tamen puerorum orphanorum tutelam, qui parentibus destituti sunt, accipere.

TYPUS, Constantis Imperatoris edictum, occasione turbarum quas Monothelitae excitaverant, an. 648. vulgatum, eo consilio, ut Catholicis & haereticis silentium imponeretur.

Typum ita nuncupatum, quia fidei veluti quoddam formularium erat, seu potius forma, ad quam Princeps agendi rationem quoad Monothelismum exactam volebat, anathemate perculit universa Occidentalis Ecclesia, peculiariter vero Concilium quod an. 649. Romae, sub Martino Papa I. in Lateranensibus aedibus habitum fuit. (*Vide* Concilium hoc, p. 145. primi Tomi hujus Operis.)

TYRANNUS. Non aliunde melius Ecclesiae omniumque veri nominis Christifidelium mens, ad tyrannos quod attinet, perspici potest, quam ex generalis Constantiensis Concilii, in sessione 15. decreto quod his verbis conceptum est: *Praecipua sollicitudine volens haec sacrosancta Synodus ad extirpationem errorum & haeresum, in diversis mundi partibus invalescentium providere, sicut tenetur, & ad hoc collecta est; nuper accepit, quod nonnullae assertiones erroneae in fide & bonis moribus, ac multipliciter scandalosae, totiusque rei publicae statum & ordinem subvertere molientes, dogmatizatae sunt, inter quas haec assertio delata est:* Quilibet tyrannus potest & debet licite & meritorie occidi per quemcumque vassallum suum vel subditum, etiam per clanculares insidias, & subtiles blanditias, vel adulationes, non obstante quocumque praestito juramento, seu confoederatione factis cum eo; non expectata sententia, vel mandato judicis cujuscumque.

Adversus hunc errorem satagens haec sancta Synodus insurgere, & ipsum funditus tollere, praehabita deliberatione matura, declarat, decernit & definit hujusmodi doctrinam erroneam esse in fide & moribus, ipsamque tamquam haereticam, scandalosam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria vias dantem, reprobat & condemnat. Declarat insuper, decernit & diffinit, quod pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam asserentes, sunt haeretici, & tamquam tales juxta canonicas sanctiones puniendi.

Ex hoc celebri oecumenici Concilii decreto quod in omne tempus id firmum reddere debet, quod a nobis pro certo, ad hanc rem quod attinet, habendum est, perspicuum fit, Regem occidere, tyrannidis obducta causa, non heroicum animi roboris, religionis, pietatis actum esse, sed barbarum & caeci fanatismi facinus quod aeque fidei ac moribus adversatur, ordinem omnemque societatem avertit, respublicas & regna de medio funditus tollit, omnia denique proditionum, seditionum, perjuriorum, perfidiarum, scandalorum & innumerabilium malorum genera inducit.

VAC

VACATIO, VACANS. In re beneficiaria, *vacatio* nuncupatur titularis in beneficio deficientia. Itaque *vacans* beneficium est, cum illud non replet, non occupat titularis, hoc est, clericus beneficiarius qui ejus oneribus officiisque faciat satis. Occurrunt in Conciliis super beneficiorum vacatione canones numero plures. Mandant alii, ut vacantia beneficia repleantur, vetant alii, ne quis eorum bona tamquam propria sibi vindicet, volunt alii oeconomos nominari, qui eorum reditus administrent, defunctorumque titularium successoribus servent, aut ad Ecclesiae emolumentum applicent, &c. *Quare* BENEFICIUM, §. III. BONA ECCLESIAE, DEFENSORES ECCLESIAE, OECONOMUS TEMPORALIS, PATRONUS, PATRONATUS.

VAGABUNDI, VAGI, ERRONES. Designantur his vocabulis inconsulti ac male feriati homines qui huc illuc oberrant, quibusque nec certa via, nec certa habitatio, nec genuinae e scripto de vita & moribus fides suppetit. Sunt canonum plena Concilia, qui ad sanctorum mysteriorum celebrationem nec errabundos Sacerdotes, ac ne eos quidem admissos volunt, qui, quin vagi sint, ex extranea tamen dioecesi sunt, nec sui Episcopi litteras proferunt, quas Concilia *formatas*, seu *commendatitias* litteras vocant. *Quare* LITTERAE MISSAE.

VALDENSES, seu PAUPERES LUGDUNENSES, haeretici qui coepere sectam facere, an. 1180. ut nonnulli putant, vel antea an. scilicet 1136. ut aliis placet. Eorum signifer fuit locuples quidam Lugdunensis mercator, nomine *Petrus Valdo*, seu *de Vaudo*, & in Vaudo Delphinatus vico natus. Hunc hominem ferunt, unius ex ejus amicis subita morte, cui prope ad ipsius pedes interclusus spiritus fuit, ita perterrefactum fractumque animo fuisse, ut crederet nullum sibi fore sperandae salutis locum, nisi suis omnibus venditis bonis, quorum pretium in pauperes distribuit. Ejus paupertatem imitati discipuli, qui se *Lugdunenses Pauperes* nuncupatos voluerunt, Lugduno expulsi

pulsi

pulsi Occitaniam, Delphinatum, Angronienses valles, Sabaudiæ montes pervaserunt, ubi Calvinistis se miscuere, qui eos sibi majores, ac veluti parentum loco adoptarunt, tametsi horum placita super nonnullis alia forent, potissimum vero super reali Christi Domini in Eucharistiæ sacramento præsentia, quam Valdenses admittebant. Porro Petrus Valdo cum discipulorum nonnullis se in Belgium recepit, unde sectam in Picardia aliisque Galliæ provinciis disseminavit.

Valdenses ab initiis excitarunt Apostolicorum errores omnes, aliis additis qui sequuntur.

1. Omnes Christiani sunt Sacerdotes, & Eucharistiæ consecrandæ potestate gaudent; tenentur omnes Scripturam scire, divinum verbum nuntiare, & documenta tradere: omnes possunt a peccatis absolvere, modo in gratiæ statu sint.

2. Sanctorum cultus idololatria est; & baptismus externa tantum cæremonia est, itemque extrema unctio.

3. Angelica Mariæ Salutatio superstitiosa est, tumplorumque penes Christianos usus consecutio ejus est, qui apud Ethnicos obtinebat.

4. Auricularis confessio est mos criminose inventus a Sacerdotibus; sanctæque unctiones quæ in baptismi administratione infantibus adhibentur, abolendæ sunt.

5. Purgatorium nullum est; preces pro mortuis inutiles sunt; & indulgentiæ sunt vane artificia a Romanis Pontificibus ad extrahendam pecuniam inventa.

6. Nulla debetur obedientia seu Ecclesiæ quæ leges ferendi facultate non pollet, seu Papæ, seu Episcopis qui nec dignitate, nec potestate presbyteris præstant.

7. Jejunium & abstinentia nullius apud Deum meriti sunt; ut monachalis status non nisi diaboli inventum est.

8. Non alia precis quam Dominicæ orationis, vulgo *Pater*, admittenda formula est; nulli miraculo habenda fides; defunctorum corpora sacris in locis haud sepelienda; nullus adhibendus exorcismus, nulla benedictio, quacunque tandem id ratione fiat; non recitandæ Breviarii preces seu Horæ canonicæ; non canendum in Ecclesia; non laborandum manibus; manualem enim laborem christianæ perfectioni contrarium esse.

9. Ordines in Ecclesia tres tantum sunt, diaconatus, presbyteratus, & episcopatus.

10. Eucharistiæ consecratio non alia ratione peragi debet, quam per panis & vini, septies oratione dominica prius recitata, benedictionem.

11. Eucharistia plus affert emolumenti, cum consecratio facta est majoris hebdomadæ feria quinta; servandæque pro infirmis hostiæ quæ eo die consecratæ fuere.

12. Nullus ecclesiasticus quicquam proprii possidere potest; omnisque seu ecclesiastica, seu sæcularis potestas jurisdictionem suam per mortale peccatum amittit.

13. Nulla fides habenda est Apostolorum Symbolo, nulla item Romanæ Ecclesiæ quæ post Papæ Silvestri pontificatum vera Ecclesia esse desiit.

14. Nullus judex, nullus supremus princeps hominem morte damnare potest.

15. Omne jusjurandum Christianis vetitum est; omninoque non peccat, qui carnalem voluptatem sequitur, cum concupiscentia ad eam fert.

16. Studia & academiæ non nisi vanitatis scholæ sunt.

Valdenses cum Albigensibus aliisque hæreticis a Conciliis pluribus damnati fuere, & peculiariter ab iis quæ sequuntur.

Sicut ait beatus Leo, licet ecclesiastica disciplina, sacerdotali contenta judicio, cruentas non efficiat ultiones; catholicorum tamen Principum constitutionibus adjuvatur, ut sæpe quærant homines salutare remedium, dum corporale super se metuunt evenire supplicium. Eapropter, quia in Gasconia, Albegesio, & partibus Tolosanis, & aliis locis, ita hæreticorum quos alii Catharos, alii Patrinos (al. *Patarenos*), *alii Publicanos, alii aliis nominibus vocant, invaluit damnata perversitas, ut jam non in occulto, sicut aliqui, nequitiam suam exerceant, sed suum errorem publice manifestent, & ad suum consensum simplices attrahant & infirmos; eos & defensores eorum & receptores anathemati decernimus subjacere; & sub anathemate prohibemus, ne quis eos in domibus, vel in terra sua tenere, vel fovere, vel negotiationem cum eis exercere præsumat.* (Concilium generale Lateranense III. an. 1179. can. 27.)

Quia vero nonnulli, sub specie pietatis, virtutem ejus, juxta quod ait Apostolus, abnegantes, auctoritatem sibi vindicant prædicandi, cum idem Apostolus dicat: Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? omnes qui prohibiti, vel non missi, præter auctoritatem ab apostolica Sede, vel catholico Episcopo loci susceptam, publice, vel privatim prædicationis officium usurpare præsumpserint, excommunicationis vinculo innodentur; & nisi quantocius resipuerint, alia competenti pœna puniantur. (Concilium generale Lateranense IV. an. 1215. tit. 3. *de hæreticis.*) Hoc in canone notantur Valdenses cum aliis hæreticis omnibus qui sibi, ut ii, sine missione prædicandi jus arrogabant.

Tarraconense Concilium, an. 1242. contra Valdenses potissimum coactum fuit. In eo perspicitur in hæreticos eorumque fautores agendi, eosdem præterea, cum ad catholicam fidem redeunt, recipiendi, hæreseos denique suspicionem purgandi ratio, quæ his verbis concepta est: *Ego N. juro per Deum omnipotentem, & per hæc sancta Dei evangelia, quæ in manibus meis teneo, coram vobis domine N. Archiepiscope vel Episcope, & coram aliis vobis assistentibus, quod non sum, vel fui Insabbatatus, Valdensis, vel Pauper de Lugduno, nec hæreticus in aliqua secta hæresis per Ecclesiam damnata; nec credo, nec credidi eorum erroribus, nec credam aliquo tempore vitæ meæ; immo profiteor & protestor me credere, & semper in posterum crediturum fidem catholicam quam sancta Romana Ecclesia & apostolica publice tenet, docet & prædicat, & vos, domine Archiepiscope, vel, Episcope, & ceteri prælati Ecclesiæ universalis tenent, prædicant publice, atque docent.*

Plura fuere Valdensibus nomina. Nuncupati *Chaignardi*, seu *Chesnardi*, & *Josephitæ*, propterea quod homines duo, quorum unus *Chaignardus* seu Chesnardus, alter *Joseph*, e Delphinatu, se eorum sectæ antesignanos statuerant; etiam *Sabatati*, seu *Insabatati*, quia nudis pedibus cum sandaliis incedebant; nunc temporis appellantur *Barbetti*, seu *Barbetii*, a *Barbetto* nomine, qui ex eorum veteribus magistris unus. Subsistunt in Pedemontii vallibus, ubi libera iis est suæ religionis exercitatio. Videri possunt *Historia Valdensium*, auctore Joanne Paulo Perrinio, *Historia Albigensium & Valdensium*, auctore P. Benedicto, *Historia Variationum*, auctore D. Bossuetio; Prateolus, tit. *Valdenses*; Chorerius, *Historia Delphinatus*; Dupinius, Fleurius, de Thou, *Historia* Galliæ.

VARIATIO, VARIARE. In collationibus aliisque dispositionibus beneficiorum, nuncupatur *variatio*, facultas alium Episcopo, ejus loco quem rejecerit, præsentandi. *Quære* COLLATOR & PATRONUS.

VASA SACRA, supellex sanctis mysteriis celebrandis addicta. Occurrunt in Conciliis, quoad vasa sacra, statuta plura, cujusmodi, inter cætera, sunt quæ sequuntur.

Vas aureum, vel argenteum, vel velum sanctificatum nemo amplius in suum usum convertat; hoc est enim præter jus & contra leges. Si quis autem deprehensus fuerit, mulctetur segregatione. (Can. Apost. 72. 73.)

Animadversione dignum est vetare canonem hunc, ne privati homines vasa & alia quæ Dei cultui deservierunt, in proprium usum convertant, at non impedire, quominus eadem in pauperum levamen ac subsidium impendi possint, quemadmodum sancti Patres semper docuerunt & factitarunt, persuasum habentes convictique rem aliquam, potiore jure, Deo consecratam dici non posse, quam cum ad ejus membrorum solatium confertur.

Si quis Episcopus, excepto si evenerit adhuc necessitas pro redemptione captivorum, ministeria sancta frangere pro qualicunque conditione præsumpserit, ab officio cessabit Ecclesiæ. (Concilium Remense, an. 623. can. 22.)

Canon hic animadversionem confirmat, quam modo proposuimus, nec cum Apostolorum canone pugnat.

Omni cura omnique studio providendum est, ut hi qui locum videntur regiminis obtinere, contumeliam videantur inferre cælestibus sacramentis. Etenim, quod & auditu horribile, & visu execrabile judicatur, relatum est nobis, quod quidam Sacerdotum sacrilega temeritate præcipites, vasa Domini in proprios usus assumant, epulasque sibi in eis comesturus apponant. Quod malum & obstupescentes deflemus, & deflentes obstupescimus; ut illis humana temeritas sibi epulum præparet, ubi sanctum Spiritum cognoscitur advocasse; & ibi usum carnium crapulantes assumat, ubi divina visus est celebrare mysteria, & in quibus tanta vel sacramentum pro expiatione delictorum percepit, in his expleat voluntatem ludibrii sui. Et ideo hujus de cætero præsumptionis persona, qua, sciendo, divina vasa, vel ministeria aut in usus suos transtulerit, aut comedere in his, vel poculum sibi sumendum elegerit, gradus sui, vel officii periculum sustinebit; ita tamen, ut, si de sæcularibus fuerit, perpetua excommunicatione damnetur; si vero religiosus, ab officio deponatur. Sub hac quoque damnationis sententia & illi obnoxii tenebuntur, qui ecclesiastica ornamenta, vela, vel qualibet

ali a indumenta, atque etiam utensilia, sciendo, in usus suos transtulerint, vel aliis vendenda, vel donanda crediderint. (Concilium Bracarense, an. 675. can. 3.)

Testatur Van-Espenius, (Dissert. in Synod. Nicæn. II. Tom. III. *Jur. Eccles. univers.* pag. 423.) Nicæni secundi generalis Concilii tempore, quod an. 787. habitum fuit, sacra vasa per peculiarem orationem benedicendi consuetudinem in Ecclesia nondum inductam fuisse: *Hic obiter notandum, tempore hujus Synodi, nondum fuisse morem, ut vasa sacra, speciali oratione, per Episcopum, aut per Sacerdotes ex speciali ejusdem commissione benedicerentur, seu sanctificarentur.* Quære BENEDICTIO, CALIX, ORNAMENTA ECCLESIÆ.

VENATIO est bellum quod sylvestribus animalibus seu feris homines inferunt, seu prædæ venaticæ majoris minorisque insectatio. Hanc hominibus primam sibi parandi alimenti rationem natura inspiravit. Est ergo ipsa per se, naturali jure, nemini non permissa venatio, secundum Romanæ jurisprudentiæ effatum illud: *Quod ante nullius est, id, ratione naturali, occupanti conceditur* (Justinianus, *in Instiut.*). At jus hoc humanæ leges certis quibusdam terminis circumscripserunt. E Galliæ jurisprudentia, venatio non nisi ad Regem pertinet, ad eosque quibus hanc ipse concedit, scilicet, ad proceres seu viros Principes in eorumdem terris, dummodo hæ sint ad leucam a locis distitæ, quæ Regis voluptatibus addicta sunt; & ad eos omnes qui feudis gaudent, intra feudorum ipsorum ambitum; ut enim vulgo dicitur, *qui feudum habet, venationis jus habet.*

Quamvis autem licita venatio suapte natura sit, eadem tamen admodum periculosa est ob prava effecta quæ eam consequuntur, & ob adjuncta quæ eamdem comitantur fere semper in iis ipsis quibus venari licet. Id ei maxime peculiare est, ut mentem avocet, abdicatoque officiorum & gravis omnis occupationis gustu, eum animo unum inspiret quem levia & inania oblectamenta secum trahunt. Raro fit, ut ne venatores graviter peccent, seu dum vehementiore studio impetuque venantur; seu dum nimium temporis in venatione terunt; seu dum hac occasione dominicos festosque dies, ut par est, colere negligunt; seu dum venantur contra ac vetitum est, quo tempore præda venatica ventrem gerit, quod reipublicæ injurium est; seu dum vineas & agros devastant, aut id agunt quod privatis hominibus damnum parit, & restitutioni venatores obnoxios reddit; seu denique dum desunt officiis quibus singuli peculiariter vacare debent, vitiosasque & vituperandas alias circumstantias in hanc exercitationem inducunt.

Hæc dubio procul & ejusmodi alia rationum momenta S. Ambrosium impulerunt, ut pronuntiaret: *Nullum invenimus divinarum in serie Scripturarum de venatoribus justum* (S. Ambrosius serm 8. *super Psalm.*); cui S. Hieronymus ita concinit: *Piscatores invenimus sanctos in Scripturis sanctis, sed penitus non invenimus sanctum aliquem venatorem* (S. Hieronymus, *in Psal. 90. v. 3.*). Hæc etiam in causa fuerunt, ut nullo non tempore venationem Concilia tam graviter ecclesiasticis interdixerint.

Episcopis, presbyteris, diaconibus canes ad venandum, aut accipitres habere non liceat. Quod si quis talium personarum in hac voluntate detentus fuerit; si Episcopus est, tribus mensibus se a communione suspendat; presbyter, duobus mensibus se abstineat; diaconus, uno ab omni officio vel communione cessabit. (Concilium Agathense, an. 506. can. 55.)

Insertus fuit canon hic Gratiani Decreto, Dist. 34. can. c. & Gregorii IX. Decretalibus, in cap. 1. *de Clerico venatore*, Aurelianensis Concilii nomine; ut is proinde tamquam communis & generalis per universam Ecclesiam juris partem constituens spectandus sit.

Venationem universis clericis interdicimus; unde nec canes, nec aves ad aucupandum habere præsumant. (Innocentius III. in Lateranensi IV. generali Concilio, an. 1215. can. 15.)

Præcipimus, ut prælati solliciti sint & intenti in puniendo clericos venatores, & præcipue presbyteros & religiosos, quibus majus scandalum generatur. (Concilium Nannetense, an. 1264. cap. 3.)

Licet ex dictis Sanctorum & e scriptis Conciliorum, omnibus servis Dei venationes cum canibus & avibus sint interdictæ; nonnulli tamen religiosi . . . honestatis laxatis habenis, monachali modestia prorsus abjecta, monasterii claustrum abhorrentes, sine quo monachos vitam tenere describitur, sicut pisces vitam carent sine aqua, more laicorum ipsis intendunt in gravem religionis offensam, opprobrium & scandalum plurimorum. Volentes igitur prædictorum statui periculoso & detestabili salubriter occurrere, hoc sacro approbante Concilio, districtius inhibemus religiosis omnibus ... ne de cætero venari, seu ad venandum exire præsumant. Si quidem Abbates, priores, vel præpositi, seu alias administrationes habentes fuerint, per annum ipso facto sint suspensi ab omni administratione, donec ad mandatum ordinarii plene satisfecerint. Inferiores vero sint ineligibiles, & ultimi semper in choro habeantur, donec ad mandatum Abbatis, prioris, vel præpositi, sufficienter pœnitentiam egerint de commissis. (Concil. Ravennatense, an. 1317. rubr. 17.)

Vestitu decenti . . . assidue utantur (Canonici), *ab illicitisque venationibus, aucupiis, choreis, tabernis lusibusque abstineant.* (Concilium Tridentinum, Sess. 24. *de Reform.* cap. 12.)

Clerici a venatione abstinebunt. (I. Mediolanense Concilium, an. 1565. Part. II. cap. 25.)

Cætera omnia Concilia, itemque complurium diœceseon synodi easdem interdictiones continent; & magnopere curæ est, ut hac de re seminariistæ moneantur, Episcoporum jussu. Subsistunt ergo semper decreta hæc, & graviter obligant; ac sibi ultro tenebras offunderet & cæcutire vellet, quicumque eadem abrogata esse contenderet, propterea quod ecclesiastici comperiuntur de suis officiis parum solliciti, qui non sine sancti ministerii dedecore, & fidelium scandalo, ea transgredi non verentur.

At venandi interdictio, tam sæpe in Conciliis quoad ecclesiasticos repetita debetne de venatione ipsa intelligi, quæ tranquille & sine strepitu, sine clamore, sine canibus fit, an vero de ea tantum quæ cum tumore peragitur, seu clamosa solemnisque est? Ad quæstionem hanc doctus Papa Benedictus XIV. (*De Synodo diœcesana, lib. 7. cap. 61. pag. 526.*) respondet sententiam quæ venationem quæ abest a strepitu, ecclesiasticis licere vult, magis communem esse, & contrariam magis jure congruere, quoniam canones non eam modo venationem ecclesiasticis prohibent in qua canes, sed eam quoque in qua aves, ut falcones, accipitres usui sunt; & sane, nihil minus ædificationi est quam ecclesiasticum cerni qui per agros discurrens, humeroque impositam igniariam fistulam, aut supra pugnum avem deferens, vile aucupium insequitur; eum scilicet ipsum cui non alia vis, industria, sedulitas esse deberet, quam ut peccatores, evangelicas errantes oves consectaretur, & ad boni pastoris ovile reduceret.

Ex articulo XXI. sanctionis Januarii an. 1600. ecclesiastici, presbyteri, religiosi & clerici qui venationi operam dant, iisdem ac laici mulctis subduntur; & ex aresto Concilii, diei 3. Aprilis an. 1703. de his ecclesiasticis ipsis, cum de venationis negotio accusati fuerint, regius Judex una cum officiali cognoscere debet. (Monumenta Cleri, Tom. VII. p. 447.)

VENERIS DIES, seu hebdomadæ Feria sexta, pœnitentiæ, in reminiscentiam Passionis Domini Nostri, penes christianos addictus dies: quo quidem die jejunium olim in universo Oriente, una excepta Constantinopolitana Ecclesia, itemque in Occidentis parte, præcepto suberat. *Quære* JEJUNIUM.

VESPERÆ, e divini Officii horis una, ita dictæ, quia olim post solis occasum recitabantur: *Oportet igitur, ut, sicut in aliis Ecclesiis vespertino tempore, post lumen oblatum, prius dicitur vespertinum quam sonum in diebus festis, ita & a nobis custodiatur in Ecclesiis nostris.* (Concilium Emeritanum, an. 666. cap. 2.) Vide canonem hunc explicatum pag. 149. & 150. Tomi primi hujus Operis; & *Quære* OFFICIUM DIVINUM.

VESTIS TALARIS, longus & ad talos usque descendens habitus, qui ecclesiastici indumenti partem conficit. Distinguitur duplicis generis ecclesiastica vestis, una longior, quæ tunica pallioque ad talos descendentibus constat, altera brevior, quæ tunica pariter pallioque, sub genu desinentibus continetur. Omnes ad unum clerici qui beneficia possident, aut in sacris ordinibus constituti sunt, tenentur sub lethalis peccati pœna talarem vestem deferre, præter quam in itinere, cujus tempore, brevioribus vestibus uti possunt, aut nisi ob aliam legitimam causam dispensatione gaudeant. Hæc decisio quam Collettius post Pontasium, de Sainte Beuve, aliique plures tuentur, eo nixa fundamento comperitur, quod clerici qui, exceptis quos diximus, casibus, talarem vestem non deferunt, violant in re gravi Ecclesiæ legem quam octodecim summi Pontifices, tredecim generalia Concilia, centum quinquaginta provincialia, & plusquam tercentæ Synodi Galliæ, Italiæ, Angliæ, Poloniæ, &c. iisdem imponunt. *Quære* CLERICUS, HABITUS.

VIA.

VIATICUM. *Viatici* nomen e via, tramite, semita derivatur, & pecuniæ aliarumque rerum quibus ad iter agendum opus est, apparatum proprie significat; hinc veterum mos in eo positus, ut mortuis nummum in os immitterent, quod iis erat, ob transitum ab hac ad alteram vitam, annonæ & pretii loco, ejus nempe pretii quod ad cymbæ transitum Caronti solvebant; hinc & illud, ut hoc ipso tempore *viaticum* appelletur id quod cuipiam traditur, ut faciat itineris sumptibus satis. At figurata notione, & ex Ecclesiæ locutione, *viaticum* dicitur eucharistica communio quæ morientibus administratur, iis nimirum qui inibi sunt, ut ex hac vita ad alteram migrent, adeoque alterius mundi iter agant. Hæc communio *viaticum* nuncupatur, quia morientes corroborat, iis necessariam vim tribuens, ut ex hac peregrinatione ad cælestem patriam transeant.

Animadvertendum tamen, *viatici* nomen olim, at in præsentia, ad eucharisticam communionem morientibus traditam restrictam non fuisse; sed generatim significasse, quicquid morientibus, seu pœnitentibus, seu catechumenis applicabatur, ut cum Deo & cum Ecclesia reconciliarentur, cujusmodi erant baptismus, confirmatio, pœnitentia, absolutio, extrema unctio, atque adeo bona opera morientibus applicata.

De his qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur; ita ut, si quis egreditur a corpore, ultimo & maxime necessario viatico minime privetur. Canon hic Concilii I. generalis Nicæni, an. 325. celebrati decimus tertius est. *Vide* ejus explicationem pag. 58. Tomi primi hujus Operis.

Qui recedunt de corpore, pœnitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicari; quod morientis sufficit consolationi, secundum definitiones Patrum, qui hujusmodi communionem congruenter viaticum nominarunt. Quod si supervixerint, stent in ordine pœnitentium; & ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione percipiant. Canon hic est Arausicani I. Concilii, an. 441. habiti tertius. *Vide* hujus quoque explicationem ad pag. 96. Tomi primi hujus Operis.

Viaticum tamen omnibus in morte positis non negandum. (Concil. Agathense, an. 506. habitum, can. 15.) *Vide* canonem hunc, itemque id quod eum præcedit, ad pag. 111. Tomi primi hujus Operis explicatum.

Ab infirmis in mortis periculo positis, per presbyteros pura inquirenda est confessio, non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ .... a quo periculo si divinitus erepti convaluerint, pœnitentiæ modum a suo confessore impositum diligenter observent. Et ideo secundum canonicam auctoritatem, ne illis janua pietatis clausa videatur, orationibus & consolationibus ecclesiasticis sacra unctione Dei animati, secundum statuta sanctorum Patrum, communione viatici reficiantur. (Concilium Moguntinum, an. 847. can. 26.)

Ægroti, ii præsertim qui periculose laborant, hoc salutari viatico non careant; ideoque in eorum gratiam serventur aliquot hostiæ consecratæ; quæ tamen in Ecclesia loco honesto clausa atque recondita, decimo quinto quoque die innovandæ erunt. (Concil. Burdigalense, an. 1583. tit. 9. *de Eucharist.*)

Ut autem, quantum fieri potest, debitus honos tanto sacramento a cunctis fidelibus, dum ad ægrotos defertur, sacro illo viatico muniendos, exhibeatur; moneantur sæpe fideles, ut pro charitate, & pio in Deum affectu, sacramentum augustissimum comitentur, cernui adorent, auxilium & munimen infirmo implorent, ac demum in Ecclesiam usque religiose Christo famulaturi pergant. (Concil. Burdigalense, an. 1624. cap. 5. tit. 3. *de Eucharist.*)

Quære ABSOLUTIO, COMMUNIO, EUCHARISTIA, MISSA.

VICARII CHORI. Vocantur chori vicarii in aliquibus capitulis ecclesiastici in id præpositi, ut officium peragant canonicorum loco, quos legitimæ occupationes impediunt, ne in choro adsint: *Qui vicarii dicantur, in quibusdam collegiis se in libertatem quandam potius carnis quam spiritus vindicare contendunt, nolentes choro, decantandisque, simul cum canonicis, divinis laudibus ex sacris esse addicti; sed hi resipiscant, ac incipiant intelligere, cur vicarii dicantur, superpelliceis quoque utantur. Cujus enim vices gerunt, nisi canonicis adjutores accedant? Horum nimirum vice, qui vel adversa valetudine detenti, vel negotiis necessariis avocati interesse non possunt. Cur tandem superpelliceis utantur, qui chori sacris se mancipatos non agnoscunt? In ordinem ergo disciplina redigantur; suspensionisque pœna, etiam a fructibus ne dum quotidianis illis qui distribuuntur; sed a grossis etiam, pro culpa modo, animadvertendum in non parentes.* (Conc. Coloniense, an. 1536. Part. III. cap. 21.)

Ut in Ecclesiis sive cathedralibus sive collegiatis non constituantur vicarii, qui canonicas, quas vocant, horas in choro cantant, nisi aut Sacerdotes, aut in sacris ordinibus constituti, aut saltem lectores ordinati, atque hi, quantum fieri potest, sint cælibes, quorum mores utcumque probata fuerit; nec permittantur in choro psallere, nisi veste & habitu externis, ministros se esse Dei & Ecclesiæ demonstrent. (Concilium Cameracense, an. 1565. Part. I. tit. 1. cap. 15.)

VICARIUS. Hoc nomine generatim designatur, quicumque alterius locum tenet, ejusque vices agit, eum repræsentans, ejusdemque functiones edens, dum is abest, sed itaquidem, ut ab ipsius auctoritate pendeat. Distinguuntur ecclesiasticorum vicariorum genera tria, ut primus sit Episcopi magnus vicarius seu vicarius generalis, alter vicarius perpetuus, tertius vicarius simplex seu amovibilis dictus.

Vicarii Generales.

Magnus vicarius, seu vicarius generalis est officiarius ab Episcopo institutus, ut ejus voluntariam & gratiosam jurisdictionem exerceat, quæ scilicet Episcopi facultatum pleraque complectitur, efficitque, hac ipsa de causa, ut magno vicario *vicarii generalis nomen* tribuatur. In jure canonico, vicarius generalis Episcopi nuncupatur modo *vicarius*, modo *missus* seu *missus dominicus*, & modo *officialis*. In Romanæ cancellariæ stilo, Episcoporum magni vicarii qui, ejus ratione habita, trans Alpes sunt, adhuc *officialium* titulo insigniuntur, & citra Montes, *vicarii generales* appellantur. Quamvis porro Gallicæ sanctiones utantur etiam interdum vicarii & vicariatus nomine, cum de officialibus agunt; magni tamen vicarii seu vicarii generalis nomen hodie in Gallia redactum ad eos est, quibuscum suam Episcopus voluntariam & gratiosam jurisdictionem communicat.

Magni vicarii dignitatem induxit necessitas, propterea quod Episcopi, plerique sane, vel ob infirmitates, vel ob diœceseon amplitudinem & negotiorum multitudinem, non possunt omnia facere ipsi per se; ex quo sequitur, Fevretii judicio, Episcopos in quadruplici facti specie adigi posse, ut sibi generales vicarios statuant; 1. cum, haud mediocri temporis spatio, extra diœcesim sunt; 2. cum in aliis diœceseos regionibus alia lingua usui est; 3. cum ita comparati sunt, sive ut munia, seu morbi, seu alterius impedimenti causa, obire nequeant; 4. cum diœcesis e plurium parlamentorum ditione est. Postrema hæc facti species nec jure canonico, nec sanctionibus nititur, inquit Redactor Monumentorum Cleri, Tom. II. p. 491. immo vero cum edicti an. 1695. articulo 31. pugnat. Ad primam facti speciem quod spectat, ea quidem Honorii Papæ III. decreto, in Decretalibus allato firmatur; species vero altera est ipsa dispositio noni canonis Concilii IV. generalis Lateranensis, an. 1215. cujus hæc verba sunt: *Quoniam in plerisque partibus intra eamdem civitatem atque diœcesim permixti sunt populi diversarum linguarum, habentes sub una fide varios ritus & mores; districte præcipimus, ut Pontifices hujusmodi civitatum sive diœceseon provideant viros idoneos, qui secundum diversitatem rituum & linguarum, divina officia illis celebrent, & ecclesiastica ministrent, instruendo eos verbo pariter & exemplo. Prohibemus autem omnino, ne una eademque civitas, sive diœcesis diversos Pontifices habeat, tanquam unum corpus diversa capita, quasi monstrum. Sed si propter prædictas causas urgens necessitas postulaverit, Pontifex loci catholicum præsulem nationibus illis conformem provida deliberatione constituat sibi vicarium in prædictis, qui ei per omnia sit obediens & subjectus.*

Magnus vicarius esse debet Sacerdos, doctor, aut licentiatus in jure vel theologia, aut saltem baccalaureus in alterutra Facultate, natus in regno, vel in civitatem adoptatus. Est hæc Blesensis mandati dispositio, art. 4. & 45. Religiosi, mendicantes quoque, possunt esse magni vicarii, siquidem Sacerdotes sint; ac licet graduati non essent, aut gradibus abrenuntiassent, ut in reformatis congregationibus ex usu est. Per Blesensis edicti art. 112. regis officiarii, seu ad superiores curias, seu ad subalternas spectent, magni vicarii creari non debent; at hic articulus in Provincia non servatur, ubi sæpe e consiliariis clericis magni vicarii & officiales sumpti. Ex articulo 10. edicti an. 1613. & 21. edicti mensis Decembris an. 1691. magnus vicarius institui debet per authenticas litteras ab Episcopi secretario scriptas, ejusque & subscriptione firmatas, & sigillo notatas, duorum testium qui Episcopi aut magni vicarii nec consanguinei, nec domestici sint, fide munitas, insinuatasque seu registratas

in ecclesiastico tabulario, atque in regio, si beneficia conferendi facultas datur. Si Episcopus a Rege nominatus magnum vicarium ante acceptas Bullas institueret, hæc institutio nulla esset. Perinde se res haberet, si magni vicarii litteras laico traderet, aut clerico qui non esset in sacris ordinibus constitutus: *Perpetuo ordinamus edicto, vicarios generales, aut principales officiales diœcesanorum seu ordinariorum Ecclesiasticorum esse debere in sacris ordinibus constitutos, decernentes, omnes actus vicarii, aut principalis officialis non constituti in sacris ordinibus, si quos contigerit de cætero actitari, nullius esse roboris vel valoris.* (Concil. Dertusanum, an. 1429. can. 20.)

Jura quibus generales vicarii gaudent, honorifica quidem sunt, ut inter cæteras ecclesiasticas dignitates in publicis cœtibus primi sedeant, ea tamen lege, ut tamquam magni vicarii, & tamquam Episcopi personam repræsentantes adsint; utilia vero, ut, cum canonici sunt, manuales distributiones, dum ii sui muneris functionibus occupati sunt, percipiant, nisi forte harum distributionum plenæ integræque fruitioni adversentur peculiarium Ecclesiarum statuta. Non eo tamen jure pollent, ut provincialibus cœtibus intersint, suumque ibi suffragium, suorum Episcoporum absentium nomine, conferant; at eo pollent, in pluribus saltem diœcesibus, ut decimarum collegiis adsistant, ita nihilominus, ut, si plures sunt, una tantum voce conjunctim gaudeant, utpote qui unam eamdemque Episcopi personam exhibent. (Monumenta Cleri, Tom VIII. p. 1928.)

Etsi magno vicario ordinaria jurisdictio dignitati addicta suppetat, eique idem cum Episcopo tribunal sit, quod efficit, ut ne ab eo ad Episcopum appellari possit; non ipse tamen potest obire omnia quæ ad episcopalem ordinem spectant, aut sine expressa & peculiari commissione beneficia conferre, aut alium vicarium generalem sufficere, quicum eamdem quam ei suæ litteræ tribuunt, quam late patet, facultatem communicet; potest solummodo sui ministerii functiones quasdam ecclesiasticis demandare.

Magni Vicarii extra diœcesim, & ubicumque voluerint, suam jurisdictionem exercere possunt; non id tamen, antequam Episcopus qui eos nominavit, suæ diœceseos possessionem inierit, nisi diœceseos usus huic dispositioni repugnet. Ad Episcopi nutum destitui possunt, dummodo vicariatus eorum officio addictus non sit, cujusmodi reapse vicariatus prioris S. Germani de Pratis, qui Parisiensis Archiepiscopi est magnus vicarius natus, quoad S. Germani suburbium, itemque prioris S. Dionysii, quoad S. Dionysii urbem est. Eorum jurisdictio per præsulis a quo instituti sunt, mortem, dimissionem & translationem desinit; ita tamen, ut, si in remotis regionibus præsul a vivis ereptus fuerit, quicquid ante hujus mortis allatum nuntium iidem egerint, validum sit. Magni quoque vicarii jurisdictioni excommunicatio denuntiata quam Episcopus subierit, finem imponit. (*Cap. 1. de Offic. Vicar. in Sexto.*) Vide Van-Espenium, *Jur. Eccl. univ.* Tom. I. p. 61. 81. 661. 949. La Combe, *Collect. Jurisprud. canon.* verbo *Vicarii* generales; & Monumenta Cleri, Tom. II. p. 487. & seq. Tom. VII. p. 247. Tom. VIII, p. 1928.

Vicarii perpetui.

Vicarii perpetui sunt Sacerdotes qui parœciis a capitulo, abbatia vel prioratu pendentibus deserviunt, primitivorum Parochorum loco, qui grossi decimatores sunt, quique his vicariis congruas tantum portiones relinquunt. Hæc eorum origo fuit. Nimium communis abusus octavo sæculo & sequentibus obtinebat, ut laici parœciis potirentur, earumque temporales reditus perciperent sub *Ecclesiæ* nomine, spiritualia vero earumdem munia quæ appellabant *altare*; presbyteris quibusdam relinquerent, quos ipsi nominabant, quibusque mercedem solvebant. Cum porro hæ parœciæ e laicorum manu ad monasteria & capitula devenissent; hæc, laicorum exemplo, *Ecclesiam* & ipsa ab altari distinxerunt, nominabantque, ut laici ipsi, presbyteros seu vicarios amovibiles ad parœciarum servitium, quæ ad ea pertinebant, ea lege, ut ad quamque vicarii mutationem, pecuniarium censum in homagii modum Episcopo solverent, quo significarent se e præsulis consensu, veluti per investituram quamdam *altare* tenere. Quo primum tempore vicarii perpetui instituti sunt, jus aliud Episcopi sibi solutum voluere, quod priori juri, *Altarium Redemptionis* nomine, suffectum fuit. Cum vero hi vicarii amovibiles & mercede conducti multo studiosius animum applicarent, ut Parochis primitivis placerent, a quibus pendebant, quam ut digne sui ministerii functiones obirent; ejus consuetudinis abusus se prodidit, dataque est opera, decimo secundo sæculo, ut ei remedium afferretur, prohibitis iis vicariis amovibilibus, editoque mandato, ut vicarii qui perpetui essent, instituerentur; quo quidem Conciliorum quæ decimo tertio & subsecutis sæculis habita fuere, canones plures spectarunt; quibus tamen ipsis haud satis roboris fuit, ut eum abusum radicitus omninoque extirparent.

Quia enormis quædam consuetudo in quibusdam Alemaniæ partibus contra canonicas sanctiones invaluit, ut ponantur in Ecclesiis conducticii sacerdotes vicarii temporales; ne id fiat de cætero, auctoritate legationis qua fungimur, omnibus modis inhibemus. Sed cum vicarius poni debet & potest, perpetuo instituatur, idque assensu & auctoritate diœcesani, & archidiaconi loci illius; nec Episcopus, vel archidiaconus talem instituat, nisi ei de bonis Ecclesiæ eorum eo tantum fuerit assignatum, unde jura Episcopi & archidiaconi possit persolvere, & congruam & sufficientem sustentationem habere. Canon hic est duodecimus Moguntini Concilii, an. 1225. celebrati, Corrado, Cardinali Episcopo Portuensi, Honorii Papæ III. legato, præside.

Omnibus religiosis, capitulis & aliis personis, qui tenent Ecclesias parochiales, ad eorum donationem spectantes, auctoritate qua fungimur, districte præcipimus, quatenus usque ad festum omnium Sanctorum proxime venturum, suis diœcesanis Episcopis rectores, seu perpetuos vicarios, & idoneos vita & scientia, ad easdem Ecclesias repræsentent, ut ab eis curam recipiant animarum. (Concilium Bitterrense, an. 1233. can. 18.)

Volumus igitur, & districte præcipimus, ut quælibet parochialis Ecclesia proprium habeat & perpetuum sacerdotem qui personaliter deserviat in ea. (Can. 12.)

Tridentina synodus Episcoporum prudentiæ reliquit ut in Ecclesiis quæ capitulis aut monasteriis unitæ sunt, vicarios perpetuos vel amovibiles nominarent, eorumque curæ ac sollicitudinis esse voluit, ut iisdem vicariis congruam portionem statuerent: *Beneficia ecclesiastica curata quæ cathedralibus, collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel monasteriis, beneficiis, seu collegiis, aut piis locis quibuscumque perpetuo unita & annexa reperiuntur, ab ordinariis locorum annis singulis visitentur; qui sollicite providere procurent, ut per idoneos vicarios etiam perpetuos (nisi ipsis ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur), ab eis cum tertiæ partis fructuum, aut majori vel minori, arbitrio ipsorum ordinariorum, portione, etiam super certa re assignanda, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur.* (Sess. VII. cap. 7. *de Reform.*) *Quære* PORTIO CONGRUA.

Gallorum Regum sanctiones ad vicarios perpetuos instituendos expressæ sunt; videlicet mandatum mensis Januarii an. 1629. declaratio mensis Januarii an. 1686. alia Julii an. 1690. & articulus 24. edicti Aprilis an. 1695. Verum ex declaratione an. 1686. quamvis Episcopi in una eademque parœcia unum aut plures vicarios instituere possint, id tamen non possunt *motu proprio*, quin parochum & grossos decimatores vocent, audiantque, & quin, incolis ita requirentibus, id facere videantur.

Vicarii perpetui sunt veri titulares, nec a parochis primitivis in suis pastoralibus functionibus pendent. In omnibus actis & in omnibus occasionibus se suarum Ecclesiarum parochos, ex articulo 2. declarationis diei 5. Octobris an. 1726 dicere possunt. Ad eos etiam spectat, præ parocho primitivo, presbyterorum & secundariorum nominatio. Ita judicatum per Aquisextiensis parlamenti aresta duo, unum diei 13. Decembris an. 1674. alterum diei 13. Aprilis, an. 1679.

Vicarii simplices, seu, *amovibiles*.

Vicarii simplices seu amovibiles sunt presbyteri quos ad subsidium in sui ministerii functionibus sibi parochi associant. Tridentina synodus parochos ab Episcopis adactos vult, ut tot vicarios sumant, quot iis ad suas curiales functiones replendas necessarii sunt: *Episcopi, etiam tamquam Apostolicæ sedis delegati, in omnibus Ecclesiis parochialibus vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis & cultui divino peragendo, cogant rectores, vel alios ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum.* (Sess. XXI. cap. 4. *de Reform.*). Si parochi vicariorum numerum qui satis sit, ipsi sibi addere renuant, Episcopis id juris est, ut, quot necessarii sunt, ad eos mittant. Præter quam in hoc recusationis aut negligentiæ casu, parochorum est vicarios sibi seligere; at hi

ut hi vicarii indigent Episcopi approbatione, ut prædicent, vel ut confessiones audiant, & Episcopi eo jure gaudent, ut eos interdicant, cum ita expedire judicaverint.

VIDUA, mulier cujus vir e vivis excessit. Erant olim viduæ quædam, status vi : quæ scilicet viduitatis in reliquum vitæ tempus servandæ solemnem fidem obstringebant, quæque obibant certa quædam sub Episcoporum mandatis munia, tum quoad ægrotantium feminarum visitationem, tum in tradendis fidei rudimentis & baptismi administratione, quoad aliae ex earum sexu. De viduis in Conciliis sæpenumero sermo est.

Viduæ, vel sanctimoniales quæ ad ministerium baptizandarum mulierum eliguntur, tam instructæ sint ad officium, ut possint apto & sano sermone docere imperitas & rusticas mulieres, tempore quo baptizandæ sunt, qualiter baptizatori interrogatæ respondeant; & qualiter, accepto baptismate, vivant. (Concilium Carthaginense, an. 398. can. 12.)

Viduæ adolescentes quæ corpore debiles sunt, sumptu Ecclesiæ cujus viduæ sunt, sustententur. (Can. 101.)

Viduitatis servandæ professionem coram Episcopo in secretario habitam, imposita ab Episcopo veste viduali indicandam (al. vindicandam); raptorem vero talium, vel ipsam talis professionis desertricem merito esse damnandam. (Concilium Arausicanum, an. 441. can. 27.)

Inveniuntur nonnullæ viduæ diversis excusationibus se adeo emergentes, ut blandiantur sibi, non se penitus plenæ religionis alligatas institutione teneri. Unde antiquis inconcusse permanentibus regulis, hoc adjicitur nova oraculo sanctionis; ut vidua quæ sanctæ religionis obtinere propositum voluerit, sacerdoti, vel ministro ad quem aut ipsa venerit, aut quem ad se venire contigerit, scriptis professionem suam faciat, a se aut signo, aut subscriptione notatam, continentem, se & religionis propositum velle, & hoc perenniter inviolate servare. At tunc accepta a sacerdote, vel ministro apta religionis usui veste, seu lectulo quiescat, seu quocunque loco consistens, incunctanter utatur; nec diversi coloris, aut diversæ partis eadem sit notabilis vestis, nisi religiosa, & non suspecta, quæ careat & varietatibus colorum, & diversitatibus partium (al. specierum) adeo ut absque ulla suspicione transgressionis maneat usui tantum apta sanctæ religionis, & usui sexus competens, ad testimonium probitatis. Ut autem deinceps nihil devocetur in dubium, pallio purpurei, vel nigri coloris caput contegat ab initio susceptæ religionis; ut, dum illic inoleverit signum probabilis sanctitatis, ubi nullius falli poterit visio intuentis, nunquam attentet ausus detestandæ præsumptionis. (Concilium Toletanum, an. 656. cap. 4.)

Item placuit de feminis cujuscumque conditionis, puellis scilicet, vel viduis, quæ virginitatis, sive continentiæ propositum spontanea pollicentes, Deo emancipatæ fuerint; & ob continentiæ signum, nigram vestem, quasi religiosam, sicut antiquus mos fuit in his regionibus, induta fuerint, licet non sint a sacerdote sacratæ, in hoc tamen proposito eas perpetim perseverare mandamus. Si vero postea se se sive clanculo corruperint, sive publice nupserint, dignis quidem mundano judicio corporalibus coercitæ vindictis, segregentur ab invicem, & agant cunctis diebus vitæ suæ pœnitentiam, & a communione Corporis & Sanguinis Christi priventur; nisi forte Pontifex, visitata illarum pœnitentia, si digna fuerit, humanitate indulta non defraudentur. Et in his rebus præcipue illa modis omnibus custodiatur interdictio, ut nulli liceat prædictis personis habitum, id est, vestem mutare absque sui Episcopi conscientia. (Concilium Forojuliense, an. 791. cap. 11.)

Ut juvenes viduæ cito nequaquam velentur, usquedum probetur illarum religio, & bona ab eis nota sit conversatio; ut forte de eisdem dici possit ab Apostolo: Quæ autem in deliciis sunt, viventes mortuæ sunt. (Concilium Turonense, an. 813. can. 27.)

Comperimus, quod quidam presbyterorum incaute & extraordinarie velum viduarum, inconsultis Episcopis suis, consecrarent; & ob id eidem religioni macula ingerebatur, quia eisdem velatis per diversa vagandi occasio præbebatur. Ut autem nullus Pontificum viduas velare attentet, canonica auctoritas inhibet. Quod vero presbyteri, inconsultis Episcopis suis, velum viduarum consecrare non præsumant, prorsus interdicimus. (Concilium Parisiense, an. 829. lib. 1. cap. 40.)

Invenimus, quod quædam feminæ, maxime hæ quæ valde sensu tenues sunt, sine consensu sacerdotum idcirco sibimet ipsis velum imponant, ut, sub prætextu hujus velaminis, Ecclesiarum excubatrices & administratrices fieri possint. Hæc igitur incauta velatio, unusquisque Episcopus providerat, ne in parochia sua fiat. Et quia in plerisque locis hujuscemodi velatas laqueum sacerdotibus extitisse cognovimus, prohibemus, ne quisquam presbyterorum hujusmodi personas in basilicis sibi commissis pro hujuscemodi obsequio admittere præsumat. Tales vero velatio ne ulterius indiscrete fiat, inhibeatur; & hujusmodi mulierculæ examinentur, & instruantur, qualiter, si propter Deum se sacrari volunt, velandæ sint; qualiterque eamdem velationem sub castitatis, & humilitatis proposito conservent, diligenter admoneantur. (Cap. 42.)

Statutum est, viduas non debere velari. (Concilium Rothomagense, an. 878. can. 9.)

De viduis præcipimus, ut nequaquam cito velentur; sed in potestate earum maneat, consentiente Episcopo, utrum nubant, an professionem castitatis assumant, usquedum probetur earum conversatio.... Si autem propositum castitatis assumpserint; aut monasterii claustris regulariter constringantur, aut domi manentes castitatem suæ professionis integerrime custodiant. Quod si a proposito deviaverint, canonicæ institutionis censura corrigantur. (Concilium Moguntinum, an. 888. cap. 26.)

Viduæ ad minus bis senos menses, sub præsidio Dei atque regis, puta se contineant viduitate; deinceps virum eligant, ut voluerint. (Concil. Ænhamense, an. 1009. can. 19.) *Quære* VOTUM.

VIGILIÆ in Cœmeteriis & Ecclesiis. Erat olim inter fideles admodum communis mos, ut omnes in cœmeteriis & Ecclesiis vigilarent; et cum absoni non parum in ejusmodi vigilias irrepsisset, id impulit Concilia, ut eas prohiberent.

Cum ex vigiliis quæ fiunt in Ecclesiis, frequenter multa turpia insequantur, & frequentissime vulnera inferantur, propter quæ eadem Ecclesia reconciliatione quæ per solos Episcopos habet fieri, indigere noscantur; statuimus & præcipimus firmiter, ne de cætero in Ecclesiis prædictis, vel cœmeteriis vigiliæ fiant. Cæterum luminaria & alia quæ ex pia devotione fidelium provenire consueverunt, fieri præcipimus & mandamus. (Concilium Cognacense, an. 1260. can. 1.)

Firmiter inhibemus, ne vigiliæ & choreæ in cœmeteriis & sacris locis fiant; præcipientes, quod transgressores canonice puniantur. (Concil. Pontis-Audomeri, an. 1279. can. 10.)

VILLICATIO, & VILLICUS. Concilia plura clericos vetant villicos agere. *Vide* CLERICUS.

VIRGO, VIRGINITAS. Virginitatis status haud in honore erat in veteri Testamento, cujus tempore ad ortus Messiæ tribuendi gloriam quisque aspirabat. Verum hac in re Judæi fallebantur, quandoquidem, ut S. Augustinus animadvertit, Jesus Christus non nisi ex Virgine nasci poterat: *Illum enim solum virginitas decenter parere posset, qui in sua nativitate parem habere non posset.* Porro, si Christus Dominus solum ex virgine nasci potuit, Ecclesia, casta ejus sponsa solum e virginitate potuit incipere. Virginum ergo status non minus quam Christiana Ecclesia, vetus est; atque hinc quidem ex splendidæ ac magnificæ laudes quibus omnis ætatis Patres suis in scriptis eum extulerunt, cum virgines nobiliorem illustrioremque fidelis gregis portionem, pulcriores Ecclesiæ horti flores, Cœli ornamenta, perfectæ & præcipua puritatis & incorruptionis opere, perfectiores Dei ter sancti sanctitatis imagines appellarunt: *Virgines quæ se Deo dicaverint, si pactum perdiderint virginitatis, atque eidem libidini servierint, non intelligentes quod amiserint; placuit nec in fine eis dandam esse communionem. Quod si semetipsas persuaserit, quod infirmitate corporis lapsæ fuerint, & toto tempore vitæ suæ hujusmodi feminæ egerint pœnitentiam, & abstinuerint se a coitu, eo quod lapsæ potius videantur, placuit eas in fine communionem accipere debere.* (Concilium Eliberitanum, an. 303. can. 13.)

Probat canon hic personarum statum, quæ per virginitatis votum se Deo consecrant, antiquissimum in Ecclesia esse, hujusque voti violationem semper tamquam grave crimen spectatam fuisse.

Sicut bonum est castitatis præmium, ita & majori observantia & præceptione custodiendum est, ut, si quæ viduæ, quantumvis adhuc in minoribus annis positæ, & immatura ætate a viro relictæ, se devoverint Domino, & veste laicali abjecta, sub testimonio Episcopi & Ecclesiæ religioso habitu apparuerint, postea vero ad nuptias sæculares transierint, secundum Apostolum, damnationem habebunt, quoniam fidem castitatis, quam Domino voverunt, irritam facere ausæ sunt. *Tales ergo personæ sine Christianorum communione maneant, quæ etiam nec in convivio cum Christianis communicent.* (Concil. Carthaginense, an. 398. can. 104.)

Virginibus quoque sacrum velamen accipiendum decreta Patrum interdicunt ante viginti quinque annos, nisi forte aliqua cogente necessitate, pro qua licitum est hoc statutum mutare; ut in canonibus, si requiratur, inveniri poterit. (Concilium Turonense, an. 813. canon. 28.)

Tri-

Tiburtiensis Concilii, an. 895. habiti vicesimus quartus canon quem attulimus verbo *Religiosa*, obligationem ante duodecimum ætatis annum a virginibus susceptam approbat.

Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cœlibatus, & non esse melius ac beatius manere in virginitate, aut cœlibatu, quam jungi matrimonio; anathema sit. (Concilium Tridentinum, sess. XXIV. can. 10.)

Perspicitur hinc, quid sentiendum de hæreticorum jactatorumque philosophorum in virginitatem declamationibus, quam exhibent tamquam statum injustum, & societatis quam, prout potest, detrudit, incolis destituens, felicitati contrarium. Cum Ecclesia, semper fallere & falli nesciat, per suam doctrinam suumque constantem usum declaraverit, virginitatem, quam matrimonium, meliorem & perfectiorem esse; fieri omnino non potest, ut eadem suapte natura vitiosa sit & injusta, ac societatis felicitati contraria. Depopulatio quam in eam rejici lubet, chimæra est, quæ non nisi in cerebrosorum hominum, iniquarumque rerum æstimatorum imaginatione subsistit, aut, si ipsa fundamento nititur, longe aliis causis adscribi debet. Detur opera, ut in terrarum orbe religio floreat, industria rerum copia, quibus opus ad victum est; nec erit amplius, quod quispiam de ejus solitudine conqueratur. Editæ multitudinis per paucorum felicium, seu prosperæ fortuna utentium luxum immodicamque opulentiam miseria, philosophicus, ut vocant, spiritus, irreligio, licentia, hodiernæ depopulationis quam tantopere exaggerari placet, hæ sane genuinæ causæ sunt. Percurrantur fasti, seu sacri seu profani; compertumque protecto fiet, nunquam magis imperia incolis abfluxisse & floruisse, quam cum religionis & cœlibaturiorum plus in iisdem fuit. At si docet Ecclesia, virginitatem, quæ ejus excellentia est, matrimonio præferendam esse, id quoque docet, virginum statum, cum adeo sanctum, adeo excellentem, adeo perfectum in se ipso statum, haud multitudinis statum esse; ut ad hunc quispiam contendat, a Deo vocatum esse oportere, & hanc divinam vocationem non eam esse, quæ majoris numeri est: eos ipsos qui ad eum se vocatos putant, non ei se leviter devovere debere; necesse habere se expendere, se consulere, diu semetipsos probare. Ad extremum, omnium sæculorum experientia prædicat testaturque, Ecclesiæ super virginitatis excellentia doctrinam & fidem nunquam seu matrimonio, seu populationi; humanique generis propagationi, quæ eorum consecutio est, impedimento fore. *Quære* CŒLIBATUS, RELIGIOSUS & RELIGIOSA, VOTUM.

VISA. In ecclesiastica & beneficiaria re, nuncupantur *visa*, litteræ applicationis quas Episcopus ejusve magnus seu generalis vicarius beneficiario tribuunt, cui de beneficio in Romana curia provisum est, & per quas Episcopi, ejusve, quem diximus, vicarius declarant, se, postquam Romanæ curiæ provisiones viderunt, provisumque super scientia sapientiaque moribus examinarunt, judicasse eum beneficii quod obtinuit, capacem esse. Id nominis *visa*, his applicationis litteris inditum ex eo derivatur, quod easdem incipiunt per hæc verba: *Visa per nos signatura*, &c.

Quamvis autem e communi jure beneficia solum, apud Romanam curiam *in forma dignum* impetrata, Episcopi litteris *visa* dictis obnoxia sint; Galliæ tamen Regis declaratio diei 9. Julii an. 1646. & articulus 3. edicti an. 1695. omnes in Romana curia, etiam in *forma gratiosa*, provisos iisdem subdit, quoad beneficia quæ animarum curam adjunctam habent. Animarum autem oneri subesse dicitur omne beneficium quod alicujus jurisdictionis, seu functionis spiritalis & ecclesiasticæ obeundæ jus tribuit, cujusmodi sunt omnis capitulorum prima dignitas, decanatus, præpositura, thesaurarii præfectura, archidiaconatus & archipresbyteratus qui jurisdictione fruuntur, quæ ad eos communi jure pertinet, pœnitentiariæ, theologales, chori cantorum præfectura.

Ad Episcopos communi jure spectat, *visa* seu ecclesiasticam institutionem concedere; quod si renuant, ei legi subsunt, per sancta decreta, perque Gallorum Regum sanctiones, ut recusationis causas afferant.

De clericis vero laicorum, unde nonnulli eorum conqueri videntur, eo quod quidam Episcopi, ad eorum preces, nolint eos in Ecclesiis suis eos, cum utiles sint, ordinare, visum nobis fuit, ut in utrisque partibus pax & concordia servetur, & cum charitate & ratione utiles & idonei eligantur. Et si laicus idoneum utilemque clericum obtulerit, nulla qualibet occasione ab Episcopo sine certa ratione repellatur; & si rejiciendus est, diligens examinatio, & evidens ratio, ne scandalum generetur, manifestum faciat. (Concilium Parisiense, an. 829. can. 22.)

Si præsentato & petenti collationem sibi dari de quocunque beneficio, renuerit Episcopus dare, tenetur causas recusationis suæ in scriptis exprimere; nec liceat superiori collationem deservire, nisi prius discussis causis & judicatis, propter quas Episcopus recusaverit collationem dare; alioquin superioris collatio nulla erit. (Concil. Rothomagense, an. 1581. tit. *de Episcopor. Officio*, n. 27.)

Articuli 12. & 13. Blesensis constitutionis, itemque 14. & 15. edicti Melodunensis, articulus 5. declarationis an. 1637. articulus 6. declarationis an. 1666. & articuli 2. 3. 4. & 5. edicti mensis Aprilis an. 1695. easdem dispositiones continent. Postremi hujus edicti articulus secundus jubet examinis quod initum fuerit, in litteris *visa* mentionem fieri, & quintus enuntiat Episcopos seu magnos Vicarios debere suæ recusationis causas in acta exprimere, quæ voluerint iis tradita, quibus easdem litteras denegaverint. Curtum & pluries per arresta judicatum effatum est, causas recusationis litterarum *visa* ad id redigi, quod provisi mores & doctrinam afficit, easque ad id trahere velle, quod jus ad beneficium, validitatem aut invaliditatem tituli spectat, esse sæcularem jurisdictionem invadere, quæ competens una est, ut de querelis cognoscat. (Monumenta Cleri, Tom. X. p. 350.)

Ex articulo 6. edicti mensis Aprilis an. 1695. duæ patent proviso viæ, ut sibi contra litterarum *visa* recusationem prospiciat; prima est ad ecclesiasticum superiorem simplex appellatio; altera est appellatio tamquam ab abusu ad parlamenta quæ appellantem debent ad ecclesiasticos superiores remittere, cum ejus moribus aut idoneitate nititur recusatio. Quod si ab Episcopo, Metropolitano & Primate appellantem rejici contingeret, non amplius reciperetur, ut super hac triplici recusatione sibi consuleret; nec sæculares judices mandare possent, ut eorum sententia *præstationis* seu litterarum *visa* loco eidem esset, dum ei civilem possessionem concederent; hæc enim possessio spiritalis & ecclesiasticas functiones quæcunque fuerint, obeundi jus nullum, ad impetratas usque litteras *visa*, tribuere potest. *Quære* EXAMEN.

VISITATIO EPISCOPALIS. Episcopis id facultatis simulque obligationis est, suas ut diœceses tamquam primi pastores visitent, quos Deus ad eas regendas constituit. Hoc ergo jus & officium hic ad divinam institutionem pertinent, & quod inde consequitur, utpote Omnipotentis manu characteri episcopali necessario, seu essentialiter addicta, præscriptioni non subsunt; quod Conciliorum sollicitudinem excitavit, ut jus hoc Episcopis sartum tectum servarent, ejusque usum, tamquam ex eorumdem gravioribus functionibus unam, ita commendarent.

Episcopum per cunctas diœceses parochiasque suas per singulos annos ire oportet, ut exquirat, quæ unaquæque basilica in reparatione sui indigeat. Quod si ipse aut languore detentus, aut aliis occupationibus implicitus id explere nequiverit, presbyteros probabiles, aut diaconos mittat, qui & reditus basilicarum, & reparationes, & ministrantium vitam inquirant. (Concilium Toletanum, an. 633. can. 36.)

Unusquisque Episcopus parochiam suam omni anno semel circumeat diligenter, conventicula per loca congrua constituendo, quo cuncti convenire possint ad audiendum verbum Dei; ne aliquis, per incuriam pastoris, per devium cujuslibet ignorantiæ errans, rapientis leonis morsibus vacetur; & vigilanti cura gregem sibi commissum prædicet, confirmet, incestuosos separet, augures, aruspices, & incantatores, divinos, venefitos, sacrilegos coerceat, & cuncta vitia demat. (Concilium Chelchytense, an. 785. vel 787. cap. 3.)

Ut unusquisque Episcopus semel in anno circumeat parochiam suam. Noverint sibi curam populorum & pauperum in protegendis ac defendendis impositam. (Concilium Arelatense, an. 813. can. 17.)

Ut quorundam Episcoporum reprehensibilis, immo damnabilis consuetudo, omnimodis corrigatur, qui plebes sibi creditas aut raro, aut nunquam per se ipsos, juxta ordinem evangelicum & apostolicum atque ecclesiasticum, visitant, cum Dominus dicat: Speculatorem dedi te domui Israel, & audies ex ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me; *& cætera quæ divinus sermo complectitur. Omnes etiam Sacerdotes Domini pia vigilantia fidem catholicam indagent, & subditos sibi, cum mandatorum Domini observantia, Episcopi quique studiosissime docere contendant.* (Concilium Meldense, an. 845. can. 29.)

Quid ad venerabiles patres Archiepiscopos, & Episcopos incumbat ex officio faciendum, nomen dignitatis eorum, quod est Episcopus, id est, superintendens, exprimit evidenter.

dentur. Intendere quippe habent, & supra gregem suum, juxta verbum evangelicum, noctis vigilias custodire .... circumeuntes dioeceses suas temporibus opportunis, corrigendo & reformando, consecrando Ecclesias, & verbum vitae in agro dominico seminando. (Concilium Londinense, an. 1237. cap. 22.)

Curent Archiepiscopi & Episcopi commissas eis provincias omni sollicitudine ab insidiis inimici humani generis, & qui circuit quaerens quem devoret, per se vel per alios custodire. Et quia ob defectum visitationis multos mares & mulieres, quasi sexagenarios invenimus, nondum unctione chrismatis confirmatos; praesentis constitutionis tenore sancimus, ut singuli Archiepiscopi & Episcopi civitates & dioeceses suas per se, vel per alium aut alios anno quolibet, vel ad minus de biennio in biennium visitare studeant, confirmando confirmandos, & corrigendo quae sunt corrigenda. (Concil. wirzburgense, an. 1287. cap. 27.)

Cum visitationis officium ad Dei honorem, & ecclesiarum in temporalibus & spiritualibus utilitatem & profectum, ad salutem animarum, ad aedificationem populi, & morum reformationem, a sanctis Patribus fuerit salubriter institutum; & jam plerumque per nonnullos ad officium visitationis commissos, quod ad medelam & salutem fuerat ordinatum, ad noxam veniat pariter & detrimentum; statuimus & ordinamus, quod Episcopi, & alii ad quos spectat, & per eos ordinati vel commissi sic salubriter praedictum officium habeant exercere, quod paterna & publica utilitati, juxta patrum ordinationes, potius intendere videantur, quam ad emolumenta vel quaestum. Ad Dei igitur honorem & Ecclesiarum profectum loca ecclesiastica, causa visitationis, subintrantes, honestos habitus & congruentes deferant; sacramenta, praesertim Eucharistiam, cum habitu ecclesiastico honesto, accensis luminaribus, devote visitent; & verbum Domini populo adunato proponant, aut proponi faciant .... & de vita & moribus, praesertim sacerdotum, diligenter inquirant; inventaria bonorum Ecclesiae mobilium & immobilium videant, & contra alienantes & alienatores provideant; de reparationibus Ecclesiarum, & ornamentorum Ecclesiae, juxta locorum pariter & temporum qualitatem, sollicitudinem bonam gerant; provisionem apponant in procurationibus exigendis; se graves & onerosos minime exhibeant .... quae in victualibus eis praestita fuerint, a summa & taxatione procurationis deducant .... quod si aliqui per procuratores vel commissarios duxerint visitandum; probatas, doctas, & timoratas personas ad hujusmodi ministerium eligant, qui doctrina pariter & exemplo locis & populis proficere valeant. (Concilium Sagiunse, an. 1485. art. 2. *Circa Reform. Morum*, cap. 3. *de Visitationibus.*)

Patriarchae, Primates, Metropolitani, & Episcopi propriam dioecesim per se ipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum generalem vicarium aut visitatorem, si quotannis totam propter ejus latitudinem visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem, ita tamen, ut tota biennio per se vel visitatores suos compleatur, visitare non praetermittant .... visitationum autem omnium istarum praecipuus sit scopus, sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis haeresibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus & admonitionibus ad religionem, pacem innocentiamque accendere; caetera, prout locus, tempus & occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere. Quae ut facilius feliciusque succedant, monentur praedicti omnes & singuli, ad quos visitatio spectat, ut paterna charitate christianoque zelo omnes amplectantur; ideoque modesto contenti equitatu famulatuque, studeant quam celerrime, debita tamen cum reverentia, visitationem ipsam absolvere. Interimque caveant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves onerosive sint; neve ipsi, aut quisquam suorum quidquam, procurationis causa, pro visitatione, etiam testamentorum ad pios usus, praeter id quod ex relictis piis jure debetur, aut alio quovis nomine, nec pecuniam, nec munus, quodcunque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant, non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili; exceptis tantum victualibus, quae sibi ac suis frugaliter moderateque pro temporis tantum necessitate, & non ultra, erunt ministranda. Sit tamen in optione eorum qui visitantur, si malint solvere id quod erat ab ipsis antea solvi, certa pecunia taxata, consuetum, an vero praedicta victualia subministrare; salvo item jure conventionum antiquarum cum monasteriis, aliisve piis locis, aut Ecclesiis non parochialibus inito, quod illaesum permaneat. In iis vero locis, seu provinciis, ubi consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quicquam aliud a visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, ibi id observetur. (Concilium Tridentinum, Sess. 24. *de Reform. Prosecutione*, cap. 3.)

Hoc Tridentini Concilii decretum receperunt & publici juris fecerunt provincialia Gallicarum Concilia, post illud habita, quibus concinunt edicta & mandata regia, itemque arestorum jurisprudentia. En constitutionis Aurelianensis, art. 6. Blesensis, art. 32. & edicti an. 1695. art. 14. 15. 16. 17. & 18. dispositiones.

1. Archiepiscopi & Episcopi suam quisque universam dioecesim ipsi per se, aut si legitime impediti fuerint, per generales vicarios, saltem altero semel anno, visitare tenentur.

2. Praesul qui visitationem peragere vult, ante aliquod tempus locorum incolas monere debet, quae sibi visitanda proponit, ut se populus ad ejus receptionem comparet, & potissimum pueri se ad confirmationis sacramentum suscipiendum component.

3. Visitationem parvo cum apparatu edere, & paucos tantum a comitatu habere debet.

4. Tenetur Episcopus unamquamque paroeciam singillatim visitare, nec in eumdem locum parochos plures, quos una ibidem visitet, accire potest. Quia vero visitat, potius ut corrigat, quam ut puniat, nullum potest contentiosae jurisdictionis actum, quique judiciariam instructionem postulet, exercere; agere debet ut pastor & ut pater qui salutaria remedia praescribit, non ut judex qui graves poenas infligit, nisi id forte Dei honor, populorum salus, & alia ejusmodi adjuncta requirant.

5. Id Episcopo juris est, ut omnis generis paroecias, seu parochiales Ecclesias visitet quae a saecularibus aut regularibus possidentur, quae ab exemptis aut non exemptis corporibus pendent, quae in monasteriis aut abbatiis, etiam ordinum capitibus, sitae sunt; ea tamen lege, ut in paroecia quae a monasteriis & communitatibus exemptis pendent, vel in iisdem monasteriis aut communitatibus extant, visitationem ipse per se, & absque ullo stipendio seu taxa peragat. Ad loca quod attinet quae nullius dioeceseos sunt, Episcopi est, cujus cathedralis Ecclesia propius abest, ea visitare, ex Tridentino Concilio, Sess. 24. cap. 9. *de Reform.*

6. Episcopus, in visitatione providere debet, ut Ecclesiis suppetant libri, cruces, calices, ornamenta, & alia ad divini servitii celebrationem necessaria; fundationum executioni, subselliorum atque adeo sepulturarum quae divinum servitium impedirent, reductioni prospicere; & omnia mandare, quae ad celebrationem, ad Sacramentorum administrationem, & ad Parochorum aliarumque saecularium & regularium ecclesiasticorum qui paroeciis deserviunt, rectam agendi rationem necessaria judicaverint. *Quare* ARCHIDIACONUS, CAPITULA, PAROECIAE, EPISCOPUS, FABRICA, FUNDATIONES, HOSPITALE, RELIGIOSI & RELIGIOSAE, SEPULTURA.

UNIO ECCLESIARUM & BENEFICIORUM. Ecclesiarum & beneficiorum unio est unius Ecclesiae aut beneficii per legitimum superiorem, secundum formam a canonibus & Principis sanctionibus praescriptam, alteri additio. Dividitur haec unio bifariam, ut alia *personalis* sit, *realis* alia.

Personalis unio, dicta etiam *ad vitam*, vel, *ad tempus*, ea est, per quam beneficio cujus ecclesiasticus quispiam titularis est, junguntur omnia beneficia, quorum is titularis est, aut esse deinceps poterit, ut, quoad titularis hic vixerit, unum tantum idemque beneficium conficiant. Unionis genus hoc quod in Italia commune est, in Gallia locum non habet.

Realis unio quae etiam *perpetua* nuncupatur, ea est, cui per unionis decretum haud statuta duratio est, quaeque tamdiu durare debet, quamdiu Ecclesiae bonum quod ei causae loco est, ita requiret.

Distinguitur praeterea unio *in forma gratiosa*, & unio *in forma commissoria*. Prima fit absque solemnibus formis a Papa vel ab Episcopis; altera quibusdam cum formis fit, quarum praecipuae sunt, ut inquiratur referaturque *de commodo & incommodo*, iique quorum interest, audiantur, cujusmodi sunt collatores, patroni, titulares, & parochiani, cum de parochialis Ecclesiae unione agitur. Inter personas quas unio afficit, aliquae sunt, quas vocari satis est, & aliae quarum consensus requiritur. Ex hujus temporis usu, collatorem, patronum ecclesiasticum, titularem, & parochianos, siquidem de saecularis beneficii unione sermo sit, vocari sufficit. Eorum qui sunt ordinis capita, cum regularia beneficia conventuali mensae uniri lubet; patronorum laicorum ecclesiasticorumque, cum de regularis beneficii unione agitur; Regis denique ad regiae fundationis beneficiorum unionem, consensu opus est. Cum patroni sunt mixti, laicorum patronorum privilegiis gaudent, eorum scilicet consensus ad beneficiorum unionem necessarius est. *Quare* PATRONUS.

Beneficiorum uniones odiosae sunt ob vitia quae continent. Turbant Ecclesiae exteriorem ordinem, & alie-

nationem

nationem quamdam exhibent, quandoqoidem beneficium unitum vel omnino supprimitur, vel omnino revertitur, susmque priorem naturem, suumque pristinum statum amittit. Repugnant fidelium emolumento, itemque fuodatorum menti, qoippe qua ministrorum numerum minuunt, qui ed fidelium servitium instituti fuat. Detrimentom etism tam patroni & collatoribus quorum abrogant jura, quam indultariis & graduatis afferunt, quorum expectativas restringunt. Hæc tamen vitia quorum multa ejusmodi sunt, ut ab unionibus sejungi possint, non impediunt, quominus uniones legitimæ sint, quæ scilicet Ecclesiæ necessitate vel evidenti utilitate nitnetor; quæ quidem uoionis causæ duæ, Ecclesiæ utilitas aut necessitas, expressis verbis per canonicas leges firmantur.

Uniones & incorporationes a tempore obitus Gregorii XI. factas seu concessas, cum certa regula dari non possit, ad querelas eorum quorum interest, (nisi fuerint impetrantes beneficia sic unita) si non ex rationabilibus causis & veris facta fuerint, licet apostolica Sedis auctoritas intervenerit, revocabimus, justitia mediante. (Concilium Constantiense, an. 1418. Sess. 43. *de Unionibus.*)

Uniones perpetua, prater quam in casibus a jure permissis, vel sine rationabili causa, nequaquam fiant. (Concilium Lateranense, V. an. 1514. Sess. 9.)

Uniones perpetua, quadraginta annis citra facta examinari ab ordinariis, tamquam a Sede apostolica delegatis possint; & qua per subreptionem, vel obreptionem obtenta fuerint, irrita declarentur. Illa vero qua a dicto tempore citra concessa, nondum in toto vel in parte sortita sunt effectum, & qua deinceps ad cujusvis instantiam fient, nisi eas ex legitimis, aut aliàs rationabilibus causis, coram loci ordinario, vocatis quorum interest, verificandis, factas fuisse constiterit, per subreptionem obtenta prasumantur, ac propterea, nisi aliter a Sede apostolica declaratum fuerit, viribus omnino careant. (Concilium Tridentinum, Sess. 7. cap. 6. *de Reform.*)

Ut etiam Ecclesiarum status, ubi sacra Deo officia ministrantur, ex dignitate conservetur, possint Episcopi, etiam tamquam apostolica Sedis delegati, juxta formam juris, sine tamen prajudicio obtinentium, facere uniones perpetuas quarumcumque Ecclesiarum parochialium & baptismalium, & aliorum beneficiorum curatorum, vel non curatorum, cum curatis, propter earum paupertatem, & in cateris casibus a jure permissis, etiamsi dicta ecclesia vel beneficia essent generaliter vel specialiter reservata, aut qualitercumque affecta. Qua uniones etiam non possint revocari, nec quoquo modo infringi vigore cujuscumque provisionis, etiam ex causa resignationis, aut derogationis, aut suspensionis. (Sess. 21. cap. 5. *de Reform.*)

In Gallia, ejus exceptionis capitis 6. Sess. 7. Tridentini Concilii, *nisi aliter a Sede apostolica declaratum fuerit, ratio non habetur*. Nec magis ibidem recipiuntur uniones quæ fiunt io forma gratiosa, & ex mera Papæ liberalitate, sine causæ cognitione, sine inquisitione *de commodo & incommodo*, quin patronus & cæteri quorum interest, ad eas vocentur. Itaque cum unio per Papæ auctoritatem fit, is quidem commissarios delegatos in locis nominet, necesse est, qui e consuetis formis ad unionem procedant.

In unionibus per Papæ auctoritatem editis exprimendus est beneficiorum valor, quæ uniri lubet, & ex cancellariæ regulæ ab Innocentio VIII. proposita quæ in Gallia servatur, probandus est justus valor utriusque beneficii, *tam uniendi quam ejus cui fit unio.*

Commune, in Gallia prorsus ut alibi receptum proloquium est, Papam & Episcopos tantum beneficia unire posse, quemadmodum ea soli erigere & extinguere possunt. Episcopatuum quidem, omniumque consistorialium beneficiorum unio ad Papam pertinet. Idem de inferiorum beneficiorum unione dicendum in triplici facti specie: 1. cum unio ad episcopalem sedem fit; 2. cum beneficia exempta sunt; 3. cum beneficia quæ uniri lubet, in diœcesibus aliis existunt; in qua quidem ipsa postrema specie, Gallicarum Episcopi beneficia uniendi facultate gaudent, ac tunc acta in utraque diœcesi a duobus diœcesanis Episcopis, & ex eorum auctoritate perfici debent.

Ex hujus temporis usu, Episcopi suarum diœceseon beneficia, quæcunque fuerint, unire possunt, exceptis consistorialibus iisque quæ ab eorum jurisdictione exempta sunt; at hæc posterior exceptio in beneficiorum ad seminaria unione locum non habet. *Vide* SEMINARIUM.

Fundationis & plenæ collationis beneficia rex unus unire potest. Regiæ Melitenses commendæ per magni magistri decretum inter se uniuntur, itemque parœciæ cum ejus consensu, Episcopi auctoritati addicto.

Consuetudo quæ Regi jus tribuit, ut plenæ collationis regiæ beneficia solus uniat, antiqua est. An. 1330. Rex Philippus Valesius collegiatæ Ecclesiæ Dominæ nostræ *de Poissy*, quæ fundationis pleoæque collationis regiæ est, præbendam uniit cum abbatia *de Joyenval*, in Carnutensi diœcesi. Mos hic deinceps perstitit. (Monumenta Cleri, Tom. XI. p. 1110. & seq.)

Ut beneficiorum, quæcumque sint, unio valida sit, ex hujus temporis jurisprudentia, obtineantur patentes litteræ, necesse est. Nititur jurisprudentia hæc edicto mensis Septembris an. 1718. a parlamento in acta redacto, quod generatim patentium litterarum necessitatem ad quorumlibet beneficiorum unionem statuit, itemque declarationibus duabus, ad ejus edicti interpretationem & executionem editis, die 23. Aprilis an. 1719. & die 13. Julii ejusdem anni. (Monumenta Cleri, Tom. X. p. 1896. 2047. & seq.)

Uniones interdum vitiosæ sunt; ac tunc expendatur, oportet, leviane parvique momenti sint vitia quæ iis exprobrantur, an gravia & ad ipsam unionum rationem spectantia. In prima facti specie, unionis vitia, quæ manca & imperfecta est, per quadraginta annorum præscriptionem, titulo suapte natura bono nixam satis purgantur. At præscriptio non tegit unionum vitia, quæ imperfectæ sunt, cum hæc ipsa vitia præcipua & gravia sunt, ut inquisitionis, necessariæ consensionis, cæterique defectus omnes qui canones, sanctiones, consuetudines patrias lædunt; in hac posteriore facti specie, uniones impeti possunt per appellationem tamquam ab abusu, vel per appellationem simplicem ad ecclesiasticum superiorem; quæ quidem posterior appellatio locum habere potest, cum jactata unionis necessitas vel utilitas impugnatur, aut cum patroni, vel collatores ecclesiastici conqueruntur suum ipsorum consensum neglectum esse. Ad eos quod attinet, qui ab unionibus tamquam ab abusu appellare possunt, ea generatim sententia obtinet, non nisi publicum ministerium & partes quarum interest, appellationis genus hoc interponere posse. Ad harum ergo vel ejus appellationem, superiores quibus beneficia uniendi jus est, ad eorumdem disjunctionem procedunt, cum satis graves ad id causas subesse judicant, cujusmodi foret regularum in edita unione violatio, aut rationum cessatio, quæ ei occasionem præbuerunt; tunc scilicet satis est superiorem per decretum declarare ea se beneficia sejungere, quia vel eorum unio canonica non fuit, vel rationes ob quas facta fuit, desierunt. Superior tamen agat, oportet, cum causæ cognitione, *illis vocatis quorum interest*, tametsi minime necesse sit, ut eorum consensum obtineat. (Van-Espen, *Jur. Eccl. univ.* Tom. I. pag. 856. & seq. (Monumenta Cleri, Tom. X. p. 1899. & seq. La Combe, *Collect. Jurisprud. canon.* verbo *Unio*.)

UNIVERSITAS. Designatur hoc nomine societas conflata e collegiis pluribus in peculiari urbe institutis, ubi publicæ humaniores litteræ scientiæque docentur, & conferuntur Magistri in Artibus, Bacalaurei, Doctoris gradus. Parisiensis Universitas est antiquissima cæterarum, quamvis ortum habuerit solum Regis Ludovici Junioris tempora, qui an. 1180. mortem occubuit, & in justum corpus coalescere cœperit solum Philippo Augusto regnante qui an. 1203. vita functus est, cum an. 1200. privilegium concessisset, quo Parisiensis Præpositus, ejusque officiarii vetantur in ejus Universitatis alumnum manus injicere ob ullum facinus, nisi carcere dignum sit. Privilegium hoc quod jam formatam Parisiensem Universitatem ponit, omnium in ejus celebris societatis favorem vetustissimus Gallorum Regum titulus est. Nonnulli contendunt *Universitatis* nomen originem trahere e summis Pontificibus Innocentio III. & Honorio III. qui ad Parisiensium magistrorum & alumnorum corpus scribentes, suas litteras inchoabant per hæc verba: *Noverit universitas vestra*, vel, *universitas magistrorum & scholarium*; quibus perstitit *universitatis* nomen. Alii derivant hoc vocabulum a latina locutione, *universitas studii*, significandi gratia societates universitatum nomine insignitas complecti studiorum genus omne, omnesque scientias docere. Nobis in posteriorum temporum Conciliis aliquæ super Universitatibus constitutiones occurrunt.

Exacta atque absoluta artium & linguarum cognitio, philosophia, physica item & ars medica, jurisprudentia, & theologia, seu Scriptura sacra, non nisi in probatis academiis, & catholicis universalium studiorum scholis expectantur, doceantur ac tradantur; nisi quod theologia etiam in monasteriis opulentioribus, & collegiis canonicorum juxta reformationis formulam debeat doceri. (Concilium Coloniense, an. 1549. tit. 2.)

At cum plures videamus graduum tam juris civilis, pontificii, quam theologia titulis, veluti baccalaureatus, licentia, etiam doctoratus, ac magisterii in artibus insignitos, eorum nihilominus minime capaces; hincque fieri,

ut Ec-

ut Ecclesiæ potissimum parœciales, in villis mutatis, graduatis destinata, officiis quæ in illis præstari debent, frustrentur; huic morbo ut obvietur, juris communis dispositioni quam sanctiones regiæ imitantur, inhærendo, Universitatum hujus provinciæ doctores, quantum possumus, in Domino hortamur, atque etiam monemus, eos tantum ad dictos gradus, quos publico & rigoroso examine, necessariis & præsentibus universitatis rectore, procuratoribus, aliisque eisdem præfectis, iis gradibus dignos judicaverint, recipere & admittere; non vero eos in occulto, aut inter privatos parietes, nulla habita litteraturæ ratione, sed solo cujusdam parvi & turpis lucri intuitu, quod proximo ad simoniam accedit, promovere.

Litteris autem graduum in posterum concedendis, nisi publicum examen, solemnitatesque prædictas debite fuisse observatas sufficienter attestentur, quod etiam ipsi graduati personaliter in præsentia Episcopi, aut alterius vel ... lectoris, si sibi beneficia conferri requirant, juramento confirmare teneantur, nullam omnino esse adhibendam fidem, nec eos promotis aliquo modo ad obtinenda sacerdotia patrocinari debere decernimus. (Concilium Turonense, an. 1583. tit. 21. *de Seminar. Scholis & Universitatibus.*)

Magni momenti res, plurimumque ad Ecclesiæ, reipublicæque conservationem dignitatemque pertinens, recta christiana juventutis institutio. Eorum igitur, qui juventuti, aliisque edocendis constituti sunt, vita diligenter est inquirenda, ne forte ii sint, qui pravo morum vitæque exemplo plus officere, quam doctrina erudiendo prodesse possint.

Academiarum professores statu die quotannis, ex Pii IV. Bulla, publicam fidei professionem faciant.

Ad doctoratus lauream, gradusque alios ii soli promoveantur, qui vitæ integritate celebres, post emensum graviter præscriptum studiis tempus, dignum doctrinæ eruditionisque suæ specimen severo examine præbuerint.

Examen publicum, publica sit promotio, publica etiam promovendorum fidei professio; quæ omnia testimonialibus litteris inferenda. Qui secus fecerint, ad graduatis destinata beneficia non admittantur.

Theses theologicæ non nisi accuratissime examinatæ publice agitandæ proponantur.

Nullos aut hæreticæ pravitatis reos, aut facinorosos, aut demum a se ipsis, præmisso diligenti examine, non approbatos homines scholis Episcopi præesse patiantur. Quibus vero magistri præficiendi jus est, hunc illi Episcopo, necessaria vitæ morumque inquisitione, cognoscendum admittendumque offerant. (Concil. Tolosanum, an. 1590. Part. III. cap. 4. *de Universitat. & Collegiis.*) *Quære* COLLEGIUM, SCHOLA, GRADUATUS.

Essentia Voti.

VOTUM. Votum est de majori bono libere Deo facta promissio. Est promissio, &, quod inde consequitur, vinculum, obligatio quæ suapte natura, seu, quod ajunt, essentialiter differt a deliberatione, simplicique inito aliquid faciendi consilio quod non devincit, non obstringit, non obligat. Est de majori bono promissio, de bono scilicet eo meliore, quod ei opponitur, quodque facere quam non facere melius est. Est promissio libere facta, videlicet voluntaria & deliberata promissio, quæ cognitionem, libertatem, motumque liberum & ponderatum voluntatis supponit. Est Deo facta promissio, quia est religionis actus quo quispiam Deo aut suam personam, aut sua bona, aut suas actiones consecrat; ex quo fit, ut votum Deo tantum obstringi fierique possit, quia latriæ cultum in se continet, qui ad eum solum pertinet. Minus ergo proprie vota Sanctis fieri dicuntur; huic nempe locutioni non alia prorsus est subjecta notio, quam vota Deo fieri, coram Sanctis, in eorumque memoriam, qui editorum votorum testes sumuntur.

Voti divisio.

1. Votum dividitur in vota simplicia quæ sine solemnibus formis ab Ecclesia præscriptis fiunt, ut jejunandi, orandi, continentiæ servandæ votum; & in votum solemne, per quod se Deo quispiam cum solemnibus formis ab Ecclesia præscriptis consecrat: cujusmodi votum est quod utriusque sexus religiosæ personæ obstringunt, dum in ordine ab Ecclesia approbato professionem emittunt, tacitumque castitatis votum quod in subdiaconatus susceptione fit.

2. Dividitur votum in personale, per quod se quispiam obligat, ut aliquid, causa exempli, jejunium, precem, exequatur ipse per se; & in votum reale cui materiæ valenti loco sunt extraneæ personæ, vel res extra nos positæ, cujusmodi est persona in peregrinationem mittendæ, aut construendæ Ecclesiæ promissio; & in votum mixtum, quod is ederet, qui fore promitteret, ut ipse certam quamdam Ecclesiam inviseret, certumque quoddam donum ibidem offerret.

3. Distinguitur etiam votum perpetuum quod semper durat, & votum quod non nisi ad tempus fit; votum absolutum, quod a nulla conditione pendet, & votum conditionatum, quod quibusdam tantum appositis conditionibus fit, quod tum solum obligat, cum hæ conditiones existunt; votum morale, quod virtutis amore causaque fit, & votum pœnale, quod quispiam obstringit, ut se de patrato, aut, facta hypothesi eum deinceps in illud incidere, patrando crimine puniat.

Voti Conditiones.

Spectari potest votum ex parte materiæ voti, nempe rei quæ voveri apta nata est, vel ex parte personarum quæ se per votum adstringere volunt. Si votum quoad materiam spectetur, opus est conditionibus quatuor, ut res aliqua voveri possit. Debet esse possibilis, quia se nemo ad impossibile obligare potest, hæc ipsa res nec mala, nec indifferens esse debet, seu ex earum genere, quæ promiscue se habent, quia voti finis est Dei honor, qui sane honore affici nequit, ad ejus gloriam aut vana & supervacanea, aut mala & criminosa promissa re.

Nec magis voto materiam suppeditare potest res ita necessaria, ut eam evitare in nostra potestate non sit, cujusmodi esset moriendi votum, cum Deo placuerit; sed vovere possumus aliquid quod alioquin facere jubemur, quodque ad salutem necessarium est; ac tum quidem duplici ad id vinculo adstringimur, præcepti scilicet & voti vinculo.

Sin votum quoad personas spectetur, quæ illud edere volunt, requiruntur ad illud conditiones tres, nempe, cognitio, libertas, ac de re quam voveri lubet, disponendi facultas.

Cognitio ad voti validitatem necessaria integrum rationis usum postulat. Nulla proinde vota sunt, cum vel a pueris emittuntur, qui nondum rationis ætatem attigerunt, vel a personis quæ ejus liberum usum amiserunt, cujusmodi sunt insani, furiosi, ebrii, &c. Idem judicium de votis ferendum est, quæ fiunt, quin eorum natura, vis & essentiales conditiones cognoscantur, quia ejusmodi ignorantia supra ipsius voti substantiam cadit. At si ignorantia non nisi accidentarias quasdam parvique momenti conditiones afficeret, quæ voti tantum accessio sunt, non ea quidem illud nullum redderet, quia tunc voluntas in id consentit, quod in voto præcipuum est; principale autem ad se trahit accessorium, ut fert commune proloquium.

Libertas ad voti validitatem necessaria perfecto rationis usu continetur, itemque exemptione a seductione, deceptione, fraude, perinde atque exemptione a coactione, omnique timoris genere, qui gravis dicitur, firmumque & constantem hominem frangere potest, cum ab extranea, libera & injusta causa derivatur, cujusmodi esset patris vi impressus timor, qui filios, ut ad religiosum statum suscipiendum adigeret, acerbius ac durius exciperet. At levis timor, ut qui obsequii & observantiæ, seu *reverentialis* timor dicitur, voti validitatem non impedit, quia non impedit, quominus liberum & voluntarium sit, quamvis efficiat, ut minus ejusmodi sit, quam foret, si per eum timorem non editum esset.

Est etiam ad voti validitatem necessaria de re quam vovere volumus, disponendi facultas, quoniam perspicuum certumque est neminem posse citra injustitiam sibi rem tribuere, quæ ad eum non pertinet, ut eam Domino voveat, quasi vero Deus hominum injustitias approbare, per easque se honore affectum ducere posset.

Moralis bonitas Voti, ejusque servandi obligatio.

Bonum & utile suapte natura votum est; melius etiam, utilius, perfectiusque est quam bonum quod ei opponitur; ut proinde vota edendi usus meritorius & Deo gratus sit. Est etiam is usus obligatorius, quique vota ediderunt, hæc arctissime summoque jure tenentur exequi. Neque vero idem usus Evangelii novæque Legis menti quæ libertatis & amoris est, adversatur, quia hæc novæ Legis libertas peccati quidem servitutem amovet, non autem justitiæ quæ per sanctam felicemque necessitatem ad id obligat, quod melius, purius, perfectius est, quæque cupiditatem cohibet constringit, ut charitatem augeat, Deo denique hominem omnino subdit, ut ei majore cum plenitudine, dependentia & perfectione serviat. Fit hinc, ut vota edendi mos Hebræorum & Christianorum reli-

gioni contrarius sit, laudatus in sacris litteris, a Patribus commendatus, a Conciliis firmatus propugnatusque, quæ in eos easque, qui sua vota violant, graves pœnas pronuntiant.

Nullus igitur, nullaque sanctimonia & virginitati deserviens, propter blasphemiam Ecclesiæ, si vobis placet, in una domo cum extraneis penitus commorari debeat. Universi dixerunt: Qui nolunt nubere, & pudicitiæ meliorem eligunt partem, vitare debent non solum non habitare (el. non solum habitare) *simul, sed neque habere ad se aliquem accessum.* (Concil. Carthaginense, an. 348. can. 3.)

Hi qui post sanctam religionis professionem apostatant, & ad sæculum redeunt, & postmodum pœnitentiæ remedia non requirunt, sine pœnitentia communionem penitus non accipiant; quos etiam jubemus ad clericatus officium non admitti. (Concilium Arelatense, an. 343. seu 352. can. 25.)

De viduabus & puellis quæ sibi vestes in habitu religionis in domibus propriis, tam a parentibus, quam per se ipsas mutaverint, & se postea contra statuta Patrum, vel præcepta canonum, conjugio crediderint copulandas; tamdiu utrique habeantur a communione suspensi, quousque, quod illicite perpetraverunt, emendent; aut si emendare neglexerint, a communione ecclesiastica, vel omnium christianorum convivio in perpetuum sint sequestrati. (Concilium Parisiense, an. 614. vel 615. can. 13.)

Vidua quidem quæ sacrum capiti velamen imposuerit, & inter cæteras velatas feminas in Ecclesia oraverit, & oblationem cum illis obtulerit, si professa est in eodem habitu permanere, spondeat nunquam religionis deponere velamen, a religionis observantia discedere non præsumat. Quod si præsumpserit, & ad id quod spoponderat, revocari non potest, a liminibus sanctæ Ecclesiæ segregetur, donec ad emendationis remedium confugiat. (Concilium Wormatiense, an. 668. can. 21.)

Si pater vel mater filium filiamque intra septa monasterii, in infantiæ annis sub regulari tradiderint disciplina, non liceat eis postquam ad pubertatis pervenerint annos, egredi, & matrimonio copulari. Hoc ergo omnino devitandum est, quia nefas est, ut oblatis a parentibus Deo filiis voluptatis frena laxentur. Igitur (ut prædiximus) non liceat eis susceptum habitum unquam deserere; sed convicti, quod tonsuram, aut religiosam vestem aliquando habuerint, in religionis cultu habituque, velint, nolint, permanere cogantur. (Can. 22.)

Monachum ergo aut paterna devotio, aut propria professio facit. Quidquid horum fuerit alligatum, tenebit. Proinde huic ad mundum reverti interdicimus aditum, & omnes ad sæculum interdicimus regressus. (Can. 23.)

Hoc nos quidem expendimus, an Wormatiensis Concilii Patres parentum in filios imperium ultra suos justos limites protulerint, dum hos jubent suum omne vitæ tempus in monasteriis transigere, quibus eos a prima adhuc ætate pater & mater devoverint; satis habemus animadvertere quam semper certum exploratumque Conciliis fuerit bona vota esse, perficique oportere, quippe quæ ad pueros usque jam inde a primis annis e parentibus Deo devotos obligationem hanc protenderunt, pronuntiaruntque necesse esse, ut ejusmodi pueri suorum parentum vota solverent, ac per omne suæ vitæ semper in monasteriis quibus ob iis per votum addicti fuerant, permanerent.

Non absimili sane versutia, veritatis invasores declinaverunt in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis, dum vota perpetua & in his potissimum monastica non vanitatis tantum, sed & impietatis accusant, & abjecta, pessimo quidem exemplo, cuculla, ad sacrilegas se convertunt nuptias. Quod infandum apostasiæ genus hac una maxime prætexunt ratione, quasi vota ejusmodi libertati christianæ prejudicium afferant, nec satis sit in nostra potestate jugis illa perpetuaque custodia. Atque his strophis in desideria carnis pelliciunt eos qui paululum effugiunt, libertatem eis promittentes, cum ipsi sint servi corruptionis. At vero nulla major libertas, quam cum, repressa carnis tyrannide, corpus in obsequium Christi traditur, nec tum concupiscentia ducimur, quam spiritu. Nempe ubi spiritus Domini, ibi libertas; nec quidquam est, quod non possimus in eo qui nos confortat. Christus quippe non patitur nos tentari supra id quod possumus, sed facit cum tentatione proventum, ut possimus sustinere; cujus auxilio freti inventi sunt eunuchi qui se castraverunt propter regnum cælorum; ac proinde certa fit damnatio viduarum, quæ cum luxuriatæ fuerant in Christo, volebant nubere, turpi certe naufragio primam fidem irritam facientes, non quam baptismo qui nuptiarum fœdera non respuit, sed, juxta expositionem Concilii Carthaginensis, quam perpetuæ castitatis professione spopondissent. Ab hoc autem perpetuæ castitatis voto qui Christum aliquando dehortantem facit, in eum blasphemat, & Apostolo contrarius est, qui palam, nec semel tantum ad perpetuæ virginitatis votum instigasse legitur. Cæterum, cum Christus aperte suadeat, ut, qui vult perfectus esse, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, vadat & vendat omnia quæ habet, & det pauperibus, ad perpetuæ professionem obedientiæ, tum paupertatis vota cohortantur. Si quis igitur votum aliquod hujusmodi voverit Domino, etiamsi propositum fuerit, non faciet irritum verbum suum, sed Deiparæ Virginis, Annæ matris Samuelis, & Rechabitarum exemplo, omne quod promiserit, implebit, neque tardabit reddere, sed quæ semel de labiis suis egressa fuerint, observabit, & faciet, sicut promisit Domino; quandoquidem ruina est homini devorare Sanctos, & post vota retractare. Quod si quis secus fecerit, aut hæretica pravitate corruptus secus facere licitum esse docuerit, is velut juris tum divini, tum naturalis infractor, nedum sacrosanctis Conciliis injunctæ condigna per suos superiores animadversione plectatur. (Concilium Senonense, an. 1528. cap. 9.)

Causæ quæ faciunt, ut cesset Voti obligatio.

Quamvis autem bona & obligatoria vota sint ipsa per se, non desunt tamen, quæ efficiunt, ut eorum obligatio cesset, & hæ quidem causæ sunt numero quatuor, videlicet, materiæ mutatio, commutatio, dispensatio, & irritatio.

1. Votum obligare desinit, cum in promissa re contingit mutatio, quæ eam in statum moraliter ab eo alium inducit, in quo ante promissionem erat, seu ob difficultatem quæ supervenit, seu ob alias circumstantias; ut si post editum votum contingeret, illud non amplius sine peccato, aut sine vitæ, honoris, fortunæ periculo impleri posse.

2. Commutatio, hoc est, legitima voti in aliud mutatio efficit & ipsa, ut prioris voti obligatio cesset. Qui votum edidit, potest illud, sua ipsius auctoritate, in aliud mutare, quod evidenter melius, omnibus nempe spectatis rebus, sit ad voventis salutem aptius. At votum in aliud minus aut æquale, sine legitimi superioris, ejus scilicet qui in foro externo ecclesiastica jurisdictione pollet, auctoritate commutari non potest. Superior hic ipse licite votum commutare tum solum potest, cum ad id satis gravia rationum momenta suppetunt, cujusmodi sunt ejus solvendi magna difficultas, levitas & perturbatio quæ illud, cum est editum, comitatæ sunt, voventis imbecillitas, & periculum, ne obstrictam voti fidem violet.

3. Tertia causa quæ votorum obligationem tollit, est per legitimum superiorem, Dei nomine, facta editi voti dispensatio aut relaxatio. Hæc a votis dispensandi facultas in universa Ecclesia ad Papam pertinet; in suis diœcesibus ad Episcopos, quoad vota quorum dispensatio non est summo Pontifici reservata; ad Abbates, ad Generales Ordinum, & ad eos omnes qui episcopali jurisdictione pollent, ad eorum subditos quod spectat; ad cathedralium Ecclesiarum capitula, episcopalis sedis vacantis tempore; ad Episcoporum vicarios generales & pœnitentiarios, tum solum tamen, cum iis suppetit peculiaris præsulum venia. Vota quorum dispensatio est Papæ reservata, sunt, perpetuæ castitatis votum; item illud, approbato ordini nomen dandi; præterea, Apostolorum, in urbe Roma, sepulcrum invisendi; denique ad S. Jacobum Compostellæ peregrinationis instituendæ, aut ad Terram Sanctam pergendi.

4. Quarta quæ voti obligationem adimit, causa est voti per eum irritatio, abrogatio, extinctio, cui in personam quæ voto se obstrinxit, potestas est. Ergo votum irritare est illud abrogare, extinguere, ac de medio funditus tollere. Distinguuntur irritationis genera duo, *proprium & directum* unum, *minus proprium & indirectum* alterum.

Directa irritatio est voti abrogatio per eum edita, qui in ejus personam, qui votum emisit, domini potestatem obtinet, cujusmodi est quoad impuberes filios pater, aut in voti materiam, aut superior quoad monasterii bona quæ ejus religiosi se pauperibus daturos, edito voto, promisissent.

Irritatio indirecta est minus abrogatio voti quam suspensio per eum facta, cui quædam est in voventem auctoritas, ut proinde votum perfici nequeat, quia ejus juri detrimentum, qui hanc auctoritatem obtinet, afferatur. Temporalis aut spiritualis Princeps, exempli causa, jubet suos subditos ea facere, quæ cum votorum quæ emiserunt, executione stare non possunt. Is Princeps, in hac facti specie, indirecte suorum subditorum vota irritat, hoc est, eorum executionem suspendit, dum subditis ea præcipit, quæ explendis votis impares reddunt.

Voto adhibenda est interpretatio e voventis mente,

qua

quæ quidem ſi minus clara eſt, explicetur votum, oportet, ſecundum naturalem & conſuetum verborum ſenſum, quibus conceptum expreſſumque votum fuit, quia quiſque cenſetur ex uſu & vi verborum loqui, quibus utitur, ſui ut animi ſenſa exprimat. Votum etiam ſtricte, ac prout verba ſonant, explicari debet. Quoniam vero votum legis naturam & vim obtinet, quippe quod eſt privata lex quam ſibi libere quiſpiam imponit, ei proinde fieri debet ſatis, quemadmodum divinæ & humanæ legi ſatis fit. *Quære* RELIGIOSI & RELIGIOSÆ. *Vide* etiam libellum cui titulus: *Diſſertatio ſuper Votis in univerſum, & peculiariter ſuper Religioſorum & Religioſarum ſolemnibus votis*. Pariſiis, apud Butardum, an. 1771.

USURA. Vox *Uſura* derivatur ab uſu, ſeu bono ſeu malo, *uſura ab uſu*; ex quo fit, ut uſura nonnunquam ſumatur in bonam partem, pro uſu ſcilicet ſeu lucro licito. Appellatur etiam uſura latine *fænus*, *quaſi fœtus a partu*, quia, in uſura, pecunia, ſuapte licet natura ſterilis, realem fructum, verum emolumentum parit. Quamobrem uſura ſimpliciter & generatim ſumpta nihil aliud ſignificat quam commodum, lucrum, emolumentum quod percipitur ultra ſortem e propria pecunia, vel e quavis re mutuo tradita, poſitaque in numero, pondere & menſura, fungibili, hoc eſt, quæ uſu conſumitur, cujuſmodi ſunt triticum, vinum & ejuſmodi merces cæteræ. Non eſt igitur uſuræ nomen odioſum ipſum per ſe, nec tale niſi per ipſius applicationem evadit, quippe quod in ſe ſumptum poteſt indiſcriminatim uſuram licitam & juſtam, vel illicitam & injuſtam ſignificare.

Uſura in malam partem ac ſtricto ſenſu accepta ſumitur aut pro commodato cujus vi præter ſortem principalem, hoc eſt, præter rem commodatam certum quoddam emolumentum exigitur, aut pro commodati objecto ipſo, pro emolumento ſcilicet, quod ultra præcipuam ſortem, & in commodati gratiam exigitur.

Uſura pro commodato ſumpta, eſt commodatitius contractus qui rei commodatæ ad certum tempus & cum certo emolumento reddendæ obligationem, omnino commodati vi, ſecum trahit.

1. Uſura eſt contractus mutui expliciti vel impliciti, quandoquidem ſemper ea neceſſario mutuum formale vel tacitum ut certum ponit; quamvis enim verum ſit ſæpe in emptionis & venditionis contractibus, aliiſve ſimilibus uſuram occurrere, id quoque nihilominus verum eſt ibi ſemper implicite mutuum exiſtere; cauſa exempli, vendo mercem, quæcumque ſit, centum librarum pretio, ſi præterea duplionem exigam, quia ad annum credo, perinde eſt; ac ſi ad annum commodarem libras centum, inde fœnoris loco duplionem exigens. At quoniam uſura eſt mutui contractus, fieri non poteſt, ut cognoſcatur ejus natura, quin prius innoteſcat natura mutui; quod nos adigit, ut hujus quidem hoc loco accuratam definitionem tradamus. Mutuum generatim eſt gratuita conceſſio uſus rei, eo cum onere & conditione, ut ea reddatur certo elapſo tempore. Tribuitur in genera duo, pro duplici rerum genere quæ traduntur; videlicet, in *ſimplicem traditionem*, ſeu *traditionem ad diem*, & in *traditionem ad uſum*.

Simplex traditio quæ latine dicitur *mutuum*, ſeu *mutui datio*, contractus eſt, per quem rei dominium, quæ conſumitur, quæque nobis per uſum elabitur, in alium transfertur, ea conditione, ut is ejuſdem ſpeciei ejuſdemque valoris aliam reddat ſtato tempore. Hujus mutui materia ſunt res ſeu quantitates quæ numero, pondere & menſura continentur, ut triticum, vinum, pecunia & id genus alia quæ uſu primo conſumuntur & eſſe deſinunt, ſeu phyſice ſeu moraliter, &, quod inde conſequitur, reddi ipſa, ſeu, quod ajunt, individualiter nequeunt, ſed e valore tantum, vel ex alia ejuſdem generis, ejuſdemque qualitatis ſeu bonitatis re. Perſpicitur hinc mutuum, ſeu mutui dationem qua res ſimpliciter traditur, eſſe, ſuæ ipſius eſſentiæ vi, genus quoddam donationis ad præſcriptum terminum uſque, quippe quæ pura putaque largitio eſt, quæ ad ſtatum quoddam tempus, rei mutuo datæ dominium, periculum, uſumque civilem qui a dominio ſeu proprietate ſejungi nequit, in mutuatarium transfert, ea conditione, ut eam, præſcripto tempore, commodatori ſeu donatori e genere ipſo vel e valore reddat. Eo uſque, quoad ſcilicet is terminus elapſus fuerit, commodata res ad mutuatarium jure omnique proprietate pertinet, & quoad individuum, & quoad valorem qui ejus pretium efficit; ia ejus pericula ſubit, ſi quem fortuitum ob caſum eamdem perire contigerit: eam poteſt commutare, alienare, impendere ad acquirenda bona mobilia vel immobilia, &c.

Traditio ad uſum, quæ commodatum dicitur, contractus eſt, per quem gratis datur alicui res quæ uſu non conſumitur, ut domus, ſupellex, liber, animal, ut hac ad ſtatum tempus utatur, ea conditione, ut eamdem commodatam rem deſignato tempore reddat. Traditionis genus hoc a ſimplici traditione, quæ *mutuum* dicitur, in eo differt, quod ſimplex traditio, ſeu mutuum transfert rei mutuo datæ dominium; at in commodato qui mutuum dat, rei commodatæ dominus ſemper remanet; & mutuatarius eo tantum jure gaudet, ut re ſibi tradita utatur, quin ejus ſubſtantiam attingat, ei oneri obnoxius, ut individuam reddat, qualem accepit, quippe quæ non abſumitur, tametſi debilitetur, uſuque deterior fiat. Diſcrepat etiam *commodatum* a locationis contractu, eo ex capite, quod illud eſt mere gratuitum, in locationis autem contractu certum pretium exigitur pro uſu rei quæ locatur. Diſtinguitur præterea a contractu *precario* dicto, atque a depoſito, prout in precario depoſitoque res tradita vel depoſita, cum libuerit, repeti poteſt, in *commodato* autem ſolum ſtato tempore repeti poteſt, etſi forte damni aliquid ſupervenerit, quod commodatorem ad eam citius repetendam adigat.

Denique mutuum, ſeu mutui datio a cæteris omnibus contractibus eo quoque nomine differt, quod *commodati*, locationis, depoſiti, precarii materies ſervari, & tempore de quo convenit, remitti debet, & quidem ita, ut ejus ſalva & incolumis ſubſtantia ſit; at in mutuo, cum ejus materies deſtructa vel alienata, & ita e mutuatoris egreſſa manibus ſit, ut ad eam non amplius ipſa, ſeu quoad individuum redeat, mutuatori ſatis eſt aliam ejuſdem naturæ, ejuſdem generis, ejuſdem qualitatis, ejuſdem valoris rem ei mutuatario reſtitui; atque hic demum peculiaris & proprius, ſeu, quod ajunt, ſpecificus & diſtinctivus mutui character eſt.

2. Uſura ſecum affert rei commodatæ quæ *principalis ſors* nuncupatur, deſignato tempore reſtituendæ obligationem, quia nihil eſt aliud quam ad diem & ad limitatum tempus mutui contractus, qui traditæ rei dominium non transfert, etſi ad ſtatuti termini lapſum uſque, quo quidem elapſo commodatarius rem in ſpecie commodatori reddere debet.

3. Uſura commodatori certum emolumentum, præter rem ab eo traditam, ſeu ultra ſortem, præſtandi obligationem adjunctam habet; quod emolumentum recontinetur, in quam pretium cadit, cujuſmodi ſunt aurum, argentum, frumentum, vinum, ſegetes & merces cæteræ, labores, obſequia, ſervitia, diurnæ operæ, officia omnia pecuniæ pretio æſtimabilia quæ præter principale caput, ſeu traditam rem, vel, ut verbo expediam, *ultra ſortem* extinguuntur.

4. Uſura in eo eſt poſita, ut exigatur ultra rem mutuo datam, omnino mutui vi, quoddam emolumentum; hoc enim ipſum, ſiquidem ob legitimos, & a mutuo reapſe alios titulos exigatur, non amplius uſura erit odioſo ſane ſenſu qui eidem tribuitur, & hic mutui contractus non amplius ea ipſa ratione uſurarius contractus erit. Qui porro mutuum det, ſi ea primario vel ſecundario intentione eſſet, ut ex re mutuo data emolumentum perciperet, nulla licet ſeu expreſſa ſeu tacita conventio exiſteret, in id incideret quod *mentalis uſura* dicitur, quæ nempe ſolum in mente, voluntate, intentione reſidet, quamque nulla de emolumento ultra ſortem conventio comitetur, nulla ejuſdem emolumenti acceptio reapſe conſequitur.

Quibus ergo demum capitibus conventionalis & realis uſura contineatur, in aperto eſt. Ea nimirum in eo eſt poſita, ut in ſtipulationem deducatur, exigatur, percipiaturque reapſe lucrum, quæſtus, emolumentum ex pecunia ad terminum mutuo data, prorſus ipſa mutui vi, ſcilicet, tamquam pretium uſus rei traditæ, ac ſine legitimo titulo, qui re ipſa, & non ſpecie ſolum tenus, a mutuo diſtinctus ſit. Seu mutuatario rei quam mutuam accepit, uſus ſit utilis ſeu non; emolumentum quod inde percepturum ſperat, aut reapſe percipiet; ſeu magni ſeu parvi momenti ſit; mutuator quot ei placuerit, titulos imagine tur ab iis alios, qui *lucrum ceſſans*, aut *damnum emergens* vocantur, quoties, abſque horum titulorum alterutro, ex pecunia quam mutuam dedit, certum emolumentum exigere non verebitur, quantumvis ea mutuatario cæteroquin utilis fuerit, toties uſuræ crimine ſe mutuator obſtringet. Poterit is quidem dicere, quod exigit emolumentum, ſuæ pecuniæ locationis fructum, compoſitæ ſocietatis productum, cenſus utrinque redimibilis annuum vectigal, conſtitutionis ad tempus contractum eſſe; addere poterit ſuæ ſe pecuniæ dominium ſemper retinere; ejuſdem periculis ſe obnoxium eſſe, ex ea fructum oriri in mutuatarii manu, qui jam di-

ves, eaque non alio consilio utitur, quam suas ut opes augeat; non esse proinde justitiæ consonum, ut is unus omnes ejusdem fructus percipiat, &c. Speciosa hæc omnia, & quicquid ei præterea placuerit, mutuator dicet; & non minus verum erit eum toties usuræ criminis reum fore, quoties ex pecunia quam mutuam dederit, fœnus aliquod, seu magnum seu parvum percipiet, quin ulla ipse in re, seu per laborem, seu per industriam, seu per expensi quicquam, ad ejusdem pecuniæ utilem usum conferat, quin summæ pericula in se recipiat, quin aliud ipse discrimen subeat, quam quod rei ad diem commodatæ intrinsecum est, ab eaque sejungi nequit. Vere semper dicetur usuram injustam & proprie dictam emolumento essentialiter contineri, quod exigitur e re mutua, simplici mutui vi, vel tamquam usus pretium, in quem mutuatarius eamdem contulerit, quantumvis utilis ei sit usus hic, & quicumque tandem mutuatarius fuerit, dives aut pauper, negotiator, aut non. Mutuæ summæ accretio omnis, a quacumque manu percipiatur, & quicumque mutuationis effectus seu productus extiterit, hæc demum ipsa injusta usura est: *Quidquid sorti accedit, usura est. Usura sortis accessio est.* Personarum distinctio, emolumentorum discrimen, usuum varietas, in quos mutua pecunia collata fuerit, usuræ quidem speciem mutare possunt, in eademque specie aggravare usuram possunt, aut imminuere; at non possunt eamdem extinguere ac de medio funditus tollere, a communi scilicet genere extrahere, sub quo usuræ species, seu formæ omnes & singulæ continentur. Ultra Principis taxam exactum fœnus major usura est quam quod intra hos justos terminos consistit. E paupere exactum fœnus multo duriorem usuræ speciem constituit, quam quod in divitem exercetur. Ex negotiatore sumptum fœnus aliam & ipsam usuram parit, quam ex nobili viro sumitur, qui non negotiatur. At hæ usuræ omnes sunt totidem peculiares species quæ necessario sub uno communi genere continentur, ac discrimina quæ inter eas comperiuntur, non id ipsæ sunt, quod formaliter usuram constituit; hæc enim in sua formali essentia constitutam supponunt, quin mutationem in eam inducere, sublata ejusdem natura, possint.

Genuina hæc idea est, quæ, ad usuræ vim & rationem quod attinet, alte animo infigi debet; ejusmodi est ejus notio, ejus definitio, ejus essentia: quæ quidem una, si cordi esset bona fides, ad disjiciendas nubes sufficeret, quas huic gravi negotio offundi lubet. Jam vero ita exposita usura juri naturali, juri divino, juri humano tam ecclesiastico quam civili, & quod inde fit consequens, sacræ Scripturæ, Patribus & Conciliis repugnet. Hujus quidem operis scopus non id summo jure a nobis postulat, ut ostendamus, quemadmodum usura Conciliis eorumque canonicis legibus quibus adeo civiles regni leges consentaneæ sunt, adversetur. At quod a nobis pro consilii nostri ratione strictum summumque jus non requirit, id nos rei gravitati negare non possumus. Usuræ igitur in bono lumine posita cum Conciliis oppositione, ejus defensores per effugia, latebras, excusationes insectabimur, quascumque congerunt, ut eam obtegant, ac, siquidem fieri per eos possint, legitimam reddant, fucorum adminiculo, quos eidem suppeditant. Nullam eorum difficultatem dissimulabimus, eoque minus erit, quod id facere nobis in mentem veniat, quo magis, quam levia & infirma sint, quæ ab iis confinguntur, rationum momenta, convicti sumus. Veritas parvis iis adjumentis non indiget; satis habet se prodere, ut plene cumulateque triumphet; cæterum, dum usuræ patronos & fautores impugnamus, hic edicimus, & singulos certos volumus, eorum nos scripta, nequaquam autem personas impetere. Si minus eorum opiniones, christianæ moralis doctrinæ puritati temporera contrarias approbare possumus, id ipsi nobis ex alia parte voluptati ducimus, ut eorum & scientiæ & perspicaciæ & ingenii viribus, atque adeo probitati, cum falli bona fide possint homines, jus reddamus. Quæ porro confutare, & in quæ stilum acuere aggredimur, opera sunt, inter alia, *Praxis Schedularum; Epistola ad D. Archiepiscopum Lugdunensem, in qua agitur de Mutuo ad fœnus Lugduni, dicto Pecunia Deposita, quoad ejus rationes*, Avenione typis edita, an. 1763. *Tractatus de usura, deque fœneribus*, *Colonia* (Parisiis, apud Valtle-Capelle, an. 1769.); *Tractatus de Mutuis Commercii, seu de pecunia legitimo & illegitimo Fœnore, auctore D.... Parisiensis theologica Facultatis Doctore.* Nova editio aucta; volumine quinque in 12. quorum priora quatuor an. 1759. Parisiis, Amstelodamensi nomine; & quintum itidem Parisiis, apud Knapen, an. 1770. Hæc opera quatuor quæ refellenda suscipimus, ex diametro cum eo pugnant, cujus doctrinam, quippe quæ una veritati congruit, amplectimur, & cui ex Gallico qui quatuor etiam oppositorum operum est, sermone titulus: *Principia theologica canonica & civilia, super Usura, Commercii inter Negotiatores Mutui, Negotiationi omnium generum chartæ, valoris nota, & generatim omni pecunia fœnori accommodatæ; sex additis ad Amicum Litteris, in responsum ad Opus nuper editum hoc titulo*: Tractatus de Commercii Mutuis, seu de legitimo & illegitimo Pecuniæ Fœnore, deque novis Illustrationibus &c. Parisiis, apud Delavaque, an. 1769. & 1772. vol. 4. *in* 12. Semel dicimus, ne crambem recoquamus, nos strenui hujus auctoris doctrinam recipere, nec dubitaturos ejus verbis ipsis nonnunquam uti. Agemus perinde quoad aliud eximium opus quod super hac re prodiit, inscriptum: *Usura detecta*, seu, *larva subducta* &c. per R.P. de Gasquet, Capuccinum de Lorguesio, Theologiæ lectorem emeritum; Avenione, an. 1766.

Conciliorum Canones qui Usuram damnant.

Si quis clericorum detectus fuerit usuras accipere, placuit eum degradari, & abstineri. Si quis etiam laicus accepisse probatur usuras, & promiserit, correctus jam, se cessaturum, nec ulterius exacturum; placuit ei veniam tribui; Si vero in ea iniquitate duraverit, ab Ecclesia esse projiciendum. (*Al. sciat se esse projiciendum*). (Concilium Elliberitanum, an. 303. can. 20.)

Seditiosos nunquam ordinandos clericos, sicut nec usurarios, vel injuriarum suarum ultores. (Concilium Agathense, an. 506. can. 69.)

Porro detestabilem & probrosam divinis & humanis legibus, per Scripturam in veteri & novo Testamento abdicatam, illam, inquam, insatiabilem fœneratorum rapacitatem damnamus, & ab omni ecclesiastica consolatione sequestramus: præcipientes, ut nullus Archiepiscopus, nullus Episcopus, vel cujuslibet ordinis abbas, seu quivis in ordine & clero, nisi cum summa cautela, usurarios recipere præsumat, sed in tota vita infames habeantur; & nisi resipuerint, christiana sepultura priventur. (Generale Concil. Lateranense II. an. 1139. can. 13.)

Quia in omnibus fere locis tantum usurarum ita invaluit, (forte, crimen usurarum) ut multi, aliis negotiis prætermissis, quasi licite usuras exerceant, & qualiter utriusque Testamenti pagina condamnentur, nequaquam attendant; ideo constituimus, ut usurarii manifesti nec ad communionem admittantur altaris, nec christianam, si in hoc peccato decesserint, accipiant sepulturam. Sed nec eorum oblationem quispiam accipiat. Qui autem acceperit, aut eos christianæ tradiderit sepulturæ; & ea quæ acceperit, reddere compellatur, & donec ad arbitrium sui Episcopi satisfaciat, ab officii sui maneat executione suspensus. (Lateranense III. generale Concil. an. 1179. cap. 25.)

Usurarum voraginem quæ animas devorat, & facultates exhaurit, compescere cupientes, constitutionem Lateranensis Concilii contra usurarios editam, sub divinæ maledictionis interminatione, præcipimus inviolabiliter observari. (Lugdunense II. generale Concil. an. 1274. cap. 26.)

Si quis in hunc errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat, usuras non esse peccatum; decernimus eum velut hæreticum puniendum; & ordinarii & inquisitores hæreticorum possunt contra tales, ut contra hæreticos, procedere. (Clemens V. in sua Decretali *de Usuris*, cum Viennensis generalis Concilii, an. 1312. celebrati approbatione, eo saltem sensu accepta, quod Concilium suorum decretorum compositionem Papæ reservaverat & reliquerat.)

Simoniæ vitio peccatum usuræ esse affine nemo non conspicit. Cum igitur sacræ litteræ excludant eum a divino tabernaculo, qui pecuniam dederit ad usuram, apertoque moneant, ut mutuum demus, nihil inde sperantes; quisquis præter sortem præcipuam, ex mutuo aliquid amplius exegerit, vel acceperit, cujuscunque generis illud sit, modo pecunia æstimari possit; usurarius esse censeatur. Quæ autem per usuram parta sunt, vel accepta, usurarii restituere teneantur. (Concil. Remense, an. 1583. tit. *de Fœnore*.)

Quoniam fere ubique gentium teterrimum usuræ crimen, quod olim non immerito a quodam homine Ethnico homicidio comparatum fuit, omnium hominum cujuscunque ordinis & conditionis invasit animos; & quod sane graviter dolendum est, usque adeo invaluit, ut jam plerisque nullam peccati mortalis rationem habere videatur, sed veluti licita negotiatio, contra manifestum Dei præceptum exerceatur; ea de re, ne quis hac in parte culpam suam ignorationis excusatione prætexere possit, visum est nobis ex sacris Scripturis, & sanctissimorum Patrum decre-

decretis, quædam hujus generis delicta quæ passim in hac provincia committuntur, annotare, & ea pro muneris nostri ratione prohibere; ut sciant cuncti qui hujuscemodi crimina, vel illis affinia commiserint, se mortis æternæ pœnæ, nisi sedulo inde resilierint, mulctandos & excommunicandos esse; eos vero qui manifeste tales fuerint, non solum vivos altaris communione privatos, aliisque gravissimis pœnis obstrictos teneri, sed etiam mortuos sepultura ecclesiastica carituros esse.

Ne cui igitur ex mutuo, præter sortem, ex convento, vel ut quod datum est, aliquid amplius accipere, aut principaliter sperare, sive ejusdem generis, sive alterius, quomodocunque, etiamsi opera sint, liceat; etsi pecunia ipsa sint pupillorum, aut viduarum, aut liberorum piorum, vel etiam dotales; nisi quatenus id jure nominatim permittitur. Mutuum enim ex præcepto divino debet esse gratuitum.

Ne quis ob dilatum solutionis diem carius vendat, quam justi pretii ratio ferat.

Sed neque etiam ob anticipatam solutionem res minoris ematur justo pretio, vel minus solvatur.

In societate animalium quæ inæstimata alicui dantur custodienda, sive ut operas præstet, omnes casus eorum fortuiti semper sint periculo ejus qui dederit, nisi accipientis & custodientis dolo aut magna negligentia damnum accidisse constiterit. Non sint pactio, ut sors sit semper salva, etiam ex primis fœtibus. (Concilium Burdigalense, an. 1583. tit. 29. *de Usuris & illicitis contractibus.*)

Quod sacris utriusque Testamenti paginis, Conciliorum generalium sanctionibus, sanctorum Patrum sententiis, summorumque Pontificum constitutionibus cautum est, fœneratores, damnosum hominum genus, fœneratitiosque contractus, sive proprio, sive alieno nomine constitutos, omnibus juris remediis, canonumque decretis puniendos Episcopi summa diligentia curent. (Concilium Tolosanum, an. 1690. part. 4. cap. 14. *de Usuris.*)

Consuetudine peccandi obstinati, usurarii, concubinarii, & adulteri publici lacerare ajunt sacerdotes & Ecclesiæ pastores, dum in eos juxta Patrum decreta excommunicationis sententiam proferunt, nec tamen (inquiunt) mordere; quia, in profundum cum venerint impii, (quod maximum malorum est) contemnunt; & plus apud eos potest temporalis etiam levissima pœna, quam spiritualium bonorum nunquam forte reparanda jactura. Ideo contra tales, pœnis a jure canonico statutis, severe procedatur. (Concilium Narbonense, an. 1609. cap. 46. *de Usurariis, Concubinariis & Adulteris.*)

Legi non possunt hi canones, quin persuasum fiat eos usuram damnare tamquam suapte natura malam; hanc damnare in omni genere hominum, seu ecclesiastici, seu laici sint; hanc damnare quoad quemcumque tandem exerceatur, seu dives, seu pauper sit, seu negotiator, seu non; ponere usurarios in seditiosorum, ultorum, concubinariorum, simoniacorum, furum, adulterorum numero; de usura loqui tamquam de exsecrando, omnibusque legibus divinis & humanis vetito crimine; declarare hæreticos eos qui pertinaciter contenderent usuram minime peccatum esse; definire ne tum quidem licere pecuniam ad usuram dari, cum de quæstu a viduarum, pupillorum, piorumque locorum bonis percipiendo agitur; testari mutuum semper esse debere mere gratuitum, præter quam in lucri cessantis aut damni emergentis casu; ad extremum, tradere usuræ definitionem & peculiarem notam per lucrum seu emolumentum, quodcunque sit, exactum speratumve ultra præcipuam sortem, unde proveniat, ex divite vel paupere, ex negotiatore vel alio, cujuscunque sit generis, pecunia, merx, opere seu servitium, & cum percipitur mutui vi, & tamquam mutuæ pecuniæ pretium; *lucrum ex mutuo, pretium pecuniæ mutuatæ.* Usuræ scilicet a Conciliis proprius & singularis character est mutui superabundantia, seu excessus, incrementum additum sorti, summæ seu capiti additio, emolumentum quod a rebus mutuo datis supra earumdem valorem, & ob ipsum mutuum trahitur.

At si usuram Concilia absolute & in se ipsa spectatam damnant, quia intrinsece vitiosa est, falsum est ergo hanc ab iis non damnari nisi sub certis rationibus, in quibusdam peculiaribus circumstantiis, quoad certas quasdam personas quæ eam exercerent, aut in quas eadem exerceretur, ut ejus defensores contendunt. Falsum est a Conciliis eam damnari tantum in clericis, non autem in laicis, aut tum solum cum nimia est, & modum excedit; aut cum ex paupere, non vero cum ex divite vel mercatore sumitur; aut cum exercetur avaritiæ seu cupiditatis causa; aut cum eam fraudes & rapinæ comitantur; aut cum qui eam exercent, publici & ex professione usurarii sunt, &c. Hæ omnes explicationes quæ Conciliorum canonibus affinguntur, qui usuram damnant, nihil sunt aliud, quam vanæ subtilitates & artificiosæ cavillationes, quarum adminiculo in id incumbitur, irrito tamen conatu, ut purgetur usura quam iidem canones absolute & sine ulla restrictione proscribunt, tamquam gravissimum malum, *teterrimum usuræ crimen*; malum cum furto, homicidio, simonia, adulterio, &c. comparandum. Nihil ergo refert esse Concilia, ut Tridentinum, quæ alte de usura silent; esse præterea, quæ solum de usura ab Ecclesiasticis patrata loquuntur; esse demum, quæ de usura solum quoad pauperes meminerunt. Hæc argumenta quæ mere negativa sunt, nihil habent soliditatis, præcisionis nihil. Unumquodque Concilium dubio procul de omni dogmatis, moralis doctrinæ & disciplinæ materia non loquitur; & peculiariter Tridentinum quidem id sibi potissimum proposuerat, ut Lutheranorum & Calvinistarum dogmaticos errores damnaret; ut proinde mirum videri non debeat ab eo nullum super usura decretum editum esse, cum alioquin Catechismus qui ejus nomen præfert, & cui tantum auctoritatis in Ecclesia est, ejus silentium suppleverit, firmissimis quibus ratiocinationibus usuram impugnans. Quod attinet ad Concilia quæ solum de usura per ecclesiasticos, aut a pauperibus exacta loquuntur, perspicuum est ea non proinde cæteras usuræ species excludere, sed majore studio id sibi sumere, ut usuram quæ ab ecclesiasticis, aut quoad pauperes exercetur, tamquam cæterarum gravissimam maximeque odiosam, in medio relicta deformitate cæteris omnibus inhærente, proscriberent. Estne ergo commune genus, & plures ejus species absolvere, speciarum aliquas quæ in eo continentur, vehementius damnare, quia magis eæ quidem criminosæ quam cæteræ sunt? Estne mendacium universim, seu ludicra, jocosa, officiosa mendacia ab omni culpæ nota liberare, in calumniosa & proximo noxia mendacia detonare? Usuram definire per speciem, videlicet, per aliquas particularium usurarum rationes, non autem, ut oportet, per genus, quod omnibus & singulis commune est, omnesque generales propositiones quæ usuram damnant, restringere, seu particulares reddere, quia peculiares nonnullæ vehementius usuram damnant, quæ ab ecclesiasticis, aut in pauperes exercetur, est logices & ratiocinationis vitium quod in usuræ patronorum pravis iis præposterisque difficultatibus dominatur. Reliquos omnes quas proponere consueverunt, refellendas suscipimus, initio ab iis ducto, quæ ad sacras Litteras referuntur.

Difficultates quæ super sacris Scripturis versantur.

I. DIFFICULTAS.

Sacra Scriptura non nisi quoad pauperes usuram damnat; *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum, quasi exactor, nec usuris opprimes.* (Exodi 22. 23. & Levit. 25. 35. 36. 37. 38.)

RESPONSIO.

Id sane convenit, in his Exodi & Levitici textibus s. sacra Scriptura non nisi quoad pauperes usuram damnari. At eodem tempore conveniat & illud necesse est, usuram absolute & quoad omnis generis homines ab eadem sacra Scriptura aliis in locis damnari, cujusmodi sunt quæ sequuntur: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?.... qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* (Psalm. XIV. v. 1. 6.) *Vir si fuerit justus .... vita vivet, ait Dominus Deus. Quod si genuerit filium latronem, effundentem sanguinem .... ad usuram dantem, & amplius accipientem, nunquid vivet? Non vivet.* (Ezech. cap. 18. v. 5. 9. 10. 13.) *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Liquido constat per hos sacræ Scripturæ textus absolute & indiscriminatim quoad omne genus hominum usuram damnari, ac si equidem alibi de pauperibus tantum loquitur, id ob eam causam fieri, quia usura quoad pauperes multo quam quæ a divitibus exigitur, iniquior duriorque est. Posita est ergo pauperis vox in Exodi & Levitici textibus, exempli, non restrictionis in modum, videlicet, usura e paupere exacta tamquam injustitiæ exemplum affertur, quæ usuram sequitur maxime insignem & horrori maxime obnoxiam, non autem ut restringatur, redigaturque ad hanc unam & unicam speciem, ea exclusa quæ quoad divitem perpetratur. Qui id contendunt, non animadvertunt, rem in universum, non per genus, quod deberent, sed per ejus peculiares species seu formas, & accidentarias circumstantias a se definiri, quod definitionis & logicæ regulis adversatur.

tur. Quoniam ergo sacra Scriptura pluribus in locis generatim usuram damnat, citra absurdum concludi nequit hanc ab ea quoad pauperes tantum damnari, ea obducta causa, quod eadem alicubi de hac solum loquitur, omnino quemadmodum absque absurditate dici non posset Concilia & Patres non damnare superbiam, avaritiam, ebriositatem, fastum, luxum, ambitionem, vanitatem, concubinatum, impudicitiam nisi in clericis tantum, exclusis laicis, propterea quod passim hæc vitia & has depravationes in clero damnant, quin de laicis loquantur. Alioquin, si in Exodi textu sumi debet vocabulum *pauperi*, tamquam restrictio verborum *populo meo*, quæ illud proxime præcedunt, accipienda etiam erunt verba hæc *qui habitat tecum*, tamquam restrictio vocis pauperi, quæ proxime ea in eodem textu antevertit; ex quo illud consequens fiet potuisse Judæos licite ad usuram dare pauperibus, quamvis ex eorum natione, & ut ipsi, Judæi essent, modo in eadem natione non versarentur; quod propugnari non potest, absurdumque est.

II. Difficultas.

Non fænerabis fratri tuo, ad usuram, pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno; fratri autem tuo, absque usura, id quo indiget, commodabis. (Deuteronomii XXIII. v. 19. & 20.) Permittit usuram Deus Judæis quoad extraneos; ea ergo nec mala, nec injusta est ipsa per se; quod enim malum injustumque suapte natura est, id Deus ne quoad extraneos quidem permittere potest. Ita quidem usuræ defensores ratiocinantur.

Responsio.

Distinguenda veniunt duo rerum genera, quæ malæ & injustæ in se ipsis sunt. Pertinent ad primum genus ea, quorum cum æterna seu suprema ratione oppositio ejusmodi est, ut repugnet Deum posse eadem permittere, quia, siquidem ea permitteret, secum ipsa pugnaret, contra supremam rationem agens, quæ omnia cum ordine optime congruere vult, ut S. Augustinus loquitur: *Summa ratio .... qua justum est, ut omnia sint ordinatissima.* (Lib. I. *de lib. arbitr.* cap. 4.) Ex hoc rerum genere, causa exempli, mendacium est, quippe quod supremæ rationi, primæque veritati quæ nihil est aliud quam Deus ipse, adeo adversatur, ut repugnet Deum posse in ulla circumstantia, ullamve ob causam, quæcunque demum ea fuerit, illud permittere. Itaque mendacium essentialiter & indispensabiliter, ut scholæ dicunt, seu necessario malum est.

Res in se ipsis ex altero quidem genere malæ sunt, quæ ejusmodi esse desinere possunt, & bonæ evadere per aliquarum circumstantiarum mutationem quæ efficit, ut earum status & natura mutetur. Exemplis res clara fiet. Furtum & homicidium sunt in se mala, quia alterius bonum sumere, aut homini, privata auctoritate, vitam adimere, duæ res sunt naturali divinæque legibus quæ eas prohibent, contrariæ, & quod inde consequitur, in se malæ. At si quempiam Deus sinat aut jubeat alienum bonum sumere vel occidere, quemadmodum Hebræis cum reapse veniam dedit, ut Ægyptios spoliarent, iisdemque mandavit, ut populos, quicunque promissam terram incolebant, occiderent; tum quidem harum rerum naturam statumque Deus ipse mutat, efficiens, ut bonæ & licitæ sint, cum prius malæ & vetitæ essent; id vero, quia Deus, utpote nostrorum bonorum nostræque vitæ absolutus dominus, hæc nobis adimere ipse per se, vel aliis, ut eadem nobis adimant, committere potest. Hoc posito, dicimus usuram in earum rerum numero, quæ in se malæ ex primo genere sunt, collocandam non esse, Deumque voluisse Judæis quoad exteros eam licitam esse; quod non impedit, quominus eadem Christianis, quoad omne genus hominum, vetita sit, nisi peculiarem Dei veniam proferant, quæ ipsis ejus exercendæ auctoritatem tribuat.

„ At, quid? exclamat auctor Tractatus de Usura
„ Fœnoribusque; (pag. 62.) an vero contendetur Ju-
„ dæis fuisse bonorum dominium, quæ ad cæteras
„ omnes homines pertinebant, quibus eadem adimere
„ poterant? Illud iis fuisse ad Messiæ adventum us-
„ que? Id sane contendi oporteret. “ Minime vero gentium, nos quidem ei respondemus. Ejusmodi contentio non est ullo modo conjuncta cum facultate dandi ad usuram exteris, quandoquidem aliud est exigere summarum fœnora, quæ his exteris datæ sunt, aliud, bonorum ad eosdem spectantium dominos esse. Auctor qui commodatoribus eam veniam dat, ut e divitibus quibus commodant, fœnora trahant, putatne propterea commodatores hos bonorum ad eos omnes quibus commodant, pertinentium dominio & proprietate gaudere?

III. Difficultas.

Verba hæc capitis 6. S. Lucæ: *Mutuum date, nihil inde sperantes*, date scilicet mutuum, quin emolumenti quicquam ex eo speretis; hæc, inquam, verba usuræ fautoribus propugnatoribusque contraria non sunt; 1. quia hæc iis est una & unica subjecta notio: „ mutuum date, quin reciprocum mutuum expecte-
„ tis, seu, quin speretis fore, ut mutuatarius suo &
„ ipse vobis vicissim tempore mutuum det; “ 2. quia consilium ea solummodo, non autem præceptum continent. 3. quia mutuum designant, & quidem unice, quoad pauperes, quoad divites autem & negotiatores non item.

Responsio.

1. Ea Christi Domini verba, *Mutuum date, nihil inde sperantes*, uno eodemque tempore prohibent, ne mutuum detur e reciproci mutui spe, ac ne fœnora e mutuo exigantur. Hæc duo quæ optime inter se conciliantur, sunt etiam prorsus analoga Christi Domini, in hoc Evangelii loco, menti quæ est, ut perfectam cumulatamque privatæ utilitatis, propriique commodi oblivionem abdicationemque in mutuo præcipiat. Verum ea posterior significatio quæ mutui fœnore interdicit, magis etiam quam prior, ipsis Christi Domini verbis respondet: *Mutuum*, inquit, *date nihil inde sperantes; inde*, videlicet, nihil ultra rem mutuo datam, nullum lucrum, nullum emolumentum quæstumve præter sortem præcipuam; seu caput, summamve traditam, *nihil inde* sperantes. Ita scilicet Bossuetius ex Conciliorum & Patrum unanimi traditione explicat verba hæc in suo de Usura Tractatu, qui extat inter ejus Opera posthuma, Tom. III.

2. Christi Domini verba continent præcepta duo, nonnihil præterea consilium. Continent primo loco mutui dandi præceptum ex eorum genere, quæ affirmativa dicuntur; præceptum videlicet, quod eo ipso ex capite quod est affirmans, non semper obligat, sed in quibusdam circumstantiis solummodo, quæ nempe ad mutuatarii indigentiam, itemque ad ejus qui mutuum det, statum & facultates referuntur. Sed, quia præceptum hoc non semper obligat, sed exceptiones pati potest, pendet a circumstantiis, eique modum prudentia adhibere debet; S. Thomas, (2. 2. q. 78. art. 1. ad 4.) his rationum momentis permotus, mutui generatim præceptum in consiliorum numero posuit, mutui vero gratuitatem inter præcepta retulit: *Ad quartum dicendum, quod dare mutuum non semper tenetur homo; & ideo, quantum ad hoc, ponitur inter consilia; sed quod homo lucrum de mutuo non quærat, cadit sub ratione præcepti.* Evidens est S. Thomam non alia de causa ponere mutuum generatim inter consilia, quam quia non semper, nec in omnibus circumstantiis adest mutui dandi obligatio, prorsus ut idem S. Doctor eleemosynam generatim in consiliorum numero collocat, quia non magis nos afficit ejus in omnibus circumstantiis, & quoad omnes pauperes erogandæ obligatio, quamvis alioquin fateatur doceatque eleemosynam ad præceptum spectare: *Eleemosynam de superfluo dare, & necessitatem patienti, est in præcepto; cæteris autem largiri eleemosynas, consilii potius quam præcepti est.* (2. 2. q. 32. art. 5. *in Conclus.*) Inconsulto igitur ac temere quispiam assereret S. Thomam absolute dixisse mutuum non esse nisi puri putique consilii opus; atque ea solum verba, *dare mutuum non semper tenetur homo*, ad eum ab hac exprobratione purgandum sufficerent, quandoquidem si, S. Doctoris sententia, non semper homo debet tunc suum dare, interdum ergo & in aliquibus peculiaribus circumstantiis debet. Necessaria sane est consecutio. Quamobrem Christi Domini verba continent ergo mutui dandi affirmans præceptum, consiliumque, prout nempe, quia non semper, nec cuique petenti mutuum dari necesse est, mutui proinde in certis quibusdam circumstantiis, & quoad certas quasdam personas datio consilii est; at facta etiam hypothesi, tum quoque, cum non tenemur, nos mutuum dare, gratuito demus, omnino necesse est: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Atque hoc nimirum alterum præceptum est, quod his ipsis Christi Domini verbis necessario, seu essentialiter continetur; præceptum negans, quod semper obligat, & cui sine legitimis & a mutuo reapse distinctis titulis se subducere nemini licet. Ergo e Christi Domini præcepto, *mutuum date*, non semper tenemur mutuum da-

re,

re, quemadmodum, exempli causa, non semper eleemosynam erogare, & vocali preci vacare tenemur; at, si mutuum dare volumus, omnino gratuito damus, oportet, quia mutui gratuitas his Dominici præcepti verbis, *nihil inde sperantes*, essentialis conditio est; perinde ac si eleemosynam erogare, aut voce tenus orare volumus, necesse pariter habemus utrumque facere pura intentione, servatisque omnibus conditionibus quæ seu eleemosynam, seu vocalem precem comitari debent, ut, prout christianum hominem decet, eædem fiant, quia hæ conditiones ad divinum præceptum pertinent, quod nos omnia ad Deum referre, nihilque non ratione eo dignus, quæque eidem grata esse possit, agere jubet.

3. Christi Domini verba non pauperibus tantum, verum etiam divitibus & negotiatoribus datum mutuum afficiunt, tum quia generatim absoluteque efferuntur, tum quia supra omne usurarium, & quod inde consequitur, suapte natura vitiosum mutuum cadunt, & quia divitibus aut negotiatoribus datum mutuum, statim ac gratuitum non est, necessario usurarium & vitiosum evadit ipsum per se, tam denique quia traditio quæ sola sacræ Scripturæ sensus interpres est, ea Christi Domini verba, quemadmodum nos ipsi intelligimus, intellexit, posuitque in horum numero; *Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos*. Asserendum ergo est aut mutui gratuitatem præcepto contineri, aut inimicorum amorem ad præceptum non pertinere; quam quidem posteriorem partem amplecti non est veritus Auctor Epistolæ ad D. Archiepiscopum Lugdunensem, inquiens inimicos diligere usque bene facere, non nisi consilium esse, repugnante licet ac reclamante Ecclesia universa, quæ nullo non tempore persuasum habuit credid︎itque, inimicos amore prosequi, pro iis orare, iisdemque bonum velle & facere, præceptum, & quidem e clarioribus & certioribus unum esse.

„ At demum, inquit Auctor Tractatus de Usure „ Fœnoribusque, (pag. 60. & 61.) de usure, per me „ licet, allatus textus, siquidem ita libuerit, intelli„ gatur; contineat is sane summi juris præceptum; „ saltem damnari non potest nisi usura, nempe fœnus „ quod a mutuo derivatur, non autem illud quod per „ conventionem, per contractum a mutuo distinctum „ retrahitur. “ Minime, dubio procul, Evangelii textus hic, minime damnare potest, nec reapse damnat nisi usuram, nisi fœnus quod ex mutuo provenit, non item illud quod per contractus a mutuo reapse distinctos percipitur. At si contractus hi quorum vi fœnus sumitur, non re quidem, sed specie tantum & fictione quadam a mutuo differunt, si ipsi quoad substantiam, fundum & ut ajunt, realitatem non nisi mutui contractus, larvati ii quidem & palliati, sunt: tum vero laudatus Evangelii textus ad perpendiculum supra eos cadit æque ac supra simplex mutuum, quacunque demum larva obtectos invaciat.

Difficultates ex naturali Jure & Ratione ductæ.

I. Difficultas.

Si solum de mutuis ageretur, quæ indigentibus dantur, seu pauperes sint, seu divites quos peculiares & reales indigentiæ in ea necessitate ponunt, ut ad mutuationes confugiant, quæstio, an usure naturali jure prohibita sit, decisa quampeitmum esset. Fatari dubitarri nemo contra humanitatem contraque charitatem quæ proximo debetur, esse, velle e servitio quod ei præstitum est, emolumentum percipere, & hoc beneficium ad ejus detrimentum est ruinam trahere, cui subsidium afferri oportebat, citraque omnem difficultatem admitterentur rationum momenta plura quæ ad demonstrandam usuræ injustitiam, ejusque cum naturali lege oppositionem a Scholasticis proponuntur. Si etiam super mutuo simplici, seu ad diem, diviti dato, ejus hic licet fœnori solvendo esset, controversia versaretur, eum qui illud exigeret, in ipsum naturale jus peccare pronuntiaremus.... cum enim contractus simplicis mutui, seu mutui ad diem, necessario seu essentialiter gratuitus sit, esset profecto injustitiam patrare, aliquid exigere mutui causa, quod alteri datum est, & naturalem æquitatem violare, quæ nos contractibus quos inimus, fideliter stare jubet; verum essita hæc & rationum momenta cætera quibus theologi utuntur, commercii mutuis, præsertim si per Principis legem firmata & auctoritate munita sint, accommodari non possunt. Ut hæc in ejusmodi mutua utiliter adhiberentur, ostendendum primo loco esset, hanc speciem quæ nihil habet commune cum mutuo præter vagum & generale *mutui* nomen, id reapse esse quod in jure & in scholis per *mutui* contractum intelligitur: secundo loco, nunquam, vel interposita Principis auctoritate, modicum ex pecunia lucrum exigi posse, quæ ad longius breviusve tempus commodata est homini qui fœnus in pactum deductum de suo non solvit, nihilque agit aliud, nisi levem commodatori portionem cedit emolumenti quod e pecunia sibi ab eo data percepit. Quod si hæc species quæ a mutuo ad tempus omnino differt, naturali æquitati contraria est, ad ejus injustitiam probandam, alia adjumenta adhiberi necesse est, quam quæ contra mutuum ad diem, vulgo simpliciter *mutuum* in usu posita sunt. Ita quidem suam mentem aperit Auctor Tractatus de Commercii Mutuis, sui operis Tom. V. pag. 225. 226. & 227. Idem Auctor, ejusdem operis Tom. I. pag. 209. & sequentibus statuit, & quidem jure, ut judicetur, utrum commercii mutuum licitum, necne, juri naturali contrarium, an consonum sit, consulendum esse magnum illud naturalis legis principium quod dictat oportere nos agere cum fratribus nostris, prout eos volumus ipsi nobiscum agere, iis facere quod nobis ab iisdem factum vellemus, iisque non facere, quod nollemus nobis ab ipsis fieri. Super hoc axiomate quod nemo non probat & profitetur, hypothesin quæ sequitur, auctor ut certam ponit.

„ Pono, inquit, acquisitionem Petro faciendam oc„ currere, cujus pretium centum mille librarum est. „ Et non suppetunt nisi libræ quinquaginta mille quæ „ non sufficiunt.... Jacobum amicum adit, cui ita „ proponit: quemadmodum par esse non video me tua „ pecunia uti, ita non esset justitiæ consonum me ex „ tua lucrari. Naturalis lex & Evangelium docent me „ rerum n n esse, siquidem eadem ratione cum aliis „ egerim, qua mecum ab iis actum volo; nec ab hac „ lege vel latum unguem recedam, tibi propono, meas „ ut quinquaginta mille libras ad te remittas, ea le„ ge, ut moderatum mihi fœnus ob eas solvas, vel „ ego, sub eadem conditione, tuas acceptare paratus „ sum. optionem tibi relinquo. Jacobus, amici sibi „ devinciendi, eodemque tempore suæ pecuniæ bene „ collocandæ occasionem se nactum gaudens, Petro „ quinquaginta mille libras exhibet, & fœnus ab eo „ sibi oblatum acceptat. Fœnus hoc uterque justum „ & legitimum comperit; & sane, si Petrus Jacobi „ nummis utitur, Jacobus utilem reddit Petri pecu„ niam quæ otiosa remansisset sine Jacobi mutuo.... „ Quæro, quonam ex capite, in hac facti specie, Ja„ cobus naturalem æquitatem læserit, quaque in re „ ejus injustitia posita sit.... quid juris ei (*Petro*) „ est, ut Jacobi nummorum emolumentum ipse sibi „ tribuat?.... Vellem equidem solidam, animoque „ ratione utenti tranquillando idoneam afferri rationem „ posse, cur omne ex Jacobi pecunia perceptum emo„ lumentum Petro donari jubeat, cum Petrus, siqui„ dem quinquaginta mille francos suo venditori de„ beat, jubeatur cogaturque eorum fœnus eidem sol„ vere. Quid damni patitur Petrus, bis mille quin„ gentas libras Jacobo solvens, quas suo debitori sol„ visset? Quo tandem nomine hujus summæ lucrum „ ei supra Jacobum tribuitur? Si Jacobus emerit una „ cum Petro, suaque ab acquisitione in ejus favorem „ recesserit, ei quidem pro pecuniæ ratione, quam „ præstitit, haud ægre fœnus conceditur; at si candi„ dius agit, & solemnem hanc formam negligit, usuræ „ accusatur. “

Responsio.

Auctor qui has difficultates proponit, satis habebit ergo, quemadmodum ipse nos certos facit, si ei solide probatum fuerit mutui commercium, & quoad nomen & quoad essentiam seu naturam, esse mutuum simplex, vel ad diem, ut vocant; nunquam, ne sub Principis quidem auctoritate, ex pecunia mutuo data modici fœnoris quicquam exigi posse; mutuatarium solvere condictum fœnus de suo; mutuatarii & mutuatoris conventiones non impedire, quominus mutui commercium sanæ rationi contrarium sit, itemque solemni huic naturalis legis principio quo monemur, *nostros ut fratres eadem ratione habeamus, qua nos ab iisdem haberi volumus*; Petri & Jacobi exemplum nihil aliud probare quam auctoris effugia qui illud affert; consecutionem quam ex eo trahere contendit, nullo fundamento niti; ad extremum omnibus quas is super hac re proponit, quæstionibus firmissimas responsiones, quæque cuivis animo ratione utenti facere satis apprime sint aptæ natæ, adhiberi posse. Haud cunctemur ei satis facere, quandoquidem est rationis compos.

1. Commercii mutuum, & quoad nomen, & quoad essen-

essentiam seu naturam, est vera mutuum simplex, seu ad diem. Quid enim mutuum simplex, seu ad diem quoad essentiam & naturam est? Nihil sane aliud, quam contractus per quem transfertur ad præscriptum tempus proprietas usus que rei quæ consumitur, alienatur, abitur usu ipso; ut hæc proinde esse desinat, eique non amplius subsistat, qui ea usus est (quemadmodum pecunia, causa exempli, non amplius ei subsistit, qui eam in permutationem aut emptionem contulit), ea conditione, ut qui mutuam rem accipit, ejus dominus statim evadat, ipsam, prout voluerit, adhibiturus, & stato tempore non eamdem quidem, seu, quod ajunt, individualiter, sed in ejusdem valoris ejusdemque qualitatis specie redditurus. Hæc simplicis mutui essentia, seu natura, vis & ratio est, ex Patribus, ex theologis, ex jurisconsultis, & ex ejus latino nomine ipso. Id enim Latini non alia de causa *mutuum* dixerunt, inquit Justinianus, quam quia, me tibi mutuum dante, quod meum erat, tuum fuit: *Inde etiam mutuum appellatum est, quia ita a me tibi datur, ut ex meo tuum fiat.* Jam vero commercii mutuum essentialiter suapte natura contractus est per quem mutuator ad mutuatarium rei creditæ proprietatem usumque transfert, ea conditione, ut hic acceptæ rei periculis obnoxius sit, eamque stato tempore ex ejusdem valoris specie restituat. Seu rem hanc mutuatarius absumat, seu alienet, quin ex ea quicquam emolumenti trahat, seu in commercio positam, seu aliter sibi valde utilem reddat, nihil horum commercii mutuum quoad essentiam seu naturam attingit; hæc adjuncta sunt quidem accidentaria, extranea, posteriora, quæque ejus formale constitutivum, ut vocant, non efficiunt, sed e converso formaliter constitutum supponunt. Si mutuatarius ex mutuatæ pecuniæ usu emolumentum perceperit, aut non, id eum unice spectat, quia ejus ipse unus & unicus dominus est, adeoque ejusdem pecuniæ penes eum usus ad ipsius tantum utilitatem referri debet, quoniam ipse subit ejus pericula, lucrumque quod ex eadem percipiet, tantummodo ejus industriæ, aut bonæ fortunæ tribuendum est, quin ejus ullam vel minimam partem sibi mutuator vindicare possit, quoniam mutui vi & specie ipsa, in quod pecuniam suam contulit, suo dominio suæque proprietati, quæ ambo in mutuatarium transtulit, velit, nolit, ad tempus cessit. Quæcunque conditiones inter utrumque statui poterint, cujusmodi aliæ fœnoris mutuatori in lucri, mutuæ pecuniæ ope, a mutuatario ex commercio percepti consecutionem solvendi conditio, hæc omnesque ejusmodi aliæ nullæ sunt & illicitæ pleno jure, suæque ipsarum essentiæ vi, quippe quæ cum simplicis mutui natura essentialiter pugnant, & hanc contractus speciem funditus tollunt, quia hujus speciei contractus essentialiter gratuitus est, nec hominum quisquam mutandæ rerum naturæ facultate pollet. Uno verbo, qui pecuniam mutuam seu mercatori qui eam sibi utilem reddet, seu diviti qui ex ea nihil emolumenti percipiet, mutuam dare vult & vere dat; ergo vult etiam gratis dare; secus enim eodem tempore mutuam daret & non daret, quod implicat in terminis, ut logici dicunt. Nempe mutuam daret, ut ponitur, & ut ipse ait, vult, sancit; & tamen mutuam non daret, quoniam mutui contractui conditionem apponeret quæ essentialiter destrueret contractum hunc ipsum quem transigere in animo haberet. Mutui contractus quem ineundum sibi proponit, est contractus essentialiter gratuitus; conditio vero quam in hypothesi eidem apponeret, est conditio essentialiter *ingratuita*, ut ita loquar; & quod inde consequens fit, essentialiter etiam contraria est naturæ contractus mutui; adeoque hunc ipsum etiam mutui contractum destruit. Qui hanc ergo conditionem ad mutui contractum afferret, mutuum daret & non daret simul; quod repugnat. Ergo commercii mutuum est vere mutuum simplex & ad diem, quod debet esse gratuitum, ut omnia ejusdem rationis mutua cætera, & ex quo mutuator nullum fœnus exigere potest, quantumvis modicum sit & sub Principis auctoritate, quoniam Princeps firmare non potest vel modicum fœnus quod essentialiter & intrinsece vitiosum est, & mutui contractum evertit, quem sibi contrahentes ineundum proponunt. Provocare ausim acutiores versutioresque sophistas, ut hinc se expediant, extricentque, nisi demonstrant possibile permissumque hominibus esse rerum naturam mutare, efficere, ut res simul sit & non sit, contractum edere & funditus tollere uno eodemque momento temporis, eum delere in substantia, eidemque purum putumque nomen absque ulla, ut cum scholis loqui pergam, realitate relinquere.

2. Mutuatarius in commercii mutuo solvit vere de suo condictum fœnus ob invicta rationum momenta duo. Nihil magis *meum* est quam emolumentum quod ex meo proprio bono & ex mea propria industria percipio, meum proprium bonum & mea propria industria dubio procul in mea potestate sunt, ad me pertinent, & non ad alium; id evidens est. Jam vero emolumentum quod negotiator ex mutuata pecunia percipit, e suo proprio bono & a sua propria industria percipit; e suo quidem proprio bono percipit, quia mutuata pecunia, ipsius mutui vi, proprium ejus bonum evadit, bonum quod ad eum pertinet, cujusque ipse per editam translationem dominus & proprietarius est, bonum cujus idem pericula subit, quodque ab eo reddi stato tempore, quicquid evenerit, oportebit. Ejus ergo proprium id boni est; si eo utitur, ex eodemque lucrum trahit, hæc quoque propria ejus industria est. Curæ, sudores, labores mercatoris qui negotiatur, ut pecuniam quam mutuam accepit in utilem usum conferat, non sunt, ut videtur curæ, sudores, labores mutuatoris quem quævis alia res occupat ac distinet. Pecunia ergo negotiatori commodata ipsius proprium bonum est, æque atque ejusdem industria; & quod inde consequitur, si quid fœnoris mutuatori solvit aut super pecunia quam mutuatus ab eo est, aut super industria cujus ope eam utilem reddidit, vere de *suo* solvit. Id evidens est.

3. Peculiares inter mutuatores & mutuatarios initæ conventiones nunquam efficient, ut commercii mutuum sanæ rationi & magno huic naturalis legis principio quod nobis dictat, *ut nostris cum fratribus agamus, quemadmodum eos nobiscum gerere volumus*, contrarium non sit. Naturalis lex nihil est aliud quam sana & recta ratio quam Deus homini largitus est, veluti permanentem luminis radium, certamque facem qua bonum quod facere, & malum quod evitare debet, eidem ostendit; & recta ratio, seu naturalis lex, nihil aliud & ipsa est, quam effluxus & participatio æternæ legis supremæque rationis quæ omnia ad amussim ex ordine fieri vult, ut S. Augustinus monet: *Summa ratio . . . , qua justum est, ut omnia sint ordinatissima*, (Lib. 1. cap. 4. *de Libero arbitrio*). Jam vero conventio per quam negotiator qui pecuniæ summam mutuatur, ut eam suum in commercium conferat, se mutuatori daturum recipit lucri partem, quod ex eadem pecuniæ summa in commercium collata percipiet; hæc, inquam, conventio poteritne impedimento esse, ne mutuator qui suam ea solum conditione pecuniam dat, contra sanam rectamque rationem peccet, quæ ei dictat, ut suo proximo suoque fratri gratificetur, & servitium exhibeat, sine fœnore, seu nulla propriæ utilitatis ratione habita, cum citra suum ipsius detrimentum & incommodum potest? Impedietne ea ipsa conventio, quominus mutuator injustitiam a ratione damnatam perpetret, ex bono industriaque, quæ ad eum non pertinent, quæstum exigens? Impedietne, quin mutuator rationi repugnet, dans & non dans eodem tempore, mutuum tribuens & mutuum destruens quod essentialiter gratuitum est, dum mutuatario gratificatur, aut gratificari fingit, simulque debitum ex ejus bono & ex ejus industria, ad quæ duo nil juris obtinet, sumptum eidem imponit? Impedietne, quominus mutuatoris agendi ratio ex diametro cum naturali lege pugnet, quam in Evangelio Christus Dominus his verbis explicat: *Et prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter. Et si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? Nam & peccatores diligentes se diligunt. Et si benefeceritis his qui vobis bene faciunt, quæ vobis est gratia? Siquidem & peccatores hoc faciunt. Et si mutuum dederitis his a quibus speratis recipere; quæ gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia. Verumtamen diligite inimicos vestros; benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes; & erit merces vestra multa, & eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos.* (Luc. VI. 31. & seq.)

Perspicuum est, secundum magnum illud naturalis legis principium quo jubemur ita cum aliis agere, ut ab iis nobiscum agi vellemus, Christum Dominum, supremum legislatorem de obligatione suos omnes discipulos monuisse, cui subsunt, ut gratis dent, quin temporale ullum emolumentum ex mutuo sperent; suam ut mercedem a Deo tantum expectent, imitentur Altissimum qui est ingratis & malis bonus, & a peccatoribus utiliter se distinguant, qui servitium pro servitio reddunt, semper in bonis officiis se quærunt ipsos, quæ iis erga alios effugiunt, nihilque unquam agunt nisi propriæ utilitatis gratia. Quod si non ejusmodi est Christi Domini verborum notio, hanc iis omnium tribui oportebit. „ Necesse, mei dilecti discipuli est, ut vestra agendi ratio ab ea sit longe alia, „ quæ

„ quæ peccatorum est, qui iis bene faciunt, a quibus „ sibi vident bene factum, quique mutuam dant lucri „ animo, ut paria scilicet emolumenta recipiant. Non „ ita sane vos; mutuum dabitis propriæ utilitatis obliti, „ charitatis, humanitatis, beneficentiæ animo, quin ex eo „ quicquam speretis; vobisque licebit interim ex pecu„nia quam mutuam dederitis, fœnora exigere, & ita „ quidem eo pervenietis, ut vos a peccatoribus secer„natis, qui perinde agunt ac vos agetis; magna vobis „ erit boni hujus operis in cælo merces; vere filii „ eritis Altissimi, cælestis Patris vestri, quia ipse est „ ingratis & malis bonus, ut vos ipsi boni eritis in„gratis & malis iis mutuatariis qui vestram sibi pe„cuniam a vobis quidem sine fœnore datam vellent, „ at quorum sane ingratum animum pravitatemque pu„niendi ratio vos non latebit, qui perficietis, ut one„rose ab iis usura vobis solvantur. “ Est hæc, citra hyperbolen, Christi Domini verborum notio in sententiis quam impugnamus.

4. Petri & Jacobi exemplum nihil aliud probat, quam sutoris effugia, qui illud in medium affert, consecutioni quam ex eo deducere contendit, nil fundamenti est, & firmissimis rationum momentis, quæque cuivis animo rationis compoti facere possint satis, uixa responsa singulis in id ab eo propositis quæstionibus adhiberi possunt.

Ut mihi par esse non videtur, ita ad amicum Jacobum Petrus, *meam sibi pecuniam proficere, ita nec mihi suam proficere justitia sineret*. In his paucis verbis effugia duo. Primum est, mutuatoris pecuniam exhiberi, quasi semper ad eum pertineat, etiam postquam mutuo tradita est. Mutui contractus necessario & suapte natura pecuniæ dominium ad mutuatarium transfert. Falsum ergo proinde est mutuatarium qui negotiationem profitetur, mutuatoris pecunia uti; sua ipsius pecunia utitur, quia mutui vi ea pecunia evasit ejusdem propria, esse desinens mutuatoris pecunia. Alterum effugium est, mutui dandi rationem quam in hac facti specie Petrus iniit, tamquam justitiæ in commercii mutuis servandæ regulam tradi. Quid ergo? Quia Petrus, avidus negotiator, haud æquum putat Jacobum ex pecunia lucrum percipere, quam falso suam Petrus appellat, dum mutuam dat, Petri super hac re mentem, cogitata sensaque justitiæ regulam esse? Pergamus præclarum hunc dicentem audire.

Naturalis lex, subdit, *& Evangelium docent me reum non esse, dum ita cum aliis ago, ut mecum ab iis actum volo*. Ita sane, D. Petre, tua modo voluntas, prout ad te ipsum refertur, sit semper Dei voluntati, naturali legi & Evangelio in iis omnibus consentanea, quæ ipse tibi velle posses, itemque velle, ut tibi velint alii. At si ab his immutabilibus regulis tua voluntas recedat, si tua hæc ipsa voluntas reapse funditusque vitiosa corruptaque aberret, id tibi aliisque appetans quod non debes appetere, an vero non eris reus, ita cum aliis agens, ut eos tecum agere vis? Patrasti furtum, homicidium; in hac facti specie, id equidem ut certum pono, te profecto suspensum non vis, optas potius petisque veniam, paratus & ipse sane aliis in eodem discrimine versantibus parcere, si in tua potestate esset, ut perinde tecum agatur. Jam, hac facta hypothesi, omnium criminum impunitas cum magno naturalis legis principio congruet, quod nobis dictat, ut cum aliis agamus, quemadmodum eos nobiscum agere volumus.

Jacobo Petrus optionem relinquit, ut vel quinquaginta mille libras ei sub modici fœnoris conditione mutuas det, vel ipse Petri libras quinquaginta mille sub eadem conditione recipiat. *Jacobus, amici sibi devinciendi, eodemque tempore sua pecunia bene collocandæ occasionem se nactum gaudens, ei quinquaginta mille libras exhibet, & fœnus acceptat, quod ei Petrus offert. Fœnus hoc utriusque judicio justum & legitimum est*. Ita sane, quia utriusque reciprocæ cupiditati blanditur; illudque ejusmodi ducere utriusque interest. At judex & pars simul est nemo; consulendus tertius, judex integer, perspicax, nec sui nec alieni commodi studio ductus qui monebit pronuntiabitque fœnus hoc injustum & illegitimum esse, quia æque falsum est *Petrum uti Jacobi nummis*, aut *Petri pecunia Jacobum uti*. Petrus, in proposita facti specie, non utitur Jacobi nummis suis propriis nummis utitur, quia mutuata summa ad eum pertinet, ipsa vi mutui quod essentialiter gratuitum est. quodque nec Petrus nec Jacobus per reciprocas conventiones mutare potuerunt. Hi nummi, ita sane, Jacobi erant ante mutuum quod Petro ex iisdem obtulit, at eo ipso momento temporis & mutui vi migrarunt ad Petrum tamquam ad eorum unum & unicum dominum. Falsum ergo est Petrum uti Jacobi nummis, nec magis verum est Petri pecunia Jacobum uti, tum quia pecunia a Jacobo tradita, statim ac mutuam dedit, ad eum pertinere desiit, tum quia per suam ipsius industriam Petrus suam sibi pecuniam utilem reddit, & non per pecuniam quæ pridem ad Jacobum pertinebat, quæque non amplius ad eum pertinet, postquam in utilem usum confertur.

Quæro, quonam ex capite, in hac facti specie, Jacobus naturalem æquitatem læserit, quaque in re ejus injustitia posita sit. Naturalem æquitatem Jacobus læsit, & injustitiæ reus est, quia plus exegit quam valet pecunia quam mutuam dedit, quia, quin periculis obnoxius esset, in lucri partem venire voluit, quia Petrum quem amicum dicit, adegit, ut ei suam propriam industriam solveret, eidemque vendidit amici servitium quod ei specie tenus exhibuit, quia in meræ gratiæ actu lucrum quæsivit, quia alterius curas & labores in negotiationem contulit, quia rerum & ordinem invertere, & naturam mutare voluit, sterilem rem cogens fecundam evadere, & ex beneficentiæ, favoris, magnanimitatis, liberalitatis, benevolentiæ contractu, fœnoris, avaritiæ & cupiditatis contractum faciens, quandoquidem certum est, ex Romano jure, mutuum simplex & *commodatum* esse contractuum species duas, qui essentialiter gratuiti sunt: *De substantia mutui est, ut sit gratuitum*. Leg. Rog. ff. de Rebus cred. *Commodata autem res tunc proprio intelligitur, si, nulla mercede accepta, vel constituta, res tibi utenda est; alioquin, mercede interveniente, locatus tibi usus videtur; gratuitum enim debet esse commodatum*; §. Comm. Instit. quib. mod. re contrah.

Quid juris Petro est, ut Jacobi nummorum emolumentum ipse sibi tribuat? Petrus in facti specie qua de agitur, non sibi Jacobi nummorum, bene vero suorum ipsius nummorum, suæque propriæ industriæ emolumentum tribuit, quoniam nummi e quibus lucrum trahit, quique paulo ante ad Jacobum pertinebant, nunc temporis ad eum pertinent, & si eos ipse utiles reddit, id per ejus industriam fit.

Vellem equidem solidam, animoque ratione utenti tranquillando idoneam afferri rationem posse, cur omne ex Jacobi pecunia perceptum emolumentum Petro donari lubeat, cum Petrus, siquidem quinquaginta mille francos suo venditori debeat, jubeatur cogaturque eorum fœnus eidem solvere. Antequam hujus quæstionis alteri membro per solidissimam invictamque rationem responsum dem, vellem & ego æque gravem firmamque rationem afferri ab auctore posse, quamobrem *Jacobi pecuniam* appellare pertinaciter pergat eam quæ vere Petri est, ut ei centies hactenus est demonstratum. Eine ergo licet ita pecuniam ab una in aliam crumenam transferre? Ac si in fragranti, quod ajunt, deprehenderetur, nonne periculum subiret, ne saltem tamquam strenuus deceptor puniretur, præclaris speciosisque rationibus omnibus nihil obstantibus quas ad sui purgationem proferre posset? Ad rationem venio, propter quam Petrus tenetur quinquaginta mille francorum fœnus solvere, quos venditori debet; ei nempe venditor fructuosam rem vendidit, e qua tantumdem fœnoris eove plus recepisset, ad quod damnatur Petrus qui quinquaginta mille francos eidem debet, nec hos quinquaginta mille francos recipiens, vere pecuniæ privationem patitur, quam utiliter impendisset, dum Petrus totius omnino rei quæ vendita fuit, fructibus fruitur, ejusque nonnisi dimidium solvit. Venditor ergo, dimidio venditæ rei pretio privatus versatur in lucri cessantis, aut damni emergentis casu, cum Jacobus in neutro versetur, utpote qui mutuam tantum pecuniam dedit, quæ in ejus scriniis otiosa remanebat, quin lucri quicquam eidem afferret. Hæc ratio est quæ venditorem & Jacobum distinguit, insigne discrimen inter utrumque ponens. Quæ quidem ratio soliditatis plurimum habet, peremptoria est; quod si æque gravia rationum momenta ad suam firmandam sententiam nobis afferret Auctor, in eam iremus, relicta nostra, manibus pedibusque; nihil non debet cognitæ veritatis robori cedere.

Quid damni patitur Petrus, bis mille quingentas libras Jacobo solvens, quas suo debitori solvisset? Non id quæritur, an Petrus bis mille quingentas libras uni potius quam alteri solvens plus damni patiatur, sed an alterutri legitimus ad eas recipiendas titulus suppetat. Suus venditori suppetit; quæro, an & mutuatori suppetat.

Quo tandem nomine, hujus summæ lucrum ei supra Jacobum tribuitur? Ex hac universa summa nil supra Jacobum lucratur Petrus, adeoque non id contenditur, ut statuatur eum ex Jacobo quicquam lucrari. Lucratur hanc summam Petrus ex propria pecunia & e sua ipsius industria, quæ Jacobi nec pecunia nec industria profecto sunt. Quo tandem nomine Jacobus hanc sibi summam a Petro solutam vellet?

Si Jacobus emerit una cum Petro, ſuaque ab acquiſitione in ejus favorem receſſerit, ei quidem pro pecuniæ ratione quam præſtitit, haud ægre fœnus conceditur, Minime vero, quia Jacobus, in hac facti ſpecie, cedit emolumento quod ex fructifera acquiſitione perciperet, & quod inde conſequitur, eſt in lucri ceſſantis caſu. *At ſi candidius agit, & ſolemnem hanc formam negligit, uſuræ accuſatur*. Minime vero, dicam iterum, Jacobus uſuræ non *accuſatur*, quod agat ingenue, & puram putamque formam negligat; accuſatur, e converſo, quia doloſe ſicleque agit, mutui contractum cum venditionis & emptionis contractu confundens, contendenſque ſe poſſe ex pecunia mutuo data lucrum percipere, quemadmodum ex emptionis contractu a quo receſſit, percipere poteſt, qui ſcilicet ei lucrum attuliſſet, niſi ab eo deſtitiſſet.

II. Difficultas.

Pecunia ſuapte natura non eſt infecunda; fructifera eſt, nec minus quam terra quæ nihil edit ſine colentis opera induſtriaque. Quamobrem, licet mutuo data pecunia fructum non niſi per mutuatarii induſtriam pariat, non minus verum eſt mutuatorem lucri ex ea perinde atque ex terra quam colendam dediſſet, percipiendi jure gaudere.

Responsio.

Ut ad hanc difficultatem reſpondeatur, quatuor omnino generum fructus, *naturales*, *induſtriales*, *mixtos* & *civiles* diſtingui neceſſe eſt.

Fructus naturales ſunt, quos ipſa e ſuo veluti ſinu, ſine cultus ſubſidio, natura profert, ut fœnum, ſylvæ cæduæ, poma, pira, fructuſque cæteri quos arbores ſuapte ſponte ſuper montibus, in agris, & in hortis emittunt.

Fructus induſtriales qui & *perſonales* vocantur, ii ſunt qui ſolum ex hominum induſtria, cura & labore proveniunt; cujuſmodi ſunt negotiatorum & artificum emolumenta, operariorum merces, domeſticorum ſtipendium.

Fructus mixti ſunt quos arte adjuta natura gignit, quique proinde partim naturales & partim induſtriales ſunt; pertinent ad genus hoc frumentum, vinum & generatim quicquid natura non edit, niſi quatenus exculta eſt.

Civiles demum fructus dicuntur, qui oriuntur ex jure quod leges ſtatuunt & moderantur, hujuſmodi ſunt conſtituti cenſus, penſiones ad vitæ tempus, portorii jura, locationis pretium, quoad rem mobilem, equum, & quicquid uſu non abſumitur, aut cujus permanens uſus eſt, domorum locatio, &c. Itaque domus locatio eſt ejuſdem civilis fructus, quia locator habet, ex legibus, legitimum titulum pretii a locatario accipiendi, cui ſuæ domus habitationem uſumque cedit.

Hæc ipſa multiplicis fructuum generis diſtinctio quæ lege nititur, & ubique recepta eſt, propoſitæ quoque difficultati ſimplicem æque ac victricem reſponſionem ſuppeditat. Nullam, ad eos dicendum qui eam proponunt, pecunia nullam prorſus ſuapte natura fecunditatem obtinet; nec fecunda eſt ut terra, naturali fecunditate; nec fecunda ut domus, fecunditate civili & cui fundamento eſt hominum inſtitutio & legum auctoritas; abſolute infecunda ſteriliſque eſt, quippe quæ nihil eſt aliud, ex hominum inſtituto, quam conventionis ſignum exhibens vitæ bona. Quæ quidem cum ita verum pretium evaſerit, hac homo ad emptiones, venditiones & revenditiones utitur. Hac ſolum ratione pecunia fructum edere poteſt; at fructus hic non ex pecuniæ natura prodit, perinde atque artificis lucrum, quæ ad ejus artem pertinent inſtrumenta non pariunt. Pecuniæ fructus igitur nec naturales, nec mixti, nec civiles ſunt; ſed mere induſtriales ſeu perſonales, ejuſque proprii qui pecuniam impendit. Naturales ſane non ſunt, ut terræ fructus; ridiculum eſſet animo reputare vel dicere pecuniam cuſam continere germinationis principia terræ inſtar, quæ etiam ſine cultu fructus ſaltem ſylveſtres profert, arte vero & laboribus agricolæ adjuta excellentes & delicioſos edit. Nec iidem mixti ſunt, quia pecunia, cuſa licet, fundus eſt ſuapte natura mortuus, & cui nullum ineſt germinationis principium, nulla pariendi ſeu gignendi vis, citra operam induſtriamque, cum tantummodo conventionis ſignum ſit, aliudque quam emptæ rei pretium eſſe non poſſit. Non item civiles ſunt; quia pecuniæ fructus omnino differunt a civilibus, cujuſmodi ſunt, ut exemplum afferam, qui ex locata domo proveniunt; quia nec lex adeſt nec humana inſtitutio quæ pecuniæ mutuationi fructus addixerit, quemadmodum leges & inſtituta fructum ædium locationi addixerunt; & quia, nedum ullum mutuæ pecuniæ fructum eſſe voluerunt, generatim hunc reprobarunt, cum fructus eos approbaverint, qui ex locatis ædibus percipiuntur. Mutuæ ergo pecuniæ fructus ſunt mere induſtriales eique perſonales qui pecunia utitur; & huic proinde uni proficere debet ejuſdem pecuniæ uſus, quia juſtum eſt ſuam induſtriam operamque prodeſſe præ quovis alio, contrarium autem injuſtum eſſet. Non eadem ergo cuſæ pecuniæ eſt ac terræ domuſve ratio. Terram, utpote ſuapte natura fecundam, & primitiva inſtitutione edendo proventui addictam proprietarius colere ipſe, vel alteri ad cultum locare poteſt. Cum etiam domus ad locrum & commodum parandum ſpectet, eam proprietarius habitare ipſe poteſt, aliiſve locare, a quibus ſibi ſolutum locationis pretium percipiat. Hinc ergo conſequens illud fit, terræ locationem & domus habitationem eſſe veluti vulgares, venales & variis pretiis obnoxias merces; et non ita res habet in cuſa pecunia. Eſt hæc conventionis ſignum, omnium quæ venduntur & emuntur, rerum pretium, omnium quæ in commercium veniunt, exæquatio, pignuſque, adjumentum ab hominibus inventum, ut commutationibus via ſternatur, & commutatarum rerum valor exhibeatur & conſtet. Jam vero, quoniam conventionis ſignum pecunia eſt, regula & menſura rerum quæ emuntur aut commutantur, ei quidem unum tantum poteſt pretium eſſe, quod firmum ſit, nec varietati ſubſit; contraque primitivæ ejuſdem inſtitutionis naturam eſt, ut multiplex pretium recipiat; ex quo ſequitur uſurarios qui multiplex reapſe pretium pecuniæ tribuunt, quam multiplicant, & e qua plures fructus eductos volunt, contra rationem, contraque cuſæ pecuniæ, ſeu monetæ primitivam inſtitutionem peccare,

III. Difficultas.

Si minus ex pecunia mutuo data emolumenti quicquam percipi in eum modum poteſt, quo percipitur ex terra quæ colenda traditur, aut ex domo quæ locatur; percipi ſaltem poterit tamquam ex utenſili atque inſtrumento cujus uſus eſt pecuniæ pretio æſtimabilis, adeoque mutuatori proficuus, qui pecuniam dedit, quæ lucri inſtrumentum evaſit; cum enim mutuo data pecunia lucri inſtrumentum ea demum fuerit, nihil magis juſtitiæ conſonum, quam ut mutuator veniat in lucri partem pro ejuſdem ratione.

Responsio.

Antequam huic difficultati directe reſpondeatur, haud abs re fuerit animadverti conſequens hic fore mutuatorem non debere ullum emolumentum ex pecunia percipere, quam mutuam dedit, cum mutuatarius nihil ex ea lucratus eſſet, & potiore quidem ratione, cum in ejuſdem uſu, quod in commercio haud rarum eſt, jacturam feciſſet; fore etiam conſequens, contrariorum vi, ſi mutuatarius maximi momenti lucrum, ut interdum fit, ex mutuata pecunia retuliſſet, mutuatori id juris fore, ut in hujus omnis emolumenti partem veniret, quod traditæ pecuniæ fœnus ex conſuetæ taxæ ratione longe multumque ſuperaret. Has conſecutiones non admittunt uſuræ patroni, quamobrem difficultati quam hoc loco proponunt, obſcuri aliquid ineſſe neceſſe eſt; quod ex directa reſponſione quam eidem opponimus, palam fit.

Quamvis mutua pecunia ſit lucri inſtrumentum, quod mutuatarius ea utens percipit, lucrum tamen hoc, quantum eſt, ad mutuatarium pertinet, ſin ejuſque ne minimam quidem partem mutuator venire debet ob rationes tres quæ ſatis ſuperque in ſenſus incurrunt.

Prima eſt, pecuniam non locari, quemadmodum utenſile locatur artifici, ſed mutuam dari per beneficentiæ contractum qui eſſentialiter gratuitus eſt, quique mutuatæ rei proprietatem una cum uſu, & quod inde conſequitur, ex eadem perceptum lucrum ad mutuatarium transfert.

Altera eſt, cuſæ pecuniæ non eumdem atque utenſilis ſeu inſtrumenti uſum eſſe. Cuſæ pecuniæ uſus momentaneus eſt, fugax ſeu deſtruens, utenſilis autem ſeu inſtrumenti ſucceſſivus & permanens. Non eſt ergo pecuniæ cuſæ, ſeu monetæ uſus pretio æſtimabilis ſeparatim a mutuæ rei traditione, cujus quidem traditionis univerſo valori facit ſatis edita ſtato tempore traditæ rei redditio.

At utenſilis ſeu inſtrumenti uſus, quod uſu ipſo non conſumitur, eſt, ſeorſim ab ejuſdem inſtrumenti

tra'i-

traditione, pretio æstimabilis, nec sufficit illud reddi præscripto tempore, sed solvetur, oportet, ejus usus in quem collatum fuit, & per quem deterius evasit. Atque hinc oritur ad propositam difficultatem responsio tertia. Ea quippe illud ut certum ponit, instrumenti pretium non ex intrinseco ejus valore, nec ex ejusdem, per editum usum, in deteriorem statum deductione, sed ex artificis lucro deduci; quod falsum est, quoniam consequens alioquin fieret, ei qui vilem penicillum strenuo pictori locasset, id juris fore, ut eximiæ tabulæ pretium participaret, quam pictor ejus penicilli ope exarasset. Locatum ergo instrumentum non solvitur nisi detrimenti quod per usum subiit, ratione habita, ac, siquidem pecunia omnium utensilium instar locam esset, hac ipsa ratione solvi deberet ejusdem locatio. At non ita res habet. Non inanimatum & mere passivum instrumentum in negotiatoris manu pecunia est, ut aratrum in agricolæ manu, in fabri cæmentarii manu trulla, runcina in fabri lignarii manu, &c. Non igitur ea potest e suo veluti sinu quicquam emittere, omnisque productus cujus ipse instrumentum est, tamquam ad unicam causam referetur ad negotiatoris laborem industriamque, qui ea utitur, eamdemque sibi utilem reddit, & ad quem proinde quidquid emolumenti perceptum est, spectare debet, perinde atque emolumentum omne ad artificem pertinet, qui ad laborem adhibet instrumentum cujus pretium semel solvit ad omne tempus, cujusque ipse absolutus dominus est. Ita quidem mutuatarius est mutuatæ pecuniæ absolutus dominus, ut etiam esse debet omnis emolumenti quod ex ejusdem pecuniæ usu provenit, quia ejus dominium acquisivit, æqualem summam, quod ipsius legitimum pretium est, se soluturum recipiens, quia ejus periculis subest, & quia suo eam labore suaque industria fructuosam reddidit.

Purus ergo putusque cavillus est, contendere, mutuatori jus in suæ pecuniæ lucrum suppetere vel vi societatis compositæ implicitæque, vel vi contractus locationis, quandoquidem pecunia cum sit utilis res quæ cæteras omnes exhibet, locari potest, ut etiam vendi cæterarum omnium instar.

Hæc erroganta societas composita, implicita mutuatorem inter & mutuatarium non nisi chimæra est, quoniam mutuator, quod in ipso est, omnino nihil in ea ponit, non sortem, quæ desiit ad eum pertinere, a mutui momento ipso, quod essentialiter & gratuite ejus dominium ad mutuatarium transtulit; non laborem, non industriam; nec enim agit mutuatarius, ut mutuatam pecuniam utilem reddat; nec ullum periculum; mutuatarius quippe unus omnibus periculis obnoxius est, ea lege, ut quicquid evenerit, sortem reddat. Nullius ergo generis societas, seu simplex seu composita, seu explicita seu implicita mutuatorem inter & mutuatarium existit, societates enim, quæcumque sint, necessario requirunt sequentes conditiones tres, sine quibus subsistere omnino non possunt. In omni societate, necesse est, 1. ut pecuniam, merces, aliudve suppeditanti nec tuta sors, nec certum ullum emolumentum stet; 2. ut associati singuli contribuant, aliquid in societate ponentes, pecuniam, mercem, operam, aliudve pretio æstimabile; 3. ut associati inter se æqualitatem servent, videlicet, ut expensæ, damna, jacturæ & emolumenta communia sint, & pro rebus ab unoquoque in societate positis, in capita dividantur. Jactata ergo mutuatoris & mutuatarii societas nihil prorsus aliud quam pura putaque chimæra est, ut usuræ larvam apponat, excogitata.

Locationis contractus qui mutuæ pecuniæ inhærere confingitur, haud plus corporis, ut ita dicam, & soliditatis habet. Pecunia, non inficior, ajo etiam & confirmo, est utilis res quæ cæteras omnes exhibet, & quoniam utilitas hæc inseparabiliter ab ejus valore qui conventionis est, & e momentaneo ejusdem usu derivatur, potest ea quidem rerum omnium quas repræsentat, pretium esse, & cum singulis commutari, at nec vendi, nec locari potest, quippe quæ consumitur, seu alienatur commutationis momento ipso, & venalium rerum valorem exhibens, venalitati subesse nequit. Ergo inter ea quæ locantur, & pecuniam quæ mutuo datur, extremum discrimen interest. In locatione, usus in quem confertur locata res, ab ejusdem rei dominio distinguitur, ejusque potissimum consumptione non continetur; at in mutuo transfertur dominium cum usu mutuatæ rei, & hic mutuatæ rei usus præcipue in ejusdem seu physica, seu morali consumptione positus est. Qui ergo mutuum dat, nihil exigere ob datæ rei usum potest, quippe quæ non amplius ad eum pertinet, absumiturque moraliter ipso, pro ut elabitur ex ejus manibus qui ea utitur, eo ipso momento temporis, quo eamdem addicit usui.

Quamobrem ex pecuniæ mutuo datæ, locationis specie, fœnus exigere, est rerum naturam confundere. Alterutrum enim tandem conveniat, necesse est; contractus quo quispiam pecuniam mutuatur, mutui aut locationis contractus est; nihil hac in re medium interjacet. Si mutui contractus est, ergo debet esse gratuitus, gratuitas enim, ut jam probavimus, de ejusmodi contractus essentia est. Sin locationis contractus est, tum vero mutuator qui pecuniæ quam mutuam dedit, dominus remanet, debet igitur ejus periculis esse obnoxius, & in sinistri eventus casu eamdem amittere. Aliter, qui mutuum dat, seu potius se dare dicit & dare fingit, justitiam & æqualitatem lædit, ex eo capite, quod bis eamdem rem vendit, aut id vendit quod non existit, aut saltem, quod, siquidem ponatur existere, ad eum non pertinet. Exigitne fœnora pro pecunia quam mutuam dat? Unam eamdemque rem in hac facti specie bis vendit, & duplex ea pretium accipit; unum quidem, dum pecuniam recipit, quam mutuam dedit, alterum vero, dum ex eadem pecunia fœnus accipit. Exigitne fœnora ob mutuo datæ pecuniæ usum? Tum vero id vendit, quod venditionis ratione habita, non existit, quia rei usus, quæ usu ipso consumitur, seorsim ab hac re non existit, ita saltem, ut independenter ab ea computari possit, adeoque qui pecuniæ usum sejunctim a pecunia ipsa computare vellet, non minus ridiculus esset, quam qui justo pretio certam quamdam tritici, vini, alteriusve mercis mensuram vendens, vellet aliquid etiam ob earumdem mercium usum exigere; quod sane solemni risu excipiendum esset, quia, quamvis earum mercium usus ab ipsarum substantia, physica, vel, ut loquuntur, quoad esse physicum, distinctus sit, a morali tamen earumdem natura, spectato venditionis aut commutationis contractu, nequaquam distinguitur, quoniam hæ merces quoad substantiam peculiariter ita vendi non possunt, ut deinde eas adhibendi iisdemque utendi facultas vendatur. Denique, facta hypothesi, mutuatæ rei usum, separatim ab hac re, in morali etiam ordine, pro ut ad venditionem refertur, existere, usus hic non ad mutuatorem, sed ad mutuatarium pertinet, quia hic rei dominium per mutuationem sibi factam acquirit, ejusque pericula subit. Frustra ergo quispiam dixerit, cujusæ pecuniæ proprietatem ab ejus usu secerni posse, ob eam causam, quod longe alia proprietatis, itemque longe alia usus idea & notio sit. Verum quidem est, ideam proprietatis rei non eamdem atque ejusdem actualis usus ideam esse, quandoquidem rei proprietatem habere quispiam potest, qui reapse, seu actualiter eadem utatur: at juris usus, seu ea utendi facultas ab ejus proprietate sejungi nequit; & usus hic juris dictus nobis sufficit, quoniam ad mutuatarium pertinet, eumque mutuator seorsim e re mutuata sibi solutum velle non potest.

IV. Difficultas.

Mutuatam pecuniam absumit usus, quæ quidem pauperi datur, qui ea utitur ad victum, aut alteri qui nihil emolumenti ex eadem trahit; non autem cum mercatori traditur, qui negotiatoris in modum ea utitur; ponendum ergo discrimen est inter mutuum in pauperis gratiam editum, quod *simplex*, *subsidiarium*, & *consumptionis* mutuum vocari potest, & mutuum mercatori factum quod potest *lucrativum*, *commercii*, seu *augmenti mutuum* nuncupari. Primum quidem gratuitum erit, alterum vero fœneratitium dici poterit.

Responsio.

Hæc simplicis & compositi mutui distinctio, prout oppositio sonat, quæ hoc loco proponitur, chimærica & somniantium instar efficta distinctio est. Omne mutuum necessario simplex est, ac si non amplius ejusmodi est, desinit esse mutuum, ac tum quidam cæterorum contractuum quorum specie obtegi mutuum lubet, naturam induit, eorumque immutabiles leges sequitur, quæ postulant, ut contrahentes æque inter se jacturas & emolumenta, securitates & pericula partiantur, societatum quas invicem ineunt: adeoque qui suam pecuniam mutuam dat, aut simplicem mutuationem, dictam *mutuum*, ut debet, aut alium contractum mutui nomine larvatum edere vult. Si id in animo habet, ut simplex mutuum ineat, omnino necesse est, ut gratis mutuum det, quoniam ad simplicis mutui essentiam pertinet ea quam gratuitatem vocant, alioquin mutuo dare vellet, simulque nollet, quod in vocabulis ipsis implicat. Simplicis scilicet & fœneratitii mutui notiones ipsæ se amovent, & invicem destruunt. Si qui mutuum dat, alium contractum, simplicis mutui nomine tectum edere vult, eo ipso mo-

mento temporis non malæ solum fidei, sed etiam injustus est, & quemcumque contractui quem inire vult, nomen affingat, ex eo nihil emolumenti percipere potest, nisi cum contrahente curas & pericula pro emolumenti quod sibi vindicat, ratione partiatur. Nihil ergo refert id ab eo nuncupari mutuum ex aliquo alio seu nominato, seu sine nomine, contractu compositum, locationem, societatem, depositum, commissionem, censum constitutum ad tempus, eorumve contractuum unum, quos jus satis habet exprimere per hanc formulam: *do, ut des*, vel *do, ut facias*. Nihil etiam refert eum mutuum dare pauperi qui mutuatam rem physicam absumet, & hac ipsa consumptione sterilem reddet, aut mercatori qui eam adhibens in commercio vel aliter, fecundam reddet lucrosamque. Omne mutuum necessario gratuitum est, & plus minusve subsidiarium, quia necessario benevolentiam pro causa, & alterius animum devinciendi desiderium pro fine habere debet. Mutuum quod in divite, vel in negotiatore fecundum est, non minus est simplex mutuum suapte natura gratuitum, seu potius nullum mutuum fecundum ipsum per se, & omne mutuum est essentialiter sterile, quia mutui materia, cujusmodi est cusa pecunia, necessario consumitur, cum mutuatarius ea primum utitur, quamvis hic usus ei utilis sit, quia utilitas quam inde percipit, quæque non impedit, quin sive ei pecunia e manibus elabatur, non mutuatæ summæ, sed mutuatarii industriæ aut secundæ fortunæ tribuenda est, quemadmodum, causa exempli, contingeret, si e meri casus ludo magni momenti quæstum faceret. Pono quempiam sessione una, scutis quinquaginta quæ mutuatus fuerit, e fortuito ludo triginta mille francos lucrari. In hac hypothesi, si systema quod impugnamus, verum esset, deberet mutuator saltem victæ summæ dimidium ad se trahere, quoniam ejus pecunia multo plus ad lucrum contulit quam industria mutuatarii qui nihil egit aliud, quam lusoria folia, vel talos per horas quinque aut sex contrectavit. Consequens ergo fit in hoc systemate mutuatorem quinque vel sex horarum spatio, jure ditiorem effectum auctumque quindecim mille francis, propterea quod mutua dedit scuta quinquaginta. Jam vero pono eum mutuos dedisse triginta mille francos quos mutuatarius eodem temporis spatio amisit in ludo, & dico mutuatorem in eodem systemate non posse quicquam fœnoris ex triginta mille francis quos mutuos dedit, exigere, quoniam mutuatarius eos omnes amisit, nedum auxit, &, secundum hujus systematis defensores, mutuator solum pro suæ pecuniæ in mutuatarii manu auctæ ratione, ejusdemque augmentationis vi, emolumenti ex ea percipiendi jus obtinet. Ergo distinctio mutui consumptionis, mutuique augmentationis & commercii non nisi chimerica distinctio est, ad usuram palliendam inventa, quæ quidem usura semper se prodet, ubicumque aderit emolumentum perceptum vi mutui, vel tamquam pretium usus mutuatæ rei; ejus hæc peculiaris nota est, quæ semper eam deteget, quocumque velo eamdem celari studeatur.

V. Difficultas.

Non minus licet locari cusam pecuniam ad commercii usum, quam adamantes, aut argentum in supellectilem calculose redactum, aut cusos nummos qui ad pompam & ostentationem locantur.

Responsio.

Inter argenteam supellectilem, nummosve qui locarentur ad pompam, & pecuniam quam ad commercii usum locari contenderetur, paritas nulla est; en discrimen quod inter hæc intercedit. In argenteæ supellectilis locatione, nummorumque ad pompam & ostentationem tantum, locator semper remanet ejus argenteæ supellectilis eorumve nummorum dominus; locatarum rerum pericula subit, siquidem eas fortuito casu, citraque locatarii culpam perire contigerit; earumdem decrementum fert, si quod in pondere aut qualitate per locatarii usum adest; præterea usus hic argenteæ supellectilis nummorumque qui non nisi ad fastum pompamque adhibentur est usus permanens, usus qui locatam rem deteriorem efficit, quin destruat, usus qui locatæ rei consumptione non continetur, quique ab ejusdem rei dominio & proprietate sejungi potest. Non ita res habet in pecunia quam ad commercii usum locari contenderetur. Jactatus locator, in hac facti specie, desinit esse ejus pecuniæ proprietarius; non amplius ejus periculis obnoxius est; non ejus decrementum fert, si quod adest ex usu, seu potius, in hac facti specie, nihil decrementi esse potest, quando-

quidem jactatus locatarius totum pecuniæ valorem ei reddere debet; ex alia parte, hujus pecuniæ usus est fugax & instantaneus; usus qui eam moraliter, seu in orbem agens & e manu in manum transferens destruit, usus qui a rei in usu positæ dominio & proprietate sejungi nequit; usus denique, cujus fructus non e re oritur, quæ in usum confertur, sed ex utentis cura & industria. Potest igitur ad pompam & ostentationem locari cusa pecunia, quia Principis effigies quam hæc pecunia præfert, materiæ, ponderis, intrinsecique valoris nihil eidem adimit, sed solummodo firmum & constantem magis magisque valorem tribuit, quo fit, ut ea conventionis signum, omniumque rerum pretium fit. At id tum quidem non amplius mutuum erit, & qui falso locationis nomine mutuum dare contendet, invertet rerum naturam, destinationem, ordinem, & usurpator evadet, id exigens locationis titulo, quod ei mutui titulo non debetur. Cusa pecunia per naturalem institutionem eo demum spectat, ut sit omnium rerum pretium, non ut vendatur aut locetur. Contra naturalem igitur ejus institutionem fit, si ipsa venditur aut locatur; ac tunc emolumenti quicquam ex ea citra injustitiam percipi nequit, nisi venditionis aut locationis servatis legibus.

VI. Difficultas.

Pecunia est merx; potest proinde vendi, aut ad diem cum fœnore mutuum dari.

Responsio.

Pecunia quoad materiam intrinsecumque valorem spectata in mercium numero est; id nemo negat; at eadem profecto non est merx, siquidem quoad extrinsecum valorem, & prout omnium rerum pretium est, inspiciatur. Sit modo, per me licet, hac ipsa ratione, pecunia merx; quid tum postea? Poteritne mutua dari cum fœnore? Minime vero. Triticum, vinum, oleum & ejusmodi alia sunt suapte natura merces, nec tamen possunt mutuo ad fœnus dari.

VII. Difficultas.

Non minus ex mutua pecunia, quam ex constitutionis contractu, constitutoque censu fœnora percipi licet, quandoquidem constitutionis contractus nihil demum aliud quam simplex perpetuumque mutuum est.

Responsio.

Constitutionis contractus & mutuum ad diem sunt contractus speciei duplicis, & essentialiter inter se differunt. Constitutionis contractus est venditionis & emptionis contractus per quem data pecunia constitutionis ope vere alienata est. Qui hanc pecuniam dat, summam semel solutam dat pro jure census ex ea percipiendi, qui paulatim eidem solvitur, quin possit sortem exigere, quæ proinde alienata est. Qui ergo summam dat, annui canonis ex ea percipiendi jus emit, quique eam accipit, jus hoc vendit, eum annuum canonem se soluturum recipiens. Hac igitur in re non cernitur duplex ejusdem rei compensatio; fœnus compensat sortem, non sortem sors, quoniam qui sortem dat, non habet ejus repetendæ jus; at in mutuo duplex adest ejusdem rei compensatio; mutuatarius enim fœnus solvit, quæ compensatio prima est; & præterea sortem reddere debet, quæ est altera.

VIII. Difficultas.

Annuum fœnus quod mutuatarius in mutui contractu solvit, eo spectat, ut compensetur pecuniæ proprietatis cessio quam mutuator edit, aut hæc ipsa proprietas tamquam vendita concessaque sub ea conditione & ob id pretii, quippe quæ rei fructiferæ & emolumentum efferentis proprietas est. Itaque commercii mutuum huc redigitur: *Tibi cedo proprietatem usumque pecuniæ meæ, ut eam impendas in tuo commercio, tibique sortis venditionem seu cessionem facio pro pretio annui fœnoris ad quatuor pro centum, ea lege, ut ab omni jactura me immunem serves*. Hujusmodi contractus injustitia ubinam est?

Responsio.

Jam plurim responsum est hujus contractus injustitiam esse in eo positam, quod mutuator tamquam fructiferam vendit rem quæ suapte natura sterilis est; quod futuros incertosque fructus vendit; quod vendit

fructus

fructus qui ad eum non pertinent, tametsi certi essent, sed unice ad eum pertinent, qui pecuniam suis curis suaque industria fructuosam reddit; & denique quod seorsim a sua proprietate vendit rei usum qui a venditæ rei proprietate sejungi nequit.

IX. Difficultas.

Vendi licet lucrum probabile, meritoque ex commercio speratum, cum negotiator libere in id consentit, & id ipsum sibi prodesse comperit; hoc porro est quod in commercii mutuo contingit. In eo mutuator pro modica summa vendit probabile & jure speratum quod ejus pecunia referet, emolumentum. Consentit in id libere mutuatarius, quia mutuum utile perspicit. Cur ergo contractus is non possit esse licitus, haud cernitur; qua enim demum de causa non poterunt homines inter se convenire, ut, in peculiari negotio, unus haud certo periculo subsit, cum alter in id consentire voluerit, & æque suum ambo emolumentum in hac conventione comperetint?

Responsio.

Vendi licet probabile, meritoque ex commercio speratum emolumentum, cum negotiator in id consentit, & id ipsum sibi utile comperit, facta hypothesi, venditori in id emolumenti jus esse, & negotiatorem in id ipsum libere consentire. Jam vero, in commercii mutuo, probabilis emolumenti venditor, is nempe qui mutuam pecuniam dat, nil juris obtinet in probabile emolumentum quod ejus pecunia referet, seu potius quod mutuatæ pecuniæ adminiculo negotiator edet, tum quia pecunia hæc ad mutuatarium pertinet vi mutui essentialiter gratuiti in quod eadem in hujus gratiam collata est, tum quia mutua pecunia nihil est aliud quam mere passivum lucri instrumentum, ejusve vera causa negotiatoris industria est; ex alia parte negotiator propterea solum consentit se lucri partem, quod ex mutuata pecunia percipiat, mutuatori daturum, quia is nisi hac conditione mutuam eidem pecuniam dare non vult; ejus ergo consensus non est liber; coactus est. At si reapse libere dare vult, itemque pecuniæ possessor eam mutuam gratis, ut debet, dare velit; nihil impedit quominus, elapso mutuatæ pecuniæ termino, gratum animum mutuatarius, quo voluerit, munere mutuatori testetur: est enim suæ rei dominus; & nemini malum videbitur id a mutuatore accipi, dummodo nulla adsit expressa vel tacita, directa vel indirecta stipulatio, nihilque non agatur bona utrinque fide. *Si ergo quæritur, cur homines inter se pacisci non possint, ut in peculiari negotio unus nulli certo periculo subsit, dum alter in id consentire voluerit, & ambo conventionem hanc æque sibi utilem duxerint?* Respondemus ita fieri propterea non licere, quia non in hominum potestate est inter se conventiones inire, quæ contractus destruant, quos ineunt, aut inire contendunt. Inire volunt mutui vel societatis contractum; non ergo possunt inter se convenire, ut contrahentium unus nulli periculo subsit, certum tamen emolumentum ei tutum sit, quia hæ conditiones destruunt mutui & societatis contractus, ut hactenus pluries ostendimus, & quia, in hac hypothesi, contrahentes volunt simul & nolunt mutui aut societatis contractum inire. Estne ergo in hominum potestate, ut rerum & naturam mutent, & ordinem invertant, ut certum quemdam contractum ineant, simulque non ineant, ut injustas inter se conventiones edant, prætexentes eas sibi utiles esse, in easdemque consensum se utrinque præstare? Si ita res habet, fures duo sine scrupulo res quas unà abstulerint, inter se partiri poterunt, quia hæc partitio est iis utilis, quodque liberrime de ea convenerint.

X. Difficultas.

Fieri non potest, ut perspiciatur injustitia in eo contractu qui nuncupatur *contractus triplex*, seu *contractus tres* qui sunt societatis contractus, contractus securitatis sortis, contractus securitatis minoris lucri certi pro majore incerto. Triplex contractus hic ita transigitur: Petrus societatem cum Joanne init, eique dat scuta mille, quibus is in commercio per industriam utatur, ea spe fora, ut iis id commercii sexaginta pro centum afferat. Petrus, suæ sorti timens, Joannem adigit, ut hanc ei tutam faciat pro centum scutorum summa; est hic contractus alter, sortis securitatis contractus scilicet. Denique Petrus ipse Joanni proponit, ut ei tuta reddat viginti quinque pro centum, loco sexaginta quæ sperabat, & a

quibus per horum viginti quinque securitatem recedit; hic vero tertius contractus est securitatis minoris lucri certi pro majore lucro incerto. *Nihil clarius, nihil simplicius quam hic contractus*, exclamat Auctor Tractatus de Usura Fœnoribusque (Pag. 195.). *Quid ei potest illiciti inesse? Ubinam ergo est injustitia? Qua tandem re continetur?*

Responsio.

Triplicis contractus injustitia in eo est posita, quod primus societatis contractus quem alii duo consequuntur, in simplicis mutui contractum degenerat, cujus vi Petrus qui pecuniam dedit, fruitur lucro certo, quin ullum periculum subeat, & quin de traditæ pecuniæ penes Joannem usu sollicitus sit; potest eam Joannes suum in commercium impendere; potest eadem pro libito aliter uti; Petri parum interest, modo suam sortem recipiat & præterea lucrum, de quo eum inter & Joannem convenit. Jactatus ergo triplex contractus nihil est aliud, quam mutuum simulatum cujus ultima analysis huc redigitur: Tibi do scuta mille, ea conditione, ut, intra annos quatuor, mihi reddas mille ducenta.

XI. Difficultas.

Minime vero, repetit urgetque usuræ & Fœnorum Auctor (Pag. 196.); *id nimirum esse omnino non potest; ita sane, fieri nequit, ut contractus in id mutetur quod non est, in id de quo in clausulis eidem appositis ne verbum quidem. In hoc porro, qui pecuniam præbet, expresse vult ejusdem proprietatem servare quæ ei jus ad lucrum tribuit; pars altera contrahens in id consentit; in eo ergo tempore proprietas hæc non est translata; nec vero transferri potest; depositum id est, quod nequaquam evadit mutuum, quod non potest mutuum evadere; sed necessario remanet, quod est; adeoque propositio hæc*, contractus degenerat in purum putumque mutuum, *est constanter falsa*.

Responsio.

Fieri nequit, inquit Auctor, *ut contractus in id mutetur, quod non est*. Debuisset, e converso, dicere, fieri non posse, ut contractus in id mutetur, quod est. Quicquid in rerum natura est, in id sane quod est, mutari non potest, bene vero mutari potest in id quod non est. *Contractus*, inquit, *in id mutari non potest, quod clausulæ quibus oneratus est, minime dicunt*. Id vero facillime fieri potest, si clausulæ mutationem efficiant ipsæ per se, quia eam innuant, ut hac in re fit, inductaque larva, ut etiam in hac re ipsa contingit. *Qui pecuniam suppeditat, expresse sibi servatam ejus proprietatem vult, quæ ei jus lucrum confert*. Id is utique vult; at velle non potest; non potest moraliter; non potest licite, & ex lege, quæ ait: *res perit domino*, quæque pecuniariæ summæ proprietarium vetat ex ea lucrum trahere, quin ejusdem periculis subest. *Expressis id verbis vult*; ita sane, ut valet latro expresse vult crumenam servare, quam ut amputaret, ei satis calliditatis artisque fuit. *Pars altera contrahens in id consentit*. Coacte scilicet suisque ingratiis assensum præbet, cum secus a pecuniæ proprietario nihil obtinere possit. Esto: consentiat; at licite consentire non potest, ejusque consensus, quemcumque poni lubeat, nunquam purgabit mutuatorem qui naturalem divinamque legem transgreditur. *Non est ergo translata proprietas hæc, nec vero transferri potest; depositum id est, quod nequaquam evadit mutuum, quod non potest mutuum evadere, quod necessario remanet, quod est*. Pecunia Joanni tradita & concredita, in hac facti specie, *depositum est*. Ita vero; at, si depositum est, deponens ergo subire debet ejus pericula, quoniam aliter ejusdem proprietarius non esset. Dictumne unquam fuit, eum qui apud alterum pecuniam deponit, non teneri subesse ejusdem periculis, si forte, citra depositarii qui eam sibi sumere vult, culpam perierit? Constanter igitur verum est, triplicem contractum in purum putumque mutuum degenerare.

XII. Difficultas.

Equidem sentio, nemo non ait ex mero æquitatis communisque sensus sermone, si Auctori fides, *equidem sentio, si mea pecunia ei cui eam credo, nullum emolumentum afferret, mihi nil juris fore, ut ejus fœnora ab eo peterem; at is multum lucratur; pecunia ad me pertinet; nonne justum est me in aliquam lucri partem venire?*

Responsio.

Minime, respondeo ego, pecunia quam mutuum dedisti, non amplius ad te pertinet; injustum est te ex ea quidquam emolumenti percipere. Tua erat ante mutuum, mutuamque dare vel non dare tibi liberum erat; at ex quo id egisti, ut mutuam dares, ea non amplius ad te pertinet, nec justitiæ congruit tibi minimam quamvis partem ad lucrum esse, quod mutuatarius ex eadem trahit, nisi per lucri & pertis in commercio societatem ejus periculis obnoxius sis, tibique *lucri cessantis aut damni emergentis tituli* faveant.

XIII. Difficultas.

Alii quam lucri cessantis aut damni emergentis tituli sunt, qui jus ad fœnus ex pecunia mutuo data exigendum tribuunt: 1. Amittendæ fortis, universim, periculum quod in omnibus mutuationibus occurrit ob fortuitos casus & eventa varia quæ efficiunt, ut fors, hoc est mutuata pecunia non uno modo perire possit; ejusmodi est 2. Præsentis seu numeratæ pecuniæ privatio; cum enim pecunia præsens seu numerata multo, quam absens, pretiosior sit plurisque æstimabilis, qui mutuam, ad annum aut amplius, pecuniam dat, aliquid ultra præcipuam fortem exigere potest, quoniam pretiosiorem ea rem dat, quam recipiet, stato tempore præcipuam eam fortem recipiens. 3. Numerandæ pecuniæ, cum mutua datur, sollicitudo, ejusdemque ob oculos habendæ voluptas, qua se privat qui mutuam dat. 4. Obligatio præcipuæ fortis non repetendæ ante terminum de quo convenit. 5. Necessitas in qua quispiam versatur, ut mutuam ad fœnus pecuniam det, vel ut sibi victum comparet, vel ut pupillorum nummos, quorum rationem reddere debet, utiles reddat.

Responsio.

Omnes hi tituli quibus mutui fœnora purgari & in tuto poni contenditur, frivoli sunt, habentque soliditatis nihil. 1. Amittendæ fortis universum periculum non est titulus qui mutui fœnora tueatur & legitime reddat, quia mutuo intrinsecum aut moraliter addictum est, ac si ad fœneratitium mutuum purgandum faceret, usura non nisi chimæra esset, fierique non amplius posset, ut illud exerceretur, quemadmodum fieri nequit, ut humanarum rerum status & conditio mutetur, omnibus scilicet periculis quæ eas circumstant, inaccessæ reddantur. 2. Præsens seu numerata pecunia non est pretiosior plurisve æstimabilis quam pecunia quæ absens est. Contraria propositio damnata fuit ab Innocentio Papa XI. & a Cleri cœtu, an. 1700. qui plures alias super usura proscripsit, quæ sunt ejusmodi: *Contractus Mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ; & cum contractu retrovenditionis prævie inito, cum intentione lucri .... cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem quam futuram, potest creditor aliquid ultra fortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari. Usura non est, dum ultra fortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solum, si exigatur, tamquam ex justitia debitum. Licitum est mutuanti aliquid ultra fortem exigere, si se obliget ad non repetendam fortem usque ad certum tempus. Tam licet ex alienatione per aliquot annos censum annuum exigere, quam licet exigere censum perpetuum ex alienatione perpetua.* 3. Non ergo numerandæ pecuniæ, cum mutua datur, labor, opera, sollicitudo, itemque ejus ob oculos & præ manibus, seu in arca habendæ voluptas qua se privat qui mutuam dat, denique pecuniæ ante terminum non repetendæ obligatio, non sunt usuræ purgandæ idonei tituli, quoniam nihil horum e mutuo sejungi potest. 4. Necessitas in qua quispiam versatur, ut vel e sua ad proprium victum, vel e pupillari pecunia quæ ejus fidei concredita est, lucrum trahat, hæc, inquam, necessitas titulus satis gravis esse non potest, ut fœneratitium mutuum in tuto ponat, quia licitæ alienationes suppetunt, quibus propria pecunia utilis efficiatur, & quia, quæcumque tandem causa prætexi possit, id nunquam licet, quod naturali divinaque lege vetitum est.

XIV. Difficultas.

Si ex pecunia negotiatoribus mutuo ad diem data nil fœnoris trahi licet, perinde res habet in commercii ac populationis negotio; &, quod inde consequitur, omnia regna, in quibus locum haberent principia, seu placita hæc, quamprimum in excidium abire cernerentur.

Responsio.

Si probatum est, quemadmodum merito dubitari non potest, e simplici tantum exactum fœnus suapte natura malum esse; nunquam illud reapse exigi licere potest; &, cum omnia, quæcumque in hoc terrarum orbe esse aut cogitari possunt, incommoda, atque ipsa mundi, quam late patet, extinctio derivarentur e consuetudine quæ usurario mutuo non favet, malis his haud satis inesset ponderis, ut contrariam consuetudinem legitimam redderent, quia, ut in communi proloquio est, *non sunt facienda mala, ut eveniant bona*. Verum hæc jactata & tantopere jactata incommoda nonnisi phantasmata, & meræ chimæræ sunt. Usura non est omnino commercii nervus. *Impendatur pecunia ad colendos agros, ad artes servandas & perficiendas, ad erigenda & sustentanda opificia, ad venalia navilia construenda, ad emendas & vendendas vicissim & in orbem merces, ex æquitate regalis, paraturque ratio, qua ineantur & sustententur consilia per generales confusuras, vel particulares, collata quidem pecunia, non autem collata opera, societates, sub recta consultaque administrationis publicæ patrocinio & moderatione; tum vero, cessante usura injustitiaque, aucto negotiatorum numero, succrescente mercium copia, earumque depresso pretio, magis magisque commercium florebit. Tum demum felic erunt populi .... pecunia plus ingredietur in regnum, quam egredietur .... majora emolumenta subsistentiae multiplicabunt, adeoque, quod inde suapte natura consequitur, humani generis propagationi favebunt.*

XV. Difficultas.

Extant numero plurima Gallorum Regum edicta, mandata, declarationes, itemque plurium per Galliæ regnum Parlamentorum aresta quæ in commercio, quoad negotiatores & mercatores, mutuum ad fœnus sinunt; ejusmodi sunt, inter alia, mandatum Philippi VI. an. 1349. quoad Briæ & Campaniæ nundinas, aliud Ludovici XI. quoad mercatores Lugdunenses, an. 1442. edictum Henrici IV. an. 1601. edictum pariter Ludovici XIII. an. 1634. arestum parlamenti Parisiensis, die 3. Septembris, an. 1644. &c.

Responsio.

Cum Reges & parlamenta pro commercii mutuis fœnora sinunt adjudicantque, pro certo ponunt, *lucrum cessans*, aut *damnum emergens* quoad eos existere, qui lucrum percipiunt; ex quo fit, ut, qui pecuniæ quam mutuam dedere, fœnora sibi adjudicanda curant, ea percipere, sententiis licet faventibus nixi, licite nequeant, nisi in *lucri cessantis*, aut *damni emergentis* specie reapse versentur. Hæc quidem est hac in re theologorum, canonistarum & jurisconsultorum mens. Quod ad postremos attinet, e millibus unum in medium afferam; est hic D. Claudius. Josephus de Ferriere, decanus doctorum regentium Parisiensis in Juribus Facultatis, & vetus in Parlamento advocatus, qui Tomo secundo Dictionarii Juris & Praxis, pag. 1098. edit. an. 1749. ita suam mentem aperit: „ Usura lucratoria est apud nos absoluta vetita; nostrorum Regum sanctiones secutæ sunt hac in re juris canonici dispositionem, quod ejusmodi usuras prohibet, quamvis eas sineret Romanum, modo non essent immodicæ, nec fines prætergrederentur, quos iis Romanæ leges ponebant. Usura compensatoria sinitur apud nos, prout tenet damni & lucri locum.... Usura punitoria non est apud nos vetita; judices ad eam damnant compensationis in modum, cum actor in jus vocat debitorem, ut ab eo, quod debet, sibi solvatur cum debitæ summæ fœnore; judices, in hac facti specie, damnant ad fœnora quæ debentur (numeranda ea quidem a petitionis die, quam damnatio secuta est) non tamquam pro creditore lucrum, bene vero tamquam jacturæ reparatio, quam ei attulit debitoris dilatio. “ Id sibi volunt regiæ sanctiones & parlamentorum aresta quæ mutuatori facultatem ad fœnus tribuunt, inter tot alia quæ gravissime id interdicunt. In posteriorum numero sunt, S. Ludovici sanctio an. 1231. ejusdem alia an. 1254. sanctio Philippi III. an. 1274. sanctio Philippi Pulcri an. 1311. sanctiones Philippi Valesii ann. 1330. & 1349. sanctio Ludovici XII. an. 1510. & Francisci I. an. 1535. parlamenti Parisiensis arestum an. 1534. Novembri mense; aliud, die 14. Augusti an. 1567. demum aliud, Januarii die 10. 1736.

XVI. Difficultas.

Felicia recordationis Papa Benedictus XIV. in encyclica Epistola quam Romæ dedit Kal. Novembr. an. 1745. & ad Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos & Ordinarios Italiæ misit, iis aperte luculenterque favet, qui fœnoris ex commercii mutuo legitimitatem propugnant, dum secundum unanimem theologorum & canonistarum super hoc negotio consultorum consensum, ait, 1. fieri interdum posse, ut quædam circumstantiæ, seu tituli qui ad mutui essentiam non pertinent, cum eo concurrant, satisque legitimum jus tribuant, ultra mutuæ summæ valorem, aliquid percipiendi; 2. contractus quosdam esse, prorsus a mutuo quoad naturam alios per quos, multiplici pacto, suam quispiam pecuniam collocare potest, vel ut annuos sibi redditus comparet, vel ut de negotiationibus commerciisque participet, & ita quidem justum & licitum quæstum ad se trahat; 3. ex his contractibus, siquidem omni ex parte ad accuratæ justitiæ regulas exacti sint, licitas rationes plures existere posse, quæ commercio ad publicum bonum faveant.

Responsio.

In hujus Epistolæ universo contextu ne verbum quidem occurrit, quod eo spectet, ut fœnorum quæ ex commercii mutuo percipiuntur, legitimitati faveat, nihilque non ibidem potius doctrinæ favet quæ ea damnat. Laudatæ Epistolæ verba quibus tantum uti possunt legitimitatis horum fœnorum propugnatores, id unum 1. Dicunt, *titulos quosdam esse, qui de mutui essentia non sunt, quique nonnunquam possunt cum eo concurrere, satisque legitimum præbere titulum, quo ultra mutuata summa valorem aliquid percipiatur*. Nihil magis veritati consonum; ita sentimus ipsi; & hi quidem tituli sunt mutuæ pecuniæ lucrum cessans aut damnum emergens. 2. Dicunt ea verba *contractus quosdam esse, prorsus a mutuo quoad naturam alios per quos, multiplici pacto, suam quispiam pecuniam collocare potest, vel ut annuos sibi reditus comparet, vel ut de negotiationibus commerciisque participet, & ita quidem justum & licitum quæstum ad se trahat*. Id quoque verum est; nemo id unus in dubium revocat. Nimirum venditionis & emptionis, locationis, societatis contractus, & id genus aliis sunt rationes apprime legitimæ quibus sibi quispiam reditus quæstusque justissimos & maxime licitos comperet. 3. Eadem verba dicunt, *ex his contractibus, siquidem omni ex parte ad accuratæ justitiæ regulas exacti sint, licitas rationes plures existere posse, quæ commercio ad publicum bonum faveant, quibusque negotiationes reipublica utiles exerceantur*. Heu! quis hæc de re dubitat? Quis unquam sibi in animum induxit dicere aut cogitare exactæ justitiæ contractus non posse licitas fovendi commercii rationes suppeditare? At ea verba dicuntne mutui in negotiatoris gratiam editi circumstantiam esse *titulum qui satis legitimum jus tribuat, ut, præter summa valorem, quæ huic negotiatori mutuo data est, aliquid recipiatur?* Dicuntne mutuum hoc esse *contractum a mutuo quoad naturam omnino alium, per quem justum & licitum emolumentum percipi possit?* Dicuntne *nihil non in hoc mutuo ad accurata justitia regulas exactum esse?* Tantum abest, ut horum quicquam dicant, innuantque, ut potius præcise totundidque verbis Benedictus XIV. omnino contra dicat, doceat, testetur.

1. Benedictus XIV. profitetur *usura unicam in mutui contractu sedem esse, eamque in eo contineri, ut qui mutuum dat, velit, ope solum & vi mutui, fœnus exigere, tum ea mutui natura sit, ut id unum quod præstitum est, retrahatur, & nihil amplius*.

Hæc scilicet omnino ipsa quem nos propugnamus, sententia est; ac, si quis vitiligare vellet & cavillari, propterea quod *usura* dicitur *in mutui contractu unice residere, & in eo contineri, quod qui mutuum dat, fœnus ope solum & vi mutui exigere vult*; responderemus hanc usuræ definitionem, quoad singulas ejus partes, e nobis admodum libenter admitti, quia usurarios contractus omnes quos e simplici mutuo discrepare contenditur, non alios reapse ac vere quam palliatos mutui contractus esse, tam certum est quam quod certissimum, omnesque tituli qui a *lucro cessante* vel a *damno emergente* differunt, & e quibus ad fœnora ultra sortem percipiendo sibi quispiam præsidium ac fulcrum quærere vellet, non sufficiunt, ne hæc ipsa fœnora reapse & vere, ope solum & vi mutui, percipiantur. Ac mihi quidem, quicunque bonæ fidei est, dicat, velim, qua demum alia quam una & unica mutui vi, qui negotiatori mutuum dat, fœnora ultra summam quam mutuam dedit sortem exigare possit. An vi lucri quod hic negotiator e mutuatæ summæ usu percipiet? At, primo loco, si negotiator emolumenti nihil e mutuata summa trahit, quod sæpe contingit, non tenebitur fœnora mutuatori solvere, saltem in hac facti specie, usuræ patronis ipsis voluntarie aut coacte fatentibus. Secundo loco, lucrum quod negotiator ex mutuatæ pecuniæ usu percipiet, si quod revera percipiet, lucrum, inquam, hoc non nisi suis ipse curis, suis laboribus, suæque industriæ debebit; quod si mutuator ab eo lucri partem exegerit, efficiet ergo, ut is suas proprias curas, suum proprium laborem, suamque propriam industriam eidem solvat.

An vero mutuatæ pecuniæ vi mutuator id juris obtinat, ut ex ea sibi fœnora sumat? At primo quidem, id ei juris erit, in eodem facti specie, ut fœnus exigat a paupere vel a divite, qui mutuatam pecuniam absument, quin eam in utilem usum converant, quoniam non minus verum erit, eum suam iis mutuam pecuniam dare. Et quo tandem jure potest mutuans ex pecunia fructus trahere, quos ea nec physice seu formaliter, nec moraliter seu civiliter, nec denique virtualiter continet? Non eos continet phisice; tritum est illud: *Nummus non parit nummum*. Non continet moraliter seu civiliter ullum fructum, quandoquidem, quæ ejus natura ejusque institutio moralis & civilis est, non eo refertur, ut ullum fructum emittat, sed eo potius, ut omnes fructus emat. Nec magis ullum fructum virtualiter continet, quippe quæ, suapte natura, sterilis & infœcunda est, quod jam demonstravimus. Præterea, pono momento temporis, contra facti evidentiam, pecuniam fecundam esse, quoad emolumentum quod ex ea negotiator fortasse vel probabiliter, si ita lubet, deinceps trahat, hujus pecuniæ, quoad futuros fructus quos exerei, eadem, ut summum, erit ac grani aut nuclei ratio, quæ virtualiter continent fructus omnes quos arbor gignere poterit, quæ ex eo grano, eova nucleo prodibit, si terræ mandentur, & forte fortuna felicem exitum habeant. Jam vero quæritur, an liceat granum, semen, aut nucleum arboris carius vendi, ea obducta causa, quod virtualiter & in germine continent fructus omnes qui ex iis nasci deinceps poterunt?

2. „ Ad hanc (usuræ) injustitiam excusandam, inquit Benedictus XIV. inutile est in medium afferri, lucrum illud non immodicum, sed moderatum, „ nec magni momenti esse; eum e quo exigitur, re „ sane vera, vi tantum mutui non esse pauperem, sed „ divitem; eumdem mutuatam summam non otiosam „ relicturum, sed maxima eum utilitate, atque ut „ suam ipsius conditionem meliorem reddat, vel ad „ dominiorum acquisitiones, vel ad commercii negotiationes adhibiturum; cum enim mutui essentia ne„ cessario posita sit in æqualitate inter id quod præ„ statur, & id quod creditur; hac æqualitate semel „ posita, qui aliquid amplius, sola vi mutui, sibi vin„ dicat, opponitur hujus contractus naturæ ipsi, cum „ ei ex æquo & ad amussim, per valoris æqualia et „ quem numeraverat, solutionem sit factum satis; & „ quod inde consequitur, id quod redundat, siquidem „ recepisset, restituere deberet, per ejus justitiæ obli„ gationem, quæ *commutativa* nuncupatur; hæc enim „ præcipit, ut, in contractibus, æquitas cujusque pro„ pria accurate servetur, illatumque damnum, si ea„ dem æquitas læsa est, reparetur. “

3. „ At, his duobus statuendis principiis, negari „ non contenditur, quasdam circumstantias seu titulos „ quibus mutui essentia non afficitur, aliquando pos„ se cum eo concurrere, & ultra mutuatæ summæ va„ lorem aliquid percipiendi satis legitimum jus præ„ bere. “

Id nos quidem non inficiamur; fatemur potius esserimusque, dummodo jus hoc suam e lucro cessante, vel a damno emergente vim sumat.

4. „ Verum in primis animadvertendum est a veri„ tate maxima alienum esse, semper occurrere, vel „ cum mutuo, legitimos titulos, vel independenter a „ mutuo, licitos contractus alios, quorum adminicu„ lo, quoties concreduntur cuipiam pecunia, frumen„ tum, aliæve merces, justas semper causas subesse, „ ob quas moderata aliqua ultra sortem fœnora per„ cipiantur. Non ita cogitari posset, quin sacræ Scri„ pturæ auctoritati, Catholicæ Ecclesiæ super usura „ decisionibus, atque adeo rationis ipsius principiis „ evidenter obsisteretur; nemo enim ignorare potest ei „ unumquemque obligationi subesse, in multiplici fa„ cti specie, suo ut proximo per purum & simplex „ mutuum opituletur, secundum ea Christi ipsius Do„ mini verba: *Ne vetaris ei qui a te petit, mutuum dare*; & oppido bene multas circumstantias existere,

„ in

„ in quibus occasio comperi nequit, ut alius licitus justusque contractus alius, quam mutuum, locum habeat. Quamobrem quicunque suam in tuto ponere conscientiam vult, eum oportet, antequam aliquem contractum statuat initque, cujus vi pecuniam fructuosam reddat, diligenter expendere, an vere sibi suppetat, cum mutuo, legitimus titulus, licitusve contractus a mutuo alius, qui fœnus quod ipse sibi comparare studet, cumulate purgare possint. "

Summus Pontifex, inter alia, statuit duo, in postrema hac animadversione quam nos quidem perinde atque ipse recipimus. Primum est, mutui proximo dandi obligationem sæpenumero adesse. Mutuum ergo nonnunquam præcepti est, & aliquando consilii tantum. Ad præceptum pertinet, quoad pauperes quibus subsidium non afferri non potest, dato mutuo pro circumstantiis quæ ita postulans; spectat autem ad consilium solummodo, quoad divites quos non urget mutuandi necessitas, quique mutuum non expetunt, nisi suam ut fortunam augeant. In hac facti specie, liberum cuique est ita mutuum dare aut non dare; at, facta hypothesi, quempiam id sibi sumere, ut iis mutuum det, id gratis prorsus ut quoad pauperes facere debet, quia ejusmodi est natura mutui, quod nempe necessario, seu essentialiter beneficentiæ contractus est, contractus, inquam, cujus essentia, vis & ratio continetur æqualitate inter id quod suppeditatur, & id quod redditur. Ita quidem, ut exemplum afferam, quamvis non semper ore tenus, seu vocaliter orare teneamur, semper tamen vocali preci omnes quas suapte natura postulat, conditiones debemus apponere, quoties ad eam nos applicamus. In eumdem modum non cuique petenti mutuum dari necesse est; at, facta hypothesi, quempiam velle mutuum dare, gratis det, oportet, quia ea mutui natura est.

Alterum quod in ea ipsa posteriore super mutuo animadversione doctus Pontifex statuit, est, adesse cum mutuo legitimum titulum, licitumve contractum, a mutuo alium, qui fœnus omnino purgare possiat, quod sibi quispiam comparere studet. Utique; at hic legitimus titulus non est emolumentum quod mutuatarius a mutuata pecunia trahere poterit; est lucrum cessans aut damnum emergens; at licitus contractus hic a mutuo alius non est mutuum mera palliatum; est contractus a mutuo reapsa distinctus, qui nihil non justum continet, quique proinde alicujus lucri faciendi licitus modus evadit.

XVII. Difficultas.

Contractus tres eodem tempore & cum eadem persona initos judicarunt haud ita pridem apprime legitimos Universitates, Coloniensis, die 8. Julii an. 1744. Trevirensis, an. itidem 1744. die 4. Augusti, Friburgensis, Ingolstadiensis, Moguntina, Salmanticensis, & Complutensis, quin loquamur de approbatione Basileensis Episcopi, cui die 24. Januarii an. 1745. qui pœnitentes & confessarios suæ diœcesis finiit ad earum Universitatum sententiam in praxi se conformare. Fierine ergo posset, ut tot ac tam celebres Universitates in errore versarentur.

Responsio.

Ad propositam difficultatem infirmandam, satis nobis esset Universitatibus Universitates, Theologis Theologos opponere, & post Auctorem Tractatus de Commercii Mutuis, (Tom. IV. p. 5. 6. 7. 9.) dicere „ catholicorum Doctorum universalem ac prope unanimem consensum spectari non posse tamquam satis gravem firmamque rationem qua fidei articulus statuatur, nisi cum eo conjunctus sit, quod ob antiquis temporibus creditum est; eos infallibilitatis, quam vocant, privilegio donatos non esse, ut nempe sint fallere & falli nescii; non e Scholasticorum sententia de sacra Scriptura & Traditione, sed de eorumdem Doctorum sententia ex congruentia vel oppositione cum sacræ Scripturæ & Traditionis doctrina judicandum esse; non esse quærendum ex eorum auctoritate præsidium, ut theologo silentium imponatur; hunc posse magno numero universorum agmini refragari, modo alicujus idonei theologi sententia ab eo stet; recentiores theologos eatenus tantum auctoritate pollere, quatenus cum omni antiquitate consentiunt, &c. " At nos quidem non indigemus responso hoc, ac nihil est, cur asseramus, quicquid ad illud explicandum, amplificandum aut roborandum possemus addere, quia nobis inter alte responsa præsto est unum quod rem totam definit; est autem hoc.

Seu liciti sint contractus tres, seu non; seu major theologorum numerus, qui hoc tempore existunt, aut unquam existent, eos legitimos efferant, seu negent; seu ne unus quidem, si lubet, sit, qui non eos licitos putet; mea parum interest; nec minus verum erit eos ad unum omnes in id consentire, ut simplex mutuum tamquam usurarium damnent, cum lucratorium est. Quid ita? Quia tum quidem super juris quæstione convenit inter omnes, iidemque super facti tantum controversia altercantur. Triplex contractus estne usurarius? Hæc facti quæstio est. Facta hypothesi, triplicem contractum usurarium esse, estne licitus? Est hæc juris controversia. Theologi, non inficior, ajo etiam & confirmo, super facti quæstione disputant, an scilicet triplex contractus usurarius sit, quia alii quidem verum & proprie dictum societatis contractum esse, alii vero nihil esse reapse aliud, quam palliati mutui contractum asserunt; at in id omnes & singuli conspirant, ut dicant, triplicem contractum, si re vera non nisi palliatum mutuum est, ob hanc unam & unicam causam illicitum esse. Non ergo lis inter eos nisi de facto est, & super jure consentiunt; eorumque proinde dissidium, quoad caput hoc, non officit causæ nostræ, quippe quod impedimento non est, quominus omne mutuum, cum usurarium est, concordibus animis damnent. Testantur id disertis verbis, inter alios, Coloniensis Universitatis Theologi, cum id suæ decisioni statuunt fundamenti loco, non nisi in formali aut virtuali mutuo usuram adesse: *Usura enim non est extra formale vel virtuale mutuum, quale in dicto contractu non reperitur .... In primis non reperitur mutuum, sed est verus contractus societatis.* Theologi porro qui triplicis contractus legitimitatem propugnant, non alia id causa faciunt, quam quod persuasum habent illud in *formale* vel *virtuale* mutuum minime degenerare; putant ergo illud, siquidem in *formale* vel *virtuale* mutuum abiret, tum vero illegitimum fore; in id ergo consentiunt, ut in simplici mutuo usuram damnent, eorumque dissensio ad puram tantum putamque facti quæstionem referatur; quod nobis sane fat est; sentiunt enim ut nos sentimus super juris quæstione; & ad facti controversiam quod attinet, adversarii nostri se dubio procul non sine voluptate remissos videbunt ad doctum Papam Benedictum XIV. cujus auctoritatem & verentur, & sibi accommodare conantur. Ita ergo in Tractatu de Synodo Diœcesana, libro septimo, cap. 51. Sentit & animo reputat magni nominis Papa hic. Animadvertit primo Benedictus XIV. disputationem super tribus contractibus ob contentionem quæ super hoc capite, Navarrum inter & Dominicum Soto efferbuit, celebrem evasisse, Navarro quidem legitimos eos putante, Soto vero nequaquam. Ait deinde, causa ad Sixtum V. delata, Papam hunc damnasse contractus tres, an. 1586. per Bullam *Detestabilis*, & nihilominus adhuc sub judice litem esse, quia plures, iidemque magni nominis theologi, cujusmodi sunt, inter alios, Covarrovias, Cardinalis de Lugo, Gibalinius, Vanroy, trium contractuum legitimitatem propugnarunt post hanc Bullam quam eo sensu explicuerunt, ut nulla damnet injustas & usurarias conventiones quas tribus contractibus non inhærere contendunt. Opponit deinde Benedictus XIV. his theologis eorum aliquos qui damnant contractus tres, cujusmodi sunt D. Genett, Auctor moralis doctrinæ Gratianopolis, Petrus Aurelius, Continuator Tournely, PP. Alexander & Concina; tandemque concludit haud debere quidem Episcopum ulla censura sententiam tribus contractibus faventem plectere, at debere tamen eorum usum pro virili impedire, & ab iis diœcesanos avertere: *pro viribus*, ejus verba sunt, *impedire*, *& ab eo* (triplici contractu) *ineundo suos subditos dehortari, quod a plerisque Episcopis in suis diœcesanis synodis .... sapientissime factum reformat Genett, Tom. I. Tract. 4. cap. 14. & Natalis Alexand. Epistol. 94. in Append. ad Tom. II. sua Theolog. Moral.* subdit Benedictus XIV.

Basileensis Episcopus suam trium contractuum approbationem facultatemque quam, quoad hanc rem, suæ diœceseos confessariis & pœnitentibus tribuit, cum hac authentica Benedicti Papæ XIV. decisione, initaque ab Episcoporum plerisque agendi ratione haud facile conciliabit: at nos quidem de ejus animi integritate tam bene sentimus, ut nobis persuadeamus fore, ut ad eam se conformet, & nostra sane fiducia nititur iis verbis quæ ad ejus approbationis calcem legimus: *in praxim deduci permittimus, donec forsitan a sacra sede Apostolica super hac re aliter definiatur.* Si Papæ quæ doctissima fuit, ponderata decisio, quamque ipse ad posteritatem transmittit in opera, ubi totas Episcopis regu-

regulas, ut suas synodos utiliter habeant, tradendas sibi proponit, non est formalis & authentica sanctæ Sedis decisio, aliquid saltem est quod ad eam proxime accedit, & apprime cohibere potest mentem consiliumque præsulis, adeo sincera observantia erga id omne animari, quod ex apostolico solio, sub duplici scientiæ & pontificiæ auctoritatis sigillo, emanat.

XVIII. Difficultas.

Quod hoc titulo continebitur, non erit peculiaris oppositio quæ nondum soluta fuerit; erit propria summaria præcipuarum difficultatum collectio in quam cogi potest sententia nostra, quæque respondebit vicesimo quarto Tractatus de Commercii Mutuis, eidemque postremo capiti quod ita gallice inscribitur: *Chapitre 24. Recapitulation & Conclusion*. Exponemus auctoris verba italicis litteris, ut distinguantur a nostris quæ per consuetas litteras exhibebuntur. *Omnes quorum animis insidet gratuitatis opinio, quæ mutuo necessaria seu essentialis est, consentiunt hoc nec tituli unquam, ac ne speciei quidem loco esse posse, ut quispiam ab eo cui suam pecuniam mutuam, per hujus generis conventionem seu contractum, dedit, emolumenti quicquam exigat aut trahat. Quantumvis alia possint esse causæ quæ ad mutuum hac ratione dandum determinent, mutuum semper debet esse gratuitum; pauperem inter & divitem non distinguitur; ab uno æque atque ab alio exactum fœnus injustum & usurarium est; ut quæcunque rationes ex natura & characteribus simplicis mutui quod essentialiter est ipsum per se gratuitum deduci possint, eorum quidem nulla contractibus aliis quorum alia natura est, accommodari potest* (T. V. p. 451.). Confessio hæc honori est docti scriptoris menti animoque; pretiosa est, amputandisque omnibus difficultatibus quæ super usura utrinque agitantur, magnopere, per adversarum partium conciliationem inservire potest.

Contractus qui super commercii mutuo versatur, addit auctor, nedum suapte natura gratuitus est, fœnus in suo principio, in contrahentium voluntate, & in clausulis quas continet, adjunctum habet. Nihil non liberum & voluntarium est in contrahentium utroque, fœnus ibidem stipulatum est, & sine fraude ac sine dolo permissum, consensumque ibidem necessitas non extorquet; eadem esse debet hujus contractus ratio, ac cæterorum omnium qui a simplici mutuo, atque adeo a commodato distinguuntur; ac nemo potest, quin legitimum censeat, cum nihil continet, quod commutativa justitia repugnet, videlicet, cum in eo servatur æqualitas. Ut ejus ergo legitimitas impugnetur, alia arma sumi omnino necesse est, quam quæ a contractu suapte natura gratuito, cujusmodi simplex mutuum est, suppeditari possunt (*ibid.* p. 451. 452.). Hic vero incipit auctorem inter & nos scissio. *Contractus*, inquit, *qui super commercii mutuo versatur, in suo principio, in contrahentium voluntate, in clausulis quas continet, fœneratitius est, ut dum in se ipso gratuitus sit.* Ita sane res habet; & hoc sane est hujus contractus vitium. Non est ulla ex parte gratuitus, & ejusmodi quidem omni ex parte esse deberet; est enim mutui species quæ necessario de suo genere participare debet, quod, auctore fatente, *essentialiter gratuitum* est. Quodcunque enim tandem nomen tribui commercii mutuo libeat, nunquam illud constituet peculiare genus, nunquamque erit nisi peculiaris species mutui, quod de genere omnibus mutui speciebus communi participare non poterit, quin desinat esse mutuum. Jam vero mutuum ut genus, seu generice spectatum, essentialiter gratuitum est; ergo commercii mutuum non minus ejusmodi est; aut si non est ejusmodi, non amplius mutuum est. Aliter loqui est abuti communi sermone, & absurdum propugnare non minus absonum & a ratione alienum quam hoc: *Homo est essentialiter animal, quoniam est specierum una quæ sub animalitate quæ singulis animalium speciebus commune genus est, continentur; & ipse tamen homo nulla ratione de animalitate participat.* Accurata est paritas, & auctor ita ratiocinetur, oportet: *Commercii mutuum est essentialiter mutuum, quippe quod est specierum una, quæ sub mutui contractu, quod commune genus est, continentur, & nihilominus commercii mutuum de mutui contractu nulla ratione participat.*

Nihil non liberum & voluntarium est, subdit auctor, *in contrahentium utroque, fœnus sine fraude & sine dolo transactum est, consensum necessitas non extorsit.* Non omne, nos respondemus, in ambobus contrahentibus liberum est & voluntarium. Mutuatarius non consentit in fœnoris solutionem, nisi quia mutuator aliter ei mutuum dare non vult. Extortus ergo est mutuatarii consensus, quem eo redigit necessitas, ut vel mutuo careat, vel illud hac onerosa conditione sumat. Licet ergo, atque adeo necesse est sibi neminem non temperare, quin ejusmodi contractum legitimum censeat, quia commutativæ justitiæ & æqualitati contrarius est, prout mutuator plus exigit recipitque, quam dedit, æqualitatemque proinde violat, quæ in eo est posita, ut omnino quod datum, & nihil præterea retrahatur.

Ut impugnetur mutui legitimitas, quod ad commercium spectat, subdit auctor, *necessario requiritur, ut alia sumantur arma, quam quæ a contractu suapte natura gratuito, cujusmodi est simplex mutuum, suppeditari possunt.* Minime vero; ut mutui ad commercium spectantis legitimitas impugnetur, alia arma sumi non est necesse, quam quæ mutuum simplex ministrat, quia hæc arma contra commercii mutuum æque ac contra simplex mutuum victricia sunt, ob eam peremptoriam causam, quod commercii mutuum & mutuum simplex, cum sint mutui species duæ, debent necessario simul in communi genere convenire, & commune quidem genus est contractus mutui cujus ea essentia est, ut gratuitum sit. Non ergo minus gratuitum est commercii mutuum, quam mutuum simplex; ac si gratuitum non est, non amplius est mutuum, eique auctor id nominis injuria tribuit.

Consulat frustra quispiam naturalem legem, ut commercii mutuum in ea damnatum comperiat.... Hæc, quam late protenditur, eatenus lex nihil nobis exhibet, quod illud improbet (Pag. 453.). Commercii mutuum evidenter est naturali legi contrarium, & innumera rationum momenta quæ illud gravissime obruunt, lex hæc ipsa suppeditat. Momenta hæc sunt, inter alia, per commercii mutuum, ordinem naturamque rerum inverti, prout illud ex contractu suapte natura gratuito fœneratitium contractum efficit; prout commutativam justitiam, seu æqualitatis justæque proportionis regulam violat, mutuatore scilicet plus exigente, quam dedit; prout hic ipse mutuator in alienam messem falcem immittit, colligens, ubi non seminavit; mutuata enim pecunia non est semen, nullumque generationis principium continet; prout hic idem mutuator bis ejusdem rei eundem valorem exigit; prout irrepit in lucri partem, quod e sua mutuatarius industria percipit, quin ejus periculorum particeps sit, atque ita propriam ipsius industriam sibi solutam vult; prout rem quæ sterilis est ipsa per se, cogit fecundam esse; prout beneficium vendit, suumque ad emolumentum refert servitium quod magnanimiter præstare deberet, quodque oporteret ad proximi emolumentum omnino vergere; prout pecuniam vendit, aut locat, cujus natura nec venditionem, nec locationem suscipere potest; prout pecuniam vendit, quæ ad eum non pertinet, quoniam ejus dominium, mutuationis ipsa vi, gratis ad mutuatarium translatum est; prout in magnum illud naturalis legis principium peccat, quod nos docet aliis facere, quod nobis ipsis ab iis factum vellemus, cum certum sit esse neminem qui pecunia indigens, sibi gratis eam dari nollet. Possemus nos quidem plures alias oppositiones percurrere, quæ inter commercii mutuum & naturalem legem existunt; at satis diximus & plusquam satis, ut probaremus longe plurima rationum momenta quæ hoc mutui genus improbent, a naturali lege suppeditari.

Cum divitis hominis mutuationi *non alia causa subsit, quam ut ejus facultates augeat.... naturalis lex nullam nobis obligationem imponit, ut ad hanc augmentationem de nostro conferamus* (Pag. 453). Ita sane; naturalis lex haud nos obligat, ut diviti homini mutuum demus, qui non mutuatur, nisi ut suas facultates augeat; mutuum, in hac facti specie, non nisi consilii est; ab eo possumus abstinere; at facta hypothesi, nos velle mutuum dare, debemus id gratis facere, quia cujusque mutui natura ejusmodi est; ac ne tum quidem mutuum damus impensis nostris, quoniam nobis reddetur, quicquid damus, nostraque pecunia penes nos otiosa in arca remansisset, ut instrumentum seorsim positum extraque artificis manum; falsum ergo est ullam jacturæ subesse, dum mutuum damus, aut nostris impensis dare.

Mutuatarius nihil solvit nisi liberrime & maxime voluntarie. Si ita res habet, nihil addi potest mutuatarii libertati; nihil enim est supra liberrimum & summe voluntarium; verum, ad ferendum hac de re judicium, necesse foret mutuatorem ita mentem suam mutuatario explicare, & sermonem ejus animi fidelem interpretem esse: „ tu quidem a me mutuam pecuniam petis, „ ego vero postulationi tuæ libentissime omninoque „ gratis assentior; jam tecum ineo mutui contractum, „ cujus vi tibi do mutuam decem millium francorum „ summam quam mihi intra quadriennium reddes abs„ que ullo vel minimo fœnore; nihil enim aliud in

„ ani-

„ animo habeo, quam ut per hoc mutuum te mihi „ devinciam, nec exigo, ac ne spero quidem aliud a „ te, cum terminus excurrerit, quam francos decem „ mille quos jucundum mihi est mutuos hac die tibi „ dare, eo tantum consilio, tibi ut ipsi gratum fa„ ciam.“ Contractu in hunc modum inito, mente animoque cum calamo conspirantibus, judicabitur mutuatario liberrimum esse, elapso termino, gratum animum mutuatori exhibere, eumdemque posse suæ liberalitati habenas laxare erga amicum de se bene meritum, qui & ipse doni omnino puri quod ei exhibebitur, acceptandi, aut per animi magnitudinem abnuendi libertate gaudebit.

Mutuata pecunia evasit in mutuatarii manu instrumentum fecundum quod ei deserviit, suam ut industriam utilem redderet; ausim pecunia est (Pag. 454.). Perperam loqui est, dicere pecuniam evasisse fecundum instrumentum, seu *principium activum* in mutuatarii manu, qui ea usus est; non magis ea pecunia fecundum instrumentum est in mutuatarii manu, quam cælum in manu sculptoris, penicillus in pictoris manu, in scriptoris manu calamus. Tribuenda est ergo mutuatarii industriæ pecuniæ fecunditas; hæc enim in ejus manibus non nisi instrumentum est, animæ & fecunditatis expers æque ac cætera omnia inanimata instrumenta in artificum manibus, qui eadem adhibent.

Fœnus quod mutuatarius solvit, non e suo ipse bono seu fundo sumit; est illud emolumenti quod mutuata pecunia ope percepit, levis portio, eamque copiose compensat major emolumenti pars quam ipse sibi reservat. Mutuatur e suo fœnus sumit quod solvit; mutuata enim pecunia ad eum pertinet mutui ipsius vi; illud a sua ipsius industria sumit. Non ergo compensatur per majorem emolumenti partem quam sibi reservat, emolumenti nempe quod non semper advenit, quodque, ut semper eveniret, totum prorsus pertineret ad mutuatarium, tamquam ad solum dominum, ad solum activum principium, ad solam causam instrumenti motricem, quod ei deservit, ut id lucri faceret, quod proinde lucrum ipsum non nisi fructus laboris industriæque mutuatarii censeri potest, quemadmodum artificis emolumentum est ejusdem laboris & industriæ fructus. Cuipiamne unquam in mentem venit præstantiorum artificum divitias instrumentis tribuere, quæ iidem ad eas accumulandas adhibuerunt?

Vetus & novum Testamentum, itemque Patrum Traditio non damnant commercii mutuum (Pag. 454 455. 456.). Contrarium centies demonstratum est, & ad id probandum, satis esset hoc loco animadverti sacras Litteras & Patres damnare omne mutuum in quo plus exigitur quam datur; damnant proinde commercii mutuum quod mercatoribus, ut consumptionis mutuum quod pauperibus tribuitur, quandoquidem plus exigitur in utroque, quam datur; qua sane prorsus in re, posita est usuræ essentia.

Concilia generalia & particularia in clericorum tantum persona usuram damnant, eamque si quando laicis prohibent, eam solum prohibent, cum civitatibus aut privatis hominibus perniciem affert, non autem cum utilis iisdem est (Pag. 456. 457.). Probavimus supra ex generalium & particularium plurium conciliorum canonibus usuram ab iis damnari in omnis generis hominibus, seu ecclesiasticis seu laicis, & quoad quamcumque personam exerceatur, divitem vel pauperem, negotiatorem vel non.

Omnis ætatis theologi conspirarunt, ut simplicis mutui lucrum proscriberent, spectarentque commercii mutuum tamquam contractum a simplici mutuo, natura, alium, adeoque non essentialiter gratuitum (Pag. 457. 458.). Denegari non potest huic assertioni prærogativa quam auctor conatur adimere commercii mutuo; est ea plene gratuita, quandoquidem est absolute falsum omnes omnium temporum theologos in id consensisse, ut commercii mutuum tamquam contractum a simplici mutuo, natura, alium, & quod inde consequitur, haud essentialiter gratuitum spectarent. Si res ita se haberet, non opus habuisset auctor suum *de Commercii Mutuis* Tractatum contexere; nullum enim adversarium habuisset, quem impugnaret. Auctor non est felicior, cum *theologorum consensioni*, (Pag. 459) pro commercii mutuo, *jurisconsultorum unanimem sententiam* addit. Videri potest in hanc rem primus Theologicorum super Usura Principiorum Tomus, a pag. 205. ad usque 225.

Præcedentium rerum omnium probationes in Tractatu de Commercii Mutuis continentur. (Pag. 461.) *Quod iis opposuit Principiorum auctor, id vero non earumdem vim infirmavit. Adjumenta plura quibus se uti debere credidit, aliena sunt a quæstione quam pertractare voluit, quia ejus statum attingeret*, Tractatus de Commercii Mutuis nil probat aliud quam auctoris ingenium, experrectam mentem, perspicaciam, late patentem eruditionem, & in primis industriam, & ideas perturbet, res confundat misceatque, notiones & definitiones creet, quæ ei peculiares & propriæ sunt, consociat, siquidem possit, res quæ nequaquam cohærent simulque stare non possunt, avertat quæstionis statum; & difficultates eludat, quin ad easdem respondeat. Principiorum in has digressiones aberrationesque non abit, sacram Scripturam, Patrum Traditionem, Concilia, Theologos & Canonistas ubique sequitur; ideis definitionibusque rerum adhæret, quas nobis hi tradiderunt; adjumenta quæ adhibet, ad quæstionem quam præ manibus habet ac discutit, apprime faciunt; victricia sunt, quandoquidem ab eo agitata pertractataque controversia hæc demum est, utrum usura proprie dicta & odioso sensu accepta comperiatur existatque in commercii mutuo, & eam quidem reapse in hoc adesse invicte ac triumphantia in modum probat. Prolixo huic de usura articulo finem dabit Gallicanæ Historiæ monumentum, quod a re proposita dubio procul alienum non est.

. Theodebertus Austrasiæ Rex, omnium Clodovei posterorum optimus, inquit Abbas Velly, (T. I. p. 84. 89.) magni momenti summam Verodunensi incolis mutuam dederat; quam cum Diderius ejus urbis Episcopus relaturus venisset, recipere Princeps renuit, suæque recusationi præclarum hoc responsum addidit: *Summa nobis felicitas est, iste is ad præsulem, nos bene faciendi occasionem mihi comparasse, & me passum non esse eam mihi excidere.* Hanc agendi rationem perumper cum ea conferamus, quam iniere Petrus & Jacobus, quos auctor Tractatus de Commercii Mutuis in scenam protulit. „ Pono, inquit auctor, Petro esse præ manibus „ edendam acquisitionem, centum mille librarum pre„ tio; ei non nisi quinquaginta mille suppetunt; Ja„ cobum amicum adit, ut quinquaginta mille libras „ remittat, moderati solvendi fœnoris lege, vel eadem „ conditione totidem ab eo recipiat. Jacobus amici „ sibi devinciendi, ac de eo bene merendi, simulque „ suæ pecuniæ bene collocandæ occasionem se nactum „ gaudens, Petro quinquaginta mille libras exhibet, „ ab eoque sibi oblatum fœnus acceptat.“

An vero non obversatur oculis admirandi heroes duo, amicitiæ omnino puræ & a privato commodo prorsus alienæ rara, sublimia exemplaria duo? Mittamus, inquit ad amicum Jacobum Petrus, mittamus illud vetus adagium, *inter amicos omnia communia*; aliquid melius quod tibi proponam, habeo. Inibi sum, ut centum mille librarum acquisitionem perficiam; præsto mihi sunt libræ quinquaginta mille, has tu tibi sume, solvendo fœnore, aut ego eamdem summam, & eadem quidem conditione, a te recipiam. Aliter, a me tibi pecuniæ nihil, ut mihi non est animus tuam habere, quin tibi, quod ei respondeat, fœnus solvam. Quam nobilis sermo hic! Quam purus & a proprii commodi studio remotus! Quam perfectis duobus amicis dignus, qui se gaudent nactos occasionem bene de se merendi sensu ipso amicitiæ quam sibi mutuo jurarunt! Quam analogus est naturalis legis & Evangelii lectionibus quæ nos doceat, ut nostros nobis fratres beneficentiæ & virtutis animo devinciamus, iis deserviamus ob deserviendi voluptatem ipsam, iis gratificemur, quin e beneficiis quæ iisdem concedimus, veluti post messem granula colligere demisse velimus, quamque prodigiose Jacobus ab iis recessisset, hac alia ratione Petrum alloquens: Heu! Petre, tibi equidem amicus sum, inquis, & mihi proponis, te soluturum mihi servitium quod a me petis? Pro vili ergo mercenario me sumis. At, si ego tibi amicus sum, en summam quæ tibi opus est, ea expressa conditione, nunquam fore, ut tu de fœnore mihi loquaris. Ex hac locutione, agnosco equidem verum amicum, hominem, christianum, Evangelii fidelem discipulum, ut par est, cum in auctoris heroe non videam nisi cupidum operarium, miserum bajulum, abjectum & contemptibile cupiditatis mancipium.

ZEL

ZELUS, generatim, de fervore dicitur quo ad rem aliquam quispiam fertur, at magis de eo peculiariter, qui pro Dei gloria & animarum salute exeritur, & qui potissimum altarium ministris convenit. Zelus qui eorum est proprius, esse debet æque vividus & ardens, prudens, illustratus, discretus, infinitum in modum varius pro animorum varietate, & pro locorum, temporum, ætatum,

tum, personarum, statuum & professionum peculiaribus circumstantiis.

Sit Rector discretus in silentio, utilis in verbo, ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat .... bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus, ut & bonis in nullo se praeferat, &, cum pravorum culpa exigit, potestatem protinus sui prioratus agnoscat; quatenus &, honore suppresso, æqualem se subditis bene viventibus deputet, & erga perversos jura rectitudinis exercere non formidet. (Concilium Aquisgranense, an. 816. lib. 1. cap. 21. Greg. lib. 1. cap. 4.)

Qui præficitur ad regimen, taliter erga disciplinam subditorum præstare se debet, ut non solum auctoritate, verum etiam humilitate clarescat. Sed tamen ita erit in eo virtus humilitatis, ne dissolvatur vita subditorum in vitiis; atque ita auctoritas aderit potestatis, ne per tumorem cordis severitas existat immoderationis. Hoc est in Dei sacerdotibus vera discretio, qua nec per libertatem superbi, nec per humilitatem fiunt remissi. (Cap. 21. Isidor. lib. 3. *Sentent.* cap. 42.)

Non omnibus una eademque doctrina est adhibenda; sed pro qualitate morum, diversa exhortatio erit Doctorum. Nam quosdam increpatio dura, quosdam vero exhortatio corrigit blanda. Sicut periti medici ad varios corporis morbos diverso medicamine serviunt, ita ut juxta vulnerum varietates, medicina diversa sit; sic & doctor Ecclesiæ singulis quibusque congruum doctrina remedium exhibebit, & quid cuique oporteat pro ætate, pro sexu ac professione, annuntiabit. (Cap. 23. *Ibid.* lib. 3. *Sentent.* cap. 43.)

Omnis spiritalis zelus doctoris animum fregit; quia valde cruciatur, dum infirmos quosque æterna deserere, & rebus temporalibus delectari conspicit. Nullum quippe omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum, sicut Psalmista ait: Zelus domus tuæ comedit me.... *Paulus Apostolus zelo animarum cruciatus dicebat*: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? *Ipsum suum cor, quod animarum zelo succenderat, quid aliud quam quasi sartaginem fecerat, in qua, amore virtutum, contra vitia ardebat?.... Necesse est, ut hoc ante omnia, qui zelo rectitudinis movetur, attendat, ne ira extra mentis dominium transeat; sed in ultione peccati tempus modumque considerans, surgentem animi perturbationem subtilius retractando restringat, animositatem reprimat, & motus fervidos sub æquitate disponat; ut eo fiat justior ultor alienus, quo prius extitit victor suus. Qui zelo rectitudinis movetur, sic culpas delinquentium corrigat, ut ante ipse qui corrigit, per patientiam crescat, ut fervorem suum transcendendo dijudicet; ne intemperanter excitatus, ipso zelo rectitudinis longe a rectitudine aberret*. (Cap. 34. Greg. lib. 1. *super Ezechiel. Homil.* 12.)

F I N I S.